MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80052-3

AUTHOR:

HORATIUS FLACCUS, Q.

TITLE:

OPERA OMNIA

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1836-39

Master Negative #

91-80052-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Works 1836

Horatius Flaccus, Quintus.
...Opera omnia recensuit et illustravit Fridericus Guil. Doering ... Lipsiae, sumtibus Librariae Hahnianae, 1836-39, [v.1, 1839].
3 v. in 2, 23 cm.

v.1: Editionem novam curavit Gustavus Regel;
v.2: Editio tertia auctior et emendatior.
Title-page of v.3 wanting, preface date 1836.
v. 3: Index verborum.

37214

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/23/91 INITIALS MD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

VOLUME 1

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Q. HORATII FLACCI
OPERA OMNIA

RECENSUIT

ET

ILLUSTRAVIT

FRIDERICUS GUIL. DOERING.

EDITIONEM NOVAM

CURAVIT

GUSTAVUS REGEL.

TOMUS PRIMUS.

LIPSIAE
SUMTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE.
MDCCCXXXIX.

PRINCIPI OPTIMO

ELECTORI SAXONIAE

SERENISSIMO

FRIDERICO AUGUSTO

PATRIAE MEAE

PARENTI BENIGNISSIMO

Si possem, veluti magnus Horatius, *
Mutari niveum nunc ego in alitem
Et sic dulcisono suavia gutture
Per nubes volitans promere carmina:
Custodem populi Te Placidum pii
In terrae canerem finibus ultimis,
Et caeli eveherem sidera ad aurea.
At tentare humilem grandia sors vetat!

* Od. Lib. II, 20.

Ergo parva pii munera pectoris
(Nec raro haec placidis caelicolis placent,)
Parva haec accipias, **Optime Principum.**
Olim me puerum, me iuvenem **Tua**
(Testes Porta mihi, claraque Lipsia,)
Nutrivit duo per lustra benignitas.
Nunc nunc mente pia, quod licet, in sacris,
Princeps Alme, Tibi, thura focis cremo.

PRAEFATIO.

Quamvis in Horatio explicando et a librariorum peccatis purgando tantum unaquaque aetate positum est studium, ut vix a novis interpretibus dici et conferri aliquid posse putes, quod non dictum et collatum sit prius, nec librariorum vitium aliquod in Horatii textu, quem vocant, indagari et tolli posse credas, quod non indagatum et sublatum iam sit ab aliis; tamen nostra quoque aetate extitere Viri docti, qui novam lucem Horatio affunderent, nec, qui nova et meliora afferant, posthac deerunt. Scilicet alius aliam in edendo Horatio rationem secutus est; alius, ut **Lambinus**, **Torrentius**, **Sanadonus** cett. omnem paene in poetae sententiis uberius exponendis, illustrandis, cum similibus veterum scriptorum locis componendis vel ex historia dilucidius explanandis collocavit operam; alius, ut **Bentleius**, **Cuningamius**, **Wakefieldius** cett. unice in poeta ad artem criticam exigendo versatus est; alius, ut **Gesnerus**, utrumque ita coniunxit, ut nec textui ad normam criticam examinando, nec sententiis impeditioribus expediendis deesset. Quam quidem rationem posteriorem, haud dubie utilissimam, dextre quoque in editis Odarum libris iniit **Iani**, nuperrime autem in communem Horatii lectorum gratiam Vir Eruditissimus, **Mitscherlichius**. Sed cum **Iani** Editio Odas tantum duobus tomis complectatur, ea autem, in qua profliganda cummaxime occupatur vetus meus sodalis et amicus **Mitscherlichius**, ad tam splendidum opus excrescat, ut paucis ad illud sibi comparandum res suppetere videatur; desideratur adhuc, quae plurium lectorum rationibus accommodata sit, editio. Cum igitur ante

tres annos Vir Honestissimus, bibliopola Lipsiensis, *Caspar Fritschius*, ut satisfaceret eiusmodi editionis desiderio, *Gesneri* editionem novis dotibus instructam recudendi cepisset consilium; mihi, ut eam recognoscerem, et, aliis resectis, aliis adiectis, diffingerem, oblata est ab illo conditio. Sed ex causis, quas commemorare nihil attinet, eam repudiavi, et ad eum potius laborem, qui novae plane editioni impendendus sit, me proclivem esse professus sum. Placuit. Rem suscepi, et susceptae rei partes pro virili sustinere studui.

Nihil autem prius mihi faciendum esse putavi, quam ut textum darem emendatissimum. Itaque in locis dubiis non certae cuiusdam editionis auctoritatem secutus sum, sed ipse lectiones diligenter excussi, et, quae tam linguae quam poetae ingenio maxime respondere videretur, eam recepi. Ab initio quidem animus erat textum ita exhibere, ut ille a Cl. *Mitscherlichio* constitutus est, sed, cum in lectiones incidissem, quibus ut accederem, a me impetrare non poteram, ab hoc consilio recessi, et meo ipsius iudicio in seligendis lectionibus me regi passus sum. Quod si prius fecissem, sine haesitatione cum *Bentleio* I. 3. 18. *rectis* pro: *siccis*, et I. 6. 18. *strictis* pro: *sectis* scripsissem. Ne tamen levitatis temeritatisque in lectionum delectu mihi culpam contraherem, non solum lectores de lectionis varietate diligenter in notis monui, sed rationem quoque, cur novam antiquae, vel antiquam novae lectioni praeferrem, semper addidi. Horatii editorum et aliorum virorum doctorum, ut *Marklandi* Epod. II. 27. coniecturis tum demum locum relinquendum esse censui, cum, iis receptis, apertum, quo laborabat oratio, tolleretur vitium. In uno loco IV. 8. 17. qui a recentioribus interpretibus ut locus suspectus et spurius asterisco notatus fuit, mihimet ipsi liberius indulsi, et, voce *incendia* in *stipendia* mutata, difficultatem, qua hic locus premebatur, removi. Praeterea ego ipse in textu nihil tentavi, nisi quod III. 2. 5. particulam *et*, quae mihi superflua ibi esse videbatur, delendam curavi. In coniecturis, quas in notis proposui, una est Epod. XVII. 81. quae non mihi, sed Amicissimi *Iacobsii* debetur acumini. Erat illa quoque, quam reciperem, dignissima, cum

voce *habentis* in *valentis* mutata duplici orationis insolentiae (*plorare artis* pro: artis causa, et *nil exitum* pro: *nil exitus*) egregie succurratur.

Quod ad interpretationem attinet, quamvis omni cura et studio in ea versatus sum, nec paucos locos difficiliores nova, quam in iis explicandis ingressus sum, via explanare studui, ea tamen non viris doctis, sed tironibus inprimis me consultum ivisse, facile docet, qua usus sum, interpretandi ratio. Nam in quibus alias doctrinae laus et copia cerni et censeri solet, in iis fui brevior, at in iis, quae ad poetae virtutes et sententias penitius perspiciendas facere viderentur, paulo copiosior, adeoque utilitatis magis quam gloriae studiosus. Ne vero, priusquam ipse de unoquoque carmine diligentius cogitassem, aliorum explicationes temere amplecterer, vel in eorum opiniones me induci paterer, legem mihi scripsi hanc, ut nonnisi iam certa de uniuscuiusque carminis consilio et sensu concepta animo sententia interpretes adirem, et, quae bonae frugis apud eos reperirentur, in usum meum converterem. Nec, quae aliis accepta refero, dissimulavi, sed, ubicunque opus videbatur, bona fide indicavi. Optima autem suppeditavit *Mitscherlichii* commentarius, exquisitioris doctrinae copia refertissimus, quem quidem eo lubentius in partes vocavi, quo magis eius auctor iam olim, ad cuius exemplum me componerem, mihi extitit dignissimus. Nam non sine summa animi voluptate in memoriam revoco illud tempus, quo non solum intimae nos pueros in schola Portensi amicitiae familiaritatisque tenebat vinculum, sed mutuum quoque honestissimae aemulationis agitabat studium. Gaudebit igitur ille, cuius antiqua fides et rarissima animi integritas mihi et aliis satis perspecta est, gaudebit, inquam, nisi me omnia fallunt, ille, si veterem suum amicum post messem a se factam spicas legisse intellexerit.

Post inchoatam *Mitscherlichii* editionem omnia Horatii carmina uno tomo evulgavit Cl. *Wetzelius*. Instructa est haec editio Indicibus, in quibus res historicae, mythologicae, geographicae accurate et diligenter enarrantur, copiosissimis, sed pauci lectores in eorum subsidio acquiescent, nec tam ex subiecta lectionis varietate, quam

ex praepositis cuique carmini argumentis, multum proficient. In probandis enim vel improbandis lectionibus Wetzelius ad Iani iudicium et auctoritatem ita se attemperavit, ut nihil fere ex se ipso proferret, et ducem suum atque magistrum in deridendo tantum et petulantius tractando Magno Bentleio superaret. Nec Argumenta ita comparata sunt, ut lectores inde de cuiusque carminis pretio et virtutibus recte iudicare discant.

Quae de Horatii MSS. et Editt. cett. ex aliis editionibus cognosci possunt, et raro legi solent, iis hanc editionem augere et onerare nolui. Itaque nil nisi Vitam Horatii et Doctrinam de metris Horatianis praemittendam curavi. Rem scilicet de metris Horatianis novo studio tantaque diligentia, sollertia et peritia excussit et ad eiusmodi formam redegit Vir Doctissimus et multis nominibus mihi Carissimus Sparrius, ut communicatis, quae humanissime ille mecum de metris Horatianis communicavit, cum Horatii lectoribus, haud exiguam apud plurimos me gratiam initurum esse cum fiducia quadam sperare possem.

Restat ut Doctissimo Clarissimoque Philosophiae Doctori Carolo Christiano Wendlero, cuius accuratissima veterum linguarum cognitione aeque ac summa perspicacia, ne vitiis typographicis inquinaretur haec nostra editio, egregie cautum et prospectum est, publice gratissimi animi sensum aperiam. Quo minus autem Vir ille Venerabilis publicae laudis et gloriae est appetens, in eo maiore apud omnes, qui eum norunt, est pretio. Dabam Gothae a. d. VI. Id. Mai. MDCCCIII.

DOERING.

PRAEFATIO
EDITIONIS SECUNDAE.

Pauca sunt, quae de hac repetita Horatii odarum editione monenda videntur. Nam, quae potissimum spectaverim, cum primum ad edendum Horatium animum appellerem, et quorum usui inprimis adiectum commentarium destinaverim, iam olim in praefatione, primae editioni praemissa, copiosius exposui. Nec me frustra id fecisse, ex aequiore, quod inde nonnulli de qualicunque mea Horatio praestita opera tulerunt, iudicio intellexi. Quodsi igitur fortasse erunt, qui de hac secunda quoque Horatii carminum lyricorum editione sententiam suam pronuncient, eos, ne consilii, quod in Horatio interpretando secutus sum, immemores sint, etiam atque etiam monitos rogatosque habeo. Versatus autem sum in iis, quae olim scripsi, recognoscendis ita, ut passim alia immutarem, alia brevius, alia disertius, explicarem, alia plane delerem, alia ad rem magis illustrandam afferrem; ne multa! feci, quod mihi faciendum esse putavi, vel pro virium mearum modulo facere potui. Nec defuit mihi, quam in partes vocarem, nova Horatii Carm. Librr. V. a Vanderburgio (Lutetiis Parisiorum 1812.) adornata editio. Ceterum quo gravior mihi est auctoritas eorum, qui ad cetera Horatii carmina simili interpretatione instruenda me excitarunt, eo maiore industria atque religione fidem iam olim datam exsolvam. Gothae mense Sept. MDCCCXIV.

DOERING.

PRAEFATIO
EDITIONIS TERTIAE.

Cum non solum in Praefatione ad Editionem Horatii carminum Lyricorum primam, sed etiam iis, quae nuper ad editas a me Horatii Satiras et Epistolas praefatus sum, rationem, quam in Horatii interpretatione secutus sum, iam exposuerim, nihil, quod adderem, habui, nisi haec pauca verba:

„Adieci in hac tertia Odarum Horatii Editione, quae „adiicienda videbantur; resecui, quae nunc displice„bant; defendi denique receptas lectiones rationibus, „ab earum vel antiquitate vel necessitate repetitis."

Quemadmodum autem operae, quam Horatio navavi, iudicibus aequis et humaniter de vitiis, quae commisi, me monentibus aures faciles, ita illis, qui omnia, ut inde eruant, quod atro dente carpant, cum pulvisculo excutiunt, aures duras praebebo. Gothae mense Sept. MDCCCXXIV.

DOERING.

PRAEFATIO
EDITIONIS QUARTAE.

Haec quartum repetita Horatii carminum Lyricorum Editio ideo praeferenda est tertiae, quod purgata est vitiis typographicis, quibus illa turpiter scatet. Quoties autem Horatium meum relego, toties in locos minus recte a me intellectos et expositos incidere soleo. Quemadmodum igitur eos in hac quarta Horatii Editione rectius constituendos et explicandos curavi (nam, ut Horatius ait Epist I. 16. 24. *Stultorum incurata pudor malus ulcera celat*), ita illa, quae acutius viderunt alii, modeste in rem meam vertenda putavi. Id factum inprimis est in Editione Horatii Minore, quae, absterso sudore (mea enim culpa paulo diutius sub prelo sudavit), viam ad Horatii amatores, tirones maxime, adfectare meditatur. In ea proposui duas emendationes, quas memoravi quoque in hac quarta Hor. Editione. Pro *quamvis* nempe Od. I. 28. 11. legendum esse coniectavi: *quoniam is*, et Od. III. 11. 18. pro *eius* (quam lectionem omnes emunctioris naris interpretes Horatio plane indignam iudicarunt) *aestus*. Verum probandae, an improbandae sint hae duae emendationes, virorum doctorum iudicio relinquo; certe de posterioris emendationis probabilitate nullus ego dubito.

Vale, Humanissime Lector, et benevolentia atque favore tuo me recreare perge. Gothae a. d. XVII. Octobr. MDCCCXXIX.

DOERING.

PRAEFATIO
EDITIONIS QUINTAE.

Quam insigni successu Fr. Guil. Doeringius in illustrando Horatio operam posuerit et quam egregie de hoc poeta meruerit, non est, quod pluribus hoc loco exponam. Hanc enim laudem omnes, qui aequo utuntur iudicio, unanimi consensu tribuerunt Doeringio, quod tam simplici perspicuaque rerum tractatione quam rara sermonis castitate et elegantia unus omnium Horatii interpretum maxime excellens non tironum tantum, quibus operam suam dicavit, rationibus optime consuluerit, sed elegantioribus quoque hominibus plurimum utilitatis et voluptatis paraverit. Quod quamvis nemo in dubitationem ausit vocare, negari tamen nequit, cum nostra aetate tam multi homines docti ad Horatium emendandum et explicandum operam certatim contulerint utilissimam, non pauca eorum, quae Doeringio placuerunt, nunc minus probabilia videri ac rectioribus commutanda esse. Cum igitur post senis venerabilis obitum nova Odarum editio superiore aestate paranda esset, mihi haec oblata est conditio, ut opus avi optimi continuarem mendisque purgatum nostrae aetatis usui magis accommodare studerem. Quam quidem delatam provinciam non sine haesitatione quadam suscepi. Nam non poteram ego sperare, me pro modicis meis facultatibus intra paucos menses omnes rei difficultates ita expediturum esse, ut nec praetermitterem, quae corrigenda et emendanda essent, neque tollerem aut mutarem, quae recte locum tueri possent. Quae quidem cogitatio cum deterreret me ab opere suscipiendo, non impetrassem a me, ut difficillimae rei, cui me imparem esse sentirem, peragendae operam et studium meum impenderem, nisi amoris et benevolentiae, qua optimus avus semper quoad vixit me amplexus est, recordatio me impulisset, ut pietatis officium sanctissimum ne subterfugerem, quod ab ipso iniunctum mihi videretur. Ex mortuo enim quaerere si licuisset, cui potissimum operis continuandi partes demandatas vellet, non tam doctissimum quemque, opinor, delecturus fuisset, quam eum, quem sciret pia grataque mente id unice spectaturum, ut homini de se meritissimo pro plurimis ab eo acceptis beneficiis gratiam persolveret.

Pietate igitur adductus cum animum ad hanc editionem curandam appulissem, ante omnia in textu, quem vocant, refingendo accuratam diligentiam adhibendam esse intellexi. Quamquam enim Doeringius hanc operis sui partem neutiquam neglexit, nimio tamen quodam simplicitatis et perspicuitatis amore ductus non raro ea, quae difficultate aliqua laborarent aut a vulgari more recederent, prae iis, quae primo statim adspectu facilitate sua placerent, sprevit ac repudiavit, nec dubitavit aut coniecturas substituere Codicum lectionibus aut faciliores lectiones praeponere iis, quae difficultate aliqua impeditae viderentur. Quae ratio utilissima quidem fuit ad alliciendos et tenendos eos lectores, quorum usui haec destinata esset editio, ipsi tamen Horatio plus obfuisse, quam profuisse vere contendimus. Neque enim probabile est, facillimas quasque lectiones etiam verissimas esse, neque recedendum est a Codicibus, nisi ineptam esse Codicum lectionem neque idoneum ex ea expediri posse sensum demonstratum sit. Sunt quidem nostra aetate, qui nimis superstitiosa Codicum religione ducti contrarium admittant errorem omniumque locorum, qui coniecturis tententur, vindices exsurgant. Sed, ut Horatius ait, *virtus est medium vitiorum et utrinque reductum;* quemadmodum igitur cavendum est, ne temere coniecturis locus relinquatur, ita tamen non minus fugienda eorum ratio, qui etiam ineptissimas Codicum lectiones patrocinio suo tegant. Quae cum ita sint, hanc mihi scripsi legem, ut comparatis praestantissimis Horatii editionibus diligenter singulas lectio-

nes excuterem atque probabilitatis unice ratione habita non solum coniecturas omnes, quae non prorsus necessariae viderentur, removerem, sed e variis quoque Codicum lectionibus eligerem veras et genuinas. Qua in re duces secutus sum potissimum viros nostra aetate de crisi Horatiana meritissimos, Iahnium, Meinekium, Orellium, ita quidem, ut non paucis in locis ratione subducta omni ab iis discedendum esse putaverim. Verum ne temere et inconsiderate egisse hic illic viderer, neve ignoraretur, quibus in locis textum Doeringi immutassem, criticas adieci notas, quibus factarum a me mutationum rationem redderem. Plerumque etiam in iis locis, in quibus retinui Doeringi lectiones, indicavi tam virorum doctorum coniecturas quam varias Codicum et Editionum lectiones, quae memoratu maxime dignae viderentur, sperans fore, ut multis, qui in scholis suis nostra editione uterentur, brevis earum rerum expositio gratissima esset. Facile autem intelligitur, cur neque integram adiicere voluerim lectionis varietatem, neque omnium, qui Horatio illustrando et emendando operam navaverunt, respectum habuerim, cum id et huius editionis ratio vetaret et temporis, quo opus mihi absolvendum esset, exiguitas. Caeterum ab omni novandi libidine ita alienus fui, ut duobus tantum locis textum aliter ac reliqui editores constituere ausus sim; quod ipsum quidem mihi sumere non arbitratus essem, nisi plures, quos in consilium adhibuissem, mihi suasores exstitissent, ut meo ipsius iudicio aliquid tribuens utrique loco manum emendatricem admoverem. Alteri loco Od. II. 3. 9 sqq. medicinam hanc adhibui, ut servata Codicum praestantissimorum lectione (v. 9. *quo*, v. 11. *quid*) sententiam non relativam esse statuerim, sed interrogativam, quocirca interrogationis signum posui post v. *Ramis* et v. *rivo*. Quam rationem probavit Vir summe venerandus Fridericus Iacobsius, qui et de hoc et de multis aliis difficilioribus intellectu locis per litteras a me rogatus sententiam suam mihi comiter ac benigne aperuit multosque scrupulos sapienti suo consilio ex animo meo evellit; cuius viri tanta est apud me auctoritas, ut si nemo praeter illum meae de hoc loco persanando opinioni suffragatus esset, de veritate eius non dubitarem.

Alter locus, in quo veram Horatii scripturam indagasse mihi visus sum, est Epod. 9. 17.; dedi ibi pro vulgata lectione *ad hunc* (quam alii aliter corruperunt) ex uno Vanderburgii Codice *at hunc*, quae lectio et loci sensui accommodatissima est et poetae ingenio dignissima. — Interpunctionem denique ita correxi, ut sustulerim signa omnia, quae supervacanea aut molesta viderentur, eandem fere normam secutus, quam multi alii recentiores editores.

Quod ad interpretationem attinet, primum omnes eas Doeringi adnotationes, quae ad firmandas et explicandas lectiones a me reiectas pertinerent, resecui et eorum loco accuratam lectionum receptarum explicationem substitui. Deinde in multis aliis locis ea, quae manifestum proderent errorem, retractavi, quae iniuria omissa viderentur, addidi, quae non satis accurate tractata intellexissem, levi mutatione corrigere studui. Qua in re cum id inprimis mihi cavendum esse viderem, ne mei Doeringio tribuerentur errores, plerumque ea, quae ipse adieci, uncinis inclusa a reliquis seiungenda curavi, nisi quod plura levioris momenti errata, quae ipse Doeringius aut iam sustulit in editione Horatii minore aut certe sublaturus fuerat, si eundem, quo primum ad edendum Horatium accessit, vigorem per aetatem retinere potuisset in opere suo perficiendo, tacite correxi. Quodsi vero praeter rem interdum correxisse et immutasse Doeringi notas videbor, spero me facile veniam erratorum impetraturum ab aequis iudicibus, qui me non levitate quadam et negligentia, sed nimio huius editionis a vitiis purgandae studio in errores inductum esse cogitaverint. Sancte affirmo, me nihil mutasse, nisi ubi vitium aliquod mutatione mea tolli persuasissimum esset; contra omnes eos locos intactos reliqui, ubi aut dubius haerebam, quam explicationem e pluribus eligerem, aut non habebam, quo rectius Doeringio loci obscuritatem illustrarem. — Denique ut praeclara illa sermonis latini elegantia, in qua non minima editionis Doeringianae laus ponenda est, etiam levioribus maculis, quibus qui dicendi genus requirunt quam maxime purum et emendatum offendi posse viderentur, purgata niteret, ea quae non satis latine a Doeringio dicta essent sustuli ac melioribus commutare studui. Adiutore

usus sum hac in re praeceptore dilectissimo, Ernesto Frid. Wuestemanno, qui quam scitus sit sermonis latini iudex et aestimator quantaque ipse scribendi arte excellat, cum aliis doctrinae operibus tum nuper editis Doeringi Opusculis insigniter probavit. Praeterea Vir Doctissimus, Kochius, Lipsiensis, cum ipse novam Horatii Doeringiani editionem parare coepisset, ea, quae de primo et secundo Odarum libro exarasset, benevole in usum et commodum meum concessit. Plurimae vero gratiae habendae sunt amicissimo Iosepho Muellero, Gymnasii Iosephini, quod in nostra urbe floret, Praeceptori, qui non solum in multis difficultatibus enodandis auxilio mihi adfuit, sed hoc etiam gratissimum mihi fecit, quod, cum ego tempore exclusus vix reliquam operis partem perficere possem, rei metricae, cuius peritissimus est, retractandae operam impendit plurimis lectoribus, uti speramus, valde profuturam.

Liceat mihi sperare, me non frustra studium meum collocavisse in continuando opere, quod tanto omnium hominum eruditorum plausu in lucem abhinc triginta fere annis prodiit, contigeritque mihi nepoti, ut avo, qui tantis me vivus affecit beneficiis, aliquam mortuo gratiam persolvisse videar. Hildesiae, Kal. Iun. MDCCCXXXIX.

G. REGEL.

HORATII VITA

A C. SUETONIO CONSCRIPTA.

Q. Horatius Flaccus, Venusinus, patre, ut ipse quidem tradit, libertino [1]) et exauctionum [2]) coactore, (ut vero creditum est, salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset: *quotiens ego vidi patrem tuum brachio se emungentem?*) [3]) bello Philippensi, excitus a Marco Bruto imperatore, tribunus militum meruit; victisque partibus, venia impetrata, scriptum quaestorium [4]) comparavit; ac primo Maecenati, mox Augusto in gratiam insinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis demonstratur illo epigrammate:

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus iam diligo, tu tuum sodalem
Ninnio videas strigosiorem [5]).

Sed multo magis extremis iudiciis [6]), tali ad Augustum elogio:

Horati Flacci, ut mei, esto memor.

1) *libertino*, hinc Od. II. 20. 6. *pauperum parentum sanguinem* se vocat. cf. Sat. I. 6. 45. 2) *exauctionum coactore*, hemine, qui, finita auctione, ab iis, quibus res in auctione attributae fuissent, pretium exigeret et cogeret. 3) verba uncis inclusa pro panno assuto a viris doctis habentur. 4) *scriptum quaestorium*, h. e. munus scribae quaestorii; vid. Liv. IX. 46. XL. 29. 5) *tu tuum sod. Ninn. vid. strigosior.*, tum accidat mihi hoc, ut ego sodalis tuus ninnio fiam strigosior; per *ninnium* vel parvus equus sive mulus, vel homo quidam ignotus, *Ninnius*, qui admodum macilentus esset, intelligendus est. 6) *extre-*

Augustus epistolarum quoque ei officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum; nunc occupatissimus et infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa* [7] *ad hanc regiam et nos in scribendis epistolis iuvabit.* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam aut amicitiam suam ingerere [8] desiit. Exstant epistolae, e quibus argumenti gratia pauca subieci. *Sume tibi aliquid iuris apud me, tamquam si convictor mihi fueris: recte enim et non temere feceris: quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri posset.* Et rursus [9]: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio* [10] *quoque nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque enim, si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν* [11]. Praeterea saepe eum inter alios iocos *putissimum penem* [12] et *homuncionem lepidissimum* appellavit unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem eius usque adeo probavit mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo Seculare carmen componendum iniunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique, privignorum; eumque coëgerit propter hoc, tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere; post Sermones vero lectos quosdam nullam sui mentionem habitam ita sit questus: *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse?* Expressitque eclogam [13], cuius initium est:

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,

mis iudiciis*, testamento. 7) *parasitica mensa*, cui apud te et alios gratis, h. e. nullo ei imposito officio, adhibetur. 8) *ingerere*, pro suggerere, h. e. probare. 9) *et rursus*, parum latine pro: et alio tempore. 10) *ex Septimio*, vide de eo in Argum. ad II. 6. 11) *ἀνθυπερφρονοῦμεν*, vicissim superbi sumus. 12) *putissimum penem*, refer ad eas appellationes, quibus apud Romanos familiares tantum inter se per iocum in vita communi utebantur; sic fere apud Catull. LIII. 5. *salaputium*. 13) *eclogam*, Epist. II. 1.

Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.

Habitu corporis brevis fuit atque obesus, qualis a se ipso in Satiris [14] describitur, et ab Augusto hac epistola: *Pertulit ad me Dionysius* [15] *libellum tuum, quem ego, ne accusem brevitatem, quantuluscunque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne maiores libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo* [16] *scribas, cum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.* Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut [17] Tiburtini; domusque eius ostenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus meas et elegi sub eius titulo et epistola prosa oratione, quasi commendantis se Maecenati; sed utraque falsa puto. Nam elegi vulgares, epistola etiam obscura; quo vitio minime tenebatur. Natus est VI. Idus Decembres, L. Cotta et L. Torquato Consulibus. Decessit V. Kal. Decemb., C. Marcio Censorino et C. Asinio Gallo Consulibus, post nonum [18] et quinquagesimum annum, herede Augusto palam [19] nuncupato, cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum.

14) *in Satiris*, Sat. II. 3. 309. 15) *Dionysius*, servus vel libertus Augusti. 16) *in sextariolo scribere*, sententia: Itaque licebit tibi quidem breviore voluminis forma uti, modo ipsum volumen aeque crassum ac corpusculum tuum sit; — volumina, ut satis constat, convolvebantur super bacillo, cuius brevitas iam per mensuram *sextarioli* designatur. *ὀγκωδέστατος*, crassissimus. 17) *Sabini aut Tiburtini*, villa enim Horatiana, ita sita fuit, ut tam *Sabina*, quam *Tiburtina* vocari posset. 18) *nonum*, temporum ratio postulat: *septimum*. 19) *palam*, voce coram testibus.

METRA HORATII LYRICA.

Cum ab Horatio plerumque incipiat accuratior rei metricae in scholis cognitio, succinctam metrorum explicationem, tironum maxime ingenio et captui accommodatam, praemittere placuit.

Pedibus Horatius utitur iambicis, trochaicis, dactylicis, ionicis; nam quos choriambos vocant nomine compendiario et antiquitus tradito, dactylos esse nemini non liquet, qui ad metricas Horatii leges paulo accuratius animum attenderit. Iambi, si in locis imparibus, et trochaei, si in paribus syllabam habent ancipitem, per *metra* decurrere dicuntur, ut sint monometri: ⏒ – ⏑ –, – ⏑ – ⏓; dimetri: ⏒–⏑–⏒–⏑–, –⏑–⏒–⏑–⏒; trimetri: ⏒–⏑–⏒–⏑–⏒–⏑–, –⏑–⏒–⏑–⏒–⏑–⏒. Ubi vero poeta puris iambis et trochaeis usus nusquam nisi in fine versus spondeum admittit, pedes singulos putamus et dipodiis, tripodiis etc. versus dimetimur. Dactyli autem et ionici et cetera omnino rhythmorum genera, si anapaestos excipias, qui iamborum instar feruntur, quot pedibus, totidem metris constant, inde versus illos pro numero pedum monometros, dimetros etc. dici placuit.

Ordo est metrorum seu pedum series, quae uno ictu elata aequabili motu ad certum usque finem procurrit, quem quidem finem vel syllaba anceps facit, vel catalexis, vel gravior aut caesura aut diaeresis, vel immutatus plane numerus, vel hiatus, cuius certe in asynartetis versibus (vide infra) ratio habenda est. Additus igitur vocis ictus, quem in scribendo lineola primae arsi superimposita notamus (⏒´–⏑–⏒´–⏑–), ordinem novum incipere indicat. *Logaoedicus* dicitur ordo, ubi dactylis trochaei, aut, quod ab Horatio

nusquam factum videmus, anapaestis iambi ita subtexuntur, ut numeri illi graviores in hos tenuiores aequa spatiorum continuitate eodemque ductu metrico servato excurrant, –⏑⏑–⏑–⏒. *Simplex* ordo pedes eosdem usque repetitos habet. Ordinibus praemittitur nonnunquam syllaba anceps, quam *anacrusin* veteres, nostri homines *Auftact* appellant, et pes disyllabus (Horatius unico fere spondeo usus est), quem *basin* vocamus et litterula x addita distinguimus (–x–´–´⏑⏑–⏑⏓). Memineris denique, *spondaicam* nominari anacrusin, si longa est syllaba, sin brevis, *iambicam*, et hac rarissime usum esse nostrum poetam.

Versus aut uno ordine constat, aut plures complectitur. Versus *catalectus* (στίχος κατάληκτος) est, cuius ultimus pes imminutus est. Dactyli (itemque Anapaesti) si in catalexi duae syllabae remanserunt, *in disyllabum* catalecti dicuntur, si duae interierunt et una restat, *in syllabam*. *Acatalectus* (ἀκατάληκτος) est versus, qui integro et legitimo pede clauditur. Nonnunquam una in fine syllaba abundare videtur, quae tamen transitu statim ad sequentem versum facto eliditur. Tales versus recepto ab antiquis grammaticis vocabulo *hypermetros* nominare consuevimus. Praestat tamen *nexos* eiusmodi versus vocari. Nam versus nexi cum eam legem habeant, ut in fine versuum nulli licentiae metricae locus detur et omnia tanquam in commissura ordinum fiant, Horatius, quamquam nullum carmen integrum ita composuit, tamen diviso nonnunquam inter duos versus vocabulo et elisione facta quosdam in carminibus versus, quos infra accuratius notabimus, arctiori, quo diximus, modo cohaerere voluit.

Versibus nexis simillima sunt συστήματα ἐξ ὁμοίων; eo tamen differunt, quod eosdem sive pedes, sive ordines ultra solitam versuum mensuram usque repetunt. Tale carmen finxit Horatius l. III, od. 12, de quo accuratius infra disseremus. Ceterum in *componendis* versibus duplicem viam Horatius iniisse videtur, ut aut quaternos uno systemate, quod *stropham* appellamus, complecteretur (σύστημα τετράστροφον), aut ex binis disticha faceret, ita quidem, ut versui maiori minorem, *epodum*, subiiceret, unde epodica nomen traxisse Hephaestion auctor est (σύστημα δίστροφον). Altera illa ratione omnes odae conscriptae esse videntur *); altera hac epodon

*) Carmen IV. 8, cum solum huic legi adversetur, interpolatione laborare videtur, et criticae rationes suspicionem etiam augent.

liber compositus est. Unum carmen restat (Epod. 17), quod versus senarios, nullo vinculo inter se contentos, usque repetitos habet (*σύστημα κατὰ στίχον* sive *μονόστροφον*). Denique si versus, qui uno systemate continentur, eiusdem sunt generis, aut duplicis, aut triplicis, *ποιήματα μονόκωλα* et *δίκωλα* et *τρίκωλα* grammatici distinguunt.

Restat, ut de *asynartetis* versibus dicam. Asynarteti (*ἀσυνάρτητοι*) vocantur versus, qui inconnexis constant ordinibus, quos, quominus discretos versus esse opineris, obstant grammaticorum auctoritates, et potissimum Archilochi exemplum, quem Horatius imitari et exprimere studuit. Hiatus igitur et syllaba anceps in ordinum commissura admittitur.

A. Versuum singulorum genera.

a. *Versus iambici.*

1) Versus iamb. dimeter acatalectus seu quaternarius:

⏓ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏓ ⏑́ ⏑ ⏓

Inarsit aestuosius. Epod. 3. 18.
Vel haedus ereptus lupo. Epod. 2. 60.
Imbres nivesque comparat. Epod. 2. 30.
Forti sequemur pectore. Epod. 1. 14.
Videre properantes domum. Epod. 2. 62.
Ast ego vicissim risero. Epod. 15. 24.

Ter in omnibus epodis primus pes dactylum habet (Epod. 3. 8; 5. 48; 15. 24); semel secundus tribrachyn (Epod. 2. 62). Hiatus invenitur Epod. 5. 100.

Est in metro XV et XVI.

2) Vers. iamb. trimeter catalectus:

⏓ ⏑́ ⏑ ⏑⏑ ⏓, ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏓

Mea renidet in domo lacunar. II. 18. 2.
Iam te premet nox fabulaeque manes. I. 4. 16.
Regumque pueris, nec satelles orci. II. 18. 34.

Quod Munk opinatur (Metrik pag. 62), hunc versum monometrum trochaicum esse cum anacrusi, sequente ithyphallico (tripodia trochaica), id quominus obtineat, prohibet versus, quem apposuimus II. 18. 34, quem ita distinctum

– | –́ ⏑ ⏑⏑ – | –́ ⏑ – ⏑ – ⏓

quis ferat! — Est in metro XII. et XVIII.

3) Versus iamb. trimeter acatalectus s. senarius:

⏓ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏓, ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏓ –́ ⏑ ⏓

Tuis capillus albus est odoribus. Epod. 17. 23.
Heu me per urbem, nam pudet tanti mali. Epod. 11. 7.
Tibi hospitale pectus et purae manus. Epod. 17. 49.
Deripere lunam vocibus possim meis. Epod. 17. 78.
Infamis Helenae Castor offensus vice. Epod. 17. 42.
Optat quietem Pelopis infidus pater. Epod. 17. 65.
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem. Epod. 17. 12.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques. Epod. 17. 74.

Anapaestum posuit in prima et quinta sede Epod. 2. 35. Epod. 11. 23 (nisi in quinta sede est synecphonesis).

Caesura *πενθημιμερής* in hoc ut in antecedenti et in sequenti versu satis accurate servatur.

Est in metro XI. XIV. XV.

4) Hexapodia iambica:

⏑ –́ ⏑ – ⏑, –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓

Suis et ipsa Roma viribus ruit. Epod. 16. 2.

Est in Epod. 16; cuius carminis argumentum optime rhythmis concitatis convenit, et verba ipsa, quae iambis continentur, plerumque sedulo ad augendam velocitatis notionem selecta videntur (cf. vss. 2, 10, 12, 14, 16, 20, 24, 34, 36, 40, 42, 48, 66).

Vide metrum XVII.

b. *Versus trochaici* (Vers. Alcaicus enneasyllabus).

5) Dimeter troch. acatalectus, praemissa anacrusi:

⏓ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – –

Si fractus illabatur orbis. III. 3. 7.

Olentis uxores mariti. I. 17. 7.

Iambica anacrusi rarius usus est poeta.

Est in metro VIII.

6) Tetrapodia trochaica catalecta:

– ◡ – ◡ – ◡ ⏓

Truditur dies die. II. 18. 15.

Est in metro XVIII.

c. *Versus dactylici.*

α) Graviores, qui in Horatio nullis rhythmis generis duplicis (γένους διπλασίου) ita admiscentur, ut mensura corripiatur.

7) Trimeter dactylicus, catal. in syllabam seu penthemimeres (πενθημιμερές) dactylicum (Archilochius minor).

– ◡◡ – ◡◡ ⏓

Pulvis et umbra sumus. IV. 7. 16.

Est in metro IX.

8) Tetrameter dactyl. catal. in disyllabum:

– ◡◡ – ◡◡ – ◡◡ – ⏓

Carmine perpetuo celebrare et. I. 7. 6.
O fortes peioraque passi. I. 7. 30.
Mensorem cohibent Archyta. I. 28. 2.

(Unus tantum hic versus spondeum in tertia sede habet, qui tamen nomine proprio excusatur.)

In carmine epod. 12 ter spondeus est positus in pede secundo, nec id sine arte et consilio factum credam. In carminibus autem I. 7 et I. 28, quae poeta posteriori aetate scripsit, spondeo prima et secunda sedes patet. Caesuram, quam in epodo neglexit poeta, in odis post *secundam* (I. 7. 15 sqq.) aut tertiam arsin plerumque constituit. Semel in arsi hiatus invenitur:

Ossibus et capiti inhumato. I. 28. 24.

Est in metro XIII.

9) Hexameter dact. cat. in disyll. s. heroicus:

– ◡◡ – ◡◡ – ◡◡ – ◡◡ – ◡◡ – ⏓

Vos quibus est virtus muliebrem tollite luctum. Epod. 16. 39.

Spondeus in sede quinta I. 28. 21. Epod. 13. 9; 16. 17, in nominibus propriis excusationem habet. Caesura πενθημιμερής aut post secundam et quartam arsin simul constituta novi ordinis indicio nunquam deest, nisi Epod. 15. 9 *), qui versus consulto mollior esse videtur. Est in metro IX, X, XIII, XVI, XVII.

β) Leviores, levioribus rhythmis adiecti, cum quibus eandem habent mensuram.

10) Dimeter dactyl. catal. in disyllabum (Versus Adonius):

– ◡◡ – ⏓

Terruit urbem. I. 2. 4.

Est in metro VI.

11) Idem, qui prior, praemissa basi (Vers. Pherecrateus):

– – – ◡◡ – ⏓

Vis formosa videri. IV. 13. 3.

Est in metro IV.

d. *Versus logaoedici et dactyli ordinibus logaoedicis finiti.*

12) Ordo logaoed. simpliciter dactylicus, dupliciter troch. acatal. (Alcaicus heptasyllabus):

– ◡◡ – ◡ – ⏓

Cur neque militaris. I. 8. 5.

Est in metro VII.

13) Ord. log. dupl. dact. dupl. troch. acat. (Vers. Alcaicus decasyllabus):

– ◡◡ – ◡◡ – ◡ – ⏓

Purpurei metuunt tyranni. I. 35. 12.

Est in metro VIII.

14) Ordo log. simpl. dact. dupl. troch. catal. praemissa basi (Vers. Glyconeus):

x (◡)
– – – ◡◡ – ◡ ⏓

Nil mortalibus ardui est. I. 3. 37.

*) Nam enclitica *que* I. 28. 15 et 29 non obstat, quominus caesura auribus percipiatur.

Bis in basi reperitur trochaeus. Cfr. I. 15. 24 et 36, ubi vide annotationem. Syllabae ultimae, qua versus abundare videtur, vocalis eliditur IV. 1. 35 (v. hypermeter s. nexus).
Est in metro II, III, IV.

15) Dimeter dact. catal. in syllab. (choriambus) et breviss. ord log. catal. praemissa basi. (Vers. Asclepiadeus minor):

– – – ⏑⏑ –, – ⏑⏑ – ⏑ ⏓

Crescentem sequitur cura pecuniam. III. 16. 17.

Diaeresis post dimetr. dact. nunquam neglecta est, nisi II. 12. 25.

Dum flagrantia de | torquet ad oscula

ubi tamen verbum erat compositum, et IV. 8. 17:

Non incendia Carthaginis impiae,

quem versum spurium habent viri docti (cf. Comm. ad loc. et quae supra de numero versuum quaternario in odis Horatianis diximus).
Semel in pausa brevis est syllaba:

Quam si quicquid arat impiger Appulus. III. 16. 26.

Est in metro I, II, III, IV.

16) Duo dimetri dactyl. cat. in syll. (choriamb. dimeter) et breviss. ordo logaoed. praemissa basi (Vers. Asclepiadeus maior):

– – – ⏑⏑ –, – ⏑⏑ –, – ⏑⏑ – ⏑ ⏓

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat. I. 18. 5.

In utraque catalexi invenitur diaeresis, nunquam, nisi in verbo composito omissa.

Arcanique fides prodiga perlucidior vitro. I. 18. 16.

Est in metro V.

e. *Versus asynarteti.*

17) Trimeter dact. catal. in syll. (cf. num. 7) et iambicus dimeter acat. (num. 1) (Versus elegiambus):

– ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓, ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ ⏓

Desinet imparibus certare submotus pudor. Epod. 11. 18.
Libera consilia nec contumeliae graves. Ibid. 26.
Inachia furere, silvis honorem decutit. vs. 6.
Fervidiora mero arcana promorat loco. Ib. 14.

In hoc et in sequenti versu diaeresis in commissura ordinum accuratissime servata est.
Est in metro XI.

18) Idem versus qui prior, nisi quod inverso ordine dactyli iambos sequuntur (Vs. iambelegus):

⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ ⏓ – ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓

Tu vina Torquato move consule pressa meo. Epod. 13. 16.
Levare diris pectora sollicitudinibus. Ibid. 10.
Est in metro. X.

f. *Systema ionicum.*

19) Decameter ionicus, qui constat e decem pedibus ionicis, quos a minore (ἀπ' ἐλάσσονος) vocant (Decapodia Alcaica):

⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –,
⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –,

Miserarum est neque amori dare ludum etc.

Diaeresis III. 12. 1. post unumquemque pedem ab Horatio nunquam neglecta est, ut pausa facta iucundius ad aurem venirent illi versus. Hephaestion auctor exstitit, Alcaeum decem ionicos in unum systema coegisse, et maior interpunctio, quae in Horatii carmine post decimum quemque pedem locum obtinet, fidem facit, Horatium eadem ratione denos pedes uno systemate coniunxisse.
Est in metro XIX.

g. *Versus ex diversis rhythmis compositi, logaoedicis ordinibus finiti.*

20) Monometer troch. et breviss. ord. log. acat. (Versus Sapphicus minor):

– ⏑ – – –, ⏑⏑ – ⏑ – ⏓

Ludit herbosa pecus omne campo. III. 18. 9.
Dauniae defende decus Camenae. IV. 6. 27.

Saepissime caesura est post arsin dactyli, aut certe post primam dactyli thesin, quod quidem in iis potissimum carminibus factum videtur, quae provectiore aetate Horatius composuit. Deest autem nusquam (de I. 2. 34. cf. annotat.). Graeci et caesuram certam ignorant et in fine monometri syllab. brevem admittunt. De versibus hypermetris vide quae infra ad metrum Sapphicum notavimus.
Est in metro VI.

21) Idem qui praecedens versus, interposito post monometrum troch. dimetro dactylico catal. in syll. (Vs. Sapphicus maior):

– ⏑ – – –, ⏑⏑ –, – ⏑⏑ – ⏑ – ⏓

Saepe trans finem iaculo nobilis expedito.

Caesura post primam choriambi arsin et diaeresis ante ordinem logaoedicum ubique observata est.

Est in metro VII.

22) Monom. troch. praemissa anacrusi et breviss. ordo logaoed. catal. (Vs. Alcaicus hendecasyllabus):

⏓ –́ ⏑ – –, –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓

Dulce et decorum est, pro patria mori. III. 2. 13.

Tumultuosum sollicitat mare. III. 1. 26.

Anacrusis tamen rarius iambica utitur poeta. Diaeresin ante ord. log. bis neglectam reperies I. 37. 14; IV. 14. 17; ter in commissuram verbi compositi cadit I. 16. 21; 37. 5; II. 17. 21. In diaeresi hiatus II. 20. 13; et brevis syllaba, quam Alcaeus admittere non dubitavit, duobus in versibus III. 4. 53 et III. 5. 17. Vocem „fortuitum (II. 15. 17) in qua nonnulli haeserunt, omnes poetas pro monometro troch. habuisse constat. De vss. hypermetris II. 3. 27 et III. 29. 35. vid. infr.

Est in metro VIII.

23) Tetrameter dact. acatal. sequente tripodia trochaica (ithyphallico) (Vs. Archilochius maior):

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –́, ⏑⏑ – ⏑⏑, –́ ⏑ – ⏑ – ⏑

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni. I. 4. 1.

Caesura est post tertiam arsin dactylicam et diaeresis ordines disiungit.

E reliquiis poetarum Graecorum, quos Horatius in hoc metro effingendo procul dubio ante oculos habuit, hoc colligas, nonnunquam asynartetorum in numero hunc versum fuisse (cf. Pinzger de metr. Hor.), saepe vero e lege communi fuisse compositum. Simonides hoc versu, epodis diversis adiectis, plurifariam ita usus est, ut dactylum quartum purum faceret. Eandem legem sibi scripsit Callimachus. Horatius igitur, cum syllabam ancipitem in fine dactylici ordinis non admitteret, horum potius, quam Archilochi exemplum secutus videtur. Cum vero diaeresi discerneret ordines, id vetuisse putandus est, ne quis diversa membra uno versu logaoedico comprehenderet, et in recitando propriam utriusque mensuram confunderet. His rationibus ducti locum inter rhythmos compositos huic versui assignavimus.

Est in metro XII.

B. Systemata.

I. Metrum Asclepiadeum primum, *μονόκωλον τετραστροφον*, versum Asclepiadeum (num. 15) quater repetens.

4. (– – –́ ⏑⏑ –, –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓)

I. 1. III. 30. IV. 8. ultimum hoc carmen, quamvis quaternario numero repugnet, non abrogare legem per ceteras odas omnes accuratissime servatam, iam supra indicavimus.

II. Metrum Asclepiadeum secundum, *δίκωλον τετράστροφον*, quod ex versu Glyconeo (num. 14) et Ascl. min. (num. 15) alternatim se excipientibus compositum est.

2. – – –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓
– – –́ ⏑⏑ –, –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓

I. 3; 13; 19; 36. III. 9 (quod Horatius ipse in strophas divisit); 15; 19; 24; 25; 28. IV. 1; 3.

III. Metrum Asclepiadeum tertium, *δίκωλον τετράστροφον*, in quo ternos vss. Ascl. min. (num. 15) subsequitur Glyconeus (num. 14).

3. (– – –́ ⏑⏑ –, –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓)
– – –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓

I. 6; 15; 24; 33. II. 12. III. 10; 16. IV. 5; 12.

IV. Metrum Asclepiadeum quartum *τρίκωλον τετράστροφον*. Constat ex Ascl. min. (num. 15) bis posito, versu Pherecrateo (num. 11) et Glyconeo (num. 14).

2. (– – –́ ⏑⏑ –, –́ ⏑⏑ – ⏑ –)
– – –́ ⏑⏑ – ⏓
– – –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓

I. 5; 14; 21; 23. III. 7; 13. IV. 13.

V. Metrum Asclepiadeum maius *μονόκωλον τετράστροφον*; versum Ascl. maiorem (num. 16) usque repetens.

4. (– – –́ ⏑⏑ –, –́ ⏑⏑ –, –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓)

I. 11; 18. IV. 10.

VI. Metrum Sapphicum *δίκωλον τετράστροφον*. Ter repetit vs. Sapphicum minorem (num. 20) sequente Adonio (num. 10).

3. (–́ ⏑ – – –́, ⏑⏑ – ⏑ ⏓)
–́ ⏑⏑ – ⏓

Nonnunquam clausulam cum tertio versu nexam reperies aut

voce dissecta I. 2. 19; 25. 11. II. 16. 7. III. 27. 59, aut elisione facta II. 2. 18. IV. 2. 23; Carm. seculare 47. admittitur tamen alibi hiatus et syllaba brevis in fine tertii versus. Secundus et tertius versus ita contexuntur II. 16. 34 et IV. 2. 22. Ad eandem hanc rationem revocandum est, quod in fine versus nonnunquam particulam offendimus arcte cum sententia sequenti cohaerentem. Primus versus cum secundo et hic cum tertio ita coniunguntur II. 6. 1. 2. IV. 11. 18. tertius cum clausula IV, 6, 11.

I. 2; 10; 12; 20; 22; 25; 30; 32; 38. II. 2; 4; 6; 8; 10; 16. III. 8; 11; 14; 18; 20; 22; 27. IV. 2; 6; 11. Carmen seculare.

VII. Metrum Sapphicum maius *δίκωλον τετράστροφον*. Constat versu Alcaico heptasyllab. (num. 12) et Sapphico maiori (num. 21). Bina paria coniunguntur.

2. { –́ ⏑⏑ – ⏑ – ⏓
–́ ⏑ – – –́, ⏑⏑ –, –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓ }

I. 8.

VIII. Metrum Alcaicum. Binos exhibet vss. Alcaicos hendecasyllabos (num. 22), vs. Alcaicum enneasyllabum (num. 5), denique vs. Alcaicum decasyllabum (num. 13).

2. (⏒ –́ ⏑ – –, –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓)
⏒ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏓
–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏓

Tertium et quartum versum Horatius bis elisa versus tertii hypermetri syllaba contexuit II. 3. 27. III. 29. 35, secutus exempla Graecorum (e. gr. Sapphus).

I. 9; 16; 17; 26; 27; 29; 31; 34; 35; 37.
II. 1; 3; 5; 7; 9; 11; 13; 14; 15; 17; 19; 20.
III. 1; 2; 3; 4; 5; 6; 17; 21; 23; 26; 29.
IV. 4; 9; 14; 15; 17.

IX. Metrum Archilochium primum, *δίκωλον τετράστροφον*. Hexametro heroico (num. 9) subiectus est epodus Archiloch. minor (num. 7).

2. { –́ ⏔ – ⏔ –́, ⏔ – ⏔ – ⏑⏑ – ⏒
–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓ }

IV. 7.

X. Metrum Archil. secundum *δίκωλον δίστροφον*. Hexametro heroico (num. 9) subiectus est vs. iambelegus (num. 18).

–́ ⏔ – ⏔ –́, ⏔ – ⏔ – ⏑⏑ – ⏒
⏒ –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏓, –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓

Epod. 13.

XI. Metrum Archil. tertium *δίκωλον δίστροφον*. Post vs. iambicum senarium (num. 3) sequitur vs. elegiambus (num. 17).

⏒ –́ ⏑ – ⏒, –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏓
–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓, ⏒ –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏓

Epod. 11.

XII. Metrum Archil. quartum *δίκωλον τετράστροφον*, compositum ex vs. Archilochio maiori (num. 23) et vs. iambico trimetro catalecto (num. 2).

2. { –́ ⏔ – ⏔ –́, ⏔ – ⏑⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏓
⏒ –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏓ }

I. 4.

XIII. Metrum Alcmanium *δίκωλον τετράστροφον*. Hexametro heroico (num. 9) subiectus est vs. dactylicus tetrameter catalectus (num. 8).

2. { –́ ⏔ – ⏔ –́, ⏔ – ⏔ – ⏑⏑ – ⏒
–́ ⏔ – ⏔ – ⏔ (–) – ⏓ }

I. 7; 28 — Epod. 12, quod quidem carmen est *δίστροφον*. Dignum est etiam, quod observes, hoc unicum ex epodis carmen commune metrum habere cum odis.

XIV. Metrum iambicum primum *μονόκωλον μονόστροφον*, quod semper vs. senarium (num. 3) repetit.

⏒ –́⏑⏑ ⏑ ⏔ ⏒, –́⏑⏑ ⏑ ⏔ ⏒ –́ ⏑ ⏓

Epod. 17.

XV. Metrum iambicum secundum *δίκωλον δίστροφον*, in quo vs. iambicus senarius (num. 3) et iamb. dimeter (num. 1) alterna vice se excipiunt.

⏒ –́ ⏑ – ⏒, –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏓
⏒ –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏓

Nonnunquam liberius est metrum et pedes soluti decurrunt. Vid. supr.

Epod. 1—10.

XVI. Metrum pythiambicum primum *δίκωλον δίστροφον*. Hexametrum heroicum, qui et *vs. pythius* nominatur (num. 9), excipit dimeter iamb. (num. 1).

–́ ⏔ – ⏔ –́, ⏔ – ⏔ – ⏑⏑ – ⏒
⏒ –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏓

Epod. 14. 15.

XVII. Metrum pythiambicum secundum *δίκωλον δίστροφον*. Hexameter heroicus (num. 9) cum hexapodia iambica (num. 4) coniunctus est.

–́ ⏔ – ⏔ –́, ⏔ – ⏔ – ⏑⏑ – ⏒
⏑ –́ ⏑ – ⏑, – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓

Epod. 16.

XVIII. Metrum trochaicum (Hipponacteum) *δίκωλον τετράστροφον*, e tetrapodia trochaica catalecta (num. 6) et iambico trimetro catalecto (num. 2), quos versus ne quis temere in unum coniungat, ut series trochaica novem pedum *ἀσυνάρτητος* existat, meminerit, primum versum pedibus, alterum dipodiis, seu potius metris uti, nec in odis eadem licere, quae in epodis sibi poeta sumserit.

–́ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
⏒ –́ ⏑ ⏔ ⏒, – ⏑ – ⏑ –́ ⏓

II. 18.

XIX. Systema ionicum *ἐξ ὁμοίων*, usque repetens ionicum a minori decametrum (num. 19). Fortasse et hoc *τετράστροφον* cum carmen e quatuor versibus constet, qui interpunctione maiori discernantur, quamvis inter ipsos versus neque hiatus sit, nec syllaba anceps.

⏑⏑ –́ –́, ⏑⏑ –́ –́, ⏑⏑ –́ –́, ⏑⏑ –́ –́, ⏑⏑ –́ –́,
⏑⏑ –́ –́, ⏑⏑ –́ –́, ⏑⏑ –́ –́, ⏑⏑ –́ –́, ⏑⏑ –́ –́.

III. 12.

C. Syllabus

Odarum, adiecto metro, cui quaeque convenit.

Lib.	Od.	Metrum.	Lib.	Od.	Metrum.
I.	1	I.	II.	1	VIII.
	2	VI.		2	VI.
	3	II.		3	VIII.
	4	XII.		4	VI.
	5	IV.		5	VIII.
	6	III.		6	VI.
	7	XIII.		7	VIII.
	8	VII.		8	VI.
	9	VIII.		9	VIII.
	10	VI.		10	VI.
	11	V.		11	VIII.
	12	VI.		12	III.
	13	II.		13	VIII.
	14	IV.		14	VIII.
	15	III.		15	VIII.
	16	VIII.		16	VI.
	17	VIII.		17	VIII.
	18	V.		18	XVIII.
	19	II.		19	VIII.
	20	VI.		20	VIII.
	21	IV.	III.	1	VIII.
	22	VI.		2	VIII.
	23	IV.		3	VIII.
	24	III.		4	VIII.
	25	VI.		5	VIII.
	26	VIII.		6	VIII.
	27	VIII.		7	IV.
	28	XIII.		8	VI.
	29	VIII.		9	II.
	30	VI.		10	III.
	31	VIII.		11	VI.
	32	VI.		12	XIX.
	33	III.		13	IV.
	34	VIII.		14	VI.
	35	VIII.		15	II.
	36	II.		16	III.
	37	VIII.		17	VIII.
	38	VI.		18	VI.

Lib.	Od.	Metrum.	Lib.	Od.	Metrum.
III.	19	II.	IV.	7	IX.
	20	VI.		8	I.
	21	VIII.		9	VIII.
	22	VI.		10	V.
	23	VIII.		11	VI.
	24	II.		12	III.
	25	II.		13	IV.
	26	VIII.		14	VIII.
	27	VI.		15	VIII.
	28	II.	Epod. 1 -	10	XV.
	29	VIII.		11	XI.
	30	I.		12	XIII.
IV.	1	II.		13	X.
	2	VI.		14	XVI.
	3	II.		15	XVI.
	4	VIII.		16	XVII.
	5	III.		17	XIV.
	6	VI.	Carm. sec.		VI.

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM
LIBER PRIMUS.

CARMEN I.
AD MAECENATEM.

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum,
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat, metaque fervidis

CARMEN I.

Carmina lyrica, quae tum ad umbilicum adduxerat Horatius, et quidem, quantum ex ultimo carmine libri tertii et primo libri quarti suspicari licet, collectionem eorum, quae tribus libris prioribus continentur, patrono suo Maecenati una cum hoc carmine primo offert atque dedicat. Expressit autem in hoc carmine sententiam hanc: homines diversa studia sectari solent, alius victoris praemio in ludis Olympicis, alius summis in republica honoribus, alius patriorum agrorum possessione, alius mercatura, alius laetis conviviis, alius militia, alius venatione delectatur; me prae ceteris lyricae poesis trahit studium, in quo si id impetravero, ubi tibi, Maecenas, haud indignus, cui nomen lyrici poetae tribuatur, videar, summum me attigisse felicitatis fastigium putabo. — De variis hominum studiis dignus est, qui cum hoc carmine comparetur, locus classicus apud Virg. Georg. II. 502 sqq. Cf. inprimis infr. Satir. I. 1. ab initio et Liban. IV. p. 168 sq.

v. 1—6. *atav. edit. reg.* — Maecenas ortus fuit e gente Cilnia, cuius atavi sive maiores ideo vocantur *reges*, quia inter Lucumones sive duces Etruriae fuerunt. Od. III. 29. 1: *Tyrrhena regum progenies.* — *dulce* refer ad dulcem voluptatem, quam poeta ex honorificentissimo Maecenatis favore capiebat. — *Sunt quos — iuvat,* poetice pro: *iuvet.* [Poetarum est enim, sententias ita proponere, ut

Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos;
Hunc, si mobilium turba Quiritium

v. 6. *evehere*, coni. *Bentl.* At non opus est, verbum *iuvat* et ad praecedens *collegisse* et ad sequentia *meta* atque *palma* referri; imo haec aliquanto fortius desiderant praedicatum, quale est, quod Codd. praebent, *evehit ad deos*. Ad sequentes autem accusativos *Hunc* et *Illum* neque solum verbum *iuvat* neque ultimum tantum *evehit* intelligendum est, sed utrumque, vel potius *delectandi* notio utroque expressa. Cf. *Iahnii* Annal. Philol. et Paed. II. 3. p. 280. — v. 7. Codd. non pauci praebent *nobilium*, quod ortum videtur ex proxime antecedente v. *nobilis*. *R.*

velut ex ipsa rerum natura et humana vita repetitae videantur. *Indicativum* igitur haud raro iungunt formulis *sunt qui*, *est qui*, ut rem certam oculisque subiectam significent; contra pedestris orationis scriptores *coniunctivum* praeferunt, quia non tam certam rei speciem oculis proponere, quam quod ingenio hominum consentaneum videatur significare student. — Horat. *coniunctivo* usus est his locis: Sat. I. 2. 28. Sat. I. 4. 75. Ep. I. 1. 77. Ep. I. 6. 4. Ep. II. 2. 182. Ep. I. 18. 53; *indicativo*: Od. I. 1. 19. Od. I. 7. 5. Sat. I. 4. 24. Sat. II. 1. 1. Sat. II. 4. 47. *R.*] *curriculo pulv. Olymp. collegisse* h. e. certasse in ludis Olympicis; certantes enim, dum velocissimo cursu vehuntur quadrigis, *pulverem curriculo colligunt* h. e. pulverem curru excitant, cf. Sat. I. 4. 30: *pulvis collectus turbine*. — *collegisse*, infin. perf. *ἀορίστως*. — *metaque* cett. iunge: *et quos evehit meta* cett. — *evitata*, ab arte enim metam ita evitandi curru celerrime circumacto, ne hic illi impingeretur, pendebat inprimis victoria. — *terrarum dominos* refer ad deos, quorum est in terras dominatio. Inepte quidam de Romanis, qui alias *terrarum domini* vocantur, explicant; [agitur enim de Olympicis ludis, nec fieri potest, ut, cum „*sunt quos*" praecesserit, transeat oratio ad certum, quod eiusmodi certamina delectent, hominum genus. Referendum potius *quos*, ut iam monuimus, tam ad v. *iuvat* quam ad v. *evehit*, ut haec duo membra unam tantum efficiant sententiam: *sunt qui maximopere gaudeant ludis Olympicis ac felicissimos se praedicent, si contigerit iis, ut victores Olympiae citentur.* — Propter ipsam hanc causam minime etiam probanda *Galianii* explicatio (cf. *Fr. Iacobs.* Verm. Schriften, Tom. V. p. 372.), qui per *terrarum dominos* intelligit *reges s. divites* ludis Olympicis certantes. Rectius vv. *terrarum dominos* referuntur ad *deos*, coll. Ovid. ex Ponto I. 9. 36: *Terrarum dominos quam colis ipse deos.* — Iam a Graecis transit poeta ad Romanos ac singulatim diversa eorum studia recenset. *R.*]

v. 7—10. *Hunc*, alium iuvat et ad deos evehit, i. e. beat. — *mobilium* refer ad populi inconstantiam, cuius animus levi momento modo huc, modo illuc impellitur, modo huic, modo alii favet. Sen. Herc. Fur. v. 169: *Fluctuque magis mobile vulgus.* Ep. I. 19. 37: *ventosae plebis suffragia.*

Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo,
Quicquid de Libycis verritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium et oppidi

v. 13. *demoveas*, (quod in Cod. suo antiqu. Bern. invenit *Orell.*) *Fea* et *Braunh.* — *R.*

[v. 8. *tergeminis tollere honoribus*, ornare amplissimis honoribus. *Tollere honoribus*, casu sexto, ut Tac. Ann. I. 3: *Claudium Marcellum pontificatu et curuli aedilitate . . . M. Agrippam geminatis consulatibus extulit: Tiberium Neronem et Claudium Drusum imperatoriis nominibus auxit. R.*]

v. 9. *Illum*, *si* cett. Sententia: alium iuvat, si omnium, quae in Africa nascuntur, frugum est dominus, h. e. alius divitiarum (quae tum in latifundiorum inprimis cernebantur possessionibus) delectatur copia; — *Libycis* h. e. Africis; Africa autem fertilitate insignis erat. — *verritur areis*, fruges enim in areis (non, uti nunc, in horreis) tritae (Sat. I. 1. 45. *Millia frumenti tua triverit area centum*) *verrendo* colligebantur.

v. 11—14. *Gaudentem patrios* cett. Sensus: alius, qui agrorum suorum, quos a patre accepit, cultu gaudet et sorte sua contentus vivit, ne maximarum quidem divitiarum spe proposita, ut mercaturae operam det, adduci potest.

v. 12. *Attalicis*, pro: largissimis, amplissimis; Attalus enim, rex Pergami, immensas, (quarum heredem populum Romanum scripsit, vid. Flor. III. 12.) possidebat divitias.

v. 13. *dimoveas*, h. e. abducas ab agro patrio et permoveas, ut cett. — *Cypria*, pro: mercatoria, mercatura enim Cyprus olim fuit nobilissima.

v. 14. *Myrtoum mare*, ita pars maris Aegaei ab insula Myrto dicebatur. — [*pavidus*, accommodate ad agricolae ingenium, qui, invitus si adducatur, ut mari se committat, semper perhorrescit navigationis pericula; nauta quidem fiet, sed pavidus. Non recte dicit Orellius, solitum hoc esse nautarum epitheton, cf. v. c. Sat. I. 1. 30: *nautae*, *per omne Audaces mare qui currunt. R.*]

v. 15—18. *Luctantem* cett. Sententia: at alium iuvat esse mercatorem, qui, quamvis saeviente in mari tempestate nunc mercaturam damnet et otium atque securitatem, qua in patria frui possit, laudet, mox tamen nova divitiarum cumulandarum cupiditate agitatus fractam navem ad quaestum in exteris terris faciendum reficit. — *Africus* ventus procellosus ab occasu flans; *West-Süd-West*, Graecis *Λίψ*, cf. *Kapp.* ad

Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuvant et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque matribus
Detestata. Manet sub Iove frigido
Venator tenerae coniugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum hederae praemia frontium

v. 29. *Me*, Codd. omnes. *Te*, ex *Harii* coniect. *Wakefield*, *Fea*, al. Vide annotata. *R.*

Arist. de Mundo, *Excurs.* III. *deventis* §. XVIII. p. 430. sqq.

v. 18. *pauperies* vel *paupertas* apud Horatium non est egestas et penuria, sed ea vitae sors et conditio, qua quis, quantum ad vitam sustentandam opus est, habet. Cf. Ep. I. 1. 46.

v. 19—22. *Est qui — spernit*, pro vulgari: alius non spernit. *Massici* vini generosioris in Massico, monte Campaniae, nati.

v. 20. *nec part. sol. dem. de d. sp.*, h. e. nec sibi religioni ducit partem de die integro detractam otio impendere. [Cogitat poeta de homine, qui otio indulgens sub arboris umbra pocula veteris Massici ducit; describitur igitur grata quies (il dolce far niente) coniuncta cum vini potu, ut Od. I. 17. 17 sqq. Od. II. 3. 6 sqq. Od. II. 7. 6 sqq. Od. II. 11. 13 sqq. *R.*]

v. 22. *lene* ad aquam leniter ex fonte scaturientem referendum; *caput* fons, ut saepe; *sacrae*, diis agrestibus vel Nymphis fontes fuerunt sacri.

v. 23—28. *lituus*, qui, ut vet. schol. observat, erat incurvus et sono acuto, fuit equitum, *tuba*, quae erat directa et sono gravi, peditum.

v. 25. *detestata* passive. — *manet*, — *manere*, (uti apud nos: *bleiben*) pro: pernoctare, saepe apud Ciceronem et Livium; multa exempla dabit *Drakenb.* ad Liv. III. 45. §. 7. Tom. I. p. 725. — *sub Iove*, sub caelo, sub divo, ὑπὸ Διός.

v. 28. *teretes* tereti filo confectas. — *Marsus*, Marsicus, apris enim abundabat saltuosa Marsorum regio.

v. 29—34. *Me doct. hed. praem. fr. D. m. sup.*, h. e. ego sum poeta et poetarum praemio, corona hederacea, cinctus ad ipsos evehor deos, i. e. felicissimum me praedico. — Non dicit autem poeta, se praemia

Dis miscent superis; me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo; si neque tibias
Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

illa iam consecutum, sed sperat, se dignum iis habitum iri, atque haec ipsa spes excitat eum ad poesis studium. Non gloriose igitur et iactanter loquitur Horat., sed, quo potissimum studio teneatur et qualem laudem appetat, in fine carminis profitetur. Quod non perspexerunt ii Viri docti, qui contra Codd. omnes pro *me* legendum suaserunt *te*. Quae quidem coniectura, etsi *Wolfium* quoque et *Eichstadium* patronos nacta, non solum inutilis est, sed inepta etiam videtur. Nam cum verba „*Te doctarum hederae praemia frontium Dis miscent superis*“ nullo modo id significare possint, quod putavit *Fea*: „Tu totus es in coronandis tibique devinciendis poetis; illi vero grati animi ergo te inter deos beneficos in suis carminibus praedicant“, sed omnino explicari debeant ita, ut ipse Maecenas praemiis poeticis ornatus dicatur, sententiam vides esse hanc: alius aliud studium sectatur; tu vero es poeta et ego sum poeta“ At Maecenas non fuit poeta neque ipse unquam poeticae facultatis laudem sibi vindicavit. Si vere igitur Hor. Maecenatem in hoc ad eum scripto carmine ut magnum poetam celebrasset, nimia adulatione indignationem potius eius movisset quam gratiam ab eo iniisset. Ut paucis dicamus, si ad Maecenatem convertere voluisset orationem, haec fere ei exprimenda fuisset sententia: „Te iuvat rerum publicarum esse curatorem et administrum“. Omnium optime de hoc loco disputavit *Jahnius* in Annal. Philol. et Paed. II. 3. p. 282 — 290. — *hedera*, Baccho sacra, aeque ac laurus poetarum, praecipue Bacchi laudes canentium, praemium atque insigne. Virg. Ecl. VII. 25: *Pastores hedera crescentem ornate poetam.* — *doctarum frontium*, poetarum; *doctus* (σοφὸς) sollemne poetarum doctrinae laudem sibi vindicantium epitheton.

v. 31. *leves* refer ad Nympharum cum Satyris saltantium agilitatem.

v. 32. *secernunt populo*, seiungunt a consortio et consuetudine cum aliis hominibus, me in solitudine (quam amant poetae) delectant; cf. Ep. II. 2. 77: *Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes.* Ep. I. 19. 3: *ut male sanos adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas.* — *si* pro: siquidem, quandoquidem.

v. 33. *Euterpe — Polyhymnia* pro quavis Musa. — *cohibet* retinet, denegat. *tibias*, cf. Od. I. 12. 2.

v. 34. *refug. tend. Lesb. barb.* abhorret a tractando barbito Lesboo, h. e. a carminibus lyricis, qualia olim Alcaeus Lesbius et Sappho Lesbia cecinerunt; *tendere*, quod proprie de chordis, quae lyrae intenduntur, dicitur, iam pro: moderari, temperare, tractare.

Quodsi me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

CARMEN II.

AD AUGUSTUM CAESAREM.

Iam satis terris nivis atque dirae

v. 35. *inseres*, Codd. aliquot; quam lectionem praetulerunt *Lamb.*, *Vand.*, *Mein.*, *Orelli.* — v. 1. *Daniel. Heinsius* ad evitandum ingratum trium homoeoteleutorum sonum coniecit: *satis tetrae nivis.* At recte defendit vulgatam *Hofmann Peerlkamp*, Bibl. Crit. N. p. 102 sqq. *R.*

[v. 35. *Quodsi me lyricis vat. inseris.* Particula „*quodsi*“ et omissum *tu* multis offensioni fuerunt, adeo ut spurium hunc versum iudicarent. At ita tantum recte carmen, quo odas suas Hor. Maecenati dedicat, finitur, ut poeta se in prima felicitatis parte positurum dicat, si patrono suo lyrici poetae nomine dignus videatur. Particula autem *quod si* aliis quoque locis apud Hor. invenitur (Od. III. 1. 41. Epod. 11. 15. Epod. 14. 13 etc.), et pronomen *tu* optimo iure abesse potest, cum nulla sit oppositio inter Horat. atque Maecenatem, sed omnis vis orationis cernatur in verbis *lyricis vatibus. R.*]

v. 36. *Subl. fer. sid. vert.*, sublime caput ad sidera usque extollam, h. e. immortali gloria frui mihi videbor.

CARMEN II.

Cum exorta, quae nive, grandine, fulminibus deiectis praeter morem saevierat, tempestate ingens in agris Romanis facta esset Tiberis inundatio (anno, ut bene ad rem ex Dione Cassio Lib. LIV. ab initio probatum ivit Massonus, U. C. DCCXXXII), opportunam, qua Augustum tanquam deum civitatis Romanae tutelarem sive averruncum celebraret, occasionem sibi oblatam esse putavit Horatius. Nam cum, quidquid in rerum natura praeter morem accidebat, pro ea, quae tum tenebat populi animos superstitio, prodigium haberetur; oblata illa per diram tempestatem et Tiberis inundationem prodigia neminem esse praeter Augustum, qui procurare deorumque iram placare possit, poeta in hoc carmine ostendit. — Tantam vim aquarum, canit poeta, e caelo in terram demissam vidimus, ut Tiberis super ripas effusus timorem, ne Deucalionis diluvium rediret, iniiceret. En dii iram suam ob bella civilia patefaciunt calamitatemque, quae reipublicae nostrae imminet, portendunt! Quem deum, ut scelera nostra expiet et haec mala a nobis avertat, invocabimus? Num Apollinem? an Venerem? an Martem? an te, qui Augusti personam in his terris induisti, Mercurium? In te, Auguste, qui Caesaris caedem ultus es imperiumque Romanum restituisti, omnis populi Rom. spes reposita est! Utinam, deus Auguste, diu sub nomine patris et principis apud populum Romanum commoreris eiusque salutem exteros hostes ulciscendo confirmes!

v. 1—4. *satis*, nimis multum, satis superque — *nivis*, quae, cum

Grandinis misit pater et rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit urbem,
Terruit gentes, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae nova monstra questae,
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes,
Piscium et summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat columbis,
Et superiecto pavidae natarunt
Aequore damae.
Vidimus flavum Tiberim retortis

v. 10. *palumbis*, *Fea* ex Marg. Codicis Battel.; male. *R.*

solito copiosior cecidisset, ita auxit Tiberis aquas, ut inundatio inde oriretur. Cogita de eiusmodi tempestate, qualem Liv. XXI. 58 describit. — *dirae*, quod diri ominis erat. *misit*, pro: *immisit.* — *rubente*, a repercusso fulminum rubentium fulgore. — *iaculari arces* pro: fulmen iaculando arces percutere; Ovid. Am. III. 3. 35: *Iuppiter igne suo lucos iaculatur et arces.* — Per *arces*, qua voce summa montium fastigia notantur, iam Capitolium vel potius templa in Capitolio posita intelligenda esse, adiectum *sacrae* docet. — *Terruit*, i. e. metum iniecit, ne; Tac. Hist. II. 63: *terruit*, *ne affectaret.*

v. 5—8. *grave saec. Pyrrhae*, foeda illa tempora, quibus Deucalion cum uxore sua Pyrrha oppressus fuit diluvio; *Pyrrhae* cum delectu pro: Deucalionis; mulieris enim species iucundius movet animum. Etiam Valer. Flacc. VI. 390 homines appellat *Pyrrhae genus*, non Deucalionis. Caeterum diluvium Deucalionis aetate ortum vel ex Ovid. Met. I. 260 sqq. satis notum. — *nova monstra* h. e. inauditam in diluvio illo rerum permixtionem; vidit enim Pyrrha Proteum phocas in altis montibus pascentem, vidit pisces haerentes in arboribus et damas natantes in aequore. — *monstra* dicuntur, quae a vulgari rerum ordine recedunt, quae nunquam visa, nunquam audita sunt. — De *Proteo*, deo marino, Neptuni armenta, nominatim phocas, pascente, cf. Hom. Odyss. IV. 386 sqq. et Virg. Georg. IV. 395 sqq.

v. 10. Per *columbas* iam non domesticas, sed silvestres (*palumbes*) sedem suam in arborum ramis habentes intelligendas esse, sponte apparet. *Columba* enim totum genus significat, cuius *palumbes* species est. Sueton. Octav. 64: *palma frequentabatur columbarum nidis.*

v. 13—16. *flavum*, sollemne Tiberis a flavo arenarum lutosarum colore epitheton. Cf. Od. I. 8. 8. Od. II. 3. 18. — *retortis* cett. Litus enim maris Etrusci sive Tyrrheni, in quod Tiberis effunditur, cum nimiam aquae copiam non caperet, vi eam repellebat. — [*monumenta regis Templaque Vestae*, i. e. re-

Litore Etrusco violenter undis
Ire deiectum monumenta regis
Templaque Vestae,
Iliae dum se nimium querenti
Iactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa Iove non probante u-
xorius amnis.
Audiet cives acuisse ferrum,

giam Numae et Vestae aedem item a Numa exstructam. Plut. Numa c. 14: *ἐδείματο πλησίον τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ τὴν καλουμένην Ῥηγίαν, οἷόν τι βασίλειον οἴκημα.* Propter id ipsum, quod arctissime haec Numae regia Vestae templo iuncta erat, nominabatur *atrium regium*, cf. Liv. XXVI. 27: *comprehensae lautumiae forumque piscatorium et atrium regium. Aedes Vestae vix defensa est tredecim maxime servorum opera.* ibid. XXVII. 11: *Locaverunt inde reficienda, quae circa forum incendio consumta erant, septem tabernas, macellum, atrium regium.* Ovid. Fast. VI. 263: *Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae, Tunc erat intonsi regia magna Numae* (quae eadem ab Ovid. Trist. III. 1. 30 vocatur *regia parva Numae*). Sita erat Vestae aedes cum atrio regio in octava urbis regione ac fori ima parte versus Tiberim, ad viam novam prope viam sacram, cf. *Oudendorp.* ad Sueton. Aug. c. 76. *Hofmann Peerlkamp* in Bibl. Crit. Nova I. p. 118. *R.*]

v. 17 — 20. *Iliae dum* cett. Sententia: dum amnis Tiberis, ut querelis uxoris suae Iliae satisfaciat, immodicus exsurgit ultor et praeter Iovis voluntatem sinistra ripa evagatur. — *Ilia* sive *Rhea Silvia* ideo, quod ab Amulio vel in fluvium Anienem vel Tiberim demersa dicitur, utriusque fluvii uxor ficta est. — *querenti* sc. necem Caesaris, cognati sui, cum ille, ut Ilia, ab Iulo sive Ascanio, Albae rege, originem duceret. — [*nimium* neque ad vocem *iactat* neque ad vocem *ultorem*, sed necessario ad eam, cui proxime antecedit, v. *querenti*, referendum est. Non primo enim statim tempore post interfectum Caesarem Iliae querenti morem gerit Tiberis, quippe qui probe sciat, sibi, utpote inferiori deo, non licere, iniussu Iovis ulciscendi partes suscipere; sed diu reluctatus est et multis demum annis interiectis, cum *nimium* illa queratur, quam ut diutius resistere possit, precibus eius fatigatus ultorem sese *iactat*. *R.*]. — *vagus*, super ripas effusus, a iusto cursu aberrans. — *sinistra ripa*, ubi Roma sita fuit. — *Iove non probante*, Iuppiter enim, in cuius praesidio Romae fuit incolumitas, improbare debebat urbem perdendi consilium. — *uxorius* dicitur, qui uxori deditissimus nihil non in uxoris gratiam facit. — Similiter Aeneas apud Virgil. Aen. IV. 266. et Vulcanus apud Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. v. 59. *uxorii* dicuntur.

Quo graves Persae melius perirent,
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus.
Quem vocet divum populus ruentis
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Iuppiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo;

v. 31. *candentes* s. *candentis* (quae prisca est accusativi forma), Codd. plurimi iique optimi. *candenti*, Codd. nonnulli, edd. principes. Schol. et sic *Fea.* Vide annot. *R.*

v. 21 — 24. Nexus et sensus: significant autem haec prodigia deorum iram propter Caesaris caedem et quae hanc secuta sunt bella civilia; quod ita extulit poeta: posteri, quorum exiguus (*rara iuventus*) maiorum culpa restitit numerus, fama accipient, Romanos ferrum, quo hostes vincere debebant, contra semet ipsos acuisse pugnasque commisisse. — *graves*, infesti ac timendi; *Persae*, h. e. Parthi. — *perirent*, pro: perituri fuissent. — *vitio parentum*, h. e. culpa parentum, quod bellorum civilium furore correpti multi interierunt.

v. 25 — 28. *Quem vocet divum* cett. quem deorum adesse precetur populus sustentando, quod ruinam minatur, imperio? — *rebus* est casus tertius pro: ad res cett. — *res imperii* pro ipso imperio; saepe enim *res* servit circumlocutioni. — *sanctae* Vestales, ob pudicitiae, cui se consecrarunt, sanctitatem. — *minus audientem*, quia de bellis civilibus et caede Caesaris irascebatur. — *carmina*, sollemnes precum formulas. — *Vestam*, in cuius peculiari tutela posita fuit reipublicae Romanae salus, cf. Virgil. Georg. I. 498.

v. 29 — 32. *scelus* (*τὸ ἄγος*), bella civilia Caesaris necem secuta. Cf. Od. I. 35. 33. Od. II. 1. 5. — *venias*, sc. ad scelera et crimina nostra expianda. — *nube hum. amict.*, *νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους* Homer. Iliad. V. 186. XV. 308. XX. 150; dii enim, ne mortalium oculis conspiciantur, nube circumfusi in terris apparent. [Iniuria praetulit *Fea* lectionem *candenti;* nam etsi hiatus ferendus videatur (coll. Od. I. 28. 24.) atque forma partici pii syllaba *ti* terminati defendi possit exemplis Horatianis codicum auctoritate satis firmatis (v. c. Od. I. 25. 17.), tamen sententia ipsa hanc a librariis sine dubio profectam lectionem non admittit. Ubicunque enim dii, ne conspiciantur, nube amicti procedunt, haec ipsa nubes obscura (*ἄῤῥηκτος, κυανέη*) dicitur (Virg. Aen. XII. 416. Il. XX. 150. coll. V. 344.); de *nimbo* autem lucido capita deorum propitiorum am

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Iocus circum volat et Cupido;
Sive neglectum genus et nepotes
Respicis, auctor,
Heu nimis longo satiate ludo,
Quem iuvat clamor galeaeque leves,
Acer et Mauri peditis cruentum
Voltus in hostem;

v. 39. *Mauri*, Codd. — *Marsi*, *T. Fabri* coniectura a *Bentl.* recepta et praeter alios *Doeringio* quoque probata. Vide annot. *R.*

biente vel propter vocem *amictus* (*εἰλυμένος*) cogitare non licet. *Mitscherlichius* recte quidem recepit alteram lectionem *candentes*, sed intelligit *nimbum* lucidum, quo propitii Apollinis humeri refulserint, cum iratus Apollo *νυκτὶ ἐοικώς*, i. e. *atra nube* amictus apparuerit. At Hector etiam et Hercules *νυκτὶ ἐοικότες* procedunt (Il. XII. 463. Od. XI. 606.), nec quisquam eos *atra* nube amictos dicat. Imo verba *candentes humeros* spectant ad pulchritudinem Apollinis, qui nube amictus obscura auxilio Romanis venit. *R.*].

v. 33—36. *mavis* sc. venire ad scelera nostra expianda. — *Erycina*, Venus ita appellata ab Eryce, monte Siciliae, ubi templum ei exstructum fuit nobilissimum. Cf. Virgil. Aen. V. 759. et *Heynii* Excurs. ad h. l. Auxilio autem advocatur Venus propterea, quod Aeneae, a quo originem ducebant Romani, mater erat. — *ridens* (*φιλομμειδής*, *μειδιόωσα*) Veneris ingenio accommodatum epitheton. — *quam Iocus* cett. cf. Anacr. LI. 24. Ovid. Fast. IV. 1. [Scribendum est *circum volat* propter caesuram; cf. Od. II. 16. 33. R.] — *neglectum genus* stirpem tuam, Romanos, quos parum adhuc curasti. — *respicere* et *adspicere* (Gr. *ἐπιβλέπειν*, *εἰσορᾶν*) de diis propitiis. — *auctor*, Mars, pater Romuli.

v. 37—40. *ludo*, graviter pro: bello, quod, sicut gladiatorum ludus spectatoribus, iucundum Marti praebet spectaculum. — *acer*, torvus, ferox. [Coniectura *Marsi*, licet multis probata viris doctis, non digna tamen videtur, quae in textum recipiatur, cum Codd. omnium lectio *Mauri* non solum defendi possit, sed egregie etiam huic loco conveniat. Quemadmodum enim poeta infra Od. II. 1. 25 sqq., ubi *bellorum nondum expiatis unctorum cruoribus*, quae Asinius Pollio scribenda sibi sumserit, memoriam repetit, id vel maxime dolet, quod dii irati Africano bello *victorum nepotes inferias retulerint Iugurthae atque devictis Afris*, ita hoc quoque loco, cum *nimis longum*, quo neglecti generis auctor gavisus fuerit, *ludum* conqueratur, consulto videtur ad Africanum potissimum respiciens bellum non tam fortis cuiusdam Romani, quam *Mauri peditis* acriter pugnantis imaginem repraesentare voluisse. Quo imbelliores enim ante fuerant Mauri et quo minus valuerant peditatu, eo tristius esse debebat Romanis, quod

Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor:
Serus in caelum redeas diuque
Laetus intersis populo Quirini,
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat; hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps,
Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce, Caesar.

iidem duce Iuba bellis civilibus sese immiscuerant et pristinas Afrorum clades ulturi *pedites* etiam fortiter contra Romanos pugnaverant (Suet. Caes. 66. Bell. Afric. c. 48). Devicti quidem erant a Caesare, sed tamen non sine Martis a Romanis aversi favore et auxilio in campo aperto cum Romanis confligere ausi videbantur, eorumque nomen ita prae ceteris Africae gentibus hoc bello inclaruit, ut Ov. Fast. VI. 244. Hannibalis exercitum *Mauras* appellaret *manus* atque ipse Horatius per *Mauram undam* (Od. II. 6. 3.) totum mare, quod Africae oras alluit, designare posset. — Alii minus recte cogitarunt de Mauro, qui, cum equo antea insedisset, iam confosso equo *pedes* ferociter pugnare perrexerit et hoc ipso pugnandi ardore Marti gratum praebuerit spectaculum: quod ex solo verbo *peditis* vix elicias, quamquam id cum vi quadam adiectum neque ita otiosum esse, ut in *Bentleii* lectione *Marsi peditis*, per se patet. *R.*] — *cruentum*, sanguine conspersum.

v. 41—44. *Siv. mut. iuv.* cett. Sensus: sive tu, alate deus, Mercuri, qui caedem Caesaris ulciscendi consilium haud dissimulas, deposita divinae formae maiestate (*mutata figura*) sub iuvenis Augusti, quam induisti, persona in terris versaris. — *ales*, Mercurius, alatos calceos, sive talaria (*πέδιλα πτηνά*) gestans.

v. 45. *Serus in cael. red.* Comparant Lucret. I. 46. Ovid. Trist. V. 2. sed inprimis huc pertinet locus Ovid. Met. XV. 868. *Tarda sit illa dies et nostro serior aevo, Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto, Accedat caelo.* — *Serus.* Od. I. 15. 19. Ep. II. 2. 161.

v. 49—52. Honorifica *Patris Patriae* appellatio publice quoque postea U. C. DCCLII. Augusto decreta est. — *princeps*, qui ob egregia, quibus cives sibi devinxit, merita et ob summam de reipublicae salute curam primum locum inter cives occupat. — *Principis* nomen, cum minus invidiosum esset, assumsit Augustus U. C. DCCXXVI. vid. Dio LIII. 11. — *Medos*, Persas, Parthos. — *equitare*, equitando nobis insultare et ferociter per terras nostras ruere; de voce *equitare* cf. infr. IV. 4. 44.

CARMEN III.

AD NAVEM, QUA VIRGILIUS VEHEBATUR.

Sic te diva potens Cypri,
  Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater
  Obstrictis aliis praeter Iäpyga,
Navis, quae tibi creditum

CARMEN III.

Poeta, cum amicum suum, Virgilium, iter Athenas facturum, navem conscendere videt, (U. C. DCCXXXV.) de periculo, cui ille in mari expositus sit, anxium perturbatumque in hoc carmine prodit animum. In hac igitur de amici vita sollicitudine usque eo progreditur, ut in istum durissimi animi hominem, qui primus navem mari committere ausus sit, tanquam in doloris sui auctorem graviter invehatur et tam huic quam similibus, quae hominum audacia tentaverit, facinoribus diutius immoretur. Quae quidem poetae nostri digressio cum ex summo, quem ille declaraturus erat, amore fluxerit, eam huic carmini accommodatissimam esse facile apparet.

v. 1 — 8. Sensus: o navis, quae Virgilium fidei tuae commissum nobis debes, in fines Atticos portes eum, precor, incolumem et animae meae dimidium serves; quod si feceris, opto, ut Venus, Dioscuri, Aeolus cursui tuo faveant. *Sic*, in obtestatione, ubi quid alicui apprecamur ea conditione, ut et ipse faciat, quod ab eo vicissim petimus; est igitur optantis formula cum adiecta conditione. Cf. Od. I. 28. 25. Sat. II. 3. 300. Virg. Eclog. IX. 30. et X. 5. Tibull. I. 4. 1. — *diva potens Cypri*, Venus, imperium suum in insula Cypro tanquam sede propria exercens; sic Neptunus *maris potens* infr. 5. 15. et Diana *silvarum potens* in Carm. Saecul. 1. Venus autem ex mari orta (ἀναδυομένη) ut dea marina quoque colitur. Musaeus v. 284: *Κυπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης Καὶ κρατέει πόντοιο.* Od. III. 26. 5: *marinae Veneris.* Hinc dicta quoque illa *Εὔπλοια.* — *Fratres Helenae*, Dioscuri, Castor et Pollux, navigantibus propitii, *ἀρωγοναῦται.* Cf. Od. I. 12. 27. Od. IV. 8. 31 sq. — *lucida*, ob clarum eorum splendorem, navigantibus iucundissimum. — *ventorum pater*, Aeolus, de quo Hom. Od. X. 21: *κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων.* — *obstrictis*, vel in utre secundum Hom. Odyss. X. 29. sqq. vel, id quod verisimilius est, in antro secundum Virg. Aen. I. 52. — *aliis* h. e. ceteris. — *Iapyx*, ventus occidentalis, ab incolis Apuliae, qui Iapyges vocantur, ita dictus, ex Italia in Graeciam navigantibus secundus; *West-Nord-West*, Gr. *Ἀργέστης.* Cf. quae de hoc vento disputat *Kappius* ad *Arist. de Mund. Excurs.* III. §. 18. p. 432. sqq. — *tibi creditum* tanquam pignus vel depositum aliquod, quod is, cui cre-

Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
  Et serves animae dimidium meae.
Illi robur et aes triplex
  Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
  Primus, nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
  Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae

v. 8. *Ut serves*, *Fea* e Codd., male. Cf. *Hofmann Peerlkamp* in Bibl. Crit. N. p. 113. *R.*

ditum est, *debet*, ut suo tempore *reddat;* verba igitur *credendi*, *debendi*, *reddendi* e re pecuniaria translata pulchre sibi respondent. [Rectius autem verba *finibus Atticis* sequentibus iunguntur, quam proxime antecedentibus *Debes Virgilium* (quam rationem secuti sunt *Wakefield*, *Fea*, *Doer.*, *Iahn*); navis enim non tam Atticae, quam iis, qui *crediderunt*, Virgilium *debet;* hi vero ante omnia cupiunt, ut Atticae incolumis *reddatur. R.*]. — *anim. dimid.* (ἥμισυ τῆς ψυχῆς) nota summi amoris declaratio. Tib. IV. 4. 21: *Phoebe, fave, laus magna tibi tribuetur, in uno Corpore servato restituisse duos.*

v. 9 — 16. Locus, qui sequitur, ex re ipsa subnatus est. Nam cum poeta nave, qua Virgilius vehebatur, soluta reputasset secum subeunda nunc amico suo in mari pericula, sponte in auctorem horum periculorum, navigationis inventorem, convertitur et loco suo locum communem de audacia hominum tractat. — Similes veterum poetarum, a quibus primus navium inventor carpitur, locos collegit *Burm. Sec.* ad Lotich. II. 20. At Lotichius contrariam sententiam secutus laudatum carmen exorditur sic: *Qui primum latum sulcavit puppibus aequor, Utilis humanis usibus ille fuit.* cett. — *Illi robur et aes tripl. c. pect. erat*, fuit ille durissimus audacissimusque, qui cett. Pectus *robore* (i. e. ligno durissimo) atque *triplici aere* dicitur munitum, ut apud Lucian. de Calumn. §. 20: *ἀδαμάντινον τεῖχος τῆς ψυχῆς προβεβλημένος*, ad significandam hominis audacissimi duritiem. Cf. *Iacobs*, Verm. Schr. Tom. V. p. 379. — *praecipitem* praecipiti impetu ruentem. — *Africum*, cf. Od. I. 1. 15. *Decertantem Aquilonibus*, casu tertio.

v. 14. *trist. Hyad.* Hyades (Latinis *Suculae)*, stellae in fronte Tauri, quarum ortus et occasus *tristem* tempestatem praedicere credebatur. Ovid. Fast. V. 165: *Ora micant Tauri septem radiantia flammis, Navita quas Hyadas Graius ab imbre* (ὕειν, pluere) *vocat.*

v. 15. *Quo non arbiter* cett. qui, quod attinet ad tempestatem tam concitandam, quam componendam,

Maior, tollere seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,

summam in mari Hadriatico exercet potestatem. [Mire autem ventus, qui suscitat maris fluctus, idem cessando componere dicitur, de quo dicendi genere confer disserentem *Iacobsium*, *Vermischte Schriften*, Tom. V. p. 380. et *C. O. Müllerum*, *Götting. Anz.* 1838. no. 112. *R.*].

[v. 16. *tollere seu pon. vult. freta.* Dictum quidem hoc est pro vulgari: *sive tollere sive ponere vult freta*, ut recte explicuit *Mitsch.*, sed cave omissum credas alterum *sive* (*seu*). Eadem est enim huius loci ratio, atque eorum, ubi *transposita* dicitur part. *ve.* Adnectenda haec proprie erat voci *ponere*, quae priori voci *tollere* opponitur; part. *si* autem, quae ad totum spectat enunciatum pariterque referenda est et ad v. *tollere* et ad v. *ponere*, statim initio enunciati sedem suam habere debebat, hunc in modum: *si tollere* (*ponere v e*) *vel ponere vult freta.* Iam frequens est poetarum Latinorum usus, ut adnectatur part. *ve* non ei voci, quae ab altera disiungitur, sed tertiae cuipiam mediis his interpositae, quae, ad utramque pariter referenda, ipsa tamen positione arctius cum posteriore coniuncta esse partemque eius efficere videtur, non aliter ac si eadem vox bis posita ac priori quoque membro, ad quod mente referenda est, praegressa sit. Ita hoc loco part. *ve* voculae *si* adhaeret, quasi dictum sit: *s i* (*s i v e*) *tollere s i v e ponere vult freta*, cum haec tamen particula semel tantum inter medias, quae sibi opponuntur, voces interposita ad utramque pariter referenda sit. Exempla huius transpositionis apud ipsum Hor. plura inveniuntur: Sat. II. 8. 16: *Albanum sive Falernum te magis delectat, habemus utrumque.* Od. II. 7. 25: *Quis udo Deproperare apio coronas curat v e myrto?* Epod. 2. 50: *Non me Lucrina iuverint conchylia Magis v e rhombus aut scari.* Sat. II. 3. 139. 242. — Eadem ratio est traiectae particulae *ne*, cuius haec habes apud Hor. exempla: Sat. I. 8. 2: *faber incertus, scamnum faceret n e Priapum.* Sat. I. 2. 63: *in matrona, ancilla peccesn e togata.* — Saepissime denique part. *que* ita transponitur, ut non ei voci subiiciatur, quae alteri adiungitur, sed tertiae alicui, quae pari modo ad utramque referenda est. Exempla Horat. haec sunt: Od. I. 30. 6. Od. II. 19. 31. Sat. I. 6. 42. Sat. II. 3. 182. — Od. II. 19. 28. Od. III. 1. 12. Od. III. 4. 11. — Sat. I. 4. 17: *inopis me quodq u e pusilli finxerunt animi.* Qui quidem ultimus locus maximam habet cum nostro similitudinem. Non recte intellexerunt hunc singularem vocis *seu* (*sive*) usum, qui in comparationem vocarunt tales locos, qualis est Od. I. 16. 19: *vacui, s i v e quid urimur.* Ibi enim partic. *si* inest in adiectivo *vacui*, quod participii loco positum significat: *sive vacui sumus.* Rectius iudicat *Carol. Schiller*, Comm. zu ein. Oden des Hor. p. 8. — *R.*].

v. 17 — 20. *Quem mortis gradum*, quam viam ad Orcum, h. e. quod mortis genus.

Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum et
Infames scopulos Acroceraunia?
Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae

v. 18. *siccis*, Codd. omnium lectio. — *Bentleius*, qui nullum putat hic lacrimis locum esse, de coni. dedit: *rectis* [et sic *Doer.*]. *Cuning.* coni. *fixis.* Vide annot. — v. 20. *Acroceraunia*, Codd. omnes. *alta Ceraunia*, Luct. ad Stat. Theb. VI. 156.; idem tamen servat Codd. lectionem ad Stat. Theb. I. 133. Priore igitur loco lapsus videtur memoria. Scripserunt *alta Cer. Jani*, *Mitsch.*, *Doer.* — v. 22. *dissociabiles*, coni. *Bentl. R.*

[v. 18. *siccis oculis*, ἄδακρυς, ut Aesch. Sept. c. Theb. 678: ξηραῖς ἀκλαύστοις ὄμμασι. Recte *Gierig.* ad Ov. Metam. XI. 539 haec annotat: „*Bentl.* putat, in magno pavore praesentique consternatione nullum *lacrimis* locum esse, ne in puella quidem infante, sed stuporem et pavorem. Bene; sed ubi animus e prima consternatione se colligit, utique sequuntur lacrimae, ut v. 418. Heroid. X. 43. Prop. III. 5. 9. Curt. IX. 2.“ Cf. *Bach.* ad Ov. Tom. II. p. 229. et *Orell.* ad h. l. Consulto autem poeta de amico sollicitus navigationis pericula in maius auget, ut longe audacissimus videatur, qui sine ullo timoris signo iis primus se exposuerit. — Nolim eam amplecti explicationem, quam *Fr. Iacobsius* nuper proposuit (Zeitschr. für Alterth. 1835. p. 467. ff.); statuit enim per *siccos oculos* intelligendum esse impii hominis insanum stuporem, collato Eurip. Or. 383. et Suid. s. v. Ἀνέφερε. Recte iam opposuit *Orellius*, in hisce versibus non tam impietatem quam audaciam hominis describi, in sequentibus demum hanc audaciam impiam vocari. *R.*].

v. 20. *Infames* naufragiis ibi factis; *Acroceraunia* (ἄκρα Κεραύνια) montes in litore Epiri inter mare Hadriaticum et Ionicum prominentes, quos praetervehi debebant ex Italia in Graeciam navigantes. [Praetulit Horat. rariorem formam *Acroceraunia*, quia haec propter ipsius soni gravitatem magis ei placebat usitatiore *Ceraunia.* Sic Ovid. quoque Rem. Am. 739: *Haec tibi sint Syrtes; haec Acroceraunia vita. R.*]

v. 21—24. *dissociabili* activo sensu explicant: qui terras dissociaret, separaret, cf. *Gesner.* sed cum *dissociabile* dicatur, quod sociari nequit, insociabile, malim explicare: haud sociando sc. cum terris; [rectius fortasse: cuius remota inter se sociari nequeunt litora; similiter enim dicunt Latini: *amnem ponte iungere. R.*].

v. 24. *impiae*, scelestae, dum audent, quod prudenti dei consilio vetitum est; nos: *frevelhaft*, *frech.* — *transiliunt*, quasi res nullius fere momenti sit; — *transilire* cum delectu pro: traiicere, superare, ad audaciam insolentiamque designandam; similiter dixit Tibull. I. 3. 37. *contemnere undas* et Ovid. Met. I. 134. *insultare fluctibus.*

Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iäpeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus ardui est:

v. 37. *ardui*, Codd. plurimi ac vetustissimi et sic *Vand.* et *Or.*; *arduum*, vulg. lectio, recepta etiam a *Meinekio*. *R.*

v. 25 — 33. *perpeti* h. e. suscipere, tentare, perpetrare, *τλῆναι*. *audax omnia perpeti*, ex graeca loquendi ratione pro: ad omnia perpetienda. — *genus*, filius Prometheus. Sic apud Catull. LXI. 2. Hymenaeus *Uraniae genus* dicitur, ubi cf. notata. — *fraude mala* h. e. dolo pernicioso, *τέχνῃ κακῇ*. Per fraudem designatur calliditas, qua ignem e caelo surripuit Prometheus.

v. 31. *terris incubuit*, in terras irruit, ingruit, terras obsedit, ut totum genus humanum sceleris commissi poenas lueret; ignis enim per fraudem e caelo surreptus res erat impia, quae gravissimam deorum iram moveret. Serv. ad Virg. Ecl. VI. 42: *Ob Promethei furtum irati dii duo mala immiserunt terris, febres et morbos, sicut et Sappho et Hesiodus memorant — — quod tangit etiam Horatius.* Cf. *Iacobs*, Verm. Schr. Tom. V. p. 381.

v. 32. *Necessitas leti* (*Μοῖρα θανάτοιο*) *corripuit gradum*, mors gradum acceleravit, citatiori gradu advenit. Cum diutius enim antea vivere solerent homines, nunc multo maturius moriuntur.

v. 34 — 40. *Daedali* fabulam suaviter enarrant Virg. Aen. VI. 14. sqq. Ovid. Met. VIII. 183. et A. A. II. 21. — *Expert. vac. Daed. aër. Penn. n. hom. datis*, eleganter pro: audacter Daedalus volatum per vacuum aëra alis, quas haud concessit homini natura, tentavit.

v. 36. *Perrupit*, ultima syllaba in arsi producta; non opus est igitur coniectura: *perrupitque*. — *Acheronta*, Orcum, ut Cerberum inde extraheret. — *Herculeus labor*, vis, audacia Herculis.

[v. 37. *Nil mortalibus ardui est*, „*nichts Hohes und Unerreichbares gibt es für die Sterblichen.*" Altera lectio, quae nunc plerasque obtinet editiones, *Nil mortalibus arduum est*, (*nichts ist den Menschen zu schwer und unerreichbar*) magis quidem accedit ad vulgarem dicendi

Caelum ipsum petimus stultitia, neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

CARMEN IV.

AD L. SESTIUM.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas;
Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna,
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes

rationem, sed propter ipsam facilitatem minus videtur probabilis. *R.*]

v. 38. *Cael. ips. pet. stult.*, stulto consilio deorum adeo conditionem affectamus, dii esse volumus.

v. 40. *iracunda*, ab iracundo Iove missa.

CARMEN IV.

Vere redeunte, cuius suavissimam in prima huius carminis parte descriptionem dedit poeta, Sestium monet, ut vitae brevitatis memor, quae nunc adsint et offerantur, perfruatur voluptatibus. Quo quidem praecepto, a vitae brevitate et mortis cogitatione petito, saepius poeta, ut amicos suos ad voluptates, dum liceret, percipiendas exhortaretur, usus est. Amicus autem Horatii, L. Sestius, videtur fuisse ille Bruti socius, quem Augustus, cum consulatu se abdicasset, in locum suum suffecit (a. 731. U. C.). Caeterum quod ad veris descriptionem attinet, operae pretium facient, qui ad poetae in eiusdem rei tractatione copiam et ubertatem perspiciendam hoc cum carm. IV. 7. et 12. comparabunt.

v. 1. — 4. *Trahuntque sicc. m. car.*, h. e. et naves in litus, ut per hiemem in sicco starent, subductae per *machinas* (h. e. phalangas, instrumenta lignea) in mare deducuntur.

v. 4. *canis* epitheton ornans ad album roris, qui frigidis noctibus iniicitur, colorem designandum.

v. 5 — 8. Suavissima imago Veneris sub veris adventu in terris, ubi omnia vi sua ad procreandum implet (cf. Pervigil. Vener. v. 63—67.), Gratiarum et Nympharum saltantium choros moderantis! Vere autem inprimis terras invisere credebatur Venus. Lucret. V. 736: *It ver et Venus et Veneris praenuntius ante Pinnatus graditur Zephyrus vestigia propter.* — *Cytherea*, ab insula Cythera in sinu Laconico, Veneris cultu inprimis celebrata. *imminente luna*, Stat. Silv. I. 1. 95: *sub nocte silenti, Cum superis terrena placent.* — *Gratiae*, (*Aglaia, Euphrosyne, Thalia*) assiduae Veneris comites et ministrae, dicuntur *decentes*, quia ad omne, quod pulchrum et decorum est, se com-

Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
  Volcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
  Aut flore, terrae quem ferunt solutae.
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,

v. 8. *urit*, Codd. plerique. *visit*, *Bentl.* e Codd. nonnullis. Lectio *urit* et propter Codd. auctoritatem praeferenda et quia multo vividiorem repraesentat Vulcani in ipso opere occupati imaginem. Cfr. *C. Schiller*, l. l. p. 25. *R.*

ponunt et saltantes quoque hunc amabilem decorem servant. Ita Venus quoque dicitur *decens* Od. I. 18. 6. — *iunctae Nymphis*, per manus in saltatione. Hom. H. in Apoll. v. 194: *ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι.*

v. 7. *Alt. t. qu. ped.*, ornate pro: saltant; ad numerum enim saltantes alternis pedibus terram pulsant; sic *terram pede tundere* de saltatione infr. in Epist. ad Pis. 430: *saliet, tundet pede terram.* — *dum grav. Cycl. Volc. a. ur. off.*, dum Vulcanus Cyclopes in officinis suis exercet. — Vulcanus enim, dum uxor eius tempore veris adest in terris et omnia vi sua foecundat, non sedet interea in otio, sed suo ipse operi intentus est. Non autem de officina, quam secundum Hom. Iliad. XVIII. 369. in Olympo habet Vulcanus, cogitandum est, sed de aliis officinis, quas poetae huic deo in insulis et montibus, inprimis iis, qui ignem subterraneum eiaculantur, assignarunt; de quibus cf. *Heyn.* ad Virg. Aen. VIII. 416. — Iam si verum est, quod nonnulli suspicantur, Horatium in hac veris descriptione poetam quendam Siculum, cui mons Aetna obversaretur, expressisse, non dubitari potest, quin Vulcani *officina in monte Aetna* intelligenda sit. Finge tibi igitur Venerem in amoenissima circa Aetnam regione choreas cum Gratiis Nymphisque ducentem, in eius vicinitate autem Veneris maritum Vulcanum operi suo insudantem, et sic animo concipies imaginem longe suavissimam. — Caeterum quaerenti, cur sub veris potissimum initio Vulcanus operi suo insudasse dicatur, ingeniose *Vossius* ad Virg. Georg. I. 311. sqq. respondet: quod ille vere inprimis, quo crebrae in Italia tempestates cum tonitru concipi in aëre soleant, fulminibus procudendis et suppeditandis operam dare debuerit. — *graves*, ob graves Cyclopibus ibi obeundos labores. — *ardens*, h. e. flammis relucens. Fabri enim, dum ferrum candens procudunt, ipsi ardere videntur ignis fulgore et scintillis circumfusi: similiter supr. 2. 2. dicebatur *dextera rubens.* Stat. Silv. III. 1. 133: *flammeus Mulciber.* — *urit officinas*, h. e. accendit officinas; hae enim ipsae videntur flagrare, dum opus faciens flammas in fornacibus accendit.

v. 9—12. *Nunc decet* cett. vide, quam suaviter poeta vulgarem sententiam: *nunc laetitiae, ad quam anni tempus invitat, indulgendum est,* externa laetantium specie adumbrata extulerit! diem laetum enim celebrantes capiti unguentis deli-

  Seu poscat agna sive malit haedo.
Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
  Regumque turres. O beate Sesti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
  Iam te premet nox fabulaeque Manes

buto (*nitido*) corollas e *myrto* (cuius usus fuit inprimis in compotationibus, cf. infr. 38. 5. et II. 7. 25.) et aliis floribus nexas imponere (*caput impedire*) solebant. — *solutae*, a frigore, quo fuerunt constrictae, per Zephyri flatus et mitiorem solis calorem resolutae. *Fauno*, huic deo agresti tanquam agrorum et gregum custodi bis quotannis, nempe Id. Febr. (Ovid. Fast. II. 193.) et Non. Dec. (huc pertinet carmen infr. III. 18.) sacra (*Faunalia* vulgo dicuntur) instaurari et cum summa omnium laetitia celebrari solebant; hinc poeta ad laetitiam evocaturus Fauno immolandum esse dicit. — *agna* — *haedo* — sc. sibi immolari. *Immolare aliqua re* pro vulgari: *immolare aliquid*, apud Liv. XLI. 14: *immolantibus Iovi singulis bubus*, ibidem paulo post: *bove perlitare iussus.*

v. 13—20. *Pallida Mors* cett. Nexus et sensus est hic: nunc, nunc, o Sesti, dum licet, perfruere vitae voluptatibus; nam mors divitibus aeque ac pauperibus instans mox praeter opinionem te opprimet; post mortem autem neque comissationibus neque amoris lusibus indulgere licebit. — [*pulsat pede*, intrat, pedem ferociter infert, ut recte explicuerunt *Janius* et *Mitscherlichius.* Cf. Ov. Met. VI. 487: *equi Pulsabant pedibus spatium Olympi.* Stat. Achill. I. 10: *neque enim Aonium nemus advena pulso.* Alii Mortem sibi finxerunt ostium s. fores pulsantem, ut in domos occlusas admittatur, sed id neque in verbis inest, cum tabernae, non fores, pede pulsari dicantur, nec convenit Morti *atris alis homines circumvolanti* (Sat. II. 1. 58.) *R.*] — *tabernas*, humiles casas, tuguria; *regum turres*, excelsa nobilium et beatiorum aedificia. *reges* saepe dicuntur beatiores, divites, potentes ob divitias. — Eandem sententiam novo ornatu repetit Horatius infr. Od. II. 3. 25. sqq. et 14. 11. et 18. 32. et III. 1. 14. sqq. Sat. II. 6. 95: *neque ulla est Aut magno aut parvo leti fuga.* — *beate*, beati dicuntur in laetam sortem nati, fortunati, qui iis, quae possident, beatam vitam sibi parare possunt (ὄλβιοι). — *vitae summa brevis*, exiguus dierum, qui ad vivendum nobis concessi sunt, numerus. — *spem nos vet. inch. long.*, h. e. monet nos, ne multa moliamur in longioris vitae spem, iubet nos *brevi spatio* (ut infr. I. 11. 7. poeta loquitur) *spem longam resecare.*

[v. 16. *iam te pr. nox* cett. iam te mortuum Orci tenebrae quaeque in Orco insunt prement, circumdabunt. Proprie nox tantum *premit* mortuum (ut est apud Virg. Aen. VI. 623: *animae dum nocte premuntur*), facile tamen ex hac *premendi* notione elicias verbum aliquod, quod sequentibus *Manes* et *domus* magis conveniat. *Manes* di-

Et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

CARMEN V.

AD PYRRHAM.

Quis multa gracilis te puer in rosa

cuntur *fabulae*, quia non inter vivos amplius conspiciuntur, sed vana tantummodo nomina sunt. Hinc Pers. V. 152: *cinis et manes et fabula fies*, i. e. non in oculis hominum amplius versaberis, sed in ora eorum pervenies; nullus eris. *R.*] — *exilis* dicitur domus Plutonis ob exilem levium et tenuium, quae ibi versantur, umbrarum (quae infr. Od. I. 10. 18. *levis turba* vocantur) formam (Ovid. Metam. IV. 510: *inania regna Ditis*); nisi quis *exilem domum* de inopi et egena, ubi nihil reperitur, quo bene sit, cum *Bentleio* explicare malit; hoc sensu certe *domus exilis* dicitur infr. Ep. I. 6. 45. — *nec regna vin. sort. tal.*, nec regnum amplius in conviviis talorum iactu tibi continget, h. e. nec amplius potationibus intereris; talorum enim iactu creari solebant, qui praeessent conviviis legesque convivis scriberent; vocabantur ii *reges convivii*, *βασιλεῖς τοῦ συμποσίου* (hinc *regna vini*), *modimperatores*, *domini*, *strategi*, *dictatores*, *arbitri bibendi;* cf. notata ad Catull. XXVII. 3. — *tener. Lycid. mirab.*, pulchri Lycidae adspectu delectabere.

v. 20. *tepere* de amore, ut *ἐνθάλπεσθαι ἔρωτι* apud Graecos. — Caeterum in sententiam horum vv. compares Sapph. c. XI. (secundum Anal. Br. T. I. 57.) Asclepiad. ep. 21. Anth. Gr. T. I. p. 148. (Anth. Pal. II. p. 107). Strat. ep. 96. Anth. Gr. T. III. p. 90. (Anth. Pal. II. p. 324) et elegiam, quae est in Theognid. v. 951. (Gnom. *Brunck.* p. 39.)

CARMEN V.

Horatius perfidiam et levitatem, quam in Pyrrhae amore expertus fuerat, ei exprobraturus fingit iam miserum aliquem iuvenem iisdem, quibus ipse elusus fuerit, artibus ab illa decipi. Quo quidem novo Pyrrhae amatore cum nauta, cui horribilis in mari tempestas immineat, se vero, vetere eius amatore, cum homine, qui feliciter e naufragio servatus sit, comparato, tam illius in Pyrrhae amore periculum quam suam, qua ex periculoso illo amore evaserit, fortunam suaviter describit et exprimit.

v. 1—4. *Quis multa gracilis* cett. quis nunc iuvenis delicatior, ut nuper ego, rosis redimitus et unguentis delibutus assidue sub grato antro te sectatur (*urget*) et nunquam a

Perfusus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam,

latere tuo recedit? — *gracilis*, corporis gracilitas ad pulchritudinem, qua sibi placent iuvenes, pertinet. — [*multa in rosa.* Cum aliis *Jani* explicat: te reclinantem in rosis, quibus humus constrata est. Cuius explicationis licet gravissimus exstiterit patronus *Fr. Jacobsius* (Verm. Schr. Tom. V. p. 375 sqq.), qui plura attulit ad illustrandum hunc in rosis cubandi morem, non possum tamen non probare alteram a *Mitscherlichio* propositam explicandi rationem, ex qua puer *rosis redimitus* intelligendus videtur. Usus quidem loquendi utrique explicationi aeque favet; dicitur enim et *in rosa iacere*, Sen. Ep. 36. 9. (*κοιμηθῆναι ἐπὶ ῥόδων* Philostr. epist. 28) de lecto rosis strato, et *in rosa potare* Cic. de Fin. II. 20. 65. *in rosa esse* Cic. Tusc. V. 26. 73 (Eurip. Herc. Fur. 677: *ἐν στεφάνοισιν εἶναι*) de sertis roseis. At rem si spectas, plura obstare videntur, quominus lectum rosis stratum intelligere possis. Primum enim neque apud Horatium neque apud Ovidium ullus reperitur locus, ex quo satis clare appareat, amantes in rosis recubare solitos fuisse, neque etiam ex iis scriptoribus, qui testimonii loco afferuntur, colligi potest, hunc vulgarem fuisse in Graecia aut Italia morem, licet negari nequit, homines molles ac luxuriosos interdum in rosis cubuisse. Deinde vero nonnulli sunt apud ipsum Horatium loci, qui nostro simillimi haud dubium relinquunt, quin cogitandum sit de iuvene cum puella a se invitata potationi et amori indulgente ac solito potantium more rosis redimito. Od. I. 17. 17 sqq.: *Hic in reducta valle Caniculae Vitabis aestus et fide Teia Dices laborantes in uno Penelopen vitreamque Circen. Hic innocentis pocula Lesbii Duces sub umbra.* Od. II. 11. 13 sqq.: *Cur non sub alta vel platano vel hac Pinu iacentes sic temere et rosa Canos odorati capillos, Dum licet, Assyriaque nardo Potamus uncti?* — *Quis devium scortum eliciet domo Lyden? eburna, dic age, cum lyra Maturet, in comtum Lacaenae More comam religata nodum.* Od. III. 14. 17 sqq.: *I, pete unguentum, puer, et coronas Et cadum Marsi memorem duelli — Dic et argutae properet Neaerae Murreum nodo cohibere crinem.* Sic coronas etiam intelligo Od. II. 3. 14. et Od. I. 36. 15., quanquam non eo infitias, his locis simul cogitari posse de *sparsis rosis*, cum potantes non coronas tantum capiti imponerent, sed mensae quoque rosas iniicerent; Ov. Fast. V. 335: *Tempora sutilibus cinguntur tota coronis Et latet iniecta splendida mensa rosa.* Hor. Od. III. 19. 22. Ep. I. 5. 14. *R.*]. *grato*, ob loci amoenitatem; fuit enim illud antrum haud dubie iucundum umbraculum sub spelunca, hilaritati, potationi amorisque lusibus opportunum.

v. 4. *cui*, in cuius gratiam; nos: *wem zu gefallen.* Tibull. IV. 6. 2:

Simplex munditiis? Heu quoties fidem
Mutatosque deos flebit et aspera
  Nigris aequora ventis
    Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui semper vacuam, semper amabilem
  Sperat, nescius aurae
    Fallacis. Miseri, quibus
Intentata nites! Me tabula sacer

v. 8. *Ut mirabitur*, *Bentl.* susp. Sed plura leguntur apud Hor. ἅπαξ εἰρημένα. *R.*

Tota tibi est hodie, *tibi* (dir zu gefallen) *se laetissima comsit.* — *comam. relig.* — Cf. Paul. Silentiar. ep. 22. *Anthol. Graec.* T. IV. p. 48. (Anth. Pal. I. p. 151). — *simplex mundit.*, cultus enim simplicitate magis saepe puellae quam operoso et arte quaesito ornatu placent et placere student. Ov. Fast. II. 763 sq.: *Forma placet ... Quique aderat nulla factus ab arte decor.*

v. 5—8. *Heu quoties fidem* cett. sensus: heu quoties de mutata fide (tua perfidia) et mutatis diis (eius nempe amori, cui ab initio adspirare videbantur, nunc adversantibus) querelas fundet et in medio amoris cursu se tristi tempestate oppressum cum stupore animadvertet, h. e. se miserum sentiet. — Amatorem, cuius laeta ab initio in amore spes repente puellae perfidia in tristitiam mutatur, comparat cum nauta, qui in mari, cui vento secundo et prosperrimae navigationis spe confisus se crediderat, subita tempestate deprehenditur; et in hac comparatione sive allegoria (nimirum quod ad decepti amatoris sortem attinet) scite poeta usque ad finem carminis persistit.

v. 7. *nigr. vent.*, venti dicuntur *nigri* sensu activo, h. e. caelum nigrum reddentes sive nubibus obscurantes, ut Epod. 10. 5: *niger Eurus.* Pari modo infr. 7. 15. *Notus* dicitur *albus*, h. e. caelum album sive serenum reddens, et III. 7. 1. *candidi Favonii.*

v. 8. *insolens*, qui tale quid non timuerat, stupens ob rerum insolentiam.

v. 9—16. *aurea*, h. e. ob pulchros mores et firmam in amore fidem maxime amabili. Sic mores pulchri et honesti infr. IV. 2. 23. dicuntur *aurei.* — *vacuam*, sibi soli, haud alii in amore vacantem.

v. 11. *nescius aurae fallacis*, ille ignorat, te in amore aurae instar mutabilem et inconstantem esse.

v. 12. *nites*, formae tuae nitore places. — *Me tabula sacer* cett. me ex naufragio servatum madida vestimenta Neptuno (*potenti maris deo*, cf. supr. ad 3. 1.) suspendisse, id testatur sacer in eius templo paries per votivam tabulam, sive id docet, quam vovi, affixa in eius templo tabula; exprimere autem his voluit poeta hoc: ego perspecta tua perfidia ex laqueis, quibus in amorem tuum me irretiveras, deorum, quos grato animo veneror, beneficio feliciter expeditus sum. Solebant autem, qui salvi ex naufragio enataverant, votas vestes cum tabula, in qua scripta vel picta fuit res, quae acciderat, in templo dei salutiferi (σωτῆρος) tanquam ἀνάθημα suspendere; cf. Virg. Aen. XII. 766. sqq. et Iuvenal. XII. 27.

Votiva paries indicat uvida
  Suspendisse potenti
    Vestimenta maris deo.

CARMEN VI.

AD AGRIPPAM.

Scriberis Vario fortis et hostium

CARMEN VI.

M. Vipsanius Agrippa, dux ille egregius et insignium victoriarum gloria conspicuus, haud immerito carmen ab Horatio in eius laudes bellicas compositum exspectare poterat. Nec haec eum fefellit exspectatio. Nam quamquam Horatius Agrippae in hoc carmine significat, se grandioris illius spiritus, quo poetae epici assurgunt, expertem et proinde eius laudibus canendis plane imparem esse, tamen mira quadam arte et spiritu, quem dissimulat, altissimo Agrippam cum ipso Marte et clarissimis antiquitatis heroibus comparatum summis in hoc carmine extollit laudibus. Comparanda sunt omnino cum hoc carmine infr. II. 12. et IV. 15., ubi per eandem artem et dissimulationem, quod se praestare posse negat poeta, vel maxime praestat. — Non opus est, ut cum quibusdam interpretibus statuamus, Horatium se excusandi causa apud Agrippam, qui ei, quod nullo adhuc carmine res eius gestas celebrasset, exprobraverit, hoc carmen scripsisse; quidni enim, quod scripsit in hoc carmine: *Non ego, Agrippa, id mihi sumam, ut laudes tuas canam, hoc enim epicis et sublimioris spiritus poetis, qualis est Varius, relinquendum est; ego lyra mea non gravioris, sed levioris tantum argumenti res tractare possum*, sponte scribere potuit? Caeterum Agrippa, qui cum multarum aliarum tum Actiacae inprimis victoriae non solum particeps, sed praecipuus auctor fuisse perhibetur, Augusto tam gratus fuit, ut ei filiam suam Iuliam in matrimonium daret.

v. 1—4. *Scrib. Var.*, non a me, sed a Vario carmine celebraberis; [*Vario* est casus sextus, ut patet ex adiecto *alite.* Qui mutata Codd. lectione scribendum esse censuerunt *aliti*, iis persuasum fuit, verbum passivum non recte iungi cum solo ablativo nominis personam significantis; at hoc fieri interdum demonstrarunt *Weichertus*, de Lucii Varii et Cassii Parm. vita et carm. p. 22 sq. et *Obbarius* in Jahnii Annal. Phil. et Paed. Suppl. I. 3. p. 456 sq. *R.*] *Varii*, ut insignis tum tem-

Victor, Maeonii carminis alite,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit.
Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
Nec saevam Pelopis domum

v. 2. *alite*, Codd. omnes. *aliti* ex coni. *Jo. Passeratii* receperunt *Jani, Mitsch., Fea, Doer.* — v. 3. *Qua rem cumque, Bentl.* e Codd. Mureti. Idem tamen suspicatur legendum esse *Cum rem cumque* vel *Ut rem cumque*; neutrum recte. Vide *Orellium* ad. h. l. *R.*

poris poetae epici, tam Horatius Sat. I. 10. 4. Epist. ad Pis. 55. quam Virgilius Ecl. IX. 35., qui intima eius utebantur amicitia, honorificam mentionem faciunt. Eundem nobilem fuisse poetam tragicum testatur Quintilianus, qui eius Thyesten cuilibet Graecorum comparari posse iudicat X. 1. 98. — *Maeonii*, h. e. Homerici, a patria Homeri Smyrna, Maeoniae sive Lydiae urbe. *Maeonii carminis alite*, h. e. canente et in altum evolante, ut cecinit et in altum evolavit Homerus, h. e. poeta epico, qualis fuit Homerus. — *ales* pro cycno, ut *albus ales* infr. II. 20. 10. *cycnus* autem pro poeta, ut infr. IV. 2. 25: *cycnus Dircaeus.* — *ales carminis* lyrica audacia, pro: poeta, qui canit carmen.

v. 3. *quam rem cumque* cett. paullo liberior structura pro: scribet Varius in tuam laudem, quascunque victorias exercitus Romani te duce aut terra aut mari reportaverint. Vid. *Krueger*, Untersuchungen der lat. Sprachlehre, Fasc. III. p. 445. — *navibus aut equis*, h. e. aut mari aut terra.

v. 5—12. *Nos*, *Agrippa*, *neque* cett. Sensus: ego non magis res tuas gestas canere quam Iliadem aut Odysseam aut tragoediam aliquam scribere audeo; sum enim poeta tenuis et illa carmina sunt grandioris spiritus. — *gravem Pelidae stomachum*, h. e. Achillis (Pelei filii) iram, (*μῆνιν Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος*) quam cecinit Homerus in Iliade. — *cedere nescii*, qui a se impetrare non poterat, ut Agamemnoni ob ereptam sibi ab eo Briseidem cederet, inexorabilis, pervicacis (Epod. 17. 14).

v. 7. *cursus Ulixei*, errores Ulyssis, quos cecinit Homerus in Odyssea. *Ulixeus*, vetus forma pro *Ulysses*, (de qua cf. *Müller*, Etrusker I. p. 279.) ut infr. 15. 33. *Achilleus* pro *Achilles.* — *duplex* (διπλοῦς), qui simulando et fictam speciem prae se ferendo fallit, vafer, dolosus, versipellis (πολύτροπος), homini *simplici* (qui Graecis est ἁπλοῦς), h. e. candido vel sincero, opponitur.

v. 8. *Nec saev. Pelop. dom.*, h. e. nec saevas a Pelopis familia perpetratas caedes, quae Sophocli inprimis largissimam ad tragoedias scribendas suppeditarunt materiem. Oenomaus enim a genero Pelope, Thyestae liberi ab eius fratre Atreo, Atreus ab Aegistho, Agamemnon a

Conamur, tenues grandia; dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut pulvere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydiden superis parem?
Nos convivia, nos proelia virginum
Sectis in iuvenes unguibus acrium
Cantamus vacui, sive quid urimur,
Non praeter solitum leves.

v. 14. *Troico*, Codd. omnes. *Troio*, cum aliis *Doer.* — v. 18. *Sectis*, Codd. omnes. *Strictis*, coni. *Bentl.* et sic *Doer. R.*

Clytaemnestra, haec et Aegisthus ab Oreste, illius filio, occisi sunt, Orestes ipse furiis agitatus. — *tenues* refer ad *nos*, *grandia* ad grandioris spiritus carmina.

v. 10. *imbellisque lyr. Musa potens*, h. e. et ingenium non epicis, sed iocosis et amatoriis carminibus canendis aptum. *potens alicuius rei* dicitur, qui rei alicui suscipiendae, tractandae et moderandae par est, qui pollet aliquid in aliqua re. *imbellis*, a rebus bellicis abhorrentis, ludicrae, iocosae.

v. 13—20. *Mart. tun. tect. adam.* Ducta haec Martis imago ab Homero, ubi ille dicitur *χαλκοχίτων*, *χαλκεοθώρηξ*, *χάλκεος Ἄρης*. Claud. in Cons. Prob. et Olyb. 99: *Mavors adamante coruscat.* — *adamas* de ferro durissimo praestantissimoque. — *nigrum* significanter pro: obductum, conspersum.

v. 15. *Merionen*, nobilissimum apud Homerum Idomenei aurigam. — *Tydiden* Diomedem, Tydei filium. — *superis parem*, vulneravit enim Venerem et Martem Hom. Il. V.

[v. 17 sq. *nos proelia virg. Sect. in iuv. ung. acr. Cant.*, admodum festive proeliis illis Homericis opponuntur amantium rixae, quas lyricus cantat poeta. Proelia enim, quae miscet amor, non, ut illa, cruenta sunt, sed committuntur a teneris virginibus, quae, etiamsi vulnerare studeant ira accensae iuvenum vultus, tamen *unguibus*, ut decet, bene *sectis* laedere illos nullo modo possunt. Dummodo recte iungas: *virginum sectis unguibus acrium in iuvenes*, nihil est, cur in elegantissima Codd. lectione offendas, neque probabis *Bentleii* coniecturam *Strictis*, quae, ut bene ait Orellius, furiale quid et agreste videtur habere. *R.*]

v. 19. *vac. civ. qu. urim.* sive liberi sumus ab amore sive puellae vel pueri cuiusdam amore urimur; [prior particula *sive* inest in adiectivo *vacui*, quod participii loco positum significat: *sive vacui sumus.* Similes sunt loci Od. I. 32. 6. Sat. II. 5. 11. — *R.*] *non praeter solitum*, haud praeter consuetudinem

CARMEN VII.

AD MUNATIUM PLANCUM.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheson, bimarisve Corinthi

nostram, ex more nobis proprio; *leves*, ad levitatem et protervitatem proclives.

CARMEN VII.

L. Munatius Plancus, cum ob contractam sibi apud Augustum dubiae fidei et inconstantiae suspicionem de salute sua admodum esset sollicitus, sponte solum vertendi et in Graecam aliquam civitatem secedendi, quantum ex hoc carmine nobis colligere licet, cepisse et cum amico suo Horatio communicasse videtur consilium. Poeta igitur, quid sibi videatur de hoc consilio, per ambages et paulo tectius in hoc carmine declarat. Ut ex urbe discedat Plancus, haud improbare quidem videtur, sed, dum prae Graecis civitatibus (quo tum migrare solebant securitati suae timentes) Tiburtinae regionis amoenitatem commendat, quasi aliud agens, locum, ubi Plancus Bacchi, laetitiae datoris, munere tristitiam et dolorem abstergere et ad quaevis toleranda animum confirmare possit, longe opportuniorem innuit. — Nexus sententiarum, de quo adeo laborarunt nonnulli interpretes, ut hoc carmen ex duobus diversis conflatum esse opinarentur, hic est: „clarissimas Graeciae civitates aliis laudandas relinquo; me praecipue delectat amoenissima Tiburni regio; tu quoque, Plance, in hac potissimum regione animi tui dolorem deponere poteris, (*supplendum enim est, quod consulto praetermisit poeta*) eo te confer et cogita, non semper mala durare, sed post illa, sicut tempestatem excipere solet serenitas, laetiorem sortem redire. Ubicumque es vel futurus es, vino curas dilue et animum tuum exhilara. Exemplo in hac re tibi esse potest Teucer, qui, quamquam patria pulsus erat, tamen animum haud despondebat, imo ad vinum se sociosque suos ad melioris sortis exspectationem excitabat." — Quam varius et inconstans fuerit Plancus tam ex diversis, quas in republica secutus est, partibus, quam ex mutuis eius et Ciceronis epistolis, quae exstant in Cic. Ep. ad Div. libro X. intelligi potest. Cf. de eo *Wetzelii Ind. Nom.* p. 69.

v. 1—4. *Laudab. alii*, non deerunt alii, qui laudent, commendent; *Mitsch.* ad formam Graecam explicat: laudent licet, celebrent per me, extollant. — *Rhod. claram*, mercatura, artibus et philosophia puta. — *Mitylenen*, hanc Lesbi urbem Cicero quoque in Orat. c. Rull. c. 14: *et natura et descriptione aedificiorum et pulchritudine inprimis nobilem* vocat. — *Epheson*, urbem Ioniae maritimam, Dianae inprimis templo claram. — *bimaris*, ob duo maria, Ionium et Aegaeum, quibus *Corinthus*, ad

Moenia, vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare et
Undique decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus in Iunonis honorem

v. 5. *urbem*, Codd. plerique iique optimi; *arcem s. arces* lectio Codd. nonnullorum recepta a *Bentleio*, *Janio*, *Mitscherl.*, *Doer.*, aliis. Vide *Feae* atque *Orellii* annot. ad h. l. — v. 7. 8. Sic Codd. omnes. — *Undique decerptae frondi*, coni *Erasm.*, et sic in omnibus fere editt. usque ad *Bentleium*. — *Undique decerptam fonti*, coni. *Galei*, prob. *Boettigero*. — *Indeque decerptam fronti* (om. *et*) *Bouhier*, *Schrader*, *Mitscherl.*, *Doer. R.*

Isthmum in Achaia sita, alluitur; epitheton *bimaris* factum est ad Graec. διθάλασσος, ἀμφιθάλασσος; opulentia inprimis et multarum rerum abundantia hanc urbem floruisse constat; *Graeciae decus* vocat Flor. II. 16.

v. 3. *Baccho*, Bacchi origine, educatione et cultu. — *Apoll.*, Apollinis templo et oraculo.

v. 4. *Thess. Tempe*, harum amoenissimarum inter Ossam et Olympum Thessaliae convallium praeter Ovid. Met. I. 569 sq. uberiorem descriptionem dedit Aelian. V. H. III. 1.

v. 5—9. *intactae*, ἀθίκτον, indelibatae, castae. [*Palladis urbem*, Athenas, quae a Pallade nomen acceperunt. — Lectio *arces* ideo tantummodo tam multis videtur arrisisse Viris Doctis, quia grave quiddam et poeticum sonat; at procul dubio haec ipsa fuit causa, cur librarii (memores Virgiliani loci Aen. XI. 477.) veterem ac genuinam Codd. lectionem mutarent. Loci totius sententia postulat omnino *urbem*, cum hic clarissimae urbes ac regiones, quas quis ad habitandum sibi deligat, recenseantur. *R.*]

v. 6. *perpetuo*, quod uno tenore omnes Athenarum laudes coniunctim tractat.

[v. 7. 8. *et Undique decerptam fronti praeponere olivam.* Optime versatus est in defendenda et explicanda hac Codd. lectione *Bentleius*, qui, in comparationem vocato loco Lucretiano I. 926 (et IV. 3.): *iuvat integros accedere fontes Atque haurire: iuvatque novos decerpere flores Insignemque meo capiti petere inde coronam, Unde prius nulli velarint tempora Musae;* et coll. Valer. Flacco III. 436 (*glaucasque comis praetexere frondes Imperat*) atque Senec. Med. v. 70 (*Praecingens roseo tempora vinculo*), hanc vidit esse huius loci sententiam: „ex eo argumento undequaque exhausto coronam sibi poeticam quaerere." Etenim qui carmen *perpetuum* dicit in Athenarum laudem omnesque ac singulas, quae de hac urbe feruntur, fabulas historiasque diligenter conquisitas tractat, fronti quasi suae imponit coronam, cui nectendae fron-

Aptum dicit equis Argos ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedaemon
Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus Albuneae resonantis
Et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda

v. 9. *dicet*, Codd. non pauci. (et sic *Bentl.*, *Cun.*, *Vand.*, *Jahn*, *Mein.*). Retinendam tamen putavi vulgatam lectionem *dicit*. *R.*

des undique sunt decerptae, h. e. demta imagine, gloriam sibi parat laudibus Athenarum ab omni parte celebratis. — Recte autem coronam *oleaginam* sibi praeponere dicitur is, qui Athenas carmine celebrat, cum oliva sacra sit Minervae, ut *myrtus* Veneri, *laurus* Apollini. — Neutiquam vero probanda est *Baxteri* explicatio, quam nuper *Jahnius* (Annal. Philol. et Paed. II. 3. p. 295.) in fidem ac clientelam suam recepit: „Palladis urbem multi celebrant carminibus et in honorem eius fronti suae praefigunt coronam oleaginam, non in ipsa urbe Athenis decerptam, sed ubicumque versantur.“ Obstat inprimis locus Lucretianus, ex quo, quid sit *decerptam fronti praeponere olivam*, satis clare apparet; neque totius huius loci ratio ea est, ut Hor. de iis praecipue Athenarum laudatoribus cogitasse videatur, qui, etiamsi in amoenissimis vivant regionibus, tamen Athenas his praeferendas ducant; omnia universe dicta sunt. *R.*]

v. 9. *Argos aptum equis* (*ἱπποτρόφον*, *ἱππόβοτον*) ob egregia, quae ibi fuere, pascua; *Argos* autem sedes Iunoni fuit gratissima, unde Pindaro Nem. IX. 3. dicitur *Ηρας δῶμα θεοπρεπές.* — *ditesque Mycenas*, Hom. Il. VII. 180: *βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης.*

v. 10—14. *patiens*, ob magnam laborum, quibus Spartani a teneris exercebantur, patientiam. In hoc sensu infr. Epist. I. 7. 40. Ulysses dicitur *patiens.* — *Larissae opimae campus*, ager circa Larissam, Thessaliae oppidum, fertilissimus. — *percussit*, gravius pro vulgari: movit, cepit; nam qui vehementius aliqua re afficiuntur, ea *percuti* vel *ici* dicuntur.

v. 12. *dom. Alb.* iam Tiburtini agri amoenitatem luculenta eius descriptione commendat; transit eum fluvius *Albula*, qui in fonte *Albunea* oritur, ubi eiusdem nominis Nympha sedem vel *domum* suam habet; est antrum, quod nunc quoque conspicitur. Vide *Kephalides* Reisen durch Italien u. Sic. Tom. I. p. 133. — *resonantis*, dulcis cum murmure prosilientis aquae sonitus suaviter ipsi Nymphae tribuitur.

v. 13. *Anio* (nunc *Teverone*), qui per agros Tiburtinos in Tiberim decurrit, ideo dicitur *praeceps*, quod prope Tibur de scopulo triginta circiter cubitos se praecipitans cataractam (nunc *la cascata* dictam) efficit; Stat. Silv. I. 5. 25: *praeceps Anien.* — *Tiburni lucus*, memoriae vel cultui *Tiburni*, qui cum fratribus suis, *Catillo* et *Cora*, Tiburis conditor fuisse dicitur, haud dubie sacer.

Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila caelo
Saepe Notus neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
Castra tenent seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristes affatus amicos:

v. 16. *Perpetuo*, *Bentl.* e Codd.; at minus hoc poeticum. *R.*

v. 15. *albus* — *Notus*, (*λευκόνοτος*) caelum album sive serenum reddens; sic *nigri venti* supr. 5. 7. ubi cf. not. *niger Eurus* Epod. 10. 5. *clarus Aquilo* Virg. Georg. I. 460. *candidi Favonii* Od. III. 7. 1. albus Iapyx Od. III. 27. 19. — *deterget* a *detergeo*, forma antiquior.

v. 16. *neque part. imbr. Perpet.*, Od. II. 9. 1: *Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros.*

v. 19. *Molli*, vinum vetustum dicitur *molle*, ut Epist. I. 15. 18: *lene; Ad mare cum veni, generosum et lene requiro.*

v. 20. *seu dens. tenebit Tib. umb. t.*, sive Tibur rusticatum ibis; hoc enim, ut diximus in argumento, Planco suadere videtur Horatius. *tui*, vel quod Tibur in deliciis fuit Planco vel quod villam ibi habuit.

v. 21—32. *Teucer Salam.* cett. Telamon Salamine regnans duos filios, Teucrum et Aiacem, ea conditione in bellum Troianum proficisci passus erat, ut ne alter sine altero rediret. Teucer igitur, cum sine Aiace redux pulsus esset a patre ex patria, ab Apolline monitus in Cypro, quo exsulatum iverat, novam Salamina condidit; vid. Vell. Pat. I. 1. Soph. Ai. 1006. Eurip. Hel. 91. et *Heynii* Excurs. XXIII. ad Virg. Aen. 1.

v. 22. *uda*, *βεβρεγμένα*, madida vino. Cf. Tibull. I. 2. 3.

v. 23. *populea corona*, quod sacrificabat Herculi, cui *populus* sacra est. [Sen. Hercul. Fur. v. 913: *Populea nostras arbor exornet comas.* Theocr. II. 121: *κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν, Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος* (ibique *Wuestemann.*). — Herculi autem sacrificabat utpote duci itineris, cf. Xenoph. Cyri Anab. VI. 2. 9: *θυομένῳ δὲ αὐτῷ τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ. R.*].

v. 24. *trist. aff. amic.*, orationem hanc, quam Teucer, cum ad litus alicubi appulisset, ad socios habuisse videtur, haustam esse vel ex Graeco aliquo poeta, vel ex Pacuvii tragoedia, quae tum exstabat, *Teucer* inscripta, (cf. Cic. de Orat. II. 46. 193.) vix dubites.

Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque:
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro;
Certus enim promisit Apollo,
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
Cras ingens iterabimus aequor.

CARMEN VIII.

AD LYDIAM.

Lydia, dic, per omnes

v. 27. *auspice Teucri*, *Fea* e Codd. *R.*

v. 25. *quo nos cumqu. fer.* cf. in hanc sententiam Virg. Aen. V. 709. — *melior*, benignior.

v. 27. *Teucro duc. et ausp. Teucr.* h. e. ubi et dux est Teucer et bonis ipsius Teucri auspiciis res geritur. — [*Bentl.* pro *auspice Teucro* legendum esse suspicatus est: *auspice Phoebo*, putans hominem non nisi proprie, metaphorice non nisi deum, qui bona omina mittat, *auspicem* dici posse. Eandem ob causam nonnulli librarii correxerunt: *auspice Teucri*, ut esset de Phoebo dictum. At recte opponitur locus Ovidii Fast. I. 26: *auspice te*, ubi de Germanico dictum est. Neque in hoc offendere debemus, quod de Graeco agitur heroë; haud raro enim Romani de Graecis suo more loquuntur, quod ex Plauti Terentiique comoediis satis notum est. *R.*]

v. 28. *certus*, haud dubiae fidei.

v. 29. *ambig. tell. nov. Sal. fut.*, h. e. nova Salamine condita veteris Salaminis gloriam ambiguam fore, s. obscuratum iri.

v. 30. *O fortes*, infr. Sat. II. 2. 135: *quocirca vivite fortes, Fortiaque adversis opponite pectora rebus.* — *peioraque passi*, Virg. Aen. I. 203: *O passi graviora, dabit deus his quoque finem.*

v. 32. *Cras ing. iter. aequor* cras iterum mari nos committemus.

CARMEN VIII.

Iuvenis perdite amantis imaginem poeta repraesentat, dum iocose invehitur in puellam, cuius amore factum sit, ut puer antea strenuus et gymnicis certaminibus vel maxime gaudens nunc effeminatus totum se molli atque inerti vitae tradiderit. Sybaris igitur exemplo proposito, quid sit morbi amor et quantum ille homines immutet, poeta ostendit.

Te deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere; cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?
Cur neque militaris
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum

v. 2. *Te deos oro*, Codd. plerique ac Diomed. et Fortunat. *Hoc deos oro*, Codd. nonnulli et Mar. Victorin. — ibid. *properes*, Codd. *properas*, Diom. Victorin. Fortun. Illud praeferendum propter sequentem coniunctivum *oderit*, licet Priscian. p. 1146 P. *oderit* indicativi loco positum dicat, ut sit: *μισήσοι ἄρα.* Videntur Grammatici indicativos necessarios putasse propter v. 6. et 7. *equitat ... temperat*, qui ipsi indicativi in multis Codd. mutati sunt in coniunctivos *equitet* — *temperet* propter praegressos coniunct. *properes .. oderit.* Sed consulto Hor. transiit ad interrogationem rectam, ne languida fieret oratio. *R.*

v. 1—7. *Sybarin*, nomen fictum ad mollitiem significandam; intelligi tamen adolescentem ingenuum, ex gymnicis exercitationibus, quibus ille ante deditus fuisse dicitur in campo Martio, apparet. — *Syb. c. prop. am. perd.*, h. e. cur Sybarin amore, quo eum captum tenes, is perditum? cur tanto studio Sybarin per amoris tui nequitiam corrumpis? — *cur apricum* cett. cur ille (*patiens pulveris atque solis*), qui ferre ante poterat pulverem atque solem, nunc campum Martium aversatur atque vitat? sive: cur strenuus ante ille iuvenis nunc prae mollitie fugit gymnicas exercitationes in campo Martio? Studia autem illa, quibus pueri ingenui *equitando*, *natando*, *luctando*, *discum* et *iaculum iaciendo* in campo Martio exercebantur, recenset ipse poeta. *apricum*, ubi aestus solis, cui campus Martius expositus est, ferendus est.

v. 5. *militaris*, tanquam miles, more militari; milites enim imitabantur pueri et ludum militarem ludebant. Sunt qui Horatium equestre illud nobilium iuvenum Romanorum certamen, *ludum Troiae* dictum, respexisse arbitrentur, sed, ut bene observat *Mitsch.*, *ludus Troiae* (de quo cf. Virg. Aen. V. 545 sq.) erat sollemnis et raro agebatur.

v. 6. *Gallica — ora*, h. e. os equi Gallici; ad optimos referebantur a Romanis *equi Gallici* (cf. Tacit. Ann. II. 5.), sed ob insignem ferociam domari debebant frenis *lupatis*, h. e. ferreis aculeis, qui *lupi* (*λύκοι*) dicebantur, instructis.

v. 8—16. *cur tim. fl. Tib. tang.*, egregie ad Sybaris mollitiem notandam pro vulgari: cur non natat in Tiberi? molliores enim homines aquam ne tangere quidem audent, nedum ut in illa natando se exerceant. — *cur olivum* cett., cur a palaestra magis quam a veneno praesentissimo sibi cavet? *olivum* pro palaestra, quia luctaturi ibi ar-

Sanguine viperino
  Cautius vitat, neque iam livida gestat armis
Brachia, saepe disco,
  Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
  Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
Funera, ne virilis
  Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

tus suos oleo, ne facile teneri possent ab adversario, inungere solebant; *sanguis viperinus*, venenum efficacissimum, ut infr. Epod. 3. 6. *cruor viperinus.*

v. 10. *livida — armis*, h. e. livore notata ex armorum, disci et iaculi, pondere.

v. 11. *discus* fuit massa plumbea vel ferrea, in disci speciem rotundam conformata, quam iuvenes in exercitationibus gymnicis, virium tam exercendarum quam augendarum causa, ad certam metam proiiciebant; descripsit hunc ludum Hom. Odyss. VIII. 186 sq.

v. 12. *expedito*, significanter pro: misso, proiecto; inest enim voci *expedito* notio facilitatis, qua Sybaris discum et iaculum trans metam proiicere valuerat.

v. 13. *Quid latet, ut mar.* cett. Sensus: quid latet Sybaris apud te, Lydia, sicuti Thetidis filium, Achillem, sub funesti belli Troiani initio latuisse narrant, muliebri quippe veste indutum, ne virili cultu proditus ad caedem contra Troianos proficisci cogeretur. — Nimirum cum fata, ex quibus constitutum fuit, ut Achilles, si in bellum Troianum proficisceretur, ibi periret, haud fallerent eius matrem Thetidem; horum eludendorum causa illa filium suum apud Lycomedem in Scyro sub cultu muliebri occultasse dicitur, unde is deinde, cum Deidamiae, cuius amore captus fuerat, se virum prodidisset, ab Ulysse in bellum Troianum protractus est. Fusius hanc rem tractavit Statius in Achilleide. cf. Bion. Id. VI. Ovid. Metam. XIII. 163 sqq. Ars Amat. I. 681 sqq.

v. 14. *sub lacrim. Tro. fun.*, cum Graeci ad bellum funestissimum se accingerent; *funera* pro bello, funerum causa.

v. 16. *Lycias*, Troianas; Lycii enim, Sarpedone et Glauco ducibus, Troianorum fuerunt socii.

CARMEN IX.
AD THALIARCHUM.

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
  Silvae laborantes, geluque
    Flumina constiterint acuto.
Dissolve frigus ligna super foco
Large reponens; atque benignius

CARMEN IX.

Vitae illud praeceptum saepissime ab Horatio repetitum, ut de rebus futuris parum solliciti unumquemque a Fortuna nobis concessum diem hilariter transigamus, in hoc quoque carmine Thaliarcho (quod fictum nomen bene respondet carminis argumento cf. *Jacobs*, Verm. Schr. T. V. p. 378) commendat. Erat tum hiems, sed nec hiemem vitae iucunditatibus obesse ostendit. Montium igitur, silvarum, fluminum nive et glacie obtectorum suaviter adumbrata imagine Thaliarchum lignis super foco accensis frigus discutere, vinum vetustum depromere, sortem futuram diis committere, quicquid boni quisque dies offerat, cupide amplecti et iuvenili, dum liceat, aetate fruentem, amoribus, saltationibus et lusibus indulgere iubet. — Cum initium huius carminis ex Alcaei Fragm. apud Athen. X. 8., quod *Hermanno* Elem. Doctr. Metr. p. 387 sq. ita constituendum videtur:

Ὕει μὲν ὁ Ζεύς, ἐκ δ' ὀρανῶ μέγας
Χειμών· πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί.
. . . .
. . . .
Κάββαλλε τὸν χειμῶν', ἔπι μὲν τιθεὶς
Πῦρ, ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως
Μελιχρόν· αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ
Μαλθακὸν ἀμφιγνόφαλλον
. . . .

aperte expressum sit, fortasse in reliqua quoque huius carminis parte Hor. eiusdem poetae vestigiis institit. Cf. *C. Schiller*, Comm. zu ein. Oden des Hor. p. 44—48.

v. 1—4. *stet*, h. e. se attollat, immineat, pro vulgari: sit. cf. quae annotavimus ad Od. I. 17. 11. — *Soracte* in agro Faliscorum, nunc *Monte di S. Silvestro*, qui mons in planitie surgens ex urbe Roma facile conspici potest. — *laborantes* eleganter dicuntur silvarum arbores, quae nivis onere ita deprimuntur, ut ei sustinendo vix pares sint, ei succumbant; sic *Atlas* vix humeris sustinens caelum *laborare* apud Ovid. Met. II. 296. et *respublica Romana* prae nimia magnitudine vix amplius se tenens *magnitudine sua laborare* Livio in Prooemio dicitur. Cf. Od. II. 9. 7: *Aquilonibus querceta laborant.* — *constiterint*, glacie per aere gelu adstricta.

v. 5—8. *benignius*, largius, liberalius, *ἀφειδέως*. Contrarium est

Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.
Permitte divis caetera, qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere; et
Quem Fors dierum cumque dabit, lucro
Appone; nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas,
Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora,

v. 14. *sors*, *Fea*, quem secutus est *Meinekius*. Contra vide *Orellium*. *R.*

maligne, h. e. parce. *Sabina — diota*, in qua vinum Sabinum conditum est; *diota* est vasculum duas aures (ὦτα) h. e. ansas habens, ansatum. [Miror autem, interpretes nonnullos recte quidem intellexisse, *diotam* a vino in ea condita dictam esse *Sabinam*, et tamen eandem pro vasculo habuisse, quo ad vinum e cadis in pocula minora transfundendum usi fuerint antiqui. Diota ipsa potius cadus est s. amphora, in qua vinum servabatur; hinc recte explicat *Lambinus:* hauri vinum e diota; *deprome diota*, ut Od. I. 37. 5: *depromere Caecubum cellis avitis.* Epod. 2. 47: *vina promens dolio.* Cf. *C. Schiller*, l. l. p. 49. — *R.*].

v. 9—12. *qui* cett. Sensus: qui composita tempestate omnia tranquilla reddunt; *qui sim. str. vent. aequ. ferv. deproel.*, h. e. simulac illi ventorum in concitato mari contra se pugnantium impetum prostraverunt, domuerunt.

v. 13—16. *fuge quaerere*, noli sciscitari; inf. Epist. II. 2. 150: *fugeres* (nolles) *curarier.* In sententiam, qua ridetur de crastini diei sorte sollicitudo, cf. Grot. Excerpt. p. 875., ubi Philetaerus iubet haud εἰς αὔριον φροντίζειν, τί ἂν ἔσται. — *puer*, donec in flore aetatis constitutus es. — *tu*, cum vi quadam admonitionis positum, ut Lucan. Phars. II. 627: *nec Pharnacis arma relinquas Admoneo, nec tu populos.* Cf. *Obbar.* ad Hor. Ep. I. 2. p. 97.

v. 17—20. *virenti*, tibi iuveni; sic Od. IV. 13. 6: *virens et docta psallere Chia.* — *Camp. et areae*, ambulationes in *campo Martio* et *areis*, h. e. locis puris in urbe vel porticibus ad templa, ubi pueri puellaeque frequenter amoris causa versari solebant. — *lenes susurri*, blandae et furtivae amantium confabulationes (ὀαρισμοί, ψιθυρίσματα). — *composita*, ex composito constituta, nos: *verabredet.* — *repetantur*, h. e. de integro vel saepius misceantur. — Caeterum in

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci.

CARMEN X.

AD MERCURIUM.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,

v. 1. Interpunxerunt nonnulli: *Mercuri facunde, nepos;* male, nam in sola facundia non omnis cernitur Mercurii laus, neque sine epitheto esse possunt verba *nepos Atlantis*, cum per se nihil, quod laude dignum sit, contineant. *R.*

sententiam, amori et voluptatibus, antequam iners aetas nos subrepat, indulgendum esse, cf. *Antiphan.* ep. 2. 3. Anth. Gr. T. II. p. 188 (Anthol. Pal. II. p. 370) et *Rufin.* ep. 10. 2 sqq. Anth. Gr. T. III. p. 101 (Anthol. Pal. I. p. 104).

v. 21—24. *Nunc et latentis* cett. nunc tam risus, quo puella se ipsa in intimo angulo latentem prodit, quam pignus delectat, quod eius lacertis vel digito dereptum est; sive: nunc iucundissimus est ille lusus amatorius, quo puellae, quae se ipsa in intimo angulo latentem ridendo prodidit, vel armilla de eius lacerto, vel annulus de eius digito tanquam pignus amoris deripitur. — *digit. mal. pert.*, facete de puella, quae non vincere, sed vinci in lusu amatorio cupit; eius *digitus* igitur haud ita compressus, ut aegre ex eo detrahi possit annulus, est *male*, h. e. minus, *pertinax.* — Totum hunc locum imitatus est Auctor Elegg. quae sub Corn. Galli nomine circumferuntur, I. 67: *Et nunc subridens latebras fugitiva petebat, Non tamen, effugiens,* **tota** (ut bene pro: *tale* emendat *Mitsch.*) *latere volens, Sed magis ex aliqua cupiebat parte videri; Laetior hoc multo, quod male tecta foret.*

CARMEN X.

Cum totum hoc carmen secundum Porphyrionis scholion: „*Hymnus in Mercurium ab Alcaeo lyrico poeta*“ ex Alcaeo expressum sit, poeta in illo componendo nihil aliud, nisi ut ex Graeco carmen Latinum faceret, spectasse videtur; quod quidem, quamquam lyrico more breviter tantum Mercurii laudes attingit, ad hymnorum tamen, qui in deorum origine, muneribus, virtutibus, meritis, inventis celebrandis versantur, genera recte referri potest. Iam vero cum Mercurio tribuatur inprimis ingenium prudens, sollers atque callidum, laus quoque eius in rebus prudenter, sollerter callideque ab eo factis continetur. Itaque in hoc carmine Mercurii prudentia et sapientia, qua non solum animos hominum dicendi arte imbuere, sed corpora quoque gymnicis exercitationibus corroborare studuerit; eius in explendis nuntii apud Iovem et caeteros deos partibus dexteritas et, qua lyram inve-

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus et decorae
More palaestrae:
Te canam, magni Iovis et deorum
Nuntium curvaeque lyrae parentem;
Callidum, quicquid placuit, iocoso
Condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

nerit, sollertia; eius porro, qua tam Apollinem pharetra illi iocoso furto surrepta luserit, quam vigiles in castris Graecorum Priamum per ea ad Achillem ducendo fefellerit, calliditas; eius denique, quo animas ad inferos deducat, ministerium laudatur atque celebratur; breviter: celebratur Mercurius in hoc carmine tanquam Deus *λόγιος*, *ἐναγώνιος*, *ἄγγελος ἀθανάτων*, *αἱμυλόμητις*, *ψυχοπομπός*.

v. 1—4. *facunde*, *λόγιε*, facundiam enim inprimis postulabat legati sive nuntii apud deos munus; hinc eloquentiae pater habitus est Mercurius, *λόγου προφήτης* dicitur Orph. Hymn. 27. 4. — *nepos Atlantis*, filius nempe Iovis ex Maia, Atlantis filia, Pleiadum una. — *fer. cult. h. rec.*, rudes et incultos olim homines; *recentes*, recens olim nati, primigenii, antiquissimi, *πρωτότοκοι*. — v. 3. *voce*, loquela, sermone, animi sui sententiam distincte ac dilucide cum aliis communicandi facultate. — *catus*, vox Sabina pro *cautus*, i. e. prudens, sapiente consilio praestans; sapienter enim iudicavit Mercurius, rudes et feros hominum mores nulla re magis cultiores reddi posse, quam communi sermonis usu sive eloquentia; hinc Cicero Orat. I. 8. de eloquentia: *quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere?* — *dec. more palaest.* h. e. institutis, quae corpus ad decentiam componerent, certaminibus palaestricis.

v. 5—8. *Deor. nuntium*, *ἄγγελον ἀθανάτων*, *διάκτορα*. Virg. Aen. IV. 356: *interpres divom.* — *curv. lyr. parentem*, intentis curvae testudini ovium nervis primus lyrae auctor fuisse perhibetur Mercurius, cf. Hom. H. in Merc. 40 sqq. et Lucian. Deor. Dial. VII. — *callidum condere*, Graece pro: callidum ad condendum. *iocoso furto*, iocum excitante, ut ipsi, quos spoliasti, ridere debeant.

v. 9—12. Sententia: dum olim Apollo tibi adhuc parvulo poenas minatur, ni abactas per fraudem ab eo boves redderes, ecce! eo ipso momento pharetra se privatum a te sentiens risit. *olim* iungendum cum verbis *puerum dum terret.* — *puerum*, Mercurius eodem, quo natus erat, die boves, quas Apollo

Quin et Atridas duce te superbos
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
Castra fefellit.
Tu pias laetis animas reponis
Sedibus virgaque levem coërces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus et imis.

pascebat, clam avertisse (Hom. Hymn. in Merc. v. 20 ibique Franke) et simili furandi dexteritate arcum et sagittas Apollini abstulisse dicitur. Luc. Deor. Dial. VII. cf. *Jacobi*, Handwörterb. der griech. u. röm. Mythol. p. 436. Haec duo furta diversis temporibus facta lepide Alcaeus, quem Hor. sequitur, coniunxit. — *viduus*, privatus, privatum se sentiens.

v. 13—16. Sententia: imo Priamus, Ilio (ad corpus Hectoris ab Achille redimendum) profectus, cum te duce callido uteretur, neque ab Atridis, Agamemnone et Menelao, neque a vigilibus copiarum Achillis in castris Graecorum conspectus et detectus est. Rem narrat Hom. Il. XXIV. 336 sqq. — *superbos* (*μεγαθύμους*, *ὑπερβίους*, *μεγαλήτορας*) tam ob fortitudinis, quam ob summae, quae penes eos fuit, potentiae gloriam. — *dives* (*πολύχρυσος*, *πολύκτητος*) auri simul, quod ad Hectoris corpus redimendum curru advehendum curaverat, respectu habito. — *Thess. ign.*, per *ignes* designantur vigiles, qui ignes in vigiliis accendere solent, et per *Thessalos* locus, ubi Achilles, Thessalus, in castris Graecorum tendebat.

v. 17—20. *Tu pias laet. an. rep. Sed.*, a munere pias animas in laetas sedes sive Elysium deducendi et compellendi Graecis dicitur Mercurius *ψυχοπομπός*, *ψυχαγωγός*, de quo vid. inprimis *Hemsterhusius* ad Lucian. Contempl. c. 1. — *virga aur.* (*ῥάβδῳ χρυσείῃ*, unde Mercurius *χρυσόῤῥαπις*) qua, velut pastor ad gregem cogendum, utitur. Virga autem illa Mercurii (*ῥάβδος*) antiquitus nihil a caduceo diversa fuit; vid. *Ilgen.* ad Hom. Hymn. in Merc. v. 528. et *Boettig. in den Vasengem.* I. 2. p. 96. — *levem turbam*, exiles animas, *εἴδωλα*. — *superis deorum*, Graece, pro: superis diis.

CARMEN XI.

AD LEUCONOEN.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoë, nec Babylonios
Tentaris numeros. Ut melius, quicquid erit, pati!

v. 1. Nonnulli verba ita distinguunt: *Tu ne quaesieris scire, ne fas*; perperam. Verba *Tu ne quaesieris* accipienda eodem sensu, quo supra Od. I. 9. 13: *Quid sit futurum cras, fuge quaerere*, ut obiectum sit: *quem mihi, quem tibi finem di dederint* — id quod *scire nefas* est. Vide *Bentleium*. *R.*

CARMEN XI.

Cum Leuconoe (sub quo ficto nomine haud dubie amica quaedam Horatii latet) pro ea, quae tum ceperat hominum animos, superstitione astrologos consulendo finem vitae sibi constitutum anxie sciscitaretur: poeta eam hoc carmine a stulto isto consilio ad laetum vitae usum avocare studet.

v. 1. *ne quaesieris* pro: cave quaeras, noli quaerere. — Commode in hanc sententiam interpretes laudant Propert. II. 20. 60: *At vos incertam, mortales, funeris horam Quaeritis, et qua sit mors aditura via. Quaeritis et caelo Phoenicum inventa sereno, Quae sit stella homini commoda quaeque mala.* — *scire nefas*, id quod impium est scire; nam *prudens* (ut Hor. infr. III. 29. 30.) *futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit deus.* Stat. Theb. III. 562: *quid crastina volveret aetas, Scire nefas homini.* — *quem mihi, quem tibi F. d. d.* Leuconoe igitur, cum non solum de suae, sed etiam de Horatii vitae exitu esset sollicita, amicissima ei videtur fuisse.

v. 2—3. *nec Babyl. tent. num.* Cum Babylonii inprimis sive Chaldaei (quorum urbs fuit Babylon) ex hora, qua quis natus esset, sive horoscopo, secundum constellationem sive stellarum, quarum cursum et coniunctiones in ephemeridibus suis vel tabulis astronomicis descriptas habebant, computationes et numerum suae cuique vitae exitum praedicendi artem professi sint, *numeros Babylonios tentare* erit: ex stellarum computationibus sive ex *Chaldaicis* (ut Cicero loquitur de Div. II. 47. 98.) *rationibus* vitae exitum explorare et discere velle; h. e. consulere astrologos. — [*nec tentaris*, *nec* positum vides praecedente part. *ne*, ubi *neu* exspectes. Similiter *nec* haud raro imperativis et coniunctivis, qui exhortandi et admonendi vim habent, iungitur, cf. Od. I. 9. 15: *nec sperne amores.* Od. III. 7. 29: *prima nocte domum claude neque in vias despice.* Sat. I. 10. 73: *saepe stilum vertas neque labores. R.*].

v. 3. *ut mel., quidq. er., pati* i. e. quanto sapientius, quidquid acciderit, patienter ferre! sive diutius vives sive brevius tibi concessum erit vitae spatium.

Seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. Sapias, vina liques et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

v. 6. Alii orationem ita distinguunt: *Tyrrhenum, sapias*, ut a voce *sapias* incipiat apodosis. Non recte, opinor; nam verba *quicquid erit* accuratiori egent explicatione, quae sequentibus *Seu seu* subiicitur. *R.*

v. 5. *Quae nunc oppositis deb. pum. m. T.* lyrico ornatu pro vulgari: quae nunc transit vel transigitur hiems. *quae nunc debilitat mare*, pro vulgari: qua nunc mare debilitatur h. e. frangitur, repercutitur *oppositis pumicibus*, pro: rupibus marinorum fluctuum impetu pumicum instar exesis et cavatis. Sic *pumex* pro rupe cavernosa apud Virg. Aen. V. 214: *Qualis spelunca subito commota columba, Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi, Fertur in arva volans* cett. et XII. 587: *Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor Vestigavit apes* cett. — *Voigtius* ex physicis rationibus (ut ex *Mitsch.* Anal. ad Hor. T. II. p. 677. patet) hunc locum explicandum esse existimat. Putat nimirum per *oppositos pumices* massam ardentem sive lapides igne peresos intelligendos esse, quos mons ignivomus in Aeoliarum insula una, Strongyle, eiaculetur et in mare Tyrrhenum deiiciat. Itaque hunc locum ita vertendum esse arbitratur: *Oder es mag dieser Winter der letzte seyn, der jetzt den Drang des Tyrrhenischen Meeres durch glühende Lavaströme zu brechen strebt.* Sed hanc explicandi rationem neutiquam usus loquendi admittit. Nam massa illa ardens s. igne adesi lapides *eiici* quidem ex monte ignivomo et in mare *deiici*, sed non sicut rupes vel vasta quaedam moles, quae fluctibus marinis resistit, mari *opponi* recte dicuntur; nec tanta vis ardenti illi massae et lapidibus igne peresis tribui potest, ut mare, sicut rupes quaedam, *debilitent*, h. e. fluctus maris frangant et retundant.

v. 6—8. *Sapias* cett. Sensus: ne stulte igitur de vitae exitu sciscitando animum tuum maceres; quin cogitans de vitae brevitate et fugientis aetatis velocitate vinoque indulgens sapienter praesentis vitae fructus carpe. — *vinum liquare* est vinum percolando liquidius et sic bibendo aptum reddere; nos: *den Wein filtriren, durchseihen*; Graecis dicitur: *ὑλίζειν, σακκίζειν, ἐξητριάζειν*; cf. *Schneid.* ad Colum. XII. 19. 4. T. II. p. 626 sqq. Utebantur veteres ad vinum liquandum colo (ἠθμῷ, ὑλιστῆρι, h. e. sacculo linteo, tenui vimine rarius in coni inversi formam contexto), ut vinum per illud transmissum defaecarent, vel potius, ut mihi videtur, a flore vel mucore (*Kahm*) purgarent. Caeterum poetam ideo Leuconoen *vinum liquare* iubere, ut illud bibendo hilaritati indulgeat, vix monendum videtur. — *spatio brevi spem. long. resec.* h. e. spem in longioris vitae tempus productam a brevioris

CARMEN XII.

AD AUGUSTUM.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?

v. 2. *sumes*, Codd. aliquot; meliores tamen omnes: *sumis*. Recte *Jani*: *sumis celebrare* est pro *celebrabis*. *R.*

vitae spatio rescindas et disiungas; noli sperare, quae ob vitae brevitatem assequi nequeas. [Alii rectius fortasse explicant: cum tam breve vitae spatium concessum sit (ἐν ταύτῃ τοῦ αἰῶνος βραχύτητι), noli longam spem concipere animo. *R.*] Alio verborum ornatu eandem sententiam extulit Hor. supra I. 4. 15: *Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.* — *carpe diem* cett., praesentem diem arripe nec fide sequenti, Ep. I. 4. 13: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Rufin epigr. in Anthol. Palat. I. p. 104: *Σήμερον ἐσθλὰ πάθω, τὸ γὰρ αὔριον οὐδενὶ δῆλον.*

CARMEN XII.

Quo magis poeta consilium, quod in hoc carmine componendo secutus est, dissimulavit, eo magis eum illius finem attigisse animadvertes. Laudes enim Augusti celebraturus haud secundum vulgarem rationem fusius iis enarrandis immoratur, sed eas, alia quasi agendo, cum Deorum, Heroum et maximorum, quos Roma tulit, virorum laudibus mira quadam arte consociat. Postquam enim poetae grandioris argumenti carmen molientis et ex Musa, quem virum aut heroa deumve sibi celebrandum sumat, sciscitantis animo iam furore poetico percito ex diis quidem Iuppiter, Minerva, Bacchus, Diana et Phoebus, ex heroibus Hercules et Dioscuri, ex viris Romanorum illustrissimis Romulus, Numa Pompilius, Tarquinius, Cato, Regulus, Scauri, Paullus Aemilius, Fabricius, Curius, Camillus obversati fuerant: repente a Marcello ad Iuliam gentem Augustumque celebrandum transit. — Cum eo ipso tempore, quo contra Parthos bellum pararet Augustus, hoc carmen scriptum sit, ad annum fere U. C. DCCXXX. illud referri debet.

v. 1—4. *Quem vir. a. her.* Similiter Pindarus, cui plura Horatius in hoc carmine debet, exorditur Ol. 2. *Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, τίνα θεόν, τίν᾽ ἥρωα, τίνα δ᾽ ἄνδρα κελαδήσομεν;* — *virum*, rerum praeclare gestarum gloria conspicuum: *heroa*, *heroes* dicuntur ex deo deave et homine procreati et post mortem inter deos relati (ἡμίθεοι), quales commemorantur in hoc carmine Hercules et Dioscuri. — *lyra v. acr. tib.*, h. e. carmine ad lyram vel tibiam decantato. Pind. Isthm. IV. 29: *κλέονται δ᾽ (ἥρωες) ἔν τε φορμίγγεσσιν ἐν αὐλῶν τε παμφώνοις ὁμοκλαῖς.* — *acri*, ob acrem sive gravem tibiae sonum. — *sumis celebrare*, Graece pro: celebrandum. — *Clio*, ex more poetarum, qui grandioris argu-

Quem deum? cuius recinet iocosa
Nomen imago
Aut in umbrosis Heliconis oris
Aut super Pindo gelidove in Haemo?
Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

v. 3. *recinit*, Codd. non pauci, quos secutus est *Fea*. At unice apta nostra lectio *recinet*, quam vetustissimi praebent Codd. *R.*

menti carmen molientes Musam aliquam in partes vocant; ipsis autem gravioris argumenti carminibus praeest Clio. — *iocosa imago* h. e. Echo, quae plenius infr. 20. 8. *montis imago* et Virgil. Georg. IV. 50. *vocis imago* dicitur; *iocosa* ob iocosum quasi lusum, quo missas voces Echo reddit hominesque fallit.

v. 5—12. Cum semel poeta canendi partes delegasset Musarum uni, eius cantus resonare debebat in iis locis, ubi Musae sedem habent, vel in Boeotiae monte, *Helicone*, vel in Thessaliae monte, *Pindo*, quorum uterque tam Apollini quam Musis sacer est. Iam vero cum Thraciae mons *Haemus* Lini, Musaei, Orphei inprimis carminibus celebratissimus sit, apte in hoc quoque monte Musarum carmina resonare dicuntur.

v. 7—12. *unde vocalem* cett. Sensus: ex quo monte promiscue confluxerunt undique arbores ad audiendum Orpheum, cui tanta, qua a matre sua Calliope imbutus fuerat, canendi erat ars atque dulcedo, ut eius audiendi gratia flumina cursus rapidos et venti celerem impetum inhiberent, quin quercus adeo blandis eius carminibus aures praeberent. — *vocalem* (φωνήεντα) cantantem; similiter *chordae vocales* apud Tibull. II. 5. 3. — *temere*, haec particula egregie rem pingit: arbores enim, quo quamque rapiebat caecus impetus, *temere*, h. e. confuse et sine ordine, prae audiendi cupiditate ruebant.

v. 9. *arte* sc. canendi, *materna*, cui innutritus fuit Orpheus a matre sua Calliope. — *morantem* h. e. sistentem.

v. 11. *blandum — ducere*, Graece pro: blande ducentem, h. e. tam blande canentem, ut duceret. — *canoris*, suaviter sonantibus; sic infr. Epist. II. 2. 76: *versus canori.* — *quercus* audacter, sed apposite dicuntur *auritae*, quia audiendi nunc iis tribuitur facultas. [Noli autem offendere in eo, quod post memoratas *silvas Orphea temere insecutas* nunc *quercuum* rursus aures ei praebentium mentio fiat. Nexus enim sententiarum hic est: silvae insecutae sunt Orphea, neque id mirum, nam ille non so-

Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis?
Unde nil maius generatur ipso
Nec viget quicquam simile aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

v. 13. *parentis*, Codd. plures, et Luctat ad Stat. Theb. I. 48; *parentum* et *parentem* caeteri. — v. 19. *occupabit*, cum Rob. Stephano *Fea*. *R.*

lum flumina et ventos arte sua morabatur, sed tam blande canebat, ut arbores etiam duras (*quercus* poetice pro omni arborum genere positae sunt) attente auscultantes secum duceret. *R.*]. Imitatus est hunc locum Sidon. c. II. 71: *Qui cantu flexit scopulos digitisque canoris Compulit auritas ad plectrum currere silvas; Quum starent Hebri latices cursuque ligato Fluminis attoniti carmen magis unda sitiret.* Cf. Od. I. 24. 13 sqq.

v. 13—16. *solitis*, h. e. quas vulgo poetae carminum suorum principium facere solent; Virg. Ecclog. III. 16: *Ab Iove principium, Musae, Iovis omnia plena.* — *res hom.*, h. e. fata, fortunam hominum. — *mundum*, h. e. caelum (κόσμον), designatur autem per *mare*, *terras*, *caelum* universa rerum natura. Catull. LXIV. 205: *Quo nunc et tellus atque horrida contremuerunt Aequora concussitque micantia sidera mundus*, ubi vide, quae de voce *mundus* notata sunt. — *variisque mund. temp. hor.* h. e. moderatur siderum cursum in caelo ita, ut variae *horae* h. e. anni vicissitudines existant. Infr. in Epist. ad Pis. v. 302: *sub verni temporis horam.*

v. 17—20. *Unde nil mai. gener. ips.* h. e. a quo nihil, quod ipso maius sit, procreatur; nam qui sequuntur, quos generavit Iuppiter liberos, Minerva, Bacchus, Diana et Phoebus, longe patre minores vel inferiores sunt; nolim igitur *unde* ad prosaicae orationis indolem cum *Mitsch.* pro *quare* explicare. *unde* pro: a quo, passim. Sic infr. I. 28. 28: *Unde potest, tibi defluat aequo Ab Iove.* Sat. I. 6. 12: *contra*, *Laevinum*, *Valeri genus*, *unde Superbus Tarquinius regno pulsus fuit.* Cf. Od. II. 12. 7. Od. III. 11. 38. Sat. I. 2. 58. 78. Sat. I, 3. 33. Etiam apud Ciceronem ita usurpatur, de Orat. I. 15: *ille ipse, unde cognorit.* — *aut secundum*, aut quod secundum statim ab eo locum occupet. — *Proxim. ill. tam. occ. Pall. honores*, nimirum, si nemo secundum tertiumve ab aliquo locum occupat, primum locum tenenti *proximus* quoque est ille, qui quartum quintumve ab eo locum obtinet. Cf. *Matthiae*, Verm. Schriften, p. 79 sq. Minerva igitur, quamvis longe ab Iovis maiestate distabat, prae caeteris tamen diis deabusque honoratissima fuit. Plutarch. Sympos. I. p. 617: ἡ δὲ Ἀθηνᾶ φαίνεται τὸν πλησίον ἀεὶ τοῦ Διὸς τόπον ἔχουσα. cf. Cal

Proeliis audax neque te silebo,
Liber, et saevis inimica virgo
Belluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.
Dicam et Alciden puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti fugiuntque nubes
Et minax, quod sic voluere, ponto
Unda recumbit.

v. 21. Verba *Proeliis audax* referenda censet *Bentleius* ad Palladem. Probatur hoc Cod. Gothano. — v. 28. *refulget*, ex uno Cod. *Fea*. — v. 31. *quod sic*, *Orelli* et *Vandenb.* ex Codd. *di sic* e Cod. Chis. B. *Fea* et *Meineke*. — *quia sic, qui sic, nam sic, cum sic* Codd. alii. *R.*

lim. H. Lav. Pall. 131. et *Spanhem.* ad Call. H. Apoll. 29.

v. 21—24. *Proel. aud. Lib.* bellicosa Bacchi virtus vel ex triumpho de victis Indis ab eo acto satis nota. Hinc Orpheus de illo H. 44. 3: ὃς ξιφεσιν χαίρεις ἠδ' αἵμασι. — *saevis inimica virg. bell.* Diana (θηροκτόνος, ἰοχέαιρα). — *certa*, nunquam a scopo aberrante. Sic Hercules apud Catull. LXVIII. 113: *Tempore, quo certa Stymphalia monstra sagitta Perculit*; et sic passim *certus* de *arcu*, *nervo*, *ictu*, *hasta*, *dextra* dicitur.

v. 25—32. *Alciden*, Herculem, Alcaei nepotem. — *pueros Ledae*, Castorem et Pollucem, Iovis et Ledae, Tyndari uxoris, filios, unde illi *Dioscuri*, *Tyndaridae*. — *hunc*, Castorem, *illum*, Pollucem, *nobilem superare*, Graece pro: nobilem superando alios *equis*, in certamine equestri, *pugnis*, in certamine caestuum, (πυγμαχίῃ) quo Pollux Amycum prostravisse dicitur (Apollod. I. 9. 20). Hom. Il. III. 237: Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Sat. II. 1. 26: *Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem Pugnis.*

v. 27—32. *quorum simul* cett. sensus: quorum sidus propitium simulac nautis exortum est, tempestas statim saevire desinit et concitatum mare, quo nautae perituri videbantur, illorum nutu componitur. — *alba*, *album* h. e. purum et serenum caelum reddens, ut *albus Notus* supr. 7. 15. — *Defluit saxis* cett. commode cum hac desaevientis tempestatis descriptione comparant Theocrit. XXII. 17 sq.: Ἀλλ' ἔμπας ὑμεῖς γε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας Αὐτοῖσιν ναύταισιν ὀϊομένοις θανέεσθαι· Αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα Ἄμ πέλαγος, νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι. Od. IV. 8. 31 sq.: *Clarum Tyndaridae sidus ab infimis Quassas eripiunt aequoribus rates.*

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.
Regulum et Scauros animaeque magnae

v. 33—36. *quietum Pompil. regnum.* Liv. I. 21: *maximum eius operum fuit tutela per omne regni tempus pacis. Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille* (Romulus) *bello, hic* (Numa) *pace civitatem auxerunt.*

v. 34. *superbos Tarquini fasces,* non Tarquinium Superbum, cui nullus omnino in hoc carmine locus sit, sed Tarquinium Priscum intelligendum esse, contendit ad h. l. *Mitsch.* Itaque *superbos* iam: splendidos esse, et ad magnificum regis apparatum pertinere existimat. [Neque aliter statuunt *Jahnius* et *Orellius;* recte, opinor. Cf. Flor. I. 5. Dionys. Halic. Antiqq. III. 62. Stat. Silv. V. 2. — *R.*] At mihi secus videtur. Ex mea enim sententia imprudenter plane nunc epitheton *superbus* in ea, quam alias habet, significatione posuisset poeta, cum quemque illud non ad Tarquinii Prisci sed Superbi imperium relaturum esse, ipse facile intelligere posset. Nec video, cur Tarquinius Superbus indignus plane, quem inter insignes Romanorum viros commemoret poeta, habendus sit, praecipue cum Virgilius quoque Aen. VI. 819. non Tarquinium Priscum tantum, sed etiam Superbum ad *illustres* animas, quarum Anchises in campis Elysiis recensum habet, retulerit. Nam si Horatius dicit: *an superbos Tarquini fasces*, neque de Tarquinii Superbi vitiis, neque de singulis eius virtutibus, v. c. virtute bellica (Ovid. Fast. II. 688: *Ultima Tarquinius Romanae gentis habebat Regna, vir iniustus, fortis ad arma tamen*) neque de singulis aliis rebus praeclare ab eo gestis vel institutis, sed potius de insigni illa sub fine eius imperii per Brutum inprimis facta rerum publicarum conversione cogitandum est, quae sane largissimam Horatio ad carmen, de Tarquinii Superbi rebus et aliorum simul magnorum virorum virtutibus componendum, suppeditare poterat materiem. Hanc autem rerum conversionem respexisse poetam, probabile fit inde, quod ad aliam statim insignem rerum conversionem transit, quam per *nobile Catonis letum* designat: *nobile* illud dicitur, quod Cato, cum mori, quam Caesari se dedere mallet, ipse, ne in eius potestatem veniret, Uticae, unde *Uticensis* dictus est, manum sibi intulit. cf. Cic. Offic. I. 31. Ideo ipse Caesar dixisse fertur: *Invideo morti tuae, Cato.* Itaque haec honorifica inter viros illustres Catonis commemoratio vix Augustum (ut opinabatur *Bentleius*, qui hac ipsa de causa hunc locum corrigere tentabat) offendere poterat; alias Virgilius quoque Aen. VIII. 670. ne offenderet Augustum, huius magni viri laude abstinuisset.

v. 37—40. *Regulum*, exemplum, quod de summo patriae amore Marcus Attilius Regulus edidit, illustrissimum fusius Horatius enarrat infr. III. 5. — *Scauros*, gens Scaurorum plures, qui egregie de republica meruerunt, protulit; prae caeteris eminet M. Aemilius Scaurus, vir amplissimus et princeps senatus (dicebatur ita proprie is, quem censor senatum recensens primum legerat, v. *Wesseling.* Observ. I. 8.) eiusque filius M. Scaurus, aedilitatis magnificentia clarus; v. Plin. H. N. XXXVI. 15. — *Paullum.* L. Aemilius Paullus, Consul, cum in proelio Varronis, alterius consulis, temeritate ad Cannas commisso insignem cladem expertus esset exercitus Romanus, ne tantae ignominiae superstes esset, sponte se trucidandum hostibus obtulit. Liv. XXII. 49. Flor. II. 6. 16; hinc *prodigus magnae animae* dicitur, h. e. vitam tantis meritis conspicuam prodigorum more tamquam rem vilem profundens. (Similiter Tyrt. I. 14: *ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι*). Exquisitiorem locutionem *prodigus animae* plures imitati sunt; cf. *Drakenb.* ad Sil. Ital. I. 225. ubi de militibus Hispanis: *Prodiga gens animae et properare facillima mortem.* Similiter fere Cic. de Off. I, 24. 84: *vitam profundere. — Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent.*

v. 39. *insigni Camena*, carmine sublimi, versante in celebrandis virorum insignium laudibus. — *gratus*, propter insignia eorum in rem publicam merita. — *Fabriciumque. C. Fabricius Luscinus*, vir honestissimus, neque legatus magnis a Pyrrho, rege Epirotarum, ad quem de recuperandis captivis missus fuerat, oblatis muneribus ad perfidiam, neque deinde consul contra Pyrrhum bellum gerens a medico, qui Pyrrhum mercede accepta se veneno interfecturum promiserat, ad fraudem pellici potuit; ideo ipse Pyrrhus: *Fabricius difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest*, dixisse traditur. Cf. Plut. Pyrrh. c. 21. Cic. Off. III. 22. 86. Val. Max. IV. 3. 6.

v. 41—44. *Hunc et* cett. Sententia: Fabricius et Curius et Camillus cum nil nisi exiguum cum exigua domo fundum a maioribus acceptum possiderent, paupertate magistra viri fortes et rei militaris peritissimi evaserunt. — *Curium*, de Curio Dentato, quem Samnitium legati de pace cum eo acturi, in ligneo scamno iuxta focum sedentem et tostis rapis vescentem invenisse dicuntur, cf. Val. Max. IV. 3. 5. — *incomtis capillis*, Curius enim non venustorum et elegantiorum hominum more comebat capillos, sed, ut solent viri severiores, externum corporis cultum negligebat. Similiter Cato, antiquum morem servans, se

Prodigum Paullum superante Poeno
Gratus insigni referam Camena
Fabriciumque.
Hunc et incomtis Curium capillis

v. 41. *intonsis, Fea* e Quintil. IX. 3. 18, qui memoriter videtur hunc locum attulisse. Codd. omnes: *incomtis. R.*

Utilem bello tulit et Camillum
Saeva paupertas et avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli; micat inter omnes

haud tonderi passus est; unde ille *intonsus* infr. II. 15. 11. Serv. ad Virg. Aen. XII. 100: *Unde etiam Cicero* (pro Sest. 8.) *calamistratam comam appellat frequenter, quae etiam vituperationi est. Unde et contra ad laudem est positum ab Horatio: Hunc et incomtis Curium capillis.* Cf. Plin. VII. 59. — *Camill.* de Marco Furio Camillo, liberatore illo urbis a Gallis captae, cf. Liv. V. 46 sqq. et Flor. I. 13. — [*paupertas*, ut Od. I. 1. 18, de conditione eorum dicitur, qui in re tenui nati nil nisi quod ad vitam sustentandam opus est possident; *saeva* vocatur ob disciplinae severitatem, cui homines assuefacit. Similiter Hor. Ep. I. 18. 54. *militiam* appellat *saevam*, et ibid. v. 13. *magistrum*. Paupertas igitur eo ipso, quod priscos illos Romanos severis assuefaceret moribus, magistra erat bellicarum virtutum (*utiles bello tulit*). *R.*]. *apto*, pro fundi, quem possidebant, modulo.

v. 45—48. Poeta praetervectus quasi longam magnorum, qui eius animum advertere poterant, virorum seriem subito iuvenis Marcelli, tanquam novi nobilissimae olim stirpis surculi, admiratione percellitur. Sensus: per iuvenem Marcellum antiqui Marcelli fama atque gloria velut arbor occulte crescit: ille iuvenis enim tanquam novum gentis Iuliae sidus prae caeteris omnibus velut Luna inter stellas minores effulget atque eminet. — *fama Marcelli* non cum *Mitsch.* ad iuvenem Marcellum, qui per *Iulium sidus* designatur, sed potius ad M. Claudium Marcellum, qui quinquies consul in bello Punico secundo floruit et primus Hannibalem ad Nolam vinci posse docuit, referri debet; huius *fama* igitur *crescebat*, dum iuvenis Marcellus, tanquam novus ex antiqua stirpe surculus efflorescens, novum ei honorem conciliabat. Exsplendescebant autem in iuvene Marcello, Octaviae, Augusti sororis, filio et Iuliae, Augusti filiae, coniuge, licet vix septemdecim annos tum nato, tot tantaeque virtutes, ut non solum Augusto (qui eum adoptasse et successorem sui in regno destinasse dicitur, cf. Dio LIII. 30.), sed etiam omnibus Romanis in summis esset deliciis; hinc tantus omnium, cum immatura morte ereptus (U. C. DCCXXXI) ingenti cum apparatu in campo Martio funere efferretur, dolor atque luctus fuisse perhibetur. Dio l. c. et Vell. II. 93. — Comparandus autem cum toto hoc loco Virgil. Aen. VI. 856 sqq. ubi is iuvenem Marcellum, quem in illustrium animarum recensu antiqui Marcelli comitem facit, eadem, qua Horatius, arte in Augusti gratiam carmini suo intexuit: ex qua quidem Virgiliani loci comparatione ea, quam ad h. l. attulimus, vel maxime confirmatur explicandi ratio. — *velut arbor.* Ducta haec comparatio e Pind. Nem. VIII. 40: *αὔξεται δ' ἀρετὰ, χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ᾄσσει — πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.* cf. Virg. Eclog. X. 73. — *occulto aevo*, ipsum aevum paulo sublimis dicitur *occultum*, quod arbores sensim cum aevo tam occulte crescunt, ut earum incrementa animadverti nequeant. — *inter omnes* sc. alios Romanorum iuvenes. — *Iulium sidus*, iuvenis Marcellus, sideris instar virtutum suarum splendore gentem suam Iuliam illustrans, spes ac decus gentis Iuliae. Sic Drusus et Germanicus, Tiberii filii, dicuntur *sidus iuvenile* Ovid. Tr. II. 167. et Fabius Maximus *Fabiae gentis sidus* Ovid. Pont. III. 3. 2. [Rectius, ut videtur, *Orellius* per *Iulium sidus* intelligit divum Iulium. *R.*].

Iulium sidus velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data, tu secundo
Caesare regnes.
Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,
Te minor latum reget aequus orbem;

v. 57. *latum* Codd. plerique; *laetum*, reliqui, quos secuti sunt *Fea* et *Meincke*. Iidem viri docti receperunt *regat*, quod unus habet Orellii Codex atque edit. Flor. 1482 et Ven. 1490. *R.*

v. 49—52. Iam ad splendidissimum gentis Iuliae lumen, Caesarem Augustum, adeoque ad ipsum carminis finem transiturus non, quod quis ex vulgari ratione exspectaverit, ipsum Augustum appellat; sed sublimiore conatu praeter opinionem ad Iovem conversus pro divina Augusti in his terris dignitate vota nuncupat. — *cura*, tutela. *fatis*, a fatis, per fata. — *tu secundo Caes. regnes*, h. e. regna, precor, ita, ut Caesar a te secundus sit, ille te minor (ut magis explicatur v. 57.) in terris, tu in caelo imperium teneas.

v. 53—56. *Parthos Latio imminentes*, si verum est, quod in argumento diximus, Augustum illo tempore bellum contra Parthos, populum Romanis infestissimum, apparasse; poeta eo simul consilio, ut de novis terrarum domini victoriis vaticinium ederet, hoc carmen scripsisse videtur. — *eger. iust. domitos triumpho*, ornate pro vulgari: vicerit, domuerit. — *iustus* triumphus, qui de hostibus plane devictis agitur, nos: *ein völliger, förmlicher Triumph.* Sic *iusta victoria* apud Cic. ad Div. II. 10. — *Seras et Indos*, extremos Asiae populos; *subiectos Orient. orae* h. e. habitantes sub plaga orientali. Virg. Georg. III. 381: *Hyperboreo Septem subiecta trioni Gens.*

Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

CARMEN XIII.

AD LYDIAM.

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, vae meum

v. 2. *lactea*, *Bentl.* e Flavio Capro p. 2242. Vide contra *Janium*. *R.*

v. 57—60. *Te minor lat. reg. aequ. orb.* Similiter de bipartito Augusti in terris et Iovis in caelo imperio Ovid. Fast. II. 131: *Hoc tu per terras, quod in aethere Iuppiter alto, Nomen habes; hominum tu pater, ille deum*, et Met. XV. 858: *Iuppiter arces Temperat aetherias et mundi regna triformis: Terra sub Augusto, pater est et rector uterque.* — *aequus*, aequitatis, ut deum decet, amans, mitis, propitius. — *Tu gravi* cett. Pro vulgari: tu regnabis in caelo, ponit ea, quae Iovem in caelo regnare declarant, fulmina nempe, quae Iuppiter ex curru, quo cum tonitru in caelo invehitur, in terras deiicit; infr. III. 5. 1: *Caelo tonantem credidimus Iovem regnare.* Lucan. III. 320: *deorum Ignarum mortale genus, per fulmina tantum Sciret adhuc caelo solum regnare Tonantem.* cf. *Burmanni Iuppiter Fulgur.* c. 9. p. 292. — *gravi*, h. e. graviter per tonitrua minante, tremendo. — *parum castis*, flagitiis et adulterio pollutis et profanatis; ex hac enim causa demitti ab Iove irato in lucos credebantur fulmina.

CARMEN XIII.

Queritur poeta, praelatum sibi a Lydia Telephum, iuvenem protervum neque in amore constantem, cum ipse intimo eam depereat amore. Felices autem praedicans eos, quos indissolubile usque ad mortem amoris vinculum teneat, Lydiae animum ab inconstante illo amatore avertere et sibi tam fideliter eam amanti reconciliare studet.

v. 1—4. „Simulac, Lydia, Telephi nomen pronuntias eius pulchritudinem laudans, ira statim et indignatione exardesco.“

v. 2. *roseam* h. e. pulchram; sic Veneri *roseam cervicem* tribuit Virg. Aen. I. 402. Cf. *Schrader* ad Musaeum p. 123 ed. Schaefer. — *cerea*, tam candorem, quam splendorem cerae referentia; nam cum *alba cera* veteribus aeque ac nobis nota fuerit (cf. Plin. H. N. XXII. 24. *λευκὸν κηρόν* apud Theocritum VIII. 19.), ex meo sensu *cerea* multo simplicius et aptius ad album brachiorum colorem et cerae similem laevorem, quam secundum alios, qui *Cereus in vitium flecti* ex Ep. ad. Pis. v. 163. huc trahunt, ad molles et flexibiles brachiorum motus refertur. — *Telephi*,

Fervens difficili bile tumet iecur.
Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manent, humor et in genas
Furtim labitur arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, seu tibi candidos

v. 5. Codd. praebent partim *tum*, partim *tunc*. Illud praeferendum duxerunt omnes fere recentiores editores: *Fea*, *Iahn*, *Meineke*, *Orelli*. — v. 6. *manent*, Codd. paene omnes; paucissimi *manet*, quod praeeunte *Bentleio* in textum recepere *Iani*, *Mitscherlich*, *Fea*, *Doer.* Putat *Bentleius* ob metrum, quod longam postulat syllabam, *manĕt* mutatum a librariis in *manent*, cum tamen Horatius Od. II. 13. 16: *timĕt* eodem modo posuerit ultima syllaba in caesura producta. Falsum autem esse *manent*, quod, ubi duo singularia disiungantur, singularis verbi numerus requiratur. Sed etsi plerumque, tamen non constanter antiqui hanc legem servarunt; cf. Plin. Panegyr. 75. Similiter Graeci pluralem iungunt interdum duobus substantivis particula ἢ disiunctis. Vide *Schaeferum* ad Plin. Paneg. p. 698. Melet. p. 24. *R.*

nomen consulto repetit, quia Lydia quoque, id quod vel maxime Horatium urebat, identidem formosi Telephi nomen repetere et in ore habere solebat. — *meum ferv. diff. bil. tum. iec.* h. e. ego graviter irascor et commoveor; *fervens iecur tumet* h. e. iecur effervescit et tumet; *bile* pro ira, ut saepe cf. Sat. I. 9. 66. Epod. 11. 16.; *difficili*, gravi, non facile compescenda, ἀργαλέῳ χόλῳ Homer. Il. XVIII. 119. Nimirum cum *iecur* vel hepar prima sanguinis, unde ille per totum corpus dimanet, sedes haberetur; non solum mentis, prudentiae omnisque cogitandi facultatis, sed etiam irae et omnium animi affectionum atque cupiditatum sedes in eo posita est.

v. 5—8. *Tum*, in hac graviore animi affectione, *nec mens mihi* cett. h. e. tam mens mea huc illuc agitatur, quam os modo pallore, modo rubore obducitur. Similiter os Medeae eodem zelotypiae furore percitae varios colores induit apud Senec. Med. 858: *Flagrant genae rubentes, Pallor fugat ruborem, Nullum vagante forma Servat diu colorem.* Apollon. Rh. III. 296. — *hum. et in gen. furt. lab.*, h. e. et labens ex oculis lacrima, quam ipsi non sentienti (*furtim*) dolor expressit, genas humectat: cf. infr. IV. 1. 33. — *arguens*, prodens, manifestans. cf. infr. V. 11. 12. Similiter apud Graecos *μηνύειν*, vid. *Iacobs* in Animadv. ad Asclepiad. X. T. II. p. 29. — *lenti ignes* eleganter dicuntur, qui occulte serpunt et sensim amantium pectora peredunt; nos: *das langsam verzehrende Liebes-Feuer;* sic *ignes lenti* apud Ovid. A. A. 573. et *lentus amor* apud Tibull. I. 4. 81. et infr. III. 19. 28: *lentus Glycerae amor.*

v. 9—12. *Uror*, *seu* cett. Sententia: Quo teneriore et fideliore ego te amplector amore, eo magis uror et excrucior, cum praelatum mihi videam iuvenem protervum, qui modo per rixam super mero immodice sumto exortam candidos tuos humeros livoris maculis turpat, modo nimio amore ardens tam cupide te osculatur, ut eius dentis labris tuis

Turparunt humeros immodicae mero
Rixae, sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Laedentem oscula, quae Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.
Felices ter et amplius,
Quos irrupta tenet copula nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

impressi vestigia appareant. — *turparunt*, rixas nempe, cum vino incaluisset Telephus, miscendo cum Lydia manus incontinentes ei tam barbare iniecit (cf. Od. I. 17. 25 sq.), ut eius candidi humeri livorem inde traherent et turpiores fierent; ad ipsa verbera, quamvis Romanorum mores parum saepe in amore urbanos fuisse ex multis poetarum locis constat, referre equidem nolim. — *immodicae mero rixae*, ex immodico vini potu ortae et ultra modum progressae. — *memorem*, h. e. in rei factae, osculi nempe impressi, memoriam exstantem, sive, quid factum sit, docentem. Sic infr. III. 17. 4: *fasti memores*, qui, quae olim gesta sunt, docent et memorant. Epist. II. 1. 144: *Genius memor brevis aevi*, qui monet de vitae brevitate. — *notam*, Ov. Am. III. 14. 34: *Collaque conspicio dentis habere notam.*

v. 13—20. *Non — speres perpetuum*, *οὐκ ἐλπίσειας ἂν*, haud a te impetrare poteris, ut speres, eum constantem in amore fore. — *oscula*, labella; *barbare*, nulla in amoris aestu tenelli oris ratione habita, crudeliter; *laedentem*, dentem nempe iis imprimendo. — *quae Ven. qu. p. s. nect. imb.* quae Venus bona sui nectaris parte, h. e. multo nectare, [aut, quod rectius videtur, *dulcissima* (s. absolutissima secundum Pythagoreos, qui aethera *τὴν πέμπτην οὐσίαν* appellabant, cf. *Wyttenbach* ad Eunap. p. 120. *Boettiger*, Sabina I. p. 183.) nectaris sui parte (*Quintessenz*) *R.*] rigavit et perfudit; hinc basiorum quoque, quae ab eiusmodi ore imbibuntur, dulcedo cum nectaris vel ambrosiae dulcedine comparari solet. Anthol. Graec. in *Ἀδεσπότ.* ep. LV. T. IV. p. 129. (Anthol. Pal. I. p. 181): *Κούρη τίς μ' ἐφίλησεν ὑφέσπερα χείλεσιν ὑγροῖς. Νέκταρ ἔην τὸ φίλημα· τὸ γὰρ στόμα νέκταρος ἔπνει.* et Meleag. ep. XXI. 3. in Anthol. Pal. II. p. 492, ubi poeta ex pueri osculo se tantam suavitatem percepisse ait, ut Iovem non nectar, sed oscula de Ganymedis ore bibere et Ganymedem propterea Iovis pocillatorem vocari suspicetur. — Catull. XCIX. 2: *Suaviolum dulci dulcius ambrosia.*

v. 19. *irrupta copula*, Il. XV. 19 sq.: *δεσμὸν ἄῤῥηκτον.* — *malis — querimoniis* h. e. male exorto dissidio. — *citius suprema die.* priusquam diem supremum obierunt, ante mortem.

CARMEN XIV.

AD REMPUBLICAM.

O navis, referent in mare te novi

v. 1. Haec sine interrogatione efferenda esse statuerunt praeter alios *Mein.* et *Orell.* Equidem retinui interrogationis signum, ut clarius indicetur, non desperantis, sed anxie timentis verba esse; etsi enim haec non vera sit interrogatio, ad quam exspectetur responsio, tamen in ipsa exclamatione dubitatio quaedam exprimenda videtur, num fieri id possit, quod vel maxime nunc timetur. *R.*

CARMEN XIV.

Cum Romani magna illa, quam iam per bella civilia experti fuerant, calamitate non deterriti essent, quin nova de iis redintegrandis agitarent consilia; Horatius labefactatum reipublicae statum cum male affecta et lacerata nave comparans ab isto furore eos revocare studet. Navem igitur, quam, licet tempestate fractam, tamen novis fluctibus corruptam in altum referri fingit, alloquitur eamque, ne iterum se mari periculoso committat, sed ad damna potius, quae perpessa sit, reparanda otio et securitate in portu perfruatur, diligenter singulas, quibus laboret, partes secum reputare iubet. Iam vero cum ipsius reipublicae consulto, ne forte sibi conflaret invidiam, nullam in toto hoc carmine mentionem iniecerit et institutam navis cum ea comparationem, haud inusitatam sane (cf. infr. II. 7. 15. Cic. ad Div. XII. 25: *quam ob rem, mi Quinte, conscende nobiscum, et quidem ad puppim; una navis est iam bonorum omnium.* et IX. 15: *sedebamus in puppi* cett. cf. quae de republica a potentioribus occupata leguntur in Theognideis 679 sqq.) lectoribus ad rem, quam in animo habuit, transferendam reliquerit, recte hoc carmen meram *allegoriam* dixeris. Hinc Quintil. Instit. Or. VIII. 6. 44: *At ἀλληγορία, quam inversionem interpretantur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, etiam interdum contrarium. Prius, ut: O navis referent in mare te novi fluctus* cett. *totusque ille Horatii locus, quo navem pro republica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit.* Extitere tamen, quorum princeps fuit Muretus, qui, cum partim subtilitatem illam, qua poeta singulas navis cum singulis reipublicae partibus comparaverit, nimiam et putidam esse iudicarent, partim, quomodo vv. 17. 18. reipublicae statum accommodari possint, non viderent, haud allegorice sed proprie hoc carmen interpretandum esse contenderent. Itaque hoc carmen scriptum esse arbitrati sunt in navem, qua poeta post cladem Philippensem U. C. DCCXIII. cum amicis in Italiam venerit, male ad Palinurum promontorium tempestate afflictam. Hanc igitur nunc poetam, cum de amicis, qui ex Italia recessuri eandem conscendissent, anxie sollicitus fuisset, simili modo, ut supr. c. 3. navem, qua Virgilius Athenas navigaturus erat, in hoc carmine alloqui. Sed haec ingeniose magis quam vere prolata esse facile apparet. Nam sic, ut nihil de aliis rationibus di-

Fluctus? O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus

cam, huius totius carminis in hac tantum humiliore sententia: „*nolite, quaeso, amici, cum nave, cuius omnes ac singulae partes* (quasi hoc ipsi non videre potuissent) *fractae sunt, novum iter parare*“ tam operose versantis vel maxime in reprehensionem incurreret ieiunitas. Vix igitur de allegoria prudenter in hoc carmine a poeta adhibita dubitari potest, modo teneamus illud, quod in multis aliis poetarum comparationibus tenendum est, ne nimis anxie omnia in illa ad vivum resecantes ea, quae ad exornandam imaginem pertinent, ad rem per eam expressam referamus, h. e. ne paulo argutius, quas potissimum reipublicae partes singularum navis partium enumeratione designare voluerit poeta, quaeramus, sed eum id tantum spectasse, ut totam navem male tempestate affectam cum tota per bella civilia male affecta republica compararet, nobis persuadeamus. — Habuit autem, quem Horatius in hac allegoria sequeretur, Alcaeum, plurium in tyrannos carminum allegoricorum auctorem, cuius in hanc rem fragmentum apud Heraclidem Pont. de allegor. Homer. p. 13. ed. Schow. legitur (cf. *Matthiae* ad Alcaei Reliqq. p. 11 sqq.), cum *Hermanno* Elem. doctr. metr. p. 688. ita restituendum:

* * * * * * * * * * *

Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,
Τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον
Ναΐ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ,
Χειμῶνι μοχθεῦντες μεγάλῳ κάλων·
Πὲρ μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει,
Λαῖφος δὲ πᾶν ζάδηλον ἤδη,
Καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' αὐτό.
Χαλᾶσι δ' ἄγκυραι . . . .

Caeterum, cum scriptum sit hoc carmen eo tempore, quo novorum bellorum civilium metu terrebantur Romanorum animi, non male illud ad annum DCCXXII. referunt, quo Octavianum et Antonium inter se dissidentes atrocissimum bellum apparasse constat. cf. Virg. Georg. I. 509 sqq. Alii referunt ad a. U. C. 716., quo a Sexto Pompeio renovatum est bellum civile.

v. 1—8. *O nav. ref. in m. te nov. fluct.?* Tune, o navis, iterum te fluctibus in mare referri patieris? iterumne tempestatis periculo in mari te expones? Si ad rempublicam transtuleris, erit: Tene, o respublica, novus furor ad bella civilia abripiet? — *quid agis?* haec formula, qua quis, quam temere agat, secum reputare iubetur, saepe apud scriptores Comicos obvia; sic Pamphilus apud Terent. Andr. I. 1. 107. cum Glycerium suam imprudentius ad rogi flammam accessisse vidisset: *Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?* — *fortiter occupa portum*, fortiter resiste fluctibus iterum te abripientibus atque omnes vires intende, ut in tutum portum inveharis; iam cum per *portum* pax et otium designetur, *fortiter occupa portum* erit: salutem tuam, o respublica per bella civilia labefactata, in pace fortiter et constanter tuenda quaere. — v. 4. *ut. nud. remig. lat.*, ut navis latus remorum ordine denudatum sit, ut remis, fractis illis et perditis, navis careat.

Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant, ac sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor? Non tibi sunt integra lintea,
Non di, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,

v. 6. *gemunt*, et v. 8. *possunt*, *Fea*, *Jahn*, *Meinek.* e Codd. Antiquissimi tamen *Orellii* Codd. servant omnes coniunctivum. *R.*

[Exspectabas, orationem ita procedere: Et malus saucius *sit* Africo, antennaeque fractae. Poeta autem deflectens ab inchoata structura *gemitum* infert a malo et infractis antennis editum, qui proprie oculis non cernitur, sed *auditur*. *R.*] — — v. 5. *saucius*, h. e. laesus, laceratus; imitatus est Horatium Claudian. de Cons. Honor. VI. v. 133 sqq.: *scissis velorum debilis alis, Orba gubernaclis, antennis saucia fractis, Ludibrium pelagi vento iactatur et unda.* — *gemant* h. e. stridorem edant. — *ac sine funibus* cett. atque ut carina funibus (h. e. navis retinaculis ancoris) privata vix saevi maris impetum sustinere possit; *carinae* (pluralis ex more poetarum pro singulari) h. e. navis alveus, unde retinacula demittuntur sive ancorae iaciuntur.

v. 9—16. *lintea*, vela. — *Non di*, intellige deos tutelares, quorum simulacra in puppe cum ara collocari solebant; diversum autem ab hac *tutela navis* (ut proprie vocabatur illud deorum tutelarium in puppe sacrarium) fuit *παράσημον*, insigne, quod super rostro navis in prora appictum vel dei cuiusdam vel animalis vel alius rei imaginem repraesentabat, unde ipsi navi nomen indi solebat; cf. D. *Heins. et Drakenb.* ad Sil. Ital. XIV. 84. et *Pet. Burm.* ad Petr. c. 105. Similiter autem de navis diis tutelaribus tempestate deiectis Pers. VI. 30: *iacet ipse in litore et una Ingentes de puppe dei.* — *pressa*, oppressa, depressa; *malo*, tempestate. — Caeterum poetam horum deorum tutelarium de nave tempestatis vi deiectorum commemoratione ad deos, ob bella civilia a Romanis aversos, respexisse sponte apparet. — v. 11—13. *Quamvis Pontica pinus* cett. Sententia: quamvis tu, ex Ponticae silvae pinu fabricata, originis tuae gloria et nobilitate nitaris, nihil tamen hic externus splendor utilitatis et auxilii in tempestate afferet. — *Pontica pinus*, naves enim e ligno, quod in pinifera Ponti regione natum erat, confectae in optimis nobilissimisque habebantur; cf. Catull. IV. 9. et ibi notata. *silv. fil. nob.*, h. e. arbor in silva nobili prognata; arbores enim, quia stirpem suam propagare dicuntur, tam *matrum*, (Virg. Georg. II. 19: *Parnasia laurus Parva sub ingenti matris se subiicit umbra*) quam *filiarum* (Mart. XIV. 90: *Non sum Maurae filia silvae*,) nomine a poetis insigniuntur; *genus* h. e. stirpis nobilitatem; sic Phaselus apud

Iactes et genus et nomen inutile;
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quae mihi taedium.
Nunc desiderium curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas.

Catull. l. c. v. 15. se *ultima ex origine* in cacumine Cytori *stetisse* ait. — *nomen*, gloriam; *inutile*, epitheton tam imagini quam rei per imaginem expressae accommodatissimum; quemadmodum, poeta vult dicere, tibi, o navis, si iterum tempestatis in mari periculum subieris, nihil ligni, ex quo fabricata es, proderit nobilitas, ita nec Romanis bella civilia redintegrare ausis nobilissima gentis suae a Marte et Venere deductae profutura est origo atque gloria. — *Nil pictis* cett. nihil iuvat in tempestate navis nobilitas, nihil externus navis splendor, in quo timidus nauta nullam omnino ponit fiduciam. — *pictis*, ad externum enim navium splendorem pertinebant picturae, quibus puppes inprimis decorari solebant. Laudant Senec. Epist. LXXVI: *Navis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est, — nec cuius tutela ebore caelata, — sed stabilis et firma.* — *nisi ventis deb. ludibr.*, h. e. nisi ventis, ut iis sis ludibrio, te exponere vis; loquendi ratio *ludibrium alicui debere*, h. e. ludibrio alicuius se obnoxium facere, conformata esse videtur ad exemplum Graecae locutionis: *ὄφλειν* vel *ὀφλισκάνειν γέλωτα* apud Aristoph. Nub. 1031. Euripid. Med. 1049.

v. 16—20. *Nuper sollicitum quae mihi* cett. Sententia: o navis, quae nuper in naufragii periculo mihi sollicitudini eras atque taedio, nunc vero, servata nempe ab interitu, voluptati et magnae curae, vites, quaeso, maris loca navigationi infestissima. Haec extrema sententia paulo apertius prodit animum poetae, haec fere expressuri: o respublica, quae nuper post cladem Philippensem creabas mihi sollicitudinem atque taedium, nunc vero reducto otio et desiderio tui renovato vel maxime mihi curae cordique es, cave, ne motis de integro bellis civilibus praeceps ruas in perniciem. — *aequora interfusa Cycladas*, h. e. fusa, labentia inter Cycladas. — *nitentes*, ob marmoris ibi nascentis nitorem; similiter infr. III. 28. 14. *fulgentes* dicuntur.

CARMEN XV.

NEREI VATICINIUM DE EXCIDIO TROIAE.

Pastor cum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio

CARMEN XV.

Nereus, deus marinus, Paridem in mari cum rapta Helena cursum in patriam accelerantem conspicatus, compresso statim ad audientiam sibi faciendam ventorum murmure, triste, quo ingens Graecorum exercitus raptae Helenae repetendae causa Troiam oppugnaturus atque eversurus esset, bellum cecinisse fingitur. — Poetam Graecum in hoc carmine expressisse Horatium cum ex ipso eius argumento frequenter a poetis Graecis tractato, tum ex Porphyrionis evincitur testimonio, qui: *hac ode*, inquit, *Bacchylidem imitatur; nam ut ille Cassandram facit vaticinari futura belli Troiani, ita hic Proteum* (scribere voluit *Nereum*). — Iam vero cum vaticinium edituri altiore spiritu exsurgere et rerum futurarum imaginem sublimiore quasi animo concipere soleant; facile, cur poetae ad sublimitatem adspirantes vatis saepe personam induerint, intelligi potest. Quo magis autem hoc de excidio Troiae vaticinium accommodatum esset carmini lyrico, eo cupidius illud sibi tractandum sumsit Horatius, vaticinantis partibus delegatis inprimis Nereo, quippe qui sedem suam haberet in mari Aegaeo, quod Paridi transeundum erat. Compara, qui Horatium imitatus est, Stat. Achill. I. 20 sqq.

v. 1—4. *Pastor*, Paris, qui in monte Ida et educatus est a pastoribus, et ipse puer adhuc vitam pastoritiam ibi degit; *pastor Phrygius* dicitur ap. Virg. Aen. VII. 363. et *pastor Dardanus* Stat. Ach. I. 20. cf. Bion XV. 10. Apollodor. III. 12. 5. Hygin. Fab. 91. — *traheret*, h. e. ut raptam secum abduceret. — [Cf. *C. Schiller*, Comm. z. ein. Oden d. Hor. p. 56., qui coll. Od. IV. 9. 13 sqq. ostendit, non ideo raptam dici Helenam, quod Hor. eam sibi finxerit invitam Paridem secutam, sed Menelai respectu habito. *R.*] *Idaeis*, fabricatus ex ligno in monte Ida exciso. Plures autem eum habuisse naves, testatur Hom. Il. III. 443: *ὅτε σε πρῶτον Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς Ἔπλεον ἁρπάξας ἐν ποντοπόροισιν νέεσσιν.* Ov. Her. XVI. 329: *Troïa classis adest.* — *perfidus*, violata hospitii fide et sanctitate: hinc Helena apud Ovid. l. c. v. 4: *Ausus es hospitii temeratis, advena, sacris Legitimam nuptae sollicitare fidem?* — *Ingrat. cel. obr. ot.* h. e. Nereus, ut auribus percipi posset, quod caneret vaticinium, silentium imposuit ventis, non sine eorum indignatione compressis; *ingrato*, molesto nempe ventis, qui strepitum facere quam silere malunt; hinc dicuntur etiam *otio obrui* h. e. gravari, deprimi. Caeterum non solum vaticinandi facultas Nereo (Hesiod. Theog. 233. Eurip. Hel. 15.), ut aliis diis marinis, v. c. Proteo, (Hom. Odyss. IV. 384 sqq. Virg.

Ventos, ut caneret fera
Nereus fata: Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.
Heu heu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti! Iam galeam Pallas et aegida

Georg. IV. 387.) Glauco (Apoll. Rhod. I. 1310.), sed etiam ventos comprimendi potestas pariter ac Neptuno apud Virg. Aen. I. v. 131 sqq. recte tribuitur. — *fera*, h. e. saeva, tristia; similiter apud Ovid. Met. XIII. 454. saeva et horrenda *fata* (al. *sacra*) dicuntur *fera*.

v. 5—8. *Mala:..avi*, h. e. infausto omine, ut infr. Epod. X. 1: *mala alite*, Od. III. 3. 61: *alite lugubri.* Catull. LXI. 20: *bona alite.* Od. IV. 6. 24: *potiore alite.* Epod. 16. 24: *secunda alite.* — v. 7. *coniurata rumpere*, h. e. quae coniuravit, se rupturam esse, ad Graecorum dicendi morem, qui solo infinitivo consilium indicant, cf. *Kritz* ad Sall. Cat. 52. 24. p. 273. Caeterum respexisse putant poetam illud iusiurandum, quo Graecorum principes, se non nisi Troia eversa et Helena recepta in Graeciam redituros esse, fidem sibi invicem in Aulide dedisse dicuntur. [Cf. Ovid. Ars Amat. I. 687: *Iurabant omnes in laesi verba mariti; Nam dolor unius publica causa fuit.* Virg. Aen. IV. 425: *Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem Aulide iuravi.* Iam prius autem proci Helenae patre Tyndareo suadente iureiurando sese obstrinxerant, ut, cuicumque Helena nupsisset, ei omnes auxilium ferrent, si quis uxorem ei eripere vellet. Schol. Venet. ad Il. II. 339. *R.*] — *regnum vetus* h. e. vetustate nobile. Similiter Virg. Aen. I. 375: *Troiam antiquam* et Ovid. Fast. III. 423: *veterem* appellat. — Caeterum cum verbum *rumpere* uni tantum nomini *nuptias* accommodatum sit, ad alterum regnum ex nota zeugmatis figura aliud verbum, v. c. *evertere, delere*, vel simile mente cogitandum est.

v. 9 — 12. Iam rerum futurarum imaginibus ita impellitur vatis divino furore correpti animus, ut fervente quasi iam bello futuro Minervam et viros Graecorum fortissimos, ob raptam a Paride Helenam ad Troiam pugnaturos, se oculis conspicere credat; de quo poetarum sub vatis cuiusdam persona res futuras tanquam praesentes ad oculos vocantium more plura exempla attulit *Mitsch.* — *Heu heu, quantus equis* cett. Hom. Il. II. 388 sqq. Horatium imitatus est Stat. Theb. III. 210: *Quantus equis quantusque viris in pulvere crasso Sudor, io quantum crudele rubebitis omnes.* — *funera movere* paulo audacius pro: bellum movere, quod funerum sive caedis causa est. *Dardanae* h. e. Troianae, a rege Dardano, Iovis ex Electra filio, sic appellatae. — *Iam galeam* cett. Iam galeam Minerva capiti imponit, iam aegidem arripit currusque, e quibus pugnet, conscendit et ad iram contra Troianos effundendam se parat. Breviter et graviter id poeta uno verbo *parat* expressit. — *aegida*, h. e. clypeum; nam aegis, qua voce proprie denotatur clypeus, quem Iuppiter ex pelle caprae (quae Graecis αἴξ dicitur) Amaltheae, nutricis suae, sibi confecisse perhibetur, passim quoque de Minervae clypeo, Medusae capite instructo; cf. infr. III. 4. 57. Virg. Aen. II. 615. et VIII. 435. — *rabiem*, iram et furorem, tanquam arma vel maxime hosti timenda, suaviter poeta caeteris, quibus Minerva ad pugnam se instruebat, armis subiungit. Caeterum pugnans contra Troianos Minerva ex Homero satis nota est.

Currusque et rabiem parat.
Nequicquam Veneris praesidio ferox
Pectes caesariem grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides;
Nequicquam thalamo graves
Hastas et calami spicula Gnosii
Vitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem: tamen heu serus adulteros

v. 9. *Heu, heu*, Codd. plerique, et sic *Fea*, *Mein.*, *Orelli*. *Eheu*, alii [et sic *Doer.*] *R.*

v. 13—20. *Nequicq. Vener. praes.* cett. Similiter Paridis externo formae suae cultu et dulcium carminum cantu feminis placere studentis mollitiem, ut parum ad caedem vitandam ei profuturam, apud Homer. Il. III. 54. 55. carpit Hector: *Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης, Ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείῃς.* — *ferox*, nimis et ferociter confisus. — *grata*, h. e. dulcia, amatoria, hinc *cithara*, qua res amatorias canebat Paris, contemtim vocatur *imbellis;* cithara quidem Achilles quoque cecinisse dicitur apud Hom. Il. IX. 189., sed is *ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.* Itaque Alexander M. non Paridis, sed Achillis citharam videre voluisse dicitur. — *carmina dividere feminis* est: gratis carminibus feminas mulcere, modo hoc modo illud canendo; similiter Anthol. Lat. I. p. 4: *dulcia diffundit carmina virginibus.* Ut infra 36. 5. amicus *oscula dividit* amicis, ita Paris feminis carmina tanquam dona dicitur dividere. Cf. *C. Schiller*, l. l. p. 60. — v. 16. *thalamo*, h. e. in thalamo, ubi Venus Paridem, quem ipsa ex pugna eripuerat, tutum a caede praestare volebat secundum Hom. Il. III. 382. — *graves*, h. e. timendas, ut supr. 2. 22. *Persae graves.* — *calami spicula*, sagittas, tela, *Gnosii* pro: Cretici, a satis nobili Cretae urbe *Gnoso;* sagittae scilicet e canna Cretica factae, in praestantissimis habebantur et ipsi Cretes, quos contra Troianos duxit Idomeneus (Hom. Il. II. 645.), optimi sagittarii fuisse perhibentur; hinc infr. quoque *arcus Cydonius* IV. 9. 17. — v. 18. *strepitum*, tumultum bellicum, armorum sonitum; *celerem sequi* Graece pro: celerem in persequendo hoste. Cf. Ep. I. 20. 25. Od. III. 12. 10. Od. IV. 6. 39. — [*tamen heu serus* cett. Cave ita explices: *quamvis serus, tamen . . .*

Crines pulvere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuae
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius
Teucer et Sthenelus sciens
Pugnae, sive opus est imperitare equis
Non auriga piger. Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox

v. 20. *Crines*, Codd. plerique; *cultus*, alii. Illud recepimus cum *Bentl.*, *Ianio*, *Mitsch.*, *Vanderburgio*, *Orellio* cum propter Codd. auctoritatem tum propter Homericum locum Il. III. 55. Alteram lectionem *cultus* praetulerunt *Fea*, *Jahn*, *Mein.* — v. 22. *gentis*, Codd. plerique; *genti*, Codd. pauci, et sic *Mitscherl.*, *Meineke*, *Orelli*, rectius fortasse. — v. 21 et 22. *Num — num*, *Fea* et *Jahn* e paucis Codd. Recte *Orellius*: *Num — num* contra latinitatem. Sic enim respondendum esset: „Non respicio“. — v. 24. Fluctuant Codd. inter lectiones *Teucer et*, *Teucer, te* [et sic *Doer.*], *Teucerque et*. Assentior *Orellio*, qui veram putat antiquissimorum Codd. lectionem *Teucer et*, mutatam a librariis ob metrum. Cf. quae annot. ad v. 36. *R.*

collines; particula *tamen* enim non respondet particulae *quamvis* in voce *serus* latenti, ut Virg. Eclog. I. 28: *Libertas, quae, sera, tamen respexit inertem*; sed sententiarum nexus hic est: Nequicquam vitabis hostium tela; quamvis enim diu feliciter omnia pericula evitaveris, tamen tandem aliquando (*heu serus*) adulterii poenas dabis. Cf. *C. Schiller*, l. l. p. 61. — *serus*, h. e. sero cf. Od. I. 2. 45. *R.*] — *adult. crin. pulv. coll.*, pulvere foedabis crines eleganter adulterorum more comtos, i. e. trucidaberis et morte adulterii poenam lues. Virg. Aen. XII. 99: *Da sternere corpus — Semiviri Phrygis, et foedare in pulvere crines.* Cf. Hom. Il. III. 55: ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης, et Pind. Nem. I. 104: φαιδίμαν γαίᾳ πεφύρσεσθαι κόμαν.

v. 21—28. *Non Laërtiaden — respicis?* annon te fugientem persequi animadvertis Ulyssem, Laërtis filium? — Ulysses autem, quia partim Palladio surrepto, partim consilio de illo equo ligneo aedificando dato exitium paravit genti Troianae, ipse nunc graviter *gentis* Troianae *exitium* vocatur. Horatium imitatus est Ovidius Met. XIII. 500., ubi Hecuba Achillem *exitium Troiae* appellat; et sic apud Senec. Herc. Fur. 358. Megara de Lyco: *Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues, Novi parat?* Simili loquendi genere *Thais* apud Terent. Eunuch. I. 1. 34. dicitur *fundi calamitas*; itaque non opus, ut in nostro loco pro *gentis* cum quibusdam legatur *genti*, quae loquendi ratio durior videtur. — *Pylium Nestora*, Pyli, antiquae civitatis in Peloponneso, regem. — *Salaminius Teucer*, Telamonis, regis Salaminis, filius. — *Sthenelus*, Capanei filius; *sciens pugnae* (εἰδὼς μάχης, Hom.) pro: fortis. — *non auriga piger*, fuit enim Sthenelus auriga Diomedis.

v. 26. *Merionen*, cf. supr. ad I. 6. 15. — *Nosces*, h. e. virum fortem esse senties et experieris. — *furit*

Tydides melior patre,
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.
Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei;
Post certas hiemes uret Achaïcus
Ignis Iliacas domos.

v. 36. *Ignis Iliacas*, Codd., ut videtur, omnes. *Glareanus* quidem testatur, se in Codd. invenisse *Pergameas*, sed videtur haec viri alicuius docti emendatio. Cum semper enim in basi versuum glyconeorum apud Hor. spondeus esse soleat, hoc versu et v. 24. ex Graecorum more trochaeum posuit, quem non temere expellendum esse corrigendo statuit etiam *Hermann*, Elem. Doctr. metr. p. 436. *R.*

te reperire, h. e. furit prae cupiditate te reperiendi et tecum congrediendi. (Hom. μεμαὼς κιχέειν.) — *atrox*, ut *saevus, cruentus* cett. pro: fortis. — *Tydides*, Diomedes, Tydei filius. — *melior patre*, h. e. fortior (πατρὸς ἀμείνων, κρείσσων cf. Il. IV. 405).

v. 29—36. *Quem tu, cervus uti vallis* cett. Sententia: quem simulac procul conspexeris, eadem statim, ut homo mollis et ignavus, celeritate fugies, qua fere cervus, simulac lupum in altera vallis parte prospexit, e pascuis statim (*graminis immemor*) fugere solet. — *graminis immemor*, sic vacca apud Virg. Ecl. VIII. 2. a gramine depascendo ad carmina pastorum audienda subito conversa, *immemor herbarum* dicitur. — *sublimi anhelitu* h. e. graviter anhelans, dum in altum erigit cervicem et ore sublato spiritum captat, cf. *Doederlin*, Lat. Synonym. Tom. II. p. 103. Comparat *Meinekius* ad Menandr. p. 12: μετεώρῳ πνεύματι.

v. 32. *Non hoc*, non hanc animi mollitiem et ignaviam, sed eam, quae virum fortem decet, virtutem. — *tuae*, Helenae. Cf. Il. III. 430.

v. 33. *Iracunda — classis Achill.*, iracunda ob ereptam duci suo ab Agamemnone Briseidem; *Achilleus* antiqua forma, ut supr. 6. 7. *Ulixeus* pro: Ulixes. — *diem*, fatalem excidii diem, excidium. — *Matronisque*, ad miserationem movendam mentionem facit *matronarum*, quibus inprimis ob timendam sibi servitutem horribile esse debebat Troiae excidium. — *post certas hiemes*, post certum annorum a fato constitutorum numerum.

CARMEN XVI.

PALINODIA.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cumque voles modum
Pones iämbis, sive flamma
Sive mari libet Hadriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,

CARMEN XVI.

Amantium iras, quod Terentius ait, *amoris redintegrationem* esse, id poeta in hoc carmine satis luculenter exemplo suo probat. Vix enim ille irae furore abreptus pulchrae cuidam puellae, iambis criminosis ei missis, bellum indixerat, cum statim ad illud componendum ipse mollissimas pacis conditiones ferret. Iam cum omnis poetae apud puellam de misso carmine ignominioso excusatio petita sit ab irae, cui ille resistere non potuerit, vehementia; plurimam huius carminis partem in gravissimae illius animi affectionis vel vitii humani descriptione versari nemo facile mirabitur. — Ad quam puellam, utrum ad Tyndaridem, an ad Gratidiam aliamve puellam hoc carmen scriptum sit, id cum veteribus et recentioribus quibusdam interpretibus exquirere velle, vix operae pretium est. — Imitatus est Horatius, ut observat Acron, Stesichorum, qui, cum ob carmen probrosum in Helenam scriptum privatus esset oculorum lumine, recantatis opprobriis sive palinodia visum recepisse traditur; exstat huius palinodiae initium apud Platonem in Phaedro p. 243. A. B. Steph.

v. 1—4. *Quem crim. cumq. vol.* cett. h. e. dele, quaeso, quocumque modo tibi placebit, criminosos iambos, sive eos in ignem sive in aquam proiicere mavis. — *iambi*, quibus primus eorum auctor Archilochus (Ep. ad Pis. v. 79: *Archilochum proprio rabies armavit iambo*) ad alios perstringendos usus est et post eum alii poetae, dicuntur *criminosi*, quia res turpes puellae criminabantur, i. e. contumeliosi; in hoc sensu apud Suet. Octav. 75: *liber criminosissimus*, h. e. maledicentissimus, dicitur. — *quemcumque modum iambis pones*, est: sortem, quamcumque libet, iambis tibi ponere et decernere licebit. — *mari Hadriano* poetice pro: aqua quacumque. — Pari modo, quae frustra in laudem amicae suae cecinerat carmina, deleri cupit Tibullus I. 9. 49: *Illa velim rapida Volcanus carmina flamma Torreat et liquida deleat amnis aqua.*

v. 5—12. Locus, si quis alius, mira sublimitate insignis. Irae furorem, cuius vim modo senserat poeta, iam descripturus novo quasi, quo poetae agitari solent, furore ita incalescit, ut furor furorem peperisse videatur. Nexus et sententia h. l. est: indomita autem, qua ad istos

Non Liber aeque, non acuta
Sic geminant Corybantes aera,

v. 8. *Sic*, Codd. omnes et sic *Vanderburg.* et *Orellius; si* de *Bentl.* coni. omnes reliqui editores recentiores. *R.*

iambos scribendos abreptus sum, me apud te excusare debet irae vehementia; nam neque Cybele, neque Apollo, neque Bacchus sacerdotum ita mentem quatiunt, neque furunt ita Corybantes aerea cymbala iteratis ictibus pulsantes, ut furore agitantur saevae irae, quae nulla omnino vi et periculi timore, neque ense neque mari neque igni neque fulminibus domari et compesci possunt. — *Dindymene*, Cybele, appellata ita a *Dindymo* vel *Dindymis*, Phrygiae monte, eius cultui sacro; *Dindymena domina* dicitur Catullo LXIII. 13. De Cybeles sacris, in quibus huius deae sacerdotes, Galli vel Corybantes, furore divino agitati, tympana et cymbala pulsabant, res nota; cf. Lucret. II. 616 sqq. Catull. LXIII. et Virg. Aen. IX. 617. — *adytis*, interiore et secretiore templi parte, quam praeter sacerdotes nemini intrare fas fuit. — *quatit*, agitat, concutit. — *mentem sacerdotum*, intellige inprimis Pythiam et Sibyllas. — *incola Pythius*, Apollo Delphicus, templi s. adyti Pythici incola. Similiter infra Od. III. 10. 4. *Aquilones* dicuntur *incolae*, quia tamquam in domicilio suo in Scythia dominantur. — *Liber*, de furore illo, quo Bacchae et Maenades celebrare solebant orgia, omnia in vulgus nota. — [*non acuta Sic geminant Corybantes aera.* Retinuimus Codd. lectionem *sic*, cum sententiae ita cohaerere videantur: „furor sacerdotum, quem Cybele, Apollo, Liber animis eorum iniiciunt, ac Corybantium inprimis tympana pulsantium furor non tantus est, quantus est irae furor.“ Non comparatur enim ira cum diis furorem iniicientibus, sed cum furore a diis immisso; sicuti sacerdotes illi divino furore agitati tympanaque pulsantes nihil non audent, ita irae furentes (μαινάδες ὀργαὶ) nec mari nec igni nec ipsius Iovis fulminibus deterrentur. — Qui *Bentleium* secuti corrigendum duxerunt *Si geminant*, iras putarunt comparari cum diis sacerdotum mentes quatientibus et praeterea cum ipsis sacerdotibus, qui furore agitati alios ad eundem rapere student furorem, ut hic sit sententiarum nexus: „Neque Cybele, si eius sacra instituuntur, neque Apollo, si in templi sui penetralibus sacerdotum pectora occupat, neque Bacchus, si in eius honorem celebrantur orgia, neque Corybantes, si aerea cymbala iteratis ictibus pulsant, tantum animis furorem iniiciunt, quantum saevae irae.“ At primum displicet id, quod sacerdotibus eadem vis tribuitur ac diis, cum tamen ipsi dicantur a diis agitari; deinde vero ea, quae de iris in sequentibus adiiciuntur, satis clare significant, poetam de irarum ipsarum furore, non de iris furorem iniicientibus cogitasse. Nam dicuntur irae neque ense nec mari nec igni nec fulminibus deterreri; ipsae igitur furunt, uti sacerdotes divino instinctu agitati. Iam si singula spectemus, furor sacerdotum primum significatur, quatenus a diis immittitur, deinde exempli causa Corybantes ipsi furentes ac tympana pulsantes oculis nostris subiiciuntur;

Tristes ut irae, quas neque Noricus
Deterret ensis nec mare naufragum
Nec saevus ignis nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus, addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, et insani leonis

et simili furore agitari dicuntur irae. Accuratius ita hoc exprimas: quo furore Cybele, Apollo, Liber sacerdotum pectora implent quoque furore agitati Corybantes tympana pulsant, eodem furore saevae abripiuntur irae. *R.*]

v. 9. *Noricus*, epitheton ornans pro: praestantissimus, quia Noricum, pars Illyrici, praestantissimo, quod ibi effodiebatur, ferro nobile fuit.

v. 10. *naufragum*, ob naufragii periculum timendum. — *trem. Iuppiter ip. ru. tum.* magnifice pro: Iuppiter tonans et fulmina mittens; ex prisco enim loquendi genere Iuppiter (h. e. aether) vel imbre vel nive vel tonitru et fulmine in terram descendere dicitur, unde ille *Ζεὺς καταιβάτης*, infr. Epod. 13. 1: *Horrida tempestas caelum contraxit et imbres Nivesque deducunt Iovem.*

v. 13 — 16. *Fertur Prometheus* cett. Sententia: Prometheus, cum ob defectum materiae ad fingenda caetera animalia iam dispensatae cogeretur limo, e quo primum hominem formaret, particulam (*undique*) ex caeteris animalibus decerptam, admiscere; (*et*) inter alias quoque particulas vim insani leonis stomacho nostro apposuisse traditur. Vulgaris sententia, quam tanta arte et doctrina exornavit poeta, haec est: eo magis autem irae, qua abreptus sum ad scribendos iambos, veniam dare debes, cum illa ad vitia humanae naturae insita pertineat. — *De Prometheo*, qui primus ex *luto* vel, ut Ovid. Met. I. 82. loquitur, ex *tellure — mista fluvialibus undis* formasse hominem fingitur, res nota; apud Aristoph. Av. 687. homines e limo ficti dicuntur *πηλοῦ πλάσματα*; illud vero, quod de *vi insani leonis* vel ira a Prometheo hominum animis iniecta hic commemoratur, Stesichori, quem Horatius imitatus sit, inventum esse, ex Fulgent. Myth. L. III. c. *de Peleo* colligi posse existimant. Simile commentum de diverso mulierum ingenio ex diversorum animalium, suis, vulpis, asini, mustelae cett. cupiditatibus composito laudant ex Fragmento quodam Simonidis *περὶ γυναικῶν*, quod separatim edidit *Koelerus*. Huc pertinet quoque Fragment. Euripid. T. II. p. 496. (edit. Lips.) quod apud Stob. (Grot. Flor. p. 13.) Philemoni tribuitur. — *principi*, e quo primum finxit hominem Prometheus; de primaria materia equidem explicare nolim. — *undique*, ex aliis undique animalibus; sic plane infr. in Epist. ad Pis. v. 3: *et varias inducere plumas Undique collatis membris.*

v. 15. *et insani leonis* cett. Cum particula *et* perperam pro copula haberetur, in expedienda orationis structura, quam *insolentiorem* vocant, valde et torserunt interpretes; sed bene se res habet; *Fertur* enim non ad *addere*, quod ex v.

Vim stomacho apposuisse nostro.
Irae Thyesten exitio gravi
Stravere et altis urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem: me quoque pectoris
Tentavit in dulci iuventa
Fervor et in celeres iämbos
Misit furentem; nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis animumque reddas.

coactus pendet, sed ad *apposuisse* tantum referendum est: *et* igitur h. l. est: etiam, vel, adeo. — *stomacho*, irae sedi. Cf. Od. I. 6. 6.

v. 17 – 28. In sententiam, quam Horatius de *ira*, ut prima caedis et maximarum calamitatum causa, h. l. tractavit, laudant Senec. *de ira* I. 2. — *Thyesten*, nam illud atrox Thyestis cum Atreo fratre de regno certamen ira exortum est; *exitio gravi*, cogita de Thyestis liberis, quos Atreus fratri epulandos apposuit, et de eius morte in exilio, quo pulsus est ab Atrei occisi filiis, Menelao et Agamemnone. — *stravere*, perdidere, *ultimae*, primariae.

v. 16. *Stetere*, exquisitius pro: fuere, extitere. Virg. Aen. VII. 553: *Stant belli causae.*

v. 20. *imprimeretque mur. host. arat. exerc.* haec explicant magis illud *funditus*, quod praecessit; nam solum urbium *funditus* delendarum aratro vertebatur; Propert. III. 7. 41: *Moenia quum Graio Neptunia pressit aratro Victor Palladiae ligneus arcis equus.* — *insolens*, insolenter saeviens.

v. 22. *Compesce mentem*, iram, quam iambis meis excitavi, reprime. — *tentavit*, agitavit, abripuit; ipse Horatius infr. Epist. I. 20. 25. se *celerem irasci* esse fatetur. — *misit in iambos*, concitavit ad scribendos iambos. [*celeres*, Ovid. Rem. Am. v. 378: *Seu celer, extremum seu trahat ille pedem.* Hor. Ep. ad Pis. 251: *Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus*; *Pes citus.* Celeres autem iambi maxime accommodati sunt ad iram animi effundendam. *R.*]

v. 25. *mitibus mutare tristia*, ea, quae te tristitia et indignatione affecerunt, remunerari iis, quae tibi suavia atque iucunda sunt. — *recantare opprobria* est: opprobria cantata, quasi non cantata, revocare, falsa et ficta fuisse cantata opprobria declarare; similiter apud Virg. Aen. XII. 11: *retractare dicta* pro: revocare, recantare. — *animum reddas*, pristino amore me amplectaris, te mihi restituas.

CARMEN XVII.

AD TYNDARIDEM.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quaerunt latentes et thyma deviae

v. 5. *tutum*, Codd. paene omnes; *totum*, *Bentl.* e Codd. aliquot Lambini, quia nil mirum sit, impune capellis arbutos quaeri, si tutum sit. Sed nil frequentius poetis, quam rationem verbi vel adverbii reddere tali epitheto. Cf. *Jahnium* ad h. l. *R.*

CARMEN XVII.

Tyndaridem, ut in villam, quam in Sabinis habebat poeta, secum rusticatum veniat, dulcissimae, qua ibi frui possit, felicitatis descriptione permovere studet. Auctorem huius felicitatis inprimis facit Faunum. Nam cum ille deus regionis, in qua sita fuit villa Horatiana, amoenitate ita caperetur, ut relicto Lycaeo saepius eam inviseret et dulcia carmina ibi fistula caneret (quo nihil ad loci amoenitatem commendandam fingi a poeta potuit aptius); dignam quoque, quam singulari tutela foveret, habuit. Hinc Faunus nimium solis aestum aeque ac nimiam pluviarum copiam a villa Horatii avertere, securitatem gregibus praestare, agros denique pii poetae quovis felicitatis genere mactare dicitur. — Promittit igitur poeta Tyndaridi, si ad se in villam suam venerit, primum omnium, quae in agris proveniant, rerum abundantiam; deinde otium, quo vacare ibi possit canendis carminibus, iucundissimum; porro hilarem in locis umbrosis compotationem; denique tutum ab importuno, cuius vim puella timebat, amatore Cyro perfugium. — Caeterum Tyndaridem honestam; doctam et elegantioris ingenii fuisse puellam, ex v. 17 sqq. colligi potest.

v. 1—4. *Velox*, dii enim capripedes inprimis velocitate excellunt. — *saep. Lucret. mut. Lyc.* saepe ex Lycaeo transit in Lucretilem; est enim Faunus deus ὀρειβάτης, qui, ut Ovidius (Fast. II. 285.) de eo loquitur, *discurrere gaudet in altis montibus.* — *Lucretilem*, montem in Sabinis, villae Horatii imminentem (*Monte Gennaro*). — *Lycaeo*, monte in Arcadia, Fauno sive Pani sacro; Ovid. Fast. II. 424: *Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.* — *defendere aestatem capellis* est: arcere, avertere capellis aestatem, prohibere aestatem a capellis; sic apud Virgil. Eclog. VII. 47: *solstitium pecori defendite;* similiter apud Graecos ἀρκεῖν, ἀρήγειν, ἀλαλκεῖν, ἀμύνειν. — *pluv. vent.* itaque villa Horatii, cum neque aestu neque pluviis laboraret, tam salubritate quam fertilitate gavisa est.

v. 5 — 12. *Impune*, sine ullo peri-

Olentis uxores mariti,
Nec virides metuunt colubras
Nec Martiales haeduleae lupos;
Utcumque dulci, Tyndari, fistula
Valles et Usticae cubantis
Levia personuere saxa.
Di me tuentur; dis pietas mea
Et Musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno

v. 8. *colubras*, Codd. plerique et Luctat. ad Stat. Theb. V.; *colubros*, Codd. nonnulli et sic praeter alios *Vanderburgius. R.* — v. 9. *haediliae* vel *haedilia* Codd., *haeduleae*, *Bentl.* coniecit. — v. 14. *hinc*, Codd. plerique, quae lectio haud scio an praeferenda sit alteri *hic*, ortae fortasse ex sequente *hic* (v. 17). Recentiores tamen fere omnes editores receperunt: *hic. R.*

culi timore, securae. — *olentis uxores mariti*, faceta caprarum descriptio; caper enim est *maritus* vel *vir gregis*, ut vocatur apud Virgil. Eclog. VII. 7. secundum imitationem Theocriti VIII. 49: τράγε λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ. — *haeduleae*, proles caprarum, parvae capellae. — *Martial. lup.* lupus *Martialis* vel *Martius* (ap. Virg. Aen. IX. 566.) dicitur, quia Marti sacer est. — *Utcumque dulci fistula* cett. quandocumque Faunus dulcia carmina canit fistula, quae in valle saxosi montis Usticae resonant, pro vulgari: dum Faunus praesens numine suo greges tuetur. — Iam Faunus, similiter ut Pan, quocum plurima communia habet (utriusque enim dei mythus in unum confluxit, cf. *Voss.* ad Virg. Ecl. VI. 27.), fistula canens (συρί-[illegible]ον) inducitur. — *Ustica* fuit parvus mons prope villam Horatii, qui, quod leniter assurgebat vel, ut Vir-[illegible]ius loquitur (Eclog. IX. 8.), *molli clivo iugum demittebat, cubans* dicitur; quemadmodum enim altius assurgentes montes *stare* (supr. 9. 1. *Vides, ut alta stet nive candidum Soracte*), ita molliter in planitiem vel vallem se demittentes *cubare* dicuntur; hinc *colles supini* apud Virgil. Georg. II. 276. — *levia*, qualia sunt, super quae rivuli decurrunt; πέτραι λισσάδες.

v. 13—16. *Di me tuentur* cett. Sententia: hanc securitatem diis acceptam refero, quibus pii et innocentis poetae, qualis ego sum, placent carmina: veni igitur et largissimis ruris muneribus mecum fruere. — *Hic tibi copia* cett. iunge: *hic opulenta copia honorum ruris manabit tibi benigno cornu ad plenum* — *benigno cornu*, tamquam e divite Amaltheae cornu (de quo vid. Ovid. Fast. V. 121 sqq.), similiter ad illud cornu copiae respexit Hor. infr. Carm. Saec. 59: *apparetque beata Copia cornu;* et Epist. I. 12. 28: *aurea fruges Italiae pleno defudit copia cornu.* — *manabit ad plenum*, largiter affluet; sic *ad plenum* pro: abundanter, apud Virg. Georg. II. 244: *dulcesque a fontibus undae Ad*

Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus, et fide Teïa
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra; nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia, nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari

plenum calcentur. — *ruris honor.*, intellige fruges, poma, flores cett.

v. 17 — 20. *reducta*, sinuosa, curva. Cf. Epod. 2. 13. — *Canicul. vit. aest.* ab aestu solis, quando Sirius saevit, te defendes; similiter Tibull. I. 1. 27: *Sed canis aestivos ortus vitare sub umbra Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.* — *fide Teïa*, lyra Anacreontis, Teïi. — *Dices labor. in un. Pen. vitr. Circ.* canes amorem quo Circe simul cum Penelope unum Ulyssem deperiit, *laborantes in uno*, graviter pro: amantes unum eundemque; verbum *laborare* enim complectitur simul notionem sollicitudinis et curarum, quibus amantes cruciari et laborare solent; sic *πονεὶν* de amoris aestu apud Graecos, et *πόνοι* de amoris cruciatibus; cf. *Iacobs.* ad *Anth. Graec. Rufin.* XVIII. 4. Dictum autem est *laborare in uno* (h. e. ob unum) ut *aestuare, flagrare, ardere in aliqua* (i. e. ob aliquam). — *vitr. Circ.* Circe, ex Homero satis nota, vel ut Nympha, a colore maris, veteris vitri colorem fere referentis, dicitur *vitrea*, ut sit *marina, caerulea*, vel, quod magis respondet usui loquendi, a vitri splendore, ut sit: *splendida, pulchra;* sic pulchra Galatea apud Ovid. Met. XIII. 792. dicitur *vitro splendidior;* et sic *vitreus* saepe est: splendidus, perlucidus. Ovid. Her. XV. 157: *Est nitidus vitreoque magis perlucidus amni Fons sacer.* — Sic infr. Sat. II. 3. 222. *fama* splendida dicitur *vitrea;* de simili usu vv. *ὑάλινος*, *ὑαλόεις* apud Graecos exempla collegit *Iacobs.* ad *Anthol. Graec.* Vol. II. P. III. p. 122.

v. 21 — 28. *innocentis*, h. e. haud ebrietate mentem obruentis, lenioris (*ἀμύμονος*); nos quoque vinum, quod non est fervidum et forte, dicere solemus *einen unschuldigen Wein.* De praestantia vini Lesbii cf. Aul. Gell. XIII. 5. — *duces*, largius bibes; uti *ducere* et *trahere pocula* (infr. Epod. 14. 4. *pocula — arente fauce traxerim*) pro: largius bibere, apud Latinos, ita *ἕλκειν, σπᾶν* apud Graecos; Eurip. Cyclop. 416: *ἔσπασέν τ' ἄμυστιν ἑλκύσας*, cf. *Bergler* ad Alciphron. I. 34. p. 149. — *nec Semeleïus* cett. nec Bacchus hilares iocos et lusus cum Martis proeliis miscebit, h. e. nec inter vina rixa orietur. — *Thyoneus* a matre Thyone, ut Semele quoque vocabatur, Bacchus dictus est. Cf. Apollod. III. 3.

v. 25. *Suspecta*, ipsi Cyro, ob amoris perfidiam. — *male dispari*, tibi, non sine malo tuo viribus ei

Incontinentes iniiciat manus
Et scindat haerentem coronam
Crinibus immeritamque vestem.

CARMEN XVIII.

AD VARUM.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis et moenia Catili.
Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

dispari, vel tibi admodum imbecilliori. — *incontinent. iniic. manus*, haud dubie similem, ubi in convivio quodam manibus non temperaverat Cyrus incontinentior, iam semel Tyndaris experta fuerat petulantiam, quam Hor. respicere videtur. Cf. supra 13. 10. — *haerent. coron. crinibus*, coronam convivalem inhaerentem crinibus, capiti impositam. — *immeritam*, innocentem; facete de re inanimata, plane ut infr. Sat. II. 3. 7: *paries immeritus.*

CARMEN XVIII.

Quum Varus (*Quintilius*, ut videtur, de quo cf. *Iahnium* ad h. l.) iam serendis in agro Tiburtino arboribus cum maxime intentus esset; poeta, prae caeteris arboribus omnibus vitis serendae curam ei commendaturus, breviter hoc carmine vini, ut efficacissimi curarum et aegritudinis remedii, laudes complectitur. Sed prudenter has laudes temperat adiectis malis, quae vinum immodice sumtum sequi solent, et sic a nimio simul vini potu, quem ipse abominatur, deterrere studet. — Nisi totum, certe initium huius carminis, expressum est ex Alcaeo, cuius fragmentum apud Athenaeum X. 8. sic se habet (p. 31. ed. Matth.): *Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.*

v. 1 — 6. *sacra*, scil. Baccho. — *circ. mit. sol. Tib. et moen. Cat.* circa agrum Tiburtinum sub mitioris aëris temperie situm, et quidem (particula *et* vim explicandi habet) circa ipsa Tiburis moenia. — *moenia Catili, Tibur*, ab uno eius conditorum Catillo; nam tres Catili filii, Coras, Catillus, Tiburnus, hanc urbem condidisse traduntur; cf. *Heyne* ad Virg. Aen. VII. 671. Excurs. VIII. Sil. Ital. VIII. 366: *Tibur, Catille, tuum.* Horatius mediam in *Catilus* elisa littera *l* corripuit.

v. 3. *Siccis omnia nam dura* cett. nam, qui vino abstinent, ad vitam duriorem, hilaritatis quippe, quae vino debetur, expertem, a sorte destinati sunt. — *siccum*, cui opponitur *vino madidus*, *uvidus* (infr. IV. 5. 39.), cum Ovidio Met. XV. 3. 3. dixeris, qui *Vina fugit gaudetque meris abstemius undis.* — *nam*, tertia sede positum, ut Epod. 14. 6.; secunda, Od. IV. 14. 9. Epod. 17. 45. — *neque aliter*, neque alio remedio nisi vini potu; si-

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata, monet Sithoniis non levis Evius,
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum

v. 7. *Ac ne*, *Bentl.* e Codd. Praeferenda est altera lectio *At ne* propter oppositionem membrorum. *R.*

militer Euripides Bacch. v. 283. de vino: *οὐδ᾽ ἔστ᾽ ἄλλο φάρμακον πόνων.* — *mordaces*, macerantes, pungentes animum (*θυμοβόροι, δακέθυμοι, θυμοδακεῖς*), similiter infr. II. 11. 17: *edaces curas* dissipare Bacchus dicitur. — *gravem militiam aut pauperiem crepat?* h. e. crebras de dura militia et paupertate querelas iacit? *crepare aliquid* (*κροτεῖν, κομπάζειν*), saepe aliquid in ore habere et repetere et hinc passim de hominibus, qui multa verba de una eademque re magno cum strepitu effutiendo aliis molestiam creant; cf. infr. Ep. I. 7. 84. Sat. II. 3. 33. et in Epist. ad Pis. 247. — *Quis non te potius* sc. crepat, et hoc pro: iterum iterumque laudat. — *decens*, ad amabilem, quae Venerem componit et subsequitur, gratiam et decorem refer. Cf. Od. I. 4. 6.

v. 7—10. Sententiarum nexus est hic: sed quemadmodum vinum modice sumtum dulcissimum curarum humanarum lenimentum est, ita idem immodice sumtum maximorum malorum causa fieri solet; bellum enim Lapitharum cum Centauris super vino exortum et cruentae Thracum inter compotationes caedes unumquemque, ne modum in bibendo vino excedat, adhortari debent. — *modici transil. mun. Liberi*, paulo sublimius pro: modum, qui tenendus est in percipiendis Bacchi muneribus, h. e. in vino bibendo, excedat. — *modici*, modice bibendi; Bacchus enim non ebrietati et rixis, quae inde oriuntur, sed modestiae favet; hinc infr. 27. 3. *verecundus* dicitur; *transilire*, notionem proterviae et temeritatis habet; cf. supr. 3. 24. — Cfr. Theogn. v. 471: *Ὃς δ᾽ ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκ ἔτ᾽ ἐκεῖνος Τῆς αὐτοῦ γλώσσης καρτερὸς οὔτε νόον.* — *Centaurea*, pugnae illius inter Centauros et Lapithas super mero in nuptiis Pirithoi exortae suavissimam descriptionem dedit Ovid. Met. XII. 219 sqq. — *Sithoniis*, Thraciae populo, pro ipsis Thracibus, quibus Bacchus *non levis*, sed gravis deus est, dum ebrios eos ad rixas et barbara facinora impellit; de Thracum vinolentia cf. infr. 27. 1 sqq. — *Evius*, Bacchus, ab illa bacchantium acclamatione *Evoe* (*εὖ οἶ*) dictus.

v. 10. *fas atq. nefas*, honestum et inhonestum, pulchrum et turpe. [*exiguo fine libidinum*, tenui illo discrimine, quod libidines statuunt, i. e. nullo fere discrimine. — *avidi*, sc. potus, ut Sat. I. 4. 126. Sat. I. 5. 75. Male iungunt *libidinum avidi*; nam cum recte quidem *libidines* dicantur voluptatis *avidae*, non aeque bene homines dici possunt *libidinum avidi.* Obstat praeterea verborum collocatio. *R.*].

Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam, nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui,

v. 11—16. *Non ego te* cett. Vulgarem sententiam: „equidem a furore illo ebrietatis, quae tibi, Bacche, displicet, diligenter mihi cavebo,“ sequentibus egregie exornavit poeta. Ex nefandis sceleribus, quae ab hominibus temulentis committi solent, unum, quod ad Bacchum proxime spectat, commemorat, impiam eius mysteria evulgandi temeritatem. *Non ego te* cett. cavebo mihi ab ista temulentia, quam, ut nefandorum scelerum causam, abominaris. — *candide*, formose, pulcher, ob perpetuam Bacchi iuventam; cf. *Broukhus.* ad Tibull. III. 6. 1. — *Bassareus*, Bacchus, a voce Thracia vel Afra *Βάσσαρος* vel *Βασσαρίς*, quam Suidas et Etym. M. explicant *ἀλώπηξ*, quia non hinnulorum tantum, sed etiam vulpium pellibus se texisse dicuntur Bacchae, quae inde dictae sunt *Βασσαρίδες*. Hesych. *Βάσσαραι· χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι Βάκχαι.* Vide *Creuzeri* Symb. Vol. III. p. 351 sq. ed. sec. — *invitum quatiam*, h. e. more tibi displicente sacra tua movebo. *quatere Bacchum* idem esse videtur, quod Bacchi *sacra commovere* apud Virgil. Aen. IV. 301: *qualis commotis excita sacris Thyias;* inprimis autem *quatere* vel *movere* ad sacrorum vasorum sub initio ceremoniae e templis sublatorum iactationem referendum videtur. — *nec var. obsita frondibus S. div. rapiam*, nec sacra occulta vel mysteria variis frondibus obtecta protraham in publicam lucem; publice enim in orgiis res quaedam mysticae in cista quadam vel arcula, hedera et pampinis obvelata, circumferri solebant a cistophoris. Catull. LXIV. 260: *Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis, Orgia, quae frustra cupiunt audire profani.* — *variis* paulo argutius vel ad colorem vel ad motum foliorum referunt; equidem simpliciter *frondes varias* de hederaceis, pampineis, aliis accipio. — *Saeva tene cum Berecyntio Cornu tympana, quae subseq.* retine et comprime saevum tympanorum et cornu Phrygii clangorem; fac, ne ad aures meas accedat horribilis tympanorum et Phrygii cornu sonitus; averte a me saevum istum, qui tympanorum et Phrygii cornu strepitu excitatur, furorem, quem subsequitur cett. et hoc pro: tutum me praesta ab ebrietatis furore, quem subsequitur cett. — *saeva*, ob saevum, quem iniiciunt, furorem, vel sonoribus saeva, h. e. terribiliter sonantia; Virgilius certe Aen. IX. 651: *saeva sonoribus arma* pro: terribiliter sonantia dixit. — *Berecyntio* h. e. Phrygio, a Phrygiae monte Berecynto, ubi colebatur Cybele, in cuius sacris iisdem, quibus in orgiis, ad furorem excitandum usi sunt instrumentis musicis; cf. supr. 16. 15 sqq. — *caecus amor sui*, stulta superbia et arrogantia. — *Et toll. vac. pl. nim. glor. vert.*, iactantia, qua nimis se extollunt homines vani; *vacuum* significanter pro: vanum, nihil habentem, quo se extollere possit. — *plus nimio*, Od. I. 33. 1. Ep. I. 10. 30. *Arcani fid. prod.*, loqua-

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

CARMEN XIX.

DE GLYCERA.

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque iubet me Semeles puer
Et lasciva Licentia
Finitis animum reddere amoribus.

citas, inconsideranter res arcanas, quae fido pectore tegi debebant, effutiens; ea dicitur *vitro perlucidior*, quod, quae gerit homo loquax in animo, veluti per vitrum elucentia facile perspiciuntur. Cf. in hanc rem ex Gnom. Gr. Brunck. p. 234: *Κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ.* — De caesura in composita voce *perlucidior* cf. *Bentley* ad Od. IV. 8. 17.

CARMEN XIX.

Poeta, qui iam satis sibi in amoris aestu deferbuisse videbatur, novis repente Veneris, Bacchi protervaeque Licentiae stimulis se agitari sentit. Novum igitur, quo Glycerae pulchritudine et eius lenociniis captus sit, amorem libere in hoc carmine fatetur tantamque eius vim esse ait, ut totus in eo occupatus iam neutiquam canendis gravioris argumenti carminibus vacare possit; immo relictis rebus omnibus sacrificium, quo Venerem placet, sibi parandum esse existimat. — Quod alii ex v. 10 sqq. suspicati sunt, poetam delatam sibi vel a Maecenate vel ab alio, ut res contra Scythas et Parthos praeclare ab Augusto gestas carmine celebraret, hac novi amoris sui excusatione detrectasse provinciam, id ad ea, quae paulo argutius poetae affinguntur, pertinere videtur. — Caeterum de novo, quo reses et iam desuetus eius animus incaluerit, amore similiter Horatius ludit infr. IV. 1.

v. 1—4. *Mater Cupidinum*, Venus, infinitae Amorum, quae in eius comitatu sunt, multitudinis mater; cf. Stat. Silv. I. 2. 62. Claud. Nupt. Honor. 47 sqq. — *Saeva*, (*χαλεπή, δεινή*) ob graves, quos *saevo cum ioco* (ut infr. I. 33. 12. dicitur) in amantium animis excitat, dolores; *saeva* iam inprimis fuit Horatio, quod sopitos in eius animo ignes resuscitabat. — *Theban. iub. m. Sem. puer*, Bacchus, assiduus Veneris comes, quod, ut Ovidius Rem. A. v. 805. canit: *Vina parant animum Veneri; οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή* (Ach. Tat. II. 3.), vel quod *Venus* (Ovid. Art. Am. I. 244.) *in vinis*, ut *ignis* in *igne*, esse solet, at *sine Libero* (Terent. Eunuch. IV. 5. 6.) *Venus friget.* — *Licentia*, ad ea, quaecumque libido suadet, instigans, apte, ut Veneris et Bacchi *πάρεδρος*, in eorum comitatu apparet. — *Finit. anim. redd. amoribus*, h. e. iterum dedere animum amoribus, quibus iam mihi solutus esse videbar; iterum servire amori, cuius iugum iam me excussisse putabam.

Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius;
Urit grata protervitas
Et voltus nimium lubricus adspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit, nec patitur Scythas
Et versis animosum equis
Parthum dicere nec quae nihil attinent.
Hic vivum mihi cespitem, hic

v. 5—8. *nitor* et *nitens* passim de formae pulchritudine; Ovid. Met. XII. 405: *Hylonome, qua nulla nitentior* h. e. formosior; — *splend. Par. mar. pur.* refer ad splendorem coloris candidi, quo *marmor Parium* inprimis insigne fuit; hinc passim *marmoreus* pro: candidus, pulcher; *cervix marmorea* apud Virgil. Georg. IV. 523. *collum marmoreum* apud Ovid. Fast. IV. 135. et *pedes marmorei* apud eundem Amor. II. 11. 15. — *grat. proterv.* explicant de illo placendi vel in amorem pelliciendi studio, quod Galli *la coquetterie* vocant; equidem *gratam protervitatem* de iocosa illa petulantia (nos: *Leichtfertigkeit*, *Muthwille*) accipio, quae haud displicet in puellis, immo eas iucundas atque amabiles reddit. — *et volt. nim. lubr. adsp.*, ob venustatem suam nimium periculosus, ita ut is, qui illum adspicit, facile tamquam in via lubrica labi h. e. in amorem rapi possit. Similiter fere *aetas puerilis* fraudi et corruptelis exposita, apud Cicer. in Verr. V. 52. dicitur *lubrica.* Est igitur *voltus lubricus πρόςωπον, ἐν ᾧ πολὺς εἰς ἁμαρτίαν ὄλισθός ἐστιν*, s. *ὀλισθηρόν*, neque vero *βλέμμα ὑγρόν*, oculi natantes [ut *Doer.* olim explicuit; correxit errorem in Edit. Min. *R.*].

v. 9—12. *In me tota ruens Ven. Cypr. des.* Venus ex insula Cypro emigrasse et toto numine suo in pectus meum immigrasse videtur, pro vulgari: ego summa Veneris potentia exerceor, summo amoris aestu agitor. Comparant, unde hausisse videtur Horatius, fragmentum Alcmanis apud Eustath. ad Hom. p. 305. C. et apud Steph. Poett. Lyr. p. 628: *Κύπρον ἱμερτὰν λιποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν.* Euripid. Hippol. 443: *Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς, ἢν πολλὴ ῥυῇ.* — *Scyth. et vers. animos. equ. Parth. dicere*, rem gravioris argumenti carmine epico celebrare, Augusti nempe laudes de Scythis et Parthis bello victis canere. — *Parthus* dicitur *versis equis animosus*, quod in arte sua *versis equis* h. e. retro in fuga tela in hostes iaciendi, magnam ponebat fiduciam; hinc Virg. Georg. III. 31: *Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.* Ov. A. A. III. 786: *Ut celer aversis utere Parthus equis.* Sen. Oed. 118: *Vidit et versas equitis sagittas, Terga fallacis metuendi Parthi.* — *attinent* sc. ad me; mihi enim, ut Veneris ministro, res iocosas tantum et amatorias mollioribus citharae modis aptare licet.

v. 13—16. *Hic vivum mihi cesp.* cett. Venerem potius sacrificio sibi

Verbenas, pueri, ponite thuraque
Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hostia.

CARMEN XX.

AD MAECENATEM.

Vile potabis modicis Sabinum

placandam esse ostensurus subito ad aram, qua illud Deae offerat, exstruendam appellit animum et servos, quae ad rem sacram pertinent, sine mora afferre iubet; quae quidem conversio vehementiores, quibus relevari cupit, amoris cruciatus egregie exprimit. — *vivum cespitem*, ad aram gramineam ex more antiquissimo exstruendam; cf. Theocrit. XXVI. 3. Ovid. Met. IV. 752. Virg. Aen. XII. 119. — *verbena* modo de quavis e sacro et secreto loco petita herba, modo de certo quodam, cuius in sacris usus fuit, herbae genere; cf. interpretes ad Virgil. Ecl. VIII. 64., ubi in sacris magicis amoris causa institutis *verbenas et thura* ministras adolere iubet venefica. — *bimi*, infra quoque I. 31. 2. in libatione *novi liquoris*, h. e. vini, fit mentio. — *mactata hostia*, quamquam *sanguinem arae Veneris offundere* vetitum fuit, ut Tacitus Hist. II. 3. in narratione de templo Veneris Paphiae refert (hinc Catull. LXVI. 91: *Placabis festis luminibus Venerem Sanguinis expertem*), hostias tamen in honorem Veneris, extorum inprimis inspiciendorum causa, mactatas fuisse, cum aliunde, v. c. Martial. IX. 91. 16. tum ex Tacito l. l. constat, ubi ille: *hostiae, ut quisque vovet, mares deliguntur, certissima fides haedorum fibris;* itaque *mactata hostia* proprie accipi posse existimo; alii, de hostiarum sanguine in sacris Veneris solliciti, pro: transacto sacrificio, positum esse existimant. — *veniet lenior*, placabitur et amoris mei cruciatus lenitum veniet.

CARMEN. XX.

Maecenati, qui Horatio se proxime eum invisurum esse promisisse videtur, ne vana forte vini generosioris, quale ipsi sit, exspectatione eludatur, nil nisi *vile Sabinum* suppeditatum iri breviter significat. Sed dum hoc vile vinum in memoriam illustris illius diei, quo Maecenas publica acclamatione in theatro exceptus fuerat a populo, se condidisse ait; mira sane urbanitate illud a re commendat, quae Maecenati debebat esse iucundissima. Quod de occasione, qua hoc carmen scripserit poeta, Cruquius e codice suo Divaei attulit: *Maecenatem in Apuliam iturum Horatio significasse, se in itinere in ipsius villam Sabinam deversurum*, utrum verum sit nec ne, in haud magno ponendum esse videtur discrimine. Caeterum hoc carmen brevius in censum eorum retulerim, quae poeta subito et αὐτοσχεδιαστὶ exarasse videtur.

v. 1—4. *vile Sabinum*, nam parvi pretii fuit *vinum Sabinum*, quod

Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,
Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

v. 5. *Clare*, *Bentl.* e Cod. Regiae Societ. [et sic *Doer.*]; *care*, Codd. reliqui. *R.*

Plin. H. N. XIV. 2. *crudum et austerum vocat.* — *cantharus*, poculum ansatum et paulo capacius; sacer inprimis *cantharus* fuit Baccho (cf. Macrob. Saturn. V. 21; adde *Porson* ad Eurip. Med. 139). Iam hi *canthari*, ex quibus apud Horatium pro re eius modica modice bibendum esset, ipsi dicuntur *modici*, ut infr. Epist. I. 5. 2. *modica patella.* Quamquam nihil impedit, quominus *cantharos modicos* de modicae magnitudinis sive paulo minoris formae cantharis explicemus et grandioris formae cantharos apud ditiores in usu fuisse statuamus. — *Graeca testa.* Romani, ut satis notum, condere vinum solebant in vasis fictilibus (*amphoris*, *diotis*, cf. supra Od. I. 9. 8.), quorum praestantiora fuere *Graeca*, sive quod terra et materies, e qua in nonnullis Graeciae civitatibus conficiebantur, esset melior et eorum bonitati et firmitati convenientior, sive quod artifices ibi in iis fingendis excellerent; ad nobiliora inprimis pertinent *vasa Cumana*, quae vulgo inter vasa Campana Etruscis accenseri solent, cf. Tibull. II. 3. 28. et ibi *Heyne.* — *levi*, h. e. oblevi (ἤλειψα) sc. pice vel cera, quibus cortex oblinebatur; Columell. XII. 18., hinc infr. III. 8. 10. *corticem adstrictum pice demovere* et apud Tibull. II. 1. 28. *vincula cado Chio solvere* dicitur. — *datus in theatro C. tibi plaus.* eo die, quo tibi theatrum ingresso applaudebat populus. Maecenas haud dubie a morbo recreatus vel a gravi quodam periculo liberatus primum post aliquod temporis intervallum hoc die in theatrum prodierat, ubi nunc sollemni illa honoris et favoris significatione, quae aliis quoque viris magnis, ut Ciceroni, Pompeiio cett. contigit, a populo Romano exceptus est. Cf. infr. II. 17. 25. — *datus cum tibi plausus*, omisso v. *est*, ut Od. II. 7. 11: *cum fracta virtus.* Sat. I. 10. 33: *post mediam noctem, cum somnia vera.* Ovid. A. A. II. 315: *sub autumno, cum formosissimus annus.*

[v. 5 — 8. Multo aptius videtur epitheton *Care*, quam quod ex uno Codice dedit *Bentleius: Clare.* Significare enim vult poeta, Maecenatem *equitem* (qua populari appellatione vel maxime ipse Maec. sibi placebat, cf. Od. III. 16. 20. Prop. III. 7. 1.) carissimum esse toti populo, quippe cum theatrum ingressus ingenti plausu ab eo exceptus fuerit. Cf. Epist. I. 20. 10: *Carus eris Romae, donec te deseret aetas. R.*] — *paterni fluminis*, Tiberis, ab Etruria, Maecenatis patria, delabentis. — *Vaticani montis*, ergo Maecenas ingressus est *theatrum Pom-*

Caecubum et prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

CARMEN XXI.

IN DIANAM ET APOLLINEM.

Dianam tenerae dicite virgines,

v. 9. *Caecubum*, Codd. plerique; *Caecubam*, nonnulli Lambini Codd. et sic *Fea, Mitsch., Doer.* — *R.*

peii, quod prope Tiberim ad montem Vaticanum versus situm fuit. — *montis imago*, vox a monte repercussa, Echo; cf. supr. ad 12. 4.

v. 9—12. Sententia: vina generosiora, *Caecubum*, *Calenum*, *Falernum*, *Formianum*, domi tibi, ubi illa servas, bibere licebit. — *Caleno* maluit poeta doctiore ratione ad *prelo*, quam ad *uvam* referre, cf. Od. I. 31. 9. — *bibes* sc. domi apud te, non apud me. — *mea nec Falernae temper.* cett. exquisite pro vulgari: mihi neque ex vitibus Falernis neque ex uvis in collibus Formianis natis vinum exprimitur, quod poculis infusum temperare (sc. aqua admixta) possim; h. e. ego nec Falernum nec Formianum vinum possideo.

CARMEN XXI.

Hunc hymnum in Dianam et Apollinem, ut recte hoc, brevius licet, carmen dixeris, cecinisse videtur poeta instante die, qui publico Dianae et Apollinis cultui sacer esset. Iam vero cum more receptum esset, ut die illo sollemni puerorum puellarumque chorus carminibus celebraret numina illa salutaria; apte Horatius, ut notus poeta et Apollinis quasi sacerdos, huius chori se magistrum et moderatorem profitetur et pueros puellasque, ut rite partes suas expleant, exhortatur. Compara inprimis Carmen Saeculare et Catulli Hymn. in Dianam Carm. XXXIV. — Argutias interpretum, qui hoc carmen vel religioso usui, ut alternis caneretur a puerorum puellarumque choro, destinatum esse contenderent, vel illud modo ad ludos Apollinares, modo ad ludos Saeculares traherent, imo partem carminis Saecularis facerent, vel denique infausto illo anno DCCXXXI. cum fame ac pestilentia Roma laboraret, scriptum esse statuerent, bene in argum. h. c. refutavit *Mitscherlichius.*

v. 1—4. Quo spectaverit communis Apollinis et Dianae religio, id optime ex Carmine Saeculari cognosci potest. Nimirum cum soli et lunae, a quibus salubris aëris temperies adeoque tam agrorum fertilitas quam corporum sanitas pendet, divinam Apollinis et Dianae personam indueret antiquitas, habiti illi sunt dii salutares, publicae salutis auctores, σωτῆρες, vel dii *averrunci*, ἀλεξίκακοι, ἀλεξίμοιροι, ἀποτρο-

Intonsum, pueri, dicite Cynthium
Latonamque supremo
Dilectam penitus Iovi.
Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis aut viridis Cragi;
Vos Tempe totidem tollite laudibus

v. 5. *comam*, Codd. nonnulli, orto fortasse errore ex antec. *laetam;* recepit tamen hanc lectionem *Bentleius*, ut ne sola Diana a pueliis, a pueris vero praeter Apollinem et Tempe et Delos cantentur. At cum Tempe et Delos idcirco solummodo celebrentur, quia gaudet his locis Apollo, uti Diana laetatur nemoribus, non est, cur lectionem admodum concinnam atque optimorum Codd. auctoritate firmatam *coma* loco suo pellamus. *R.*

παῖοι, qui famem, pestilentiam atque publicam calamitatem avertere possent; et hinc iidem sunt dii socii, πάρεδροι, σύνναοι, eiusdem religionis in eodem templo participes. — v. 2. *Intonsum*, ἀκερσεκόμην. Tibull. I. 4. 36: *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas, Nam decet intonsus crinis utrumque deum.* — *Cynthium*, a Deli monte, Cyntho. — *Latonam*, iure matri locus suus assignatur in hymno, in quo inclyta eius proles celebratur; hinc Callimachus Hymn. in Apoll. 14: χαῖρε μάκαιῤ ω Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες αγλαὰ τέκνα.

v. 5—12. Sententia: vos, puellae, dicite Dianam gaudentem fluviis et nemorum frondibus, quaecumque supereminent aut in Algido aut in Erymanthi et Cragi silvis. — *laetam* (*χαίρουσαν*, *τερπομένην*) *fluviis*, hinc apud Catull. carm, laud. v. 12: *amnium sonantum domina* dicitur. — *nemor. com. quaec. prominet*, pro vulgari: nemoribus, quae sunt cett. Qui in locutione: *nemorum coma prominet in silvis* tautologiam vix ferendam sibi deprehendisse visi sunt, diversam *nemoris* et *silvae* notionem parum perspectam habuere; *nemus* est enim pars *silvae* vel locus amoenus et reconditus in *silva;* Ovid. Met. I. 568: *Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit Silva* cett. Ars Amat. III. 689: *Silva nemus non alta facit*, cett. Iucunda igitur in silvis Dianae fuerunt *nemora*, h. e. loca amoena et recondita, recessus, praecipue in montium iugis, quo spectare videtur v. *prominet;* possis haec *nemora* vocare *saltus reconditos*, Catullus certe l. l. v. 9 sqq.: *Montium domina ut fores Silvarumque virentium Saltuumque reconditorum.* Cf. Orph. Hymn. XXXI. 4. 5. — *Algido*, monte, prope Romam, in via Appia. — *Erymanthi*, montis in Arcadia, ubi inprimis venationis studium exercere solebat Diana; Hom. Odyss. VI. 103. — *nigris silvis*, cf. Od. IV. 4. 58: *nigrae feraci frondis in Algido.* Od. IV. 12. 11: *nigri colles Arcadiae.* — *Cragi*, Lyciae montis; *viridis*, consitus igitur hic mons fuit arboribus, quarum frondes non nigro, ut silvae Erymanthi, sed viridi colore fuere conspicuae. — v. 9.

Natalemque, mares, Delon Apollinis,
  Insignemque pharetra
    Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo et principe Caesare in
  Persas atque Britannos
    Vestra motus aget prece.

CARMEN XXII.

AD ARISTIUM FUSCUM.

Integer vitae scelerisque purus

v. 14. *a populo et principe C.*, Codd. omnes, *a populo, principe C.*, de coni. *Io. Scaligeri* rec. *Iani*, *Mitscherl.*, *Doer.* At nonne Augustus aeque ac populus periculo obnoxius cogitari potest? Imo hoc ipsum principis optimi periculum facilius deorum movet miserationem. *R.*

Tempe, huius amoenissimae in Thessalia vallis, ubi Apollo suaviter interdum delitescere solebat, descriptionem dedit Aelianus Var. Hist. III. 1. — *fraterna — lyra*, lyram enim Apollo debebat fratri suo Mercurio, qui supr. I, 10. 6. *lyrae parens* dicitur.

v. 13—16. *Hic*, Apollo, deus averruncus. — *bellum lacrimosum*, triste, exitiosum, Hom. (Il. V. 737) *πόλεμον δακρυόεντα*, *bellum lacrimabile* dixit Virgilius Aen. VII. 604. — v. 15. *Persas* h. e. Parthos, Romanis infestissimos. — *Britannos*, ut populum remotissimum, *orbis* (ut dicuntur infr. I, 35. 29.) *ultimos*. — *aget*, propulsabit. Cum fine huius carminis compara Philippi Thessal. Ep. XLVII. Anth. Gr. T. II. p. 208. (Anthol. Pal. I. p. 264): *Ζηνὸς καὶ Λητοῦς θηροσκόπε τοξότι κούρη, Ἄρτεμις, ἣ θαλάμους τοὺς ὀρέων ἔλαχες, Νοῦσον τὴν στυγερὴν αὐθημερὸν ἐκ βασιλῆος Ἐσθλοτάτου πέμψαις ἄχρις Ὑπερβορέων.*

CARMEN XXII.

Poetas pietate et innocentia sua multo fortius, si in vitae periculum adducantur, quam caeteris armis omnibus defendi, id se ipsum nuper, cum horrendae magnitudinis lupus sponte se in silva Sabina, ubi defixus in meditatione carminis amatorii ultra terminum progressus esset, inermem adeo fugerit, expertum esse, cum amico suo Fusco in hoc carmine communicat. Qua quidem experientia adeo in persuasione de singulari, qua pii poetae fruantur, deorum tutela se confirmatum esse ait, ut non dubitet, quin tutus ab ullo periculo ubique terrarum securo animo amoribus suis canendis vacare possit. Simile vitae periculum, quod iam olim a se puero, ut futuro poeta, singularis deorum cura averterit, narrat infr. III, 4. 9 sqq. — Caeterum ad eundem *Aristium Fuscum*, grammaticum et rhetorem, et Horatio amicissimum, scripta quoque est Epistola decima Lib. 1. cf. Sat. I. 9. 61.

Non eget Mauris iaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
    Fusce, pharetra;
Sive per Syrtes iter aestuosas
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
    Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
    Fugit inermem;
Quale portentum neque militaris

v. 11. *expeditus*, *Bentl.* e Codd.; exquisitior tamen optimorum Codd. lectio *expeditis*. *R.*

v. 1—8. *Integer vitae*, sic infr. Sat. II, 3. 220. *integer animi* et apud Ovid. Met. IX. 440: *integer aevi* pro: vir aetatis adhuc integrae. — *Mauris iaculis* h. e. Mauritanicis, quibus Mauri ob pericula a feris bestiis, quibus scatebat eorum regio, sibi timenda instructi esse debebant. — *gravida*, plena, referta; sic Graecis *ἐγκύμων*.

v. 5—8. Vulgarem sententiam: quamvis iter ei faciendum sit per loca periculosissima, docte exornavit. *Syrtes*, loca Syrtibus (h. e. vadis illis arenosis in mari ad extremae Africae litus, hodie: *Golfe de Sidra et Gabes*) adiacentia; similiter Hor. infr. II, 20, 15. per *Syrtes Gaetulas* et Virgil Aen. IV. 41. per *Syrtem inhospitam* extremae Africae oras designat; *aestuosas*, ob arenam a solis aestu ibi ferventem; sic Iuppiter Hammon ab arenae aestu in Libya, ubi eius templum fuit, apud Catull. VII. 5. *aestuosus* dicitur; et sic apud eundem XLVI. 5. *Nicaea aestuosa*. — *inhosp. Caucasum*, montem inter Caspium et mare Nigrum situm, qui, quod ob ferarum, quae ibi latibula sua habent, immanitatem et locorum vastitatem inhabitabilis est, eleganter *inhospitalis* (*ἄξενος*, *ἄβατος*, *ἀπάνθρωπος*, Aeschyl. Prom. 19.) dicitur. — *vel quae loca* pro: vel per loca, quae cett. — *Hydaspes*, Indiae fluvius; adiect. *fabulosus* referunt ad miras narrationes, quae de immanibus ad hunc fluvium bestiis et monstris, uti de tota India, circumferuntur; respexit autem poeta fabulas, quas nunc ignoramus. — *lambit* exquisitius quam alluit.

v. 9—16. *ultra terminum*, h. e. extra terminum, intra quem alias circumvagari solebat in silva Sabina (de qua cf. Od. III. 16. 29); animum enim, qui iam totus in meditatione carminis erat, ad viam non adverterat. — *curis expeditis*, exquisitius pro vulgari: animo curis soluto et expedito; sic apud Catull. XXXI. 7: *O quid solutis est beatius curis!* pro: animo curis soluto.

v. 13. *Quale portentum*, qualem

Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget;
Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

v. 14. *Daunia in latis*, *Bentl.* cum *Lamb.*, *Cruq.* al. et Codice Pulmanni. Formam *Daunias*, quam omnes fere praebent Codd., recte defendit *Ianius* ad h. l. *R.*

monstrosam belluam (πέλωρον). *Daunias* sc. terra, Appulia, quae infr. IV, 14. 26. *regna Dauni Appuli* vocatur. — *militaris*, bellicosa; nam Appuli et Marsi inprimis inter milites Romanos virtute bellica insignes fuere; cf. infr. III, 5. 9. — *latis aesculetis* h. e. vastis et late porrectis aesculorum nemoribus. — *Iubae tellus*, Mauretania, quae Iubae ditioni subiecta fuit. — *leonum arida nutrix*, h. e. arida illa regio, quae leones inprimis nutrit; *arida* referendum ad terrae naturam, quae solis ardore exusta, torrida et *siticulosa*, ut infr. Epod. 3. 16. *Appulia* vocatur, fuit; *nutrix leonum* similiter Phrygia θρέπτειρα λεόντων appellatur in Anth. Graec. Epigr. Ἀδεσπ. CLXXIV. 1. T. IV. p. 152. (Anth. Pal. I. p. 201).

v. 17—24. Nexus et sensus: certissime igitur de singulari, qua dii me pium et innocentem poetam tuentur, cura persuasus in desertissimis terrae regionibus, sive in zona frigida, sive in zona torrida, securo animo amoribus meis vacare potero. — *pigr. ubi nulla campis* cett. sequitur primum *frigidae*, deinde *torridae zonae* descriptio, quarum altera ob nimium frigus, altera ob nimium solis ardorem ab hominibus non habitari posse putabatur. Veterum de quinque zonis opinionem ad elegantissimam earum descriptionem apud Virg. Georg. I. 233. docte et accurate exposuit *Vossius;* cf. Tibull. IV. 1. 153. Ovid. Met. I. 46 sqq. — *pigri campi* sunt steriles, ubi omnia torpent; similiter *pigra hiems* apud Ovid. Am. III. 6. 94. et *iners bruma* apud Hor. infr. IV, 7. 12. — *aestiva aura*, mitioris, qualis aestate spirare solet, aurae afflatu. — *malus Iuppiter*, spissus et frigidus aër; *urget*, tamquam onus premit, incubat.

v. 23. *domibus negata* pro vulgari: inhabitabili. — *Dulce rid. Lalag. am. Dulc. loqu.* ibi quoque in amore, quo dulcissimam Lalagen amplector, securitatem mihi praestabit pietas mea et innocentia: *dulce ridere — dulce loqui* Graecorum ἡδὺ γελᾶν, ἡδὺ λαλεῖν. Catull LI. 3: *Lesbiam dulce ridentem.*

CARMEN XXIII.

AD CHLOEN.

Vitas hinnuleo me similis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem non sine vano
Aurarum et silüae metu.
Nam seu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis seu virides rubum

v. 5. 6. *veris — Adventus*, Codd. omnes. — *vepris — Adventum*, *Bentl.* [et sic *Doer.*]. *R.*

CARMEN XXIII.

Chloen, quam, viro licet iam tempestivam, delicias tamen, quas poeta in amore apud eam facturus erat, trepido animo refugientem nec a sinu matris se avelli patientem suaviter cum hinnulo, qui levissimo quoque strepitu exterritus anxie matrem in silvis quaerere soleat, comparat, ut relicta tandem matre se, a quo nihil crudelitatis ei timendum sit, sequatur permovere studet. — Graeci cuiusdam poetae imitationem cum totius carminis color prodit, tum fragmentum apud Athenaeum IX. p. 396. D. (quod Anacreonti vulgo tribuitur) sic a Bentleio refictum:

Ἄτε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνὸν, ὅς ἐν ὕλῃ
Κεροέσσης ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.

v. 1—4. *hinnuleus*, pro hinnulus, ut supr. I, 17. 9: *haeduleae* pro haeduli. — *pavidam*, ut infra Epod. 2. 35: *pavidum leporem.* — *non sine van. aur. et silüae metu*, dum per levissimum quemque ab aura in silvis excitatum strepitum vano timore percellitur. — *silüae*, trisyll., ut Epod. 13. 2.

[v. 5—8. *Bentleii* auctoritate impulsus *Doeringius* pro Codd. omnium lectione *veris — Adventus* in textum recepit ingeniosam, partim a *Mureto*, partim ab ipso *Bentl.* profectam emendationem: *vepris — Adventum*, haec dicens: „Primum arbores nondum sub veris adventu induerunt folia, quae ventus movere et impellere possit; deinde hinnuli non sub veris adventu, sed sub eius fine, mense Iunio demum, quo nascuntur, matres suas sequi solent; aiunt quidem, plurimas in Italia esse arbores silvestres, v. c. laurum, myrtum cett., quae hieme non priventur foliis, vel per *folia mobilia* ea, quae in terram deciderint, intelligi posse, cervas autem et capreas per duos et tres annos secum ducere hinnulos; sed illas arbores vel arida folia humi iacentia poetam respexisse vix probabile est et alterum de hinnulis falsum est; caprearum enim et cervarum pulli iam unum annum nati neque amplius sunt hinnuli neque matribus amplius adhaerent, multo minus eas pavidas in silvis quaerunt.“ Sed *ver advenire* dicitur, cum arboribus comae redeunt (Od. IV. 7.

Dimovere lacertae,
Et corde et genibus tremit.
Atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor:
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

CARMEN XXIV.

AD VIRGILIUM.

Quis desiderio sit pudor aut modus

1 sqq.: *Diffugere nives, redeunt iam gramina campis Arboribusque comae; Mutat terra vices*), *hinnulei* autem (i. e. cervi anniculi) non primo tantum, quo nascuntur, mense matrem sequuntur, sed amant et quaerunt eius societatem, ut recte monuit *Ianius*, per duos et tres annos (*Oken*, Naturg. VII. p. 1289 — 91). Caeterum ipse *Doering*. Codd. lectionem: *seu mobilibus veris inhorruit Adventus foliis*, quod dictionis elegantiam et doctam orationis inversionem attineat, Horatio dignissimam iudicat. Pro vulgari: mobilia folia inhorruerunt adventu veris (h. e. Zephyri flatu) dixit poeta: *veris adventus inhorruit foliis*, i. e. ver leni foliorum agitatione adventum suum significat, *es rauscht der Frühling in den Blättern. R.*].

v. 9—12. *Gaetulus leo*, leo Africanus pro quovis alio, quia leonum parens et nutrix est Africa, cuius pars Gaetulia. — *te frangere persequor*, Graece pro: te frangendam, vel ut te frangam; *frangere*, de belluis immanioribus pro: discerpere, dilaniare, ἀγνύναι. — *tempestiva viro* h. e. nubilis, ὡραία γάμου. Suaviter puellam nubilem Virg. Aen. VII. 53. describit sic: *Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.*

CARMEN XXIV.

Virgilium graviter de morte Quintilii dolentem consolaturus consolandi rationem init longe prudentissimam. Non enim, quae sapientes de supprimendo dolore iactare solent, praecepta repetit, sed iustum piumque de carissimi amici morte dolorem probat, immo mollissimo animi affectu in eius societatem venit et laudatis singulis Quintilii virtutibus eum, qui non solum a Virgilio, quamquam ab eo praecipue, sed etiam ab omnibus bonis defleatur, dignissimum esse ait; et sic ad patientiam, qua lenius feratur, quicquid mutari nequit, Virgilio commendandam egregie sibi viam munit. — Scriptum hoc carmen esse ad magnum illum poetam, Maronem, cum ex summa quae inter utrumque poetam viguit amicitia, tum ex vv. 13. 14. colligi potest. — *Quintilius* autem idem esse videtur, cuius *iudicium acutum* et *severum* infr. in Epist. ad Pis. v. 438. laudatur, de quo Hieronymus Chron. Euseb. ad Olymp. CLXXXIX. 1. (V. C. DCCXXIX.)

Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget? cui Pudor et Iustitiae soror,
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius heu non ita creditum
Poscis Quintilium deos.

v. 5 et 12. *Quintilium*, *Bentl.*, *Vanderb.*, *Mein.*, *Or.* e Codd., *Quinctilium*, alii [et sic *Doer.*]. — v. 8. *inveniet*, Codd. *Bentl.*, *Vanderb.*, *Orelli* omnes. *invenient*, *Lamb.*, *Cruq.*, *Torr.*, *Fea.* Vide *Bentl.* et *Iahnium* ad h. l. *R.*

haec notat: *Quintilius Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur.*

v. 1—4. *Quis des. sit pud. aut mod. tam car. cap.* quam pulchre et breviter pro vulgari: cui, quaeso, dedecori sit desiderium, quo tam carus amicus efflagitatur, vel quis modum in eo tenere, h. e. ab eo sibi temperare, valeat? *tam car. cap.* tam boni et dilecti amici, φίλης κεφαλῆς. — *Praecipe*, h. e. doce me canere, praecine. Musae igitur delegat partes, quas prae doloris gravitate se ipsum sustinere posse desperat; et sic passim poetae res gravioris momenti Musis memorandas demandant; cf. Catull. LXVIII. 45. Virgil. Eclog. VIII. 63. Translatum autem est verbum *praecipere* e re scenica, ubi chori magistri carmina choro canenda *praecipiunt* h. e. praecinunt. — *liquidam* h. e. claram, sonoram, dulcisonam; sic apud Ovid. Am. I. 13. 8: *liquidum canere* dicuntur aves, quibus Lucretius V. 1378. *voces liquidas* tribuit. — *pater*, h. e. Iuppiter, qui Musas ex Mnemosyne procreasse dicitur.

v. 5—8. *Ergo Quint. perp. sop. urg.?* pro vulgari: ergo Quintilius mortuus est? — *sopor* vel *somnus*, qui *Leti consanguineus* (Virg. Aen. VI. 278.) modo *perpetuus*, ἀτέρμων, modo *longus*, μακρός, νήγρετος, modo *ferreus*, χάλκεος, dicitur, sexcenties de morte. Virgil. Aen. IX. 745: *Illi dura quies oculos et ferreus urget Somnus, in aeternam clauduntur lumina noctem.* cf. ad Catull. V. 6. — *cui Pud. et Iust. sor.* cett. quis unquam reperiri poterit eo modestior, iustior, sanctior, candidior? observent tirones in magnifico huius simplicis sententiae ornatu poetae artem. — *Pudor*, sic *Αἰδὼς* dea Euripidi Fragm. Hippol. apud Stob. t. 31. — *incorrupta*, corrumpi nescia, sancta, intemerata. — *Fides*, Cic. de Off. II. 7: *Est enim fundamentum iustitiae fides.*

v. 11—12. *Tu frustra p. h. non ita credit. posc. Quint. deos.* sententia, docta loquendi brevitate pau-

Quod si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanae redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,

v. 13—15. *Quid? si — Num*, *Lamb.*, *Vanderb.* e Codd. *Quod si — Non*, Codd. alii et pleraeque editiones. Vide *Orellium* ad h. l. *R.*

lo impeditior, est fere haec: tu susceperas quidem pia vota pro vita Quintilii, sed frustra; nam eheu! nunc poscis a Diis, ut reddant tibi Quintilium, quem (*non ita*) longe alia conditione, non, ut eum mori paterentur, sed ut eum servarent, eorum fidei credideras. — *creditum*, nimirum ex prisco et priscis opinionibus accommodato loquendi usu, qui vota suscipiunt, diis aliquid *credere* et dii, quod sub votorum conditione iis *creditum* est, *debere* dicuntur.

v. 13—20. Sententia: quamvis dulcius cineres Orpheo, cui arbores adeo aures praebuere, Quintilii tamen anima, semel inexorabilis Mercurii virga ad inferos compulsa, numquam in corpus redibit, h. e. Quintilium semel mortuum haud in vitam revocabis. Nuperrime prolata in edit. *Vanderburgii* lectio: *Quid? si Threicio — Num vanae redeat — gregi?* quam tantopere aliis placere video, mihi quidem displicet. Immo haud temere sollicitandam esse particulam *non* cum gravitate positam satis docent alii loci huic nostro simillimi; infr. IV, 7. 23: *cum semel occideris et de te splendida Minos Fecerit arbitria, Non, Torquate, genus, non te facundia, non te Restituet pietas.* et II, 14. 5: *Non si trecenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrymabilem Plutona tauris.* — *fidem moderari*, ut *lyram temperare*, pro: pulsare. *auditam arboribus* cf. supr. I, 12. 11; *arboribus* est casus tertius. — *Non van. red. sang. imag.* vana imago, h. e. anima sine corpore, non redeat in corpus, quod vim vitalem a sanguine accipit, h. e. in vitam humanam. — *Animae* mortuorum, quia externam speciem corporis, quod in vita habuerunt, repraesentare putabantur, dicuntur *imagines* (*simulacra*, *εἴδωλα*), sed *vanae* et *inanes*, sanguine quippe, carne et ossibus h. e. vero et solido corpore destitutae. — In sententiam cfr. Aeschyl. Agam. 944 (Klausen): *τὸ δ' ἐπὶ γᾶν ἅπαξ πεσὸν θανάσιμον Προπάροιθ' ἀνδρὸς μέλαν αἷμα τίς ἂν Πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων;* — *horrida*, horrorem incutiente; *aurea virga* tribuitur Mercurio *ψυχοπομπῷ* supr. I, 10. 18. ubi cf. not. — *non len. prec. fata reclud.* non audiens preces, ut viam, qua, qui ex fato ad Orcum destinati sunt, in vitam redeant, recludat et aperiat; nam (Propert. IV. 11. 2) *Panditur ad nullas ianua nigra preces*, Oppian. Halieut. IV. 394: *ἀνέκβατος ἄϊδος εὐνή*, ubi plura exempla in hanc sententiam congessit *Rittersh.* — *fata* igitur *recludere* docta brevitate pro: viam ex Orco in vitam redituris occlusam recludere. — *lenis fata recludere*, Graece, ut saepe apud Horatium, ut fata recludat, ad fata recludenda. — *nigr. compul. gregi.* similiter Mercurius animas, ut pastor gregem, virga sua compellens inducitur apud Lucian. Catapl. §. 3: *πλησίον αὐτὸς οὗτος*, (Mercurius) *ὡς ὁρᾷς, πολλούς τινας ἡμῖν ἄγων, μᾶλλον δὲ, ὥσπερ τι αἰπόλιον, ἀθρόους αὐτοὺς τῇ ῥάβδῳ σοβῶν.* — *Nigro gregi*, ad nigrum gregem, Tibull. I. 1. 5: *me vitae traducat inerti.*

Nigro compulerit Mercurius gregi
Durum: sed levius fit patientia,
Quicquid corrigere est nefas.

CARMEN XXV.

AD LYDIAM.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris iuvenes protervi
Nec tibi somnos adimunt, amatque
Ianua limen,

v. 2. *Iactibus*, magna pars Codicum. — *Orellius* alteram quidem recte praefert lectionem *ictibus*, (ut omnes reliqui editores), sed per *ictus* intelligit lapidum *iactus*, ut lectio *iactibus* nil sit nisi explicatio alterius. At quod dicit *Orellius*, vectium ictibus non facile attingi potuisse cubiculi fenestras, falsum est, cum fenestris saepe admitterentur amatores (Ov. A. A. III. 605: *Cum melius foribus possis, admitte fenestra amatorem)*; putaverim igitur, lectionem *iactibus* non tam explicationem esse alterius, quam correctione ortam librariorum item timentium, ut iuvenes vectibus attingere potuerint puellae fenestras. *R.*

CARMEN XXV.

Lydiam iam senescere et ab amatoribus, quos superbe forma adhuc potens tractaverat, deseri incipientem petulanter hoc carmine exagitat Horatius. Auguratur poeta, fore, ut Lydia, quae tanto fastu amatores reiecerit, fiat in posterum prostibulum. — Graecum quendam poetam, quem Horatius expressisse videtur, totum carmen spirat. — Caeterum compara infr. III, 15. et IV, 13., ubi Chloridem et Lycen, ut vetulas, similiter fere traducit.

v. 1—8. *fenestrae iunctae* sunt valvae *fenestris* (h. e. parietum foraminibus, quibus lux immittebatur) iunctae; nam tum fenestrae nondum ex vitro factae valvis inprimis muniri solebant; hinc *fenestrae bifores* apud Ovid. ex Pont. III. 3. 5. et Amor. I. 5. 3: *Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestrae;* itaque *fenestrae iunctae* valvis, vel valvae iunctae fenestris, iam sunt: *clausae.* — *protervi* (*ἀσελγεῖς*) refer ad lascivam petulantiam iuvenum, qui iteratis ictibus fenestras quatiendo admitti cupiunt.

v. 3. *Nec tibi somn. adim.* vim sarcasmi quis non sentit? laudant Propert. II. 16. 5. ad Cynthiam rus

Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus et minus iam:
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia dormis?
Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento,
Cum tibi flagrans amor et libido,

v. 5. *faciles* Codd. multi, *facilis*, alii. — v. 7. *longam — noctem* *Bentl.* de coni. *R.*

profectam: *Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras Nec tibi clamatae somnus amarus erit.* — Ov. Ars Am. III. 69 sq.: *Tempus erit, quo tu, quae nunc excludis amantem, Frigida deserta nocte iacebis anus; Nec tua nocturna frangetur ianua rixa* etc. — *amatque Ian. lim. Quae pr. m. fac. mov. card.* et ianua, cuius cardines saepe multumque antea movebantur, nunc amanter quasi limini suo adhaeret; suaviter pro vulgari: et nunc raro amatores intrant ianuam, quam prius celebrabat amatorum frequentia; *ianua amat* (φιλεῖ) *limen*, amanter quasi consuescit cum limine, h. e. raro aperitur. cf. infr. II, 3. 10. — *multum facilis*, facillima, paratissima, pro: saepissime. — *Me tuo* cett. sunt verba iuvenis noctu ante aedes puellae porrecti (θυραυλοῦντος), et carmen flebile (παρακλαυσίθυρον), quale est infr. III, 10., ut intromittatur, canentis. — *pereunte*, frigore et imbribus, ut infr. l. l. 4—7. — *longas noctes*, notissimus in hanc rem est versus infr. Epist. I, 1. 20: *Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque Longior.* Comparant Asclepiadis Ep. XXIII. Anthol. Graec. T. I. p. 148. (Anthol. Pal. I. p. 138): *Νὺξ μακρὴ καὶ χεῖμα, μέσην δ' ἐπὶ Πλειάδα δύνει, Κἀγὼ πὰρ προθύροις νείσσομαι ὑόμενος, Τρωθεὶς τῆς δολίης κείνης πόθῳ.*

v. 9—12. *Invicem* cett. Sententia: tu vicissim anus levis sub interlunia, quo tempore multo magis et vehementius furere solet Boreas, in viis solis et angustis copiam tui factura, moechos adeo arrogantes esse et te contemnere dolebis. — *angiportus* et *angiportum* via angusta et parum ab hominibus frequentata; hinc dicitur *solus* h. e. desertus; Terent. Eunuch. V. 2. 6: *ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo, in angiportum quoddam desertum;* prostare autem ibi solebant scorta, ut Catulli verbo utar, *semitaria.* —

v. 11. *Thracio vento*, h. e. Borea; sic infr. Epod. 13. 3: *Threicius aquilo*, Graecis enim ex Thracia, ventorum patria, flabat Boreas. — *magis* ad *bacchante* referendum esse puto, cum vere venti *sub interlunia* h. e. eo temporis intervallo, quo nec vetus, nec nova luna conspicitur, vehementius, ut tradit Veget. IV. 40. saevire soleant. — *Mitsch.* sublata post *vento* interpunctione *magis* ad *saeviet* in v. 15. trahit et verba ita inter se conciliat: *cum tibi amor et libido circa iecur saeviet magis quam Thracius ventus, qui sub interlunia bacchatur.* Sed, ut fatear, haec ratio nimis dura mihi videtur.

v. 13—20. *Cum tibi flagrans* cett. quam graviter! pro vulgari: cum libidinis explendae eris cupidissima. — *matres fur. equor.* Graecorum ἱππομανεῖν. — *circa iecur*, ut irae et cupiditatum, ita et libidinis sedem; cf. supr. I, 13. 4. Theocrit. XI. 16: *ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος Κύπριδος ἐκ μεγάλας, τό οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον.* et XIII. 71: *χαλεπὰ γὰρ ἔσω θεὸς ἧπαρ ἄμυσσεν.* Hinc Macedon. Epigr. VIII. Anth. Gr. T. IV. p. 83: *λῆξον Ἔρως κραδίης τε καὶ ἥπατος.* ubi cf. *Iacobs* in Comment. T. IX. p. 215. — *ulcerosum*, libidinibus foede laceratum, gravius pro simplici: libidinosum; infr. Epist. I, 18. 72: *Non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve.* — *Laeta quod pubes* cett. quod laeta iuventus magis delectetur virente hedera atque pulla myrto, at frondes aridas in barbaras et glaciales regiones abiiciat; suavissima allegoria! pro: quod iuvenes magis delectentur puellis aetate florentibus, at vetulas facessere iubeant. — *hedera virenti*, cum hedera passim puellae tenerae comparantur; cf. infr. I, 36, 20. et Epod. 15. 5: *pulla*, nam myrti frondes, tenerae inprimis et recens efflorescentes, subnigri et fusci fere coloris sunt; cum *myrto* Manlii sponsam, Iuliam,

Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa iecur ulcerosum,
Non sine questu,
Laeta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto,
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Hebro.

v. 17. *virenti*, Codd. plerique. *virente*, *Bentl.* e Cod. Graeviano. — v. 20. *Hebro s. Ebro*, Codd. omnes. *Euro*, *Bentl.* cum Iul. Caes. Scaligero. Rutgersio, Edit. Ald. 1509; et sic *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* — Codicum lectionem bene defenderunt *Vanderb.*, *Fea*, *Orell.* alii. Etenim quod *Bentl.* contendit, iuvenes Romanos frondes aridas non Hebro, Thraciae fluvio tam dissito, potuisse dedicare, sed in Tiberim potius aut mare proiicere debuisse, eo refutatur, quod verba *dedicet Hebro* non tam proiiciendi habent notionem, quam amandandi in remotas et glaciales regiones, tamquam propriam aridarum frondium s. vetularum sedem; quo quomodo frondes miserit Romana iuventus, non interest scire, etsi quaerenti facile possis respondere, portandas eas illuc traditas esse ventis, qui iidem initio sequentis carminis tristitiam et metus in mare Creticum portare dicuntur. Accedit, quod rectissime quidem *Hebrus* dicitur *hiemis sodalis*, utpote, qui in terra fluat frigidissima, Thracia, (quam propter perpetua fere frigora Hor. Od. III. 25. 10. appellat *nive candidam*, ut ipsum *Hebrum* Ep. I. 3. 3: *nivali compede vinctum;* collato Claudian. Bell. Get. v. 339: (*Danubius et Rhenus*) *ambo Boreae Martisque sodales*), *Eurus* contra non apte vocatur *sodalis hiemis*, cum veniat ab Oriente verno (Gell. II. 22.), neque hiemem et frigora afferat, sed tempestates et imbres (Od. I. 28. 25. Od. II. 16. 23. Od. III. 17. 11. Od. IV. 4. 43. Od. IV. 6. 10. Epod. 10. 5. Epod. 16. 56.). *R.*

CARMEN XXVI.

DE AELIO LAMIA.

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,

comparat Catull. LXI. 21: *Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis.* — *aridas frondes*, similiter vetulas per *quercus aridas* designat Hor. infr. IV. 13. 9. Cfr. Aeschyl. Agam. 79. et Macedonii Epigr. XVI. 7. 8. Anthol. Graec. T. IV. p. 85. (Anthol. Pal. II. p. 426): *νῦν δ' ἐμαράνθης, γήραος αὐχμηρῷ καρφομένη θέρεϊ.*

CARMEN XXVI.

Musis, quibus se cordi esse ait, vacaturus et carmen in Lamiam suum compositurus tristitiam, metum, et quicquid curarum publicarum aliorum animos laceret, procul a se abesse iubet. Sed tum canendis Lamiae laudibus se imparem esse sentit, eum Musarum uni, quam appellat, celebrandum commendat; qua quidem ad Musam conversione poetam Lamiae suo plus dignitatis et honoris, quam longis verborum laudisque strophis, conciliasse, suus quemque sensus docebit. — Fuit autem poetae nostri amicus *L. Aelius Lamia* tam generis antiquitate (cf. infr. ad III. 17. 1.), quam doctrina et rebus bello Cantabrico gestis clarus et nobilis. — Caeterum hoc carmen U. C. DCCXXX. scriptum esse, ex rei de Tiritade facta mentione colligi potest.

v. 1—12. *Musis amicus*, ego, qui Musas amo et ab iisdem vicissim amor, pro vulgari: ego poeta, et hoc iam pro: ego, dum carmen in Lamiam meum meditor; comparant Virg. Aen. IX. 774: *amicum Crethea Musis, Crethea Musarum comitem, cui carmina semper Et citharae cordi numerosque intendere nervis.* Similiter *φίλος Μοίσαις* apud Theocr. VI. 95. — *trist. et met. trad. prot.* cett. omnes curas et sollicitudines ex animo dimittam. Nam poetarum animus omni sollicitudine liber et vacuus esse debet; hinc Ovid. Trist. I. 1. 39: *Carmina proveniunt animo deducta sereno*, cf. eundem Trist. V. 12. 3. et Euripid. Suppl. 180 sqq. — *ventis aliquid tradere s. dividere* (Epod. 11. 16), nota loquendi apud poetas ratio de rebus, quas vel procul a nobis avertere cupimus vel non multum curamus et leviter ex animo dimittimus; sic Graecis *ἀνέμοις* vel *αὔραις διδόναι.* Anacr. Fragm. II. 9. 10: *Ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις Φέρειν ἔδωκα λύπας.* Cf. *Cerda* ad Virg. Aen. IX. 373. — *protervis* h. e. petulanter insultantibus (*protervus Africus* Epod. 16. 22.); similiter Austros *procaces* dixit Virgil. Aen. I. 536. et Euros *petulantes* Lucret. VI. 110. — *Creticum*, poetice pro quovis alio; *tradam portare* Graece (*φέρειν δώσω*) pro tradam portandos. — *quis s. Arct. R. g. m. or. Qu. Ter. ter. un. Sec.* poeta volebat subiicere: a cu-

Quid Tiridaten terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimplea dulcis. Nil sine te mei
Prosunt honores: hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

v. 9. *Pimplea s. Piplea*, Codd. omnes. *Pimpleï*, *Bentl.* cum N. Heinsio [et sic *Iani*, *Mitsch.*, *Fea*, *Doer.*]; Pimpleam enim fontis, non Musae esse nomen. At cum a nomine *Pimplea* derivetur adiectivum *Pimpleus* (Catull. CV. Martial. XII. 11.), recte Hor. Latina forma Musam dicere poterat *Pimpleam*, quae Graeca appellatur *Pimpleis.* — v. 10. *Prosunt* Codd. *Vanderburgii* et *Orellii* omnes; *possunt*, *Bentl.* e paucis Codd. [et sic *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.*] *R.*

ris, quibus alii terrentur, alienissimus. Iam vero cum eo ipso tempore vel maxime de rebus suis sollicitus esset Tiridates, eius timorem tamquam illustre et tum omnibus notum exemplum ponit. Tiridates enim, iam semel a Phraate e regno Parthorum pulsus, sed deinde vicissim Phraate a populo eiecto eidem praefectus, iam nuncio allato, regem Scytharum Phraatis in regnum restituendi causa magnum contra se ducere exercitum, novis terrebatur periculis. Iust. XLII. 5. — *quis*, quibus, cui populo, Parthis, *rex gelidae orae sub Arcto* regionis Arctoae, borealis, rex Scythicus; *quid*, quale periculum; *unice*, prorsus, plane.

v. 6. *O, quae font. — Pimplea dulc.* iam carmen in Lamiam suum exorsurus repente se convertit ad Musam, quasi ei soli carminibus tantum virum aeternitati commendandi data sit facultas. — *fontibus integris*, a nemine adhuc tactis; *fontes integri*, per quos designatur poesis lyrica, respondent *novis fidibus* v. 10. et *Lesbio plectro* v. 11. Horatius primus ex fontibus, quos nemo adhuc Romanorum tetigerat, hausit, h. e. primus Romanorum poesin lyricam tentavit. — *apric. nect. fl. Nect. m. La. cor.* pro vulgari: carmine Lamiam meum celebra; *corona*, quam nectere et capiti alicuius imponere dicuntur poetae, passim de carmine, quo laudes alicuius celebrant; sic apud Virgil. Eclog. VIII. 12. de carmine Asinio Pollioni sacro: *atque hanc sine tempora circum Inter victrices ederam tibi serpere lauros*, et sic apud Pind. Nem. XII. 113: *στεφάνους εἴρειν* et Olymp. VI. 147: *ὕμνους πλέκειν.* — *dulcis*, a cantus dulcedine, *ἡδυεπής.* *honores*, carmina, sic *τιμαὶ κλυταὶ* apud Pindar. Nem. IX. 24. — *fidibus novis*, carmine *novo*, h. e. lyrico, quale nemo apud Romanos ante Horatium cecinit, vel, ut ipse ait infr. III. 30. 13. quod *princeps ad Italos modos deduxit.* — *Lesbio plect.* cf. supr. I. 1. 34. — *sacrare*, immortalitati, Stat. Silv. IV. 7. 7: *Si tuas cantu Latio sacravi, Pindare, Thebas.*

CARMEN XXVII.

AD SODALES.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces

v. 5. *acinacis*, Codd. multi. *R.*

CARMEN XXVII.

Conspicimus iam poetam in media compotatione versantem et strenue ibi modimperatoris partes agentem. Vix enim sodales, qui nimium vino incaluerant, rixantes, tumultuantes, poculis invicem se petentes videt, cum statim non sine indignatione exsurgit, eos graviter increpat et non solum sublato barbarorum inter vina more se quietos tenere iubet, sed eorum animos quoque re multo magis compotationi conveniente occupare et sic a rixa et clamore incondito ad iocum et hilaritatem avertere studet. Appellat igitur rixantium unum, quocum haud alio pacto, nisi is statim puellae, quam amet, nomen sibi indicaverit, se bibere velle ait; ille primum recusare et tergiversari; Horatius eo acrius instare et tam laudando eius in amore honestatem quam fidem et taciturnitatem suam promittendo ei tandem persuadere, ut clam puellae nomen sibi in aures insusurret. Tum Horatius, cum nominata puella, quam bene norat, tanta arte et calliditate iuvenes amoris laqueis irretire et irretitos tenere didicisset, ut inde expediri non possent, haud laetum de sodalis sui amore canit augurium. — Compara similis coloris carmen Anacr. LVII. 7 sqq. et Theogn. v. 485 sqq.

v. 1—4. *Natis*, h. e. factis, effictis. Martial. XIV. 102: *Accipe non vili calices de pulvere n a t o s.* — *in usum laet.* in eum finem, ut essent laetitiae instrumenta. — *scyphus*, qui proprie ut *cantharus* (cf. supr. I. 20. 2.) Baccho sacer (Macrob. V. 21.), iam pro quovis poculo. — *Thracum est* sc. mos. cf. supr. ad I. 18. 9. — *ver. Bacch. sangu. proh. rix.* h. e. et a compotatione, ubi modeste et verecunde percipi debent Bacchi munera, procul abesse iubete rixas *sanguineas* h. e. ad vim et caedem spectantes. — *verecundus Bacchus*, ut supr. I. 18. 7. *Bacchus modicus*, de verecundo et modico, qualis Baccho placet, vini usu. *Bacchum prohibere rixis* pro: rixas removere et arcere a Baccho; sic apud Liv. XXXI. 25: *agros sociorum populationibus prohibere* pro: populationes arcere ab agris sociorum.

v. 5—8. *Vin. et l. M. ac. im. qu. discr.* dici enim vix potest, quantum caedes a nocturnis compotationibus discrepet. — *Medus acinaces*, gladius, quem Medi, h. e. Parthi (cf. supr. I. 2. 51.) gestare solebant, iam

Immane quantum discrepat: impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Volnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas? Non alia bibam
Mercede. Quae te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus ingenuoque semper
Amore peccas. Quicquid habes, age,

v. 13. *voluptas*, Codd. nonnulli, solito librariorum errore. *R.*

pro quibusque armis, quibus caedes perpetratur. — *immane quantum* pro vulgari: mirum quantum, h. e. longissime. — *impium* h. e. insanum, quo praeter pietatem et amicitiam sodales contra sodales assurgunt. — *et cubito remanete presso*, neque ex lectis vestris ad rixam surgite: *accumbentes* enim apud veteres *se reponebant* (ut Hor. loquitur Sat. II. 4. 39.) *in cubitum*, nempe sinistrum. — *presso* h. e. impresso, vel innixo sc. pulvillis substratis. Hinc pulvillus coenantium cubito suppositus infr. Sat. II. 3. 255. dicitur *cubital*. In sententiam comparat *Mitsch.* Phocyl. Fr. VII. (Brunck. Gnom. p. 92.): *Χρὴ δ' ἐν συμποσίῳ κυλίκων περινισσομενάων Ἡδέα κωτίλλοντα καθ ή μ ε ν ο ν οἰνοποτάζειν.*

v. 9—12. Sodales obiurgationem magistri bibendi haud iniquo animo accepisse, imo eum, ut una secum biberet, amice provocasse videntur; hinc dicit: vos me invitatis, ut partem vini Falerni vobiscum bibam? agedum bibam, sed frater Opuntiae Megillae antea nomen puellae, quam amat, mihi significet. Ita avertit Horatius convivas ad rem omnibus gratam. — *severi*, austeri, amari; nam grata amaritudo pertinet ad virtutem vini Falerni; hinc Catullus XXVII. 1: *Minister vetuli puer Falerni, Inger mi calices amariores.* — *Megilla* dicitur *Opuntia*, ab eius patria Opunte, Locridis oppido; nomen haud dubie fictum. — In vv. *beatus*, *volnere* et *perire* observent tirones suave oxymoron; simili suavitate *Amor* Posidippo Epigr. XI. 4. Anthol. Graec. T. II. 49. (Anthol. Pal. I. p. 121.) dicitur *γλυκύπικρος*, et apud Catull. LXIV. 95: *Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces*, ubi cf. quae in hanc rem notavimus.

v. 13—20. *alia mercede* h. e. alio pacto, alia conditione. — *quae te cumqu. dom. Ven.* cett. quicumque te captum tenet amor, non est, quod eius te pudeat, nam tu semper eiusmodi sectaris amores, qui iuveni ingenuo haud dedecori sunt. — *amore peccare* simpliciter pro: amare, ut infr. I. 33. 9. et sic saepe alibi, praecipue de amore haud legitimo. — *Quicquid habes*, quamcumque de-

Depone tutis auribus. — Ah miser,
Quanta laborabas Charybdi!
Digne puer meliore flamma!
Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

v. 19. *laborabas Char.*, Codd. plurimi atque optimi; *laboras Char.*, alii. *laboras in Char.*, *Bentl.* cum *Lamb.*, *Cruquio*, *Torr.*, Ed. Ald. 1509 [et sic *Doer.*]. *R.*

mum amas puellam; similiter Catullus VI. 15: *Quare, quicquid habes boni malique, Dic nobis.* — *depone tutis auribus*, committe mihi, cui tuto et sine ullo metu, ne evulgetur, committere potes. Auribus *tutis* opponuntur infra Sat. II. 6. 46. aures *rimosae*. — [*quanta laborabas Charybdi*, quanto malo laborabas, cum ex te nomen amatae puellae quaererem; iam non miror, te cessasse quaerentique mihi respondere noluisse! Imperfectum igitur *laborabas*, in quo *Bentleius* tantopere offendit, referendum est ad id tempus, quo roganti Horatio amicus respondere cunctatus erat. Quod autem cum solo ablativo v. *laborare* iunxit Horatius, rectissimum est, cum *Charybdis* significet malum ex improbae puellae amore ortum, ut ipsa puella quasi malum videatur, quo quis laborat. Similiter Ov. Am. II. 5. puellam *perpetuum* sibi *natam malum*, et Sidon. Ep. IX. 6. meretricem rapaciter amatoris bona absorbentem *domesticam Charybdim* vocat. Recte igitur se habet optimorum Codd. lectio *laborabas Charybdi*, quam mutarunt librarii, ut facilius procederet oratio; nunquam vero mutassent alteram faciliorem lectionem *laboras in Charybdi*, si in Codd. invenissent. *R.*]

v. 21 — 24. *Thessalis venenis*, herbis potentibus (φαρμάκοις), quarum in artis magicae usum feracissima fuisse dicitur Thessalia. — *quis poterit Deus?* Proverbialis locutio in rebus perditis et desperatis. — *Vix illig. te trif. Peg. exped. Chim.* pro vulgari: nullus omnino ab amore, quo ista te vinctum tenet, dissolvere poterit. — Meretrix illa, rapacitate sua iuvenum bonis infestissima, comparatur cum triformi illo monstro, Chimaera (de quo Hom. Il. VI. 181: *Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα*), quam Lyciae regioni infestissimam Bellerophon Pegasi a Minerva in hanc rem ei traditi ope occidisse dicitur; Hesiod. Theog. 325: *τὴν μὲν Πήγασος εἷλε καὶ ἐσθλὸς Βελλεροφόντης.* — *illigatum Chimaera*, annexum quasi Chimaerae, h. e. amoris laqueis ab hac meretrice irretitum. Bene in hanc sententiam attulit *Mitsch.* Epigr. XXXII. *Ἄδεσπ.* in Anth. Graec. Tom. IV. p. 124. (Anth. Pal. II. p. 335): *Παιδείῳ, Θρασύβουλε, σαγηνευθεὶς ὑπ' ἔρωτι Ἀσθμαίνεις, δελφὶς ὥς τις ἐπ' αἰγιαλοῦ Κύματος ἱμείρων· δρέπανον δέ σοι οὐδὲ τὸ Περσέως Ἀρκεῖ ἀποτμῆξαι δίκτυον, ᾧ δέδεσαι.* cf. Lucill. Epigr. LXXXVIII. in Anth. Graec. T. III. p. 46. (Anth. Pal. II. p. 387): *οὔτε Χίμαιρα τοιοῦτον ἔπνει κακόν, ἢ καθ' Ὅμηρον, οὐκ ἀγέλη ταύρων.*

CARMEN XXVIII.

ARCHYTAS.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae

CARMEN XXVIII.

Archytas Tarentinus, Pythagoreus, magna geometriae et astronomiae scientia pariter ac morte, qua naufragio prope Apuliae litus facto periisse traditur, notus, iam in hoc carmine, quod totum sententiae: *de communi moriendi necessitate*, tractandae destinatum est, cum nauta quodam loquens inducitur. Fingitur enim nauta quidam, cum forte in Archytae corpus fluctibus prope litus Matinum eiectum incidisset mirabundus eum ita fere allocutus esse: Ergo ne tu quidem, Archyta, mortem effugere potuisti, et nunc, qui antea immensa maris, terrae et caeli spatia emensus es, tam exiguum terrae spatium corpore occupas? cui Archytae Manes inde a v. 7. usque ad carminis finem: non est, quod me occidisse mireris; Tantalus quoque, Tithonus, Minos, Pythagoras occiderunt nec ullus quisquam moriendi necessitate exemtus est; sed diverso modo et diversa aetate moriuntur homines; alius in bello, alius in mari, alius in iuventute, alius in senectute morti succumbit; equidem naufragio perii; inhumato igitur mihi particula terrae iniecta iusta persolve; quod si feceris, secundam et quaestuosam navigationem tibi apprecor; at si me neglexeris, iusta huius sceleris te tuosque nepotes manebit poena, — quamvis festines, hoc tamen pietatis officio, quod brevissimum temporis spatium exigit, antequam ulterius navigas, defungi poteris. — Vestigia Graeci cuiusdam poetae, quibus Hor. institerit, ubique in hoc carmine expressa animadvertes. [De totius huius carminis consilio ac conformatione optime nuper disputavit *Weiskius* (*Iahnii* Annall. Phil. et Paed. a. 1830), qui in universum hoc statuit: „apud Archytae sepulcrum loquentem induci umbram hominis naufragio exstincti, qui comparata sua cum simili Archytae sorte alios quoque claros viros communi moriendi necessitati obnoxios fuisse enarret ac denique nautam casu eam oram praetervehentem roget, ut ter iniecto pulvere ossa sua inhumata sepeliat.“ Quam quidem *Weiskii* sententiam comprobavit in epistola gratulatoria collegarum nomine ad ipsum *Doeringium* a. 1832. missa Vir Doctissimus *Fr. Kriesius*, qui in ea tantum re dissentit a *Weiskio*, quod non ipsius Horatii, sed cuiuslibet alius naufragi umbram loquentem induci putat. Idem iudicat *Orellius*. Equidem certi nihil affirmare ausim, admodum tamen veri simile puto, Horatium periculum, quod ipsi in itinere maritimo imminuerit, poetico modo exornasse et, tamquam revera undis obrutus fuerit, se iam exanimem in iisdem regionibus, ubi quondam Archytas naufragium fecerat, iacentem finxisse. Utut res se habet, de colloquio certe cogitandum non videtur. *R.*]

v. 1 — 6. Nauta usque ad v. 7. loquitur. [Ex nostra sententia poeta

Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera, nec quicquam tibi prodest
Aërias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,

ipse alloquitur Archytam, qui naufragio exstinctus prope litus Matinum humatus erat. *R.*] — *maris et terrae mensorem*, geometram; *numer. car. aren. mens.* arithmeticae, qua infinitum arenae numerum subducere didicerat, peritum; exstabat olim de *arenae numero* Archimedis liber Ψαμμίτης inscriptus. — *parva munera exigui pulveris*, ornate pro: pulvis exiguus, exigua pulveris pars; *munus*, ut saepe servit periphrasi, ut infr. Od. II. 1. 38. — *cohibent*, apposite et cum delectu iam pulvis exiguus vel spatium arctissimum *cohibere* h. e. capere, retinere, coercere, dicitur Archytam, cuius animus amplissima maris, terrae et caeli spatia antea complexus et emensus fuerat; infr. II. 20. 8: *nec Stygia cohibebor unda*, III. 4. 80: *trecentae Pirithoum cohibent catenae*. [Rectius intelligitur ipsum Archytae sepulcrum. *R.*] — *litus Matinum*, de ora Calabriae occidentalis, a Calabriae promontorio *Matino*. — *aërias tentasse domos, animoque rot. percurr. pol.* pro vulgari: astronomiae operam dedisse. Similiter fere in Epigr. II. Ptolemaei Reg. Anthol. Gr. T. II. p. 65. (Anthol. Pal. II. p. 205): *Οἶδ᾽ ὅτι θνατὸς ἐγὼ καὶ ἐφάμερος· ἀλλ᾽ ὅταν ἄστρων Μαστεύω πυνικὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας, Οὐκέτ᾽ ἐπιψαύω ποσὶ γαίης* cett. *tentare aërias domos*, quod adiecta locutio *animo rotundum polum percurrere* magis explicat, iam est: caelum vel caeli sidera explorare, perscrutari, emetiri; sic passim *tentare* simpliciter pro: *explorare* dicitur; Virg. Aen. III. 32: *causas penitus tentare latentes.* et supr. I. 11. 3: *Babylonios numeros tentare.* Itaque *tentare* ad impium ausum, quo Archytas, ut philosophus, in naturam deorum inquisiverit, cum *Mitsch.* referre nolim. *animo percurrere polum* dictum est, ut *mente animoque omne immensum peragrare* apud Lucret. I. 73. — *morituro*, cum tamen moriendum tibi fuerit. Od. II. 3. 1: *Aequam memento rebus in arduis Servare mentem — moriture Delli.*

v. 7 — 16. *Occidit et Pelopis* cett. Archytas iam nautae usque ad carminis finem respondet. [Imo pergit Horatius Archytam ac semet ipsum de communi moriendi necessitate consolaturus. *R.*] — Sententia et nexus huius paulo impeditioris loci est hic: noli, quaeso, o nauta, mirari, quod ego occiderim; occidit quoque Tantalus, quamvis deorum epulis admissus est, et Tithonus, quamvis ab Aurora in caelum raptus est, et Minos, quamvis cum ipso Iove familiariter versatus est; Pythagoras adeo, qui iam semel Troiani belli temporibus sub Euphorbi, Panthoi filii, persona se vixisse refixo scuto testatus est, quamquam tum non plane morte extinctus est, quia non ipsam animam, sed nervos atque cutem tantum morti concesserat, h. e.

Tithonusque remotus in auras,
Et Iovis arcanis Minos admissus: habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum, quamvis clipeo Troiana refixo
Tempora testatus nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae,

corporis exuvias tantum deposuerat, Pythagoras, inquam, qui vel te ipso iudice magnus philosophus fuit, iterum ad Orcum demissus est. — De moriendi necessitate Archytas [Horatius] acquiescit in solatio, quod alii quoque viri nobiles a nobiliorum ante se mortuorum exemplo petierunt. Sic Achilles apud Hom. Il. XVIII. 117: *Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε Κῆρα, Ὅςπερ φίλτατος ἔσκε Διῒ Κρονίωνι ἄνακτι.* cf. eundem lib. XXI. 107. Lucret. III. 1038. et 1055. Virgil. Aen. X. 469 sqq. et Hor. infr. II. 16. 29. IV. 7. 13. — *Pelopis genitor*, Tantalus, rex Lydiae, qui, cum esset opulentissimus, ipsos deos ad convivia vocasse et ab iisdem vicissim eorum mensis adhibitus fuisse dicitur; cf. Euripid. Orest. 9. Pind. Olymp. I. 55. Ovid. Met. VI. 173 sqq. hinc *conviva deorum*. — *Tithonus*, Laomedontis, regis Troiani, vel frater vel filius, ob insignem corporis pulchritudinem ab Aurora in *auras* quidem *remotus* h. e. in caelum raptus (*ὃν ἀστέρων*, ut Euripid. Troiad. 855. loquitur, *τέθριππος ἔλαβε κρόκεος ὄχος ἀναρπάσας*), sed longa senectute (cf. infr. II. 16. 30.), quam ab immortalitate per Iovem ei concessa deprecari Aurora neglexerat, consumtus esse fingitur; cf. Hygin. Fab. 270. — *Iov. arc. Min. admiss.* Minos, rex ille Cretae, cum nono quoque anno in specus religione consecratum secederet et in eo moratus, tamquam a Iove, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges praerogaret (Val. Max. I. 2. 1. Ext.), *Iovis arcanis* (colloquiis, consiliis) *admissus* dicitur. Hinc ille apud Hom. Od. XIX. 179: *Διὸς μεγάλου ὀαριστής* audit, de quo Pausan. III. 2. 207: *βουλεύσασθαι ὑπὲρ τῶν νόμων οὐκ ἄνευ θεοῦ τὸν Μίνω.* — *habentque Tart. Panth.* Archytas [Horatius] iam pio gratoque animo in virorum nobilissimorum censum refert quoque magnum suum praeceptorem [Archytae praeceptorem] Pythagoram, qui propositam de metempsychosi sive animarum migratione doctrinam, cum non solum se Troiani belli temporibus *Panthoiden*, Panthoi filium, Euphorbum (Hom. Il. XVI. 808.), fuisse affirmasset, sed id quoque *clipeo*, quem se Euphorbum gestasse aiebat, in templo Iunonis haud procul Mycenis, ubi ille inter alia *ἀναθήματα* affixus esset, *refixo* (h. e. detracto) et vere Euphorbi nomine, uti praedixerat, inscripto comprobasset, suo ipsius exemplo stabilivisse dicitur; v. Ovid. Met. XV. 160 sqq. cf. Interpp. ad Aelian. V. H. V. 26. et ad Diog. Laert. VIII. 5. — *iterum Orco demissum*, h. e. iterum mortuum, nam semel, necatus nempe, cum Euphorbus esset, a Menelao, ad Orcum demissus erat, ubi tamdiu eius anima latuit, usque dum in novum corpus ei migrare liceret. — [*quamvis — concesserat*, quam-

Iudice te non sordidus auctor
Naturae verique. Sed omnes una manet nox
Et calcanda semel via leti.
Dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
Exitio est avidum mare nautis;
Mixta senum ac iuvenum densentur funera, nullum
Saeva caput Proserpina fugit.

v. 14. *Iudice me*, Vir Doctus apud Cuningh. et sic *Ianius*. *R.* — v. 18. *avidum*, Codd. plerique iique optimi; *avidis*, libri nonnulli et sic ante *Bentl.* editiones fere omnes. *R.*

vis secundum doctrinam suam corpus tantum morti concesserat, tamen iterum in Orcum demissus est neque animus eius in aliud migrans corpus in vita permansit. *R.*] — *Iudice te*, ut tu ipse iudicabis; nam cum in inferiore Italia, haud dubie huius nautae, h. e. mercatoris, patria, Pythagorae nomen celebratissimum esset, sane de iudicio, quod ille de Pythagora habiturus esset, certus esse potuit Archytas; itaque lectio *Iudice me*, quam ex coniectura aliorum in textum recepit *Iani*, neutiquam probanda est, praecipue cum Pythagorae commune et publicum de eo iudicium longe honorificentius sit privato. Erudite et copiose de hoc loco disputat *F. A. Wolfius* in Opusculis sive: *Vermischte Schriften und Aufsätze* (*Hall.* 1802.) p. 431 – 452. [Omnis difficultas statim tollitur, si haec poetae Archytam alloquentis verba esse statuimus. *R.*] — *non sordidus*, haud contemnendus per λιτότητα pro: magnus, gravis; *auctor naturae verique*, doctor eorum, quae in rerum natura latent et quae vera aut falsa sunt, vel: qui in rerum naturam penetrare et vera a falsis discernere docet, h. e. philosophus. Sic *auctor* pariter de philosophiae doctore apud Cic. Off. II. 2: *quamquam in antiquissima philosophia Cratippo auctore versaris.* — *Sed omn. un. man. nox* cett. cf. in hanc sententiam supr. I. 4. 19. infr. II. 3. 21. et 14. 11. Propert. III. 20. 21: *Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo, Est mala, sed cunctis ista terenda via.*

v. 17—22. Diversa mortis genera latius exsequitur Stat. Silv. II. 1. 210 sqq. et alii. — Qui in bello pereunt, sublimiore imagine a *Furiis Marti spectaculo dari* dicuntur; scilicet *Furiae*, quae in proeliis adsunt (cf. Virgil. Aen. VII. 324 sqq.), instigant et in furorem coniiciunt pugnantes, quos immitis, qui et ipse adest, Mars saevo cum ioco caedi videt. Cf. Od. I. 2. 37. — *avidum*, omnia absorbens et deglutiens. [Similiter infra Od. III. 29. 61: *avarum* dicitur mare. *Avidis* otiosum esset epitheton, cum non pereuntes, sed variae leti viae describantur. Vide *Iahnium* et *Orellium* ad h. l. *R.*]. — *densentur*, coacervantur, a *densere*, verbo Lucretiano. — *null. saev. cap. Proserp. fugit*, a nullo capite abstinuit saeva Proserpina; h. e. nullus adhuc capitis crinis saevae Proserpinae manibus se subducere potuit. — Datum est enim Proserpinae id negotii, ut mori destinatis crinem de vertice abscinderet. Virg. Aen. VI. 698: *Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.* Scilicet ut victimae, pilis in fronte evulsis et in ignem coniectis (cf. Virg. Aen. VI. 245. quod proprie κατάρχεσθαι dicebatur), diis superis ita morti destinati, crine abscisso, tamquam victimae, diis inferis consecrabantur. — Eandem sententiam Horatius infr. Sat. II. 6. 94. ita variavit: *neque ulla est Aut magno aut parvo leti fuga.* — *Me quoque* cett. ergo ego quoque perii et quidem naufragio. *Notus rapidus comes devexi Orionis*, ornate pro vulgari: tempestas. Nam sub occasu Orionis (Virg. Aen. VII. 719: *Saevus ubi hibernis Orion conditur undis*) furere et tempestatem ciere solent venti. (Hesiod. *Ἔργ.* 261: *Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θύουσιν ἀῆται.* Epod. 15. 7: *nautis infestus Orion.*) Hinc *Notus* (*quo non arbiter Hadriae Maior, tollere seu ponere vult freta* supr. I. 3. 15.) dicitur *comes Orionis devexi* h. e. occidui; similiter Orion ad occasum se vergens infr. Od. III. 27. 18. vocatur *pronus*. — *obruit* Virg. Aen. VI. 336: *Obruit Auster, aqua involvens navemque virosque.* — *undis Illyricis*, fluctibus maris Illyrici, h. e. Adriatici.

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare: sic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae te sospite, multaque merces,

v. 23 — 29. *ne parce malignus ar.* cett. noli, quaeso, tam maligno et inhumano in me esse animo, ut operae parcas vel graveris, particulam levis pulveris (*ψαμάθου μόριον βραχύ* in simili re apud Diodor. Zon. Ep. IX. 7. Anthol. Graec. T. II. p. 70.) inhumato meo corpori iniicere; nam cum veteres teneret opinio, animam insepulti corporis non posse quieti dari, sed centum annos circa Stygem vel circa corpus errare, nihil inhumati corporis sorte cogitari iis potuit atrocius. Haec cogitatio misere quoque cruciabat Ariadnen a Theseo in sola insula Naxo derelictam, dum dicit apud Catull. LXIV. 153: *neque iniecta tumulabor mortua terra.* Cf. Virg. Aen. VI. 365. Apposite cum Hor. *Mitsch.* comparavit Iuliani Aegypt. Ep. LIV. Anthol. Gr. T. III. p. 207. (Anth. Pal. I. p. 484): *Πλώεις ναυηγόν με λαβὼν καὶ σήματι χώσας; Πλῶε, Μαλειάων ἄκρα φυλάσσόμενος. Αἰεὶ δ' εὐπλοΐην μεθέποις φίλος· ἢν δέ τι ῥέξῃ Ἄλλο Τύχη, τούτων ἀντιάσαις χαρίτων.* — [*capiti inhumato*, ad hiatum evitandum *Hofm. Peerlkamp* proposuit *intumulato*. Similis tamen hiatus apud Hor. exempla collegit *Lindemann*, de hiatu in verss. Horatt. 1825.] — *sic, quodcumque* cett. quod si feceris, opto, ut, quaecumque tibi in mari Italo naviganti tempestas imminebit, te sospite in silvas Venusinas (i. e. silvas circa Venusiam, Horatii patriam) avertatur; de usu particulae *sic* cf. supr. ad I. 3. 1. *merces*, lucrum, quaestus, *unde* h. e.

Unde potest, tibi defluat aequo
Ab Iove Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita iura vicesque superbae
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter pulvere curras.

v. 31. *fors et*, Codd. plerique; *forsan*, *forsit*, alii. *R.*

a quo, sc. Iove, *potest* sc. defluere, cf. supr. ad I. 12. 17. — *tibi defluat*, affatim tibi affluat, largiter in te effundatur (ἐς τὲ καταῤῥεῖ Theocrit. 1. 5.). — *Neptun. sacr. cust. Tarent.* cum Tarentini Neptunum, ut deum tutelarem (ἐγχώριον), ad cuius filium, Tarantem, urbis suae primordia adeo referebant, singulari cultu venerarentur, Archytas sane, ut Tarentinus, multo magis sperare poterat, fore, ut deus patrius precibus eius locum relinqueret. [At poetam, non Archytam, loqui iam indicavimus. *R.*]

v. 30—36. *Negligis — committere?* an parum curas scelus committere, nepotibus tuis, qui nihil tale meruerunt, expiandum? — Nam quicumque in corpus mortui inciderat nec illud sepeliendum curaverat, is secundum antiquissimorum populorum opinionem deos contra se irritasse (Hom. Odyss. XI. 73.), et hoc graviore quasi scelere (ἄγει) non solum se, sed etiam nepotes suos, eorum irae atque vindictae obstrinxisse putabatur; de qua re vide, quae *Valcken.* ad Eurip. Phoeniss. 491. et ad Hippol. 826. attulit. *postmodo te natis*, nepotibus, τοῖς ἐξοπίσω παισίν. — *te* aptius in casu sexto pro: ex te, ad *natis*, quam in casu quarto ad *committere* refertur; *natus aliquo* pro: ex aliquo, sexcenties. — *fors et*, fortasse etiam. — *debita iura*, poena, quam quis debet, cui quis obstrictus est, poena merita. *vices superbae*, h. e. superbiae, quam quis vicissim ab aliis experitur, poena, ἀντίποινα, ἀμοιβή; sic apud Propert. I. 13. 10. *vices exigere* pro: poenam vicissim exigere, iniuriam remunerari, ulcisci. — *prec. non linq. inultis*, haud inultae et irritae erunt meae imprecationes, si insepultum me hic reliqueris. — *resolvent*, sc. a poena, cui scelere tuo te obligasti. — *iniecto ter pulvere*, nam ad iusta inhumati corporis persolvenda parva iniectae terrae vel pulveris particula sufficiebat, quod Graeci γῆν vel κόνιν ἐπαμήσασθαι dicebant; vid. *Dorvill.* ad Charit. p. 422 sqq. edit. Lips.

CARMEN XXIX.

AD ICCIUM.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas? Quae tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?

CARMEN XXIX.

Cum Iccius, ex umbra et otio, ubi se totum huc usque philosophiae abdiderat, nunc in solem, quod aiunt, et pulverem proditurus nomen suum praeter exspectationem omnium professus esset apud exercitum, quem Augustus duce Aelio Gallo in Arabiam Felicem ditioni suae subiiciendam missurus erat (de qua, quamvis parum prospero successu U. C. DCCXXX. suscepta expeditione vid. Dio LIII. p. 723. Strabo XVI. p. 780. et Plin. VI. 28.), Horatius amici consilium miratus non sine ironia quadam quaerit ex eo, quomodo fieri potuerit, ut, qui unice antea philosophiae operam navaverit, nunc oblatam opes et gloriam bellicam parandi occasionem tam cupide arripuerit. — [Egregie de *Iccio* disputavit *Fr. Iacobsius*, Verm. Schriften, T. V. p. 2 sqq.].

v. 1—10. *beat. n. Arab. invid. gaz.* quasi compulerit Iccium ad militiam divitiarumin Arabia Felice sibi colligendarum cupiditas. — *nunc*, cum vi, tu, qui ante philosophiae unice intentus eras. — *beatae gazae* sunt, quibus censentur beatiores, quae sunt beatiorum, sic apud Catull. LXVIII. 14. *dona beata* petere pro: dona, quae sunt beatiorum, petere. — *et acr. mil. par. n. a. dev. Sab. reg.*, bellum paras hostibus formidolosissimis, invictis adhuc Sabaeae regibus; quis hanc tuam non miretur audaciam! — *Sabae. reg.* Sabaea, Arabiae Felicis pars, pro totis eius finibus; habebat autem unaquaeque Arabiae Felicis pars suum regulum. — *non ant. devict.* nondum enim usque ad Arabiam Felicem, quam philosophus noster nunc perdomiturus erat, Romanorum arma penetraverant. — *horribil. Med.* exercitum enim illum, quem secuturus erat Iccius, ad Parthos Indosque simul debellandos destinatum fuisse, ex locis supr. I. 12. 56. et infr. I. 35. 31. colligi potest. — *horribili*, hosti vel maxime fortitudine sua Romanis timendo. — *nectis catenas*, servitutem paras. — *Quae tibi virginum* cett. Sententia: quam magnificus tibi victori accedet honor, quando regia virgo, cuius sponsum necaveris, tibi serva, et puer regius, bene in sagittarum iaciendarum arte exercitatus, pincerna erit? — *quae virginum barbara* pro vulgari: quae virgo barbara, vel: quae barbararum virginum; per *virginem barbaram* intelligo *regiam*, quae infr. III. 2. 8., ubi pariter de Romanorum fortitudine, sponsis barbararum virginum infesta, agitur, plenius *adulta bel-*

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus et Tiberim reverti,
Cum tu coemtos undique nobiles
Libros Panaeti Socraticam et domum
Mutare loricis Hiberis,
Pollicitus meliora, tendis?

v. 13. *nobilis*, e Codd. *Bentl.*, *Mein.*, *Or.* (iungentes *nobilis* — *P*... *naeti*), *nobiles*, reliqui. Praetulerim accusativum (*nobilis* s. *nobiles*), ... *nobiles libri* opponantur *loricis Hiberis*. Vide *Ianium* ad h. l. *R.*

lantis tyranni virgo dicitur. — *puer quis ex aula* sc. Arabum vel Parthorum regis cuiusdam, h. e. puer regius. — *ad cyathum stat.* sc. ut vinum infundat et ministret, h. e. pocillatoris munere fungatur. *statui* pro: stare. Auson. Idyll. de Hist. 19: *Stat Iovis ad cyathos, genuit quem Dardanius Tros.* — *capill. unct.* nam ad conviviorum magnificentiam et splendorem pertinebat quoque pincernarum tam formositas quam externus cultus, inter alia in crinibus eleganter comendis et unguendis positus. — *Doct. sag. tend. arc. pat.*, puer ingenuus, gentis suae artes bene callens. — *tendere sagittas arcu*, paulo audacius pro: sagittas ex arcu tento iacere; nisi quis *tendere* simpliciter pro: dirigere, dictum putet. Similiter *telum tendere* dixit Virgil. Aen. V. 508: *Post acer Mnestheus adducto constitit arcu, Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.* — *Sericas*, ab Orientis populo, Seribus, iaculandi arte nobilissimis; est igitur *Sericus*, nisi forte ipsam gentem, Seres, ab Iccio domandos, poeta respexerit, epitheton ornans, ut paulo post v. 15: *loricae Hiberae* et IV. 9. 17: *Cydonius arcus.* I. 15. 17 *Gnosius calamus.* I. 27. 5: *Medus acinaces.* I. 16. 9: *Noricus ensis* et eiusmodi generis alia; *paterno*, a patre, qui eo usus fuerat, accepto.

v. 10—16. *ard. pron. relab. poss. riv. mont.* h. e. fieri posse, ut rivi sursum pariter ac deorsum prono cursu ad arduos montes relabantur; *montibus* est casus tertius. Caeterum fluviorum ad fontes recursus saepe de rebus, quae fieri non possunt, vel de verso rerum ordine; vid. Interpp. ad Ovid. Her. V. 30. — *Panaet.* Panaetius, Rhodius, Stoicorum princeps, Antipatri discipulus, Posidonii doctor (Cic. Divin. 1. 3.) Scipionis Africani Maioris familiaris (Vell. Pater. II. 13. 3.), multis, quos scripsit, libris, praecipue, περὶ τοῦ καθήκοντος, nobilitatem nactus; cf. Cic. de Offic. I. 2. et III. 2. — *Socratic. dom.* intellige libros philosophorum e familia h. e. secta vel schola Socratis, v. c. Xenophontis, Platonis, Aeschinis cett. — *Hiberis*, ex ferro optimo, Hispano nempe, confectis.

CARMEN XXX.

AD VENEREM.

O Venus, regina Gnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron et vocantis
Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.
Fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
Et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

CARMEN XXX.

Dum Glycera, haud dubie puella formosior, sacra in domo suo parat Veneri; hanc, ut dextra atque propitia cum toto comitatu suo illi adesse velit, piis precibus poeta implorat. — Similitudinem quandam cum hoc carmine κλητικῷ habet Fragm. XXIX. apud Anacr. edit. Fisch. p. 271.

v. 1—4. *regina Gnidi*, sic vocatur Venus, quia, ut dea tutelaris, Gnido praeerat et imperium suum ibi exercebat; *Gnidus* (s. *Cnidus*), urbs Doridis in Caria, simulacro Veneris a Praxitele sculpto nobilissima. v. Pausan. Attic. I. 20. Plin. XXXVI. 5. — *Paph.* Paphus, Cypri oppidum, Veneris cultu satis notum, cf. Virg. Aen. X. 51. et I. 415. — *Sperne*, pro vulgari: relinque, desere; sic supra I. 19. 9. Venus, cum tota in animum poetae rueret, *Cyprum deseruisse* dicitur; *spernere* nempe hactenus iam debebat Venus Cyprum, ut, quamdiu in domo Glycerae ei sacra fierent, tamdiu illam propriae suae sedi anteponeret. Plures urbes Veneri sacras recenset Catull. XXXVI. 11 sqq. — *vocantis te thure multo* h. e. advocantis et invitantis te ad lautiora tibi adolenda sacrificia. *decoram*, refer ad munditiem et nitorem, quo, ut decebat die festo, domus splenduit.

v. 5 — 8. *Fervidus tecum puer* cett. Sententia: et quidem cum dulcissimis, qui assidue tibi adhaerere solent, comitibus, Amore, Gratiis, Nymphis, Iuventate, Mercurio. — *fervidus*, est enim *Amor* animosus et fervidioris ingenii puer. — *Gratiae*, perpetuae Veneris comites et ministrae, cf. supr. I. 4. 5. et Hom. Hym. in Ven. v. 61. Claud. de Nupt. Honor. v. 100. — *solutis zonis*, discinctae, sine zonis; quod ad gratam Gratiarum negligentiam referendum. — *properentque*, de transpositu part. *que* vide annot. ad Od. I. 3. 16. *Iuventas*, Ἥβη, quae pariter in Veneris comitatu apparet apud Hom. Hym. in Apoll. 195. — *par. com. sine te*, a Venere enim iuventas lenocinia sua accipit, h. e. Amor iuventam amabilem reddit. — *Mercuriusque*, qui adest Veneri facundia sua, (est enim deus λόγιος, cf. supr. I. 10. 3.) ut amantes inter se conciliet. Hinc ipsa Venus apud Apul. Met. VI. p. 93 (Plant.): *Scis, sororem tuam Venerem sine Mercurii praesentia nil usquam fecisse.* Plut. Coniug. Praec. Prooem.

CARMEN XXXI.

AD APOLLINEM.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat de patera novum
Fundens liquorem? Non opimae
Sardiniae segetes feraces,
Non aestuosae grata Calabriae
Armenta, non aurum aut ebur Indicum,

v. 3. 4. *opimae — feraces*, Codd. plerique (*Vanderburgii* et *Orellii* omnes); *opimas — feracis*, Codd. paucissimi et sic *Iani*, *Mitscherl.*, *Doer.* Verborum collocatio in nostra, quam Codd. plurimi praebent, lectione eadem plane est, atque infra Od. II. 12. 22: *pinguis Phrygiae Mygdonias opes*; ab hac igitur parte altera non praestat. *R.*

CARMEN XXXI.

Cum die sollemni, quo Augustus Apollinis templum in Palatino rite dedicaverat (U. C., ut tradit Dio LIII. 1., DCCXXVI.), nemo non tam publice quam privatim vota nuncuparet; Horatius secus in his votis a vulgo sentiens neque opes neque latifundia neque alia, quibus vulgo censetur humana felicitas, sed res tantum ad vitam sustentandam necessarias, tum animi corporisque sanitatem, honestam denique et poesis studio exhilarandam senectutem ab Apolline sibi expetit.

v. 1—4. Finge tibi Horatium ex media quasi turba precantium et certatim variis votis Apollinem fatigantium in haec, quibus carmen exorditur, verba erupisse: *Quid dedicatum poscit Apollinem vates?* h. e. at quid ego peto ab Apolline, cui hodie templum consecratum est? Pro *ego* significanter posuit *vates*, ut ostendat, se pro eo, quod sibi poetae insit, ingenio longe distare ab humiliore sentiendi ratione populi, rebus vanis atque inanibus felicitatem humanam metientis. — *dedicatum Apollinem*, Cic. de N. D. II. 33: *ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus.* — *de pat. nov. fund. liqu.* h. e. novum vinum libans; novum enim vinum adhiberi solebat in libationibus, hinc supr. XIX. 15: *patera bimi meri.* — *segetes feraces*, h. e. fertiles agros (πίονας ἀγροὺς Hom.), sic *seges* pro agro apud Tibull. I. 3. 61: *Fert casiam non culta seges.* Liv. XXIII. 48: *iam altae in segetibus herbae pabulum praebere poterant.* Hor. Ep. II. 2. 161: *cum segetes occat tibi mox frumenta daturas.* — *Sard. opimae*, ut Od. I. 7. 11: *Larissae campus opimae.* Od. II. 12. 22: *pinguis Phrygiae opes.* De Sardiniae fertilitate vid. Mel. II. 7. Val. Max. VII. 6. In sententiam *Mitsch.* comparat Pind. Nem. VIII. 63.

v. 5—8. *grata* sc. dominis, quos suaviter delectat magnorum armentorum possessio. *Calabriae*, ob egregia enim huius regionis pascua alebant ibi beatiores armenta et greges; cf. infr. Epod. 1. 27. — *aestuosae*, praecipue sub sidere *fervido;* infr. Epod. 1. 27: *Pecusve Calabris ante*

Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.
Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem, dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce,
Dis carus ipsis, quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum

v. 9. *Calenam*, coni. *Bentl.*, sine iusta causa. — v. 10. *ut aureis*, *Bentl.*, *Iani*, *Fea* e nonnullis Codd. Recte *Orellius* vulgatam *et aureis* ita defendit: „Lectio *ut aureis* orta ex coniunct. *exsiccet* falsam infert sententiam: Alii Calibus vineta ad eum finem colant, ut pretiosa vina habeant mercatores. Manifesto duo vulgi genera παραλλήλως ponuntur, hinc vinearum possessores, illinc mercatores divites."

sidus fervidum Lucana mutet pascua. — *ebur. Indic.* ad magnificentiam apud veteres pertinebat inprimis supellex affabre ex ebore facta; in summo autem pretio fuisse *ebur Indicum* operose docet *Cerda* ad Virg. Georg. I. 57. — *Liris* (nunc *Garigliano*), fluvius Latium et Campaniam dividens, cuius utramque ripam agri fertilissimi ambiunt. — *mordet*, exquisitius pro: alluit; similiter *rodere* apud Lucret. V. 257: *et ripas radentia flumina rodunt;* et sic supr. Carm. I. 22. 6. *lambit*, et infr. II. 3. 18. *lavit.* — *taciturnus*, similiter hic leniter et quiete fluens fluvius apud Sil. Ital. IV. 352: *tacitas ripas perstringere* dicitur.

v. 9—16. *Prem. Cal. falc., qu. ded. Fort., vit.* alii in Campania possideant colantque vineas. — *falce premere vitem* est: inutiles vitis ramulos amputare, quod dicebatur *putatio;* unde *falx* ipsa dicta est *putatoria* apud Pallad. I. 43. 1. cf. *Voss* ad Virg. Georg. II. 362. Similiter *falce premere* pro: amputare, dixit Virg. Georg. I. 157. Ov. Met. XIV. 638. — *Calena*, quod ex vulgari ratione ad *vitem* referri debebat (unde orta *Bentl.* coniectura *Calenam*), doctiore ratione ad *falce* poeta retulit, plane ut supra I. 20. 9: *prelum Calenum* et infr. III. 16. 34: *amphora Laestrygonia.* — *exsiccet* h. e. ebibat; sic infr. I. 35. 27: *cadi siccati* pro: epoti. *culullus* proprie, ut Acron ad h. l. docet, calix fictilis, quo Pontifices virginesque Vestales in sacris utebantur; iam de poculo capaciore; *exsiccare vina culullis* pro: culullos exsiccare vinis. *Syra merce*, intellige aromata, un_uenta cett. ex India et Arabia in Syriam et inde Romam deportata; mercator nempe, cum mercatura apud veteres in mercibus praecipue permutandis (nos: *Tauschhandel*) versaretur, pecuniae loco mercem pro vino dedit. Fortasse Horatius cum delectu et accommodate ad merces, quae permutantur, iam posuit *reparare;* nam qui pro data aliqua merce aliam recipit, pretium oblatae rei accepta alia eiusdem pretii re quodammodo *reparat.* — *Dis carus ipsis*, ipsorum deorum praesidio atque tutela fruens; *aequor Atlanticum* ad insanam quaestus faciendi cupiditatem designandam posuit tam-

Impune. Me pascunt olivae,
Me cichorea levesque malvae.
Frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones et, precor, integra
Cum mente, nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

v. 15. *pascunt*, Codd. plerique (*Vanderburgii* et *Orellii* omnes); *pascant*, e Cod. Reg. Soc. *Bentl.* et sic *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* — v. 18. *at precor*, Codd. plerique; *ac precor*, *et precor*, reliqui. *R.*

quam remotissimum. — [*Me pascunt* cett. Indic. *pascunt*, quem paene omnes exhibent Codd., longe praestat coniunctivo. Sententiarum enim nexus hic est: Equidem non magnas opes Apollinem oro neque ea bona, quibus plerique gaudent. Bibant per me licet ditiores vina pretiosissima; paucis ego contentus vivo satisque mihi sufficiunt olivae ac cichorea. Hoc unum a diis peto, ut paratis rebus bene uti mihi liceat. *R.*] — *cichoreum* (*κιχορεῖον* sive *κιχώριον*) nos: *Endivie; leves*, quia alvum adstrictiorem levant; nam *malvae* (ut infr. Epod. 2. 57.) *gravi corpori salubres.*

v. 17—20. *Frui paratis* h. e. iis, quae mihi iam parata sunt, quae ego possideo (Ep. II. 2. 49.); *et valido mihi*, et mihi bene valenti; infr. Epist. I. 13. 3: *Si validus, si laetus erit.* — Opportune in hanc sententiam *Mitsch.* apponit locum ex Menandri *Κόλακι* (apud Athen. XIV. 22. p. 659.) — *εὐχώμεθα Ὀλυμπίασι πᾶσι πάσαις — διδόναι σωτηρίαν, ὑγίειαν, ἀγαθὰ πολλά, τῶν ὄντων τε νῦν ἀγαθῶν ὄνησιν.* — *Latoe* (*Λατῷε*), Latonae fili, Apollo; *integra Mitsch.* explicat de animo ab omni scelere puro; equidem malim referre ad integrum mentis usum, sive mentis sanitatem, ad illud Iuvenal. X. 356: *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.* — *nec turp. senect. deg. n. cith. carentem.* Cfr. Euripid. Herc. Fur. 676 sqq. et e Theognideis v. 769 sqq.

CARMEN XXXII.

AD LYRAM.

Poscimur: — si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures, age, dic Latinum,
Barbite, carmen,

1. *Poscimur*, Codd. non pauci (*Vanderburgii* fere omnes), Acr., Porphyr.; eaque lectio alteri *Poscimus*, quam e Codd. receperunt *Lamb.*, *Torr.*, *Bentl.*, haud dubie praeferenda est. *Posci* enim se dicit poeta, i. e. impelli ad canendum (ut Ov. Fast. IV. 721: *Palilia poscor.* Metam. V. 333: *Poscimur Aonides*), atque eam ipsam ob causam se rite vocare lyram, quae et ante ludenti sibi non defuerit. Quae invocandi ratio multo aptior est, quam si severi magistri instar poscat statim carmen a lyra, nulla alia addita causa, nisi quod iam saepius cum ea luserit. — Caeterum cave, ne *Bentleium*, *Orellium* aliosque secutus verba *quod — plures* referas ad sequentia *Latinum carmen*; sperat enim poeta, lyram egregium carmen dicturam, non idcirco, quod iam ante secum luserit, sed quod egregia iam ante sibi cecinerit carmina, quae in hunc et plures vivant annos; idem de suis praedicat carminibus infra Od. III. 30. — *sub antro*, *Bentl.* ex uno Cod. *R.*

CARMEN XXXII.

Lyram, qua ab Alcaeo sibi tradita princeps Romanorum Aeolium carmen (ut infr. loquitur III. 30. 13.) ad Italos modos deduxerat Horatius, non sine voluptatis et gloriae tam sibi quam Alcaeo per eam partae sensu alloquitur eiusque laudes peculiari hoc carmine celebrat. — Videtur autem poeta sollemnibus quasi in hoc carmine verbis lyram suam allocutus esse tum, cum ad gravioris argumenti carmen aliquod componendum impelleretur.

v. 1—4. *Poscimur* h. e. ad canendum nunc ego evocor et impellor; utrum Augustus an Maecenas an amicus quidam poetam impulerit, haud liquet; sed fuisse aliquem, qui Horatio rem quandam carmine celebrandam proponeret, ex voce *poscimur* satis probabiliter colligi posse videtur. Nam si Horatius sponte vel ipsius animi impetu ad lyram tractandam impulsus fuisset, vix *poscimur* dixisset. Quemadmodum autem Horatius *Carmini Saeculari* Augusti auctoritate composito, singulari carmine (IV. 6.) praelusit, ita hoc quoque alii cuidam gravioris argumenti carmini, v. c. duobus illis carminibus, quibus Augusto poscente Drusi et Tiberii victorias celebravit (IV. 4. IV. 14.), praelusisse videri potest. — *vacui*, h. e. otiosi. — *vivat*, h. e. duret, permaneat; infr. Epist. I. 19. 2: *Nulla placere diu nec vivere carmina possunt.* Liv. XXXIX. 40. de M. Porcio Catone: *vivit immo vigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis*, ubi vide *Drakenborch.* — *hunc in ann. et plur.* pro tenui: semper, perpetuo. — *Latinum*, nam idem barbiton Alcaeo olim dixerat carmina Graeca; laudant Fragm. Sapph. Fragm. 24. Neue: *Ἄγε δῖα χέλυ μοι λέγε, φωνήεσσα δὲ γίγνεο.* et Theogn. 739.

Lesbio primum modulate civi,
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive iactatam religarat udo
Litore navim,
Liberum et Musas Veneremque et illi
Semper haerentem puerum canebat
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.
O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cumque salve
Rite vocanti.

v. 5—12. ***modulate***, non passive accipiendum, sed supplendum est: ***carmina***, quemadmodum enim vers. antec. barbiton *carmen dicere* Horatio, ita olim ille *modulatus esse carmina* dicitur *civi Lesbio* h. e. Alcaeo. - *Qui ferox bello* cett. Sententia: qui, quamvis fortis miles, tamen inter ipsum armorum strepitum, vel post superatum in mari tempestatis periculum navi ad litus appulsus, vel Bacchum vel Musas vel Venerem vel Amorem vel pulchrum, quem deperibat, puerum Lycum canebat. — ***iactatam navem litore religare*** est: navem tempestate in mari iactatam ad litus appellere et ibi alligare; sic *pinus in litore religata* pro: alligata apud Ovid. Met. XIV. 248. et passim alibi. — ***Liberum***, cecinit enim Alcaeus ᾄσματα παροίνια, quorum fragmenta quaedam exstant apud Athenaeum IX. 8. p. 430. — ***Lycum***, quem, sui delicias, ut Anacreon Bathyllum, carminibus celebravit Alcaeus. — ***nigris oc. nigr. Cr. decor.***, cf. Ep. ad Pis. 37.

v. 13—16. *decus Phoebi*, insigne et ornamentum Apollinis. — ***et dap. sup. gr. test. Iov.*** ipse Iuppiter enim inter dapes lyrae ab Apolline pulsatae cantu deleniri solebat; vid. Hom. Iliad. I. 603. Hinc φόρμιγξ δαιτὸς ἑταίρη. — ***o lab. dulc. len.*** o lyra, quae cantus tui dulcedine animum laboribus fessum recreare soles. — ***mihi cumqu. salv. rit. voc.*** sis mihi propitia, quandocumque, ut mihi adsis, te rite rogavero, h. e. benignam et facilem te mihi praebe, quandocumque te, ut decet, tractare animus est. — [*cumque*, eandem vim habet, quam in compositis vocabulis *quandocumque*, *quotiescumque*, ut temporis notionem latissime patere significet. Temporis notio inest in participio *vocanti*; in cuius locum si substituis *quando vocavero*, vocis *cumque* significatio satis clara est. *R.*] — ***salve***, χαῖρε, vox sollemnis tam in appellandis diis hominibusque, quos nobis propitios atque benevolos esse cupimus, quam in aliis rebus, quas nobis gratissimas iucundissimasque accidere significamus.

CARMEN XXXIII.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

CARMEN XXXIII.

Albium Tibullum, graviter de praelato sibi a Glycera iuniore amatore dolentem, communem illam fortunam, qua parum saepe in amore conspirent animi, secum reputare iubet, eique tam aliorum, qui eandem in amore experti fuerint sortem, quam sui ipsius exemplum solatii loco proponit. — Scriptum hoc carmen esse in nobilissimum poetam Tibullum', ne dubita, nam is, si quis alius, decantavit elegos *miserabiles*, h. e. mollissimi animi sensus egregie exprimentes, et querelas passim de perfidia vel Deliae vel Nemesis vel Neaerae vel Pholoes, (quarum unam sub ficto nomine *Glycerae* latere magis, ut credam, adducor, quam ut Glyceram in deperditis Tibulli carminibus fortasse celebratam esse existimem,) continentes. — Tibullum autem pariter ac Virgilium dignum ab Horatio, quem singulari amore complecteretur, habitum fuisse, quis sibi non persuadeat? Ad eundem scripta est infr. Epist. 4. lib. prim.

v. 1—4. ***mem. immit. Glyc.*** h. e. cogitatione de perfidia duri pectoris Glycerae animum tuum crucians. [*immitis Glycerae*, inimicae amicae, πικροῦ Γλυκερίου, cf. *Iahn* ad h. l. — Verba *plus nimio* rectius iungi videntur cum sequ. v. *memor* quam cum anteced. *doleas*. *R.*]. — ***miserabiles***, flebiles et miserationem moventes; sic philomela de pullis sibi detractis querens *carmen miserabile integrare* dicitur apud Virg. Georg. IV. 514. et sic *miserabiliter* (h. e. flebiliter) *scriptae literae* apud Liv. XXVI. 3. — ***cur***, propterea quod, ut infr. Epist. I, 8. 10. — ***tibi praeniteat***, pro tenui: tibi praeferatur, te potior sit apud Glyceram, (*laesa fide*) quae datam tibi in amore fidem laesit. — Caeterum fuerunt, qui, cum non satis assequerentur, quomodo Tibullo poetae, qui iam aetatis anno XXXI. diem supremum obierit, iunior a puella praeferri potuerit, vix ad illum hoc carmen scriptum esse, crederent. Sed quam saepe accidere solet, ut puellae vel viginti quatuor annos nato iuveni alium eo iuniorem praeferant!

v. 5—12. Nexus et sensus: non tibi soli, sed aliis idem in amore accidere solet. Lycoris quoque amat Cyrum, at Cyrus sectatur Pholoen, ab eius amore vel maxime abhorrentem. Scilicet sic res in amore constituta est ex decreto Veneris, quae ex amantium, neque forma neque animis sibi respondentium, coniunctione

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
Declinat Pholoën; sed prius Appulis
Iungentur capreae lupis,
Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub iuga aënea
Saevo mittere cum ioco.
Ipsum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale

duro pectore voluptatem capit! — Comparant in hanc sententiam Mosch. Idyll. VI. 1 sqq.: *Ἤρα Πὰν Ἀχῶς τᾶς γείτονος, ἤρατο δ' Ἀχὼ Σκιρτηνᾶ Σατύρω, Σάτυρος δ' ἐπεμαίνετο Λύδαν.* cett. adde Callimach. Epigr. XXXIII. 5. — *ten. front.* in tenui enim et angusta fronte pars venustatis spectari solebat apud veteres (Ep. I, 7. 26.); hinc puellae, ut observat ad h. l. *Mitsch.*, comam in frontem usque eo demittebant, ut *βραχὺ τῷ μετώπῳ μεταίχμιον* relinqueretur. Lucian. T. II. p. 441. edit. Reitz. Martial. IV. 42. 9. — *declinat* sc. animum a Lycoride aversum. — *sed prius Appulis* cett. laudant Aristoph. Pac. 1076: *πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.* et Virg. Eclog. VIII. 27: *Iungentur iam gryphes equis* cett. cf. infr. Epod. 16. 30. — *iungentur* sc. amore vel coitu; sic *Venerem cum trucibus feris iungere* dixit Tibull. I. 9. 76. cf. *Heins.* ad Ovid. Remed. Am. 407. — *turp. pecc. adul.* inhonesto Cyri amore castitatem suam pollui patiatur. — *Sic visum Veneri*, formula de rebus, quae, uti ex voluntate et decreto deorum constitutae sunt, ita fieri omnino debent. Ovid. Met. I. 366: *Sic visum superis*, et saepe alibi. cf. *Burm.* ad Virg. Aen. II. 427. — *cui placet*, cui volupe est. — *impares formas*, formosos ac deformes — *impares animos*, homines diversi ingenii — *sub iuga aënea mittere*, constringere amoris vinculo firmissimo, pro simplice: copulare, coniungere. — *iuga*, notissima translatione de amoris vinculis, quibus coniugantur amantes; *aënea*, quae non facile solvi possunt, quae, qui amat, non facile rumpere vel quibus non facile se expedire potest. infr. III, 9. 18: *Quid si prisca redit Venus Diductosque iugo cogit aëneo*, simpliciter de amoris vinculo firmissimo. — *Saev. cum ioc.* haec duri pectoris *χαιρεκακία* de amantium dolore passim Veneri tribuitur.

v. 13—16. [*melior Venus*, non melior puella, ut explicant, sed dea ipsa propitior, ac mitior, i. e. amor melioris puellae. *R.*]. — *grat. detin. comp.* h. e. amoris sui dulcedine ita me ceperat, ut caeteras omnes prae ea contemnerem; *compes*, quae alias est dura et molesta, suavi oxymoro iam dicitur *grata*, quia ipsa servitus apud Myrtalen Horatio fuit grata. Infra quoque IV, 11. 24. dives quaedam et lasciva

Libertina, fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros sinus.

CARMEN XXXIV.

Parcus deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiae

puella Telephum *grata compede vinctum* tenere dicitur. — *acrior*, iracundior, ferventior, (nos: *ein Brauskopf, aufstürmend*). — *fret. Hadr. curv. Calabr. sin.* h. e. fluctibus maris Hadriatici ad litus Calabriae in sinum se curvantis, sive: quod ad litus Calabriae, ut cum Virgil. Aen. I. 161. loquar, *Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos;* ubi enim hoc fit, ibi sane mare multo vehementius fervet; cf. infr. III, 9. 23.

CARMEN XXXIV.

Horatius, cum neglecto deorum cultu temere eorum, qui nullam deos rerum humanarum curam habere statuerent, sapientiam secutus esset, audito repente in caelo sereno tonitru se adeo perculsum esse narrat, ut divinitus quasi monitus statim ab impia ista animi perversitate ad mentem saniorem redire coeperit. In hac nova igitur, deos omnino esse, qui omnia gubernent, persuasione sententias de divina in res humanas potentia subiungit gravissimas. — Iam vero cum Horatius, quamvis in nullius magistri verba (ut ipse fatetur infr. Epist. I, 1. 13.) iuraverit, h. e. nulli philosophiae sectae unice addictus fuerit, Epicureorum tamen placita ad vitae iucunditatem et voluptatem spectantia studiose amplexus sit; equidem illum non tam abiurare Epicuream philosophiam et ad Stoicam se convertere vel adeo Stoicorum disciplinam traducere (quod nonnulli, ut aliorum argutias taceam, opinati sunt), sed gravem illum Epicureorum errorem, *deos nihil curare homines*, hoc praecipue argumento, quod horrendum in caelo puro auditum sit tonitru, quale in caelo puro audiri posse ipsi quoque Epicurei (Lucret. VI. 245. et 399.) negabant, refellere voluisse existimo.

v. 1—8. Sententia: ego, qui Deorum cultum adhuc neglexeram, falsa scilicet Epicureorum opinione, *deos nihil curare res humanas* deceptus, nunc meliora edoctus in viam rectam, a qua aberraveram, redire cogor. — *Parcus deor. cult. et infreq.* qui raro deos colit, nec eorum templa frequentat; *parcus* ad munera, quae parca manu diis offerantur, referre nolim. — *insan. sapi. consul.* imbutus praeceptis sapientum, h. e. Epicureorum, in iis, quae contra divinam providentiam disputant, insanientium. *consultus*, ut Liv. X. 22: *iuris atque eloquentiae consultus.* — *insaniens sapientia*, ut *concordia discors*, Ep. I. 12. 19., pertinet ad oxymora, de quibus ingentem exemplorum copiam congessit diligentia *Rittershusii* ad Oppian. p. 29 — 32 adde *Iens.* ad Lucian. Merc.

Consultus erro, nunc retrorsum
  Vela dare atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens
  Plerumque, per purum tonantes
    Egit equos volucremque currum,
Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida Taenari

v. 5. *relectos*, *Bentl.* de coni. *N. Heinsii* ad Ov. Metam. VIII. 173. Sed longe praestat vulgata lectio; nam cum praecesserit *retrorsum vela dare*, idem plane dixisset poeta, si scripsisset *iterare cursus relectos*, i. e. relegendo eosdem cursus repetere; neque intelligi omnino posset, quomodo retro semper navigans melius sibi consuluerit. At hoc dicit poeta, se retro navigare, ut in rectam, quam antea temere reliquerat, viam redeat atque deinde denuo eam persequatur. *Orellius* defendit quidem vulgatam, sed non recte explicat: „Qui retrorsum eo, unde profectus est, vela dat, relinquit cursum, quem tenere coeperat eumque iterat in reversione.“ *R.*

Conduct. T. I. p. 698. et quos laudat *Albert.* ad Hesych. T. I. p. 275. n. 4. — *retrorsum vela dare*, retro navigare; *iterare cursus relictos*, redire in viam relictam, *ἀνατρέχειν*. — *Diespiter*, Iuppiter, diei vel lucis pater, ut Varro de L. L. V. 66. explicat. — *plerumque*, more solito, alias, vulgo. — *per pur. ton. eg. equ. voluc. curr.* tonuit sive movit in caelo sereno tonitru, quod currus, quo per aërem invehi putabatur Iuppiter Fulgurator, strepitu et equorum *χαλκοπόδων* ei iunctorum pulsu moveri finxit sibi prisca antiquitas. — *per purum* sc. caelum, *δι' αἰθρίας*. *tonitru* in caelo sereno auditum ad res a naturae legibus recedentes sive prodigia relatum fuisse satis constat, cf. *Lambin.* ad h. l. et *Iul. Obsequens* c. 83. 107. 122. — *volucrem* h. e. alatum, ad summam eius celeritatem designandam; laudant Platonis locum ex Phaedro p. 246. E. *ὁ μέγας Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων.*

v. 9—16. *Quo* sc. curru, h. e. moto per currum tonitru. *bruta* h. e. immobilis, *iners*, ut infr. III, 4. 45. vocatur. Senec. Thyest. 1020: *Immota tellus pondus ignavum iaces?* — *invis. horrid. Taen. sed.* h. e. squalida loca diis hominibusque abominabilis Tartari. Colores in foedi Tartari adumbranda imagine duxisse videtur ex Hom. Il. XX. 64. 65: *Οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανείη Σμερδαλέ', εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ.* Hinc Virg. Aen. VIII. 245: *regna pallida, dis invisa.* Sen. Herc. Fur. 664: *Hic* (in Taenaro) *ora solvit Ditis invisa domus.* — *Taenarus*, specus in Laconica ad Taenarum, per quem ad Tartarum descendi posse credebatur (Virg. Georg. IV. 467.), iam pro ipso Tartaro. *Atlanteus finis*, pro locis terrae ultimis vel remotissimis; nam Atlas, mons ille in Africa, antiquitus pro ultimo terrae occidentalis termino habebatur. Eurip. Hipp. 3: *τέρμονες Ἀτλαντικοί.* — *Valet ima summis* cett. nexus et sensus: hoc igitur prodigio monitus non amplius de divina rerum humanarum administratione dubito, imo deus, ut nunc mihi persuasissimum est, ex infimo quemque ad summum locum extollere et eum, qui summum locum tenet, ad infimum detrudere valet; nam vis fati potentissima imperium, quod huic eripuit, pro arbitrio ad alium transferre solet. — *ima summis mutare*, similiter supr. I, 16. 26: *mitibus mutare tristia.* — *insignem* sc. imperio, honoribus; *attenuat*, deprimit ad tenuitatem vel obscuritatem; *deus*, Iuppiter; *obscura promens*, ex obscuritate protractos gloriae splendore illustrans; insolentior generum permutatio in *ima*, *insignem*, *obscura*, permovit *Bentleium* et *Cuningamium*, illum, ut pro *insignem* legendum esse censeret: *insigne*; hunc, ut scribendum proponeret: *insignia;* sed cum in hac quoque re, ut erudite ad hunc locum docuit *Mitsch.*, secutus sit Horatius exemplum Graecorum, neutri emendationi locus relinquendus videtur; in sententiam laudant Hesiod. Ἔργ. 5—7: *Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει, Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει* (*insignem attenuat*) *καὶ ἄδηλον ἀέξει, Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.* Hom. Od. XVI. 211: *Ῥηΐδιον δὲ θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν, Ἠμὲν κυδῆναι θνητὸν βροτὸν ἠδὲ κακῶσαι.* — *Hinc apicem* cett. quos designaverit poeta in antecedentibus (reges puta et principes), in his adiectis magis declarat; *apicem*, intellige tiaram sive pileum cum apice eminente, regum barbarorum inprimis insigne (Od. III. 21. 20.), iam (ut apud nos fere *corona*), pro ipso imperio. *Fortuna*, dea, cuius munus versatur in exsequendis et perficiendis iis, quae ex summi dei consilio cuique homini decreta sunt; *rapax*, refer ad huius deae violentiam. — *cum stridore acuto*, praeclara imago deae cum impetu advolantis et alarum agitatione gravem stridorem edentis; de *Fortuna*, *dea alata*, vid. Comment. de *alat. imaginibus* p. 30. — *sustulit* (*ἀοριστως*), auferre solet; *posuisse* pro: imposuisse.

Sedes Atlanteusque finis
  Concutitur. Valet ima summis
Mutare et insignem attenuat deus
Obscura promens. Hinc apicem rapax
  Fortuna cum stridore acuto
    Sustulit, hic posuisse gaudet.

v. 13. *insigne*, *Bentl.* e Cod. Reg. Soc.; *insignia*, *Cuning.*, *Iani.* Vide *Orell.* ad h. l. *R.*

CARMEN XXXV.

AD FORTUNAM.

O diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus vel superbos
Vertere funeribus triumphos,

CARMEN XXXV.

Quantum ars et ingenium magni poetae in simplice aliqua sententia exornanda valeat, id ex hoc et huic similibus Horatii carminibus optime intelligi potest. — Conscripserat Augustus U. C. DCCXXVI. duos exercitus eo consilio, ut alterum ipse contra Britannos duceret, alterum duce Aelio Gallo in Arabiam mitteret. Horatius igitur, iam preces in hoc carmine pro felicissimo utriusque expeditionis eventu facturus vulgarem sententiam: „*O Fortuna, serva Caesarem cum exercitu contra Britannos profecturum, et fac, ut arma a bellis domesticis ad domandas gentes barbaras convertantur*“ Fortunae potentiam celebrando ita amplificavit, ut carmen exiret splendidissimum. — Si quis cogitaverit, quam saepe felix bellorum exitus a Fortunae favore et arbitrio pendeat, is, poetam in coacervandis summae huius Deae potentiae imaginibus tam multum et copiosum fuisse, non adeo mirabitur. — Optime autem totius huius carminis finem ita constitui posse puto, si illud dixeris *hymnum in Fortunam, quem ad huius deae favorem Augusto contra Britannos profecturo conciliandum, pia mente cecinerit.* Sic argutiis, quibus onerarunt hoc carmen nonnulli interpretes, facile supersedere possumus.

v. 1—8. *grat. quae reg. Antium* h. e. quae imperii tui sedem habes Antii, urbe prae caeteris tibi cara; quemadmodum Venus ob praecipuum, quo in insula Cypro gaudebat, cultum, supr. I, 3. 1: *potens Cypri* et I, 30. 1: *regina Gnidi* appellatur, ita *Fortuna*, Antii inprimis religiosissime culta, *Antium regere* dicitur. Fuit autem *Antium* (nunc *Anzo Rovinato*) oppidum Latii maritimum, Fortunae templo nobilissimum; cf. *Torrent.* ad h. l. et *Phil. a Turre Monumenta vet. Ant.* c. 1. — *praesens*, quae statim potes; *dii praesentes* dicuntur, qui praesentia sua statim potentiam suam declarant, potentes; passim quoque, qui praesens, h. e. celerrimum, auxilium ferunt. — *im. toll. de gr. mort. corp.* h. e. imbecillos mortales ex infimo ad summum gradum extollere. — *superb. vert. fun. triumph.* splendidam victoriam mutare in cladem. *Mitscherl.* explicat: „pompam triumphalem in funebrem mutare, ut pro triumpho, quem victor acturus erat, funus eius ducatur.“ in quam rem ille laudat exemplum Drusi. Auct. Consol. ad Liv. 27. Sed quanto maior et potentior apparet Fortuna victoriam in cladem mutans, quam triumphum triumphantis morte funestans! Liv. XXVIII. 41: *qui tot funerum, tot cladium*

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus, te dominam aequoris,
Quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythae,
Urbesque gentesque et Latium ferox
Regumque matres barbarorum et
Purpurei metuunt tyranni,
Iniurioso ne pede proruas

nobis causa fuit. Od. I. 15. 10: *quanta moves funera Dardanae genti.* — *Te pauper ambit* cett. numen tuum omnes homines, et pauperes et divites, et populi barbari, et nos, et tyranni venerantur atque metuunt. — *ambit*, cum delectu pro: adit, habet enim notionem verecundiae. — *sollicita*, quam sollicito pectore pro agrorum suorum incolumitate fundit ruris colonus. (Od. II. 14. 12: *inopes coloni*). — *domin. aequ.* in Fortunae enim potestate positi sunt casus, quibus navigantes in mari se exponunt; *Mitsch.* rem bene illustrat loco Pind. Ol. XII. 3 sqq. Respexisse autem poeta videtur in hoc cultu, a ruris colono et navigantibus Fortunae exhibito, antiquam huius deae imaginem, qua illa in vett. monumentis altera manu *cornu copiae*, altera *gubernaculum* tenens conspicitur; vid. *Reines. Emendatt.* II. 24. — *Quicumque Bithyn.* cett. quicumque quaestus causa per mare Carpathium Bithyniam navigat. — *Bithyna*, h. e. mercatoria; nam mercatores Romani e Bithynia inprimis merces suas petebant; similiter supr. I, 1. 13: *trabs Cypria.* — *Carpathium pelagus*, procellosum et Bithyniam petentibus transeundum, ab insula *Carpatho*, (nunc *Scarpanto*) inter Rhodum et Cretam, ita dictum. *lacessit* h. e. tentat; *lacessere* explicant: remis impellere, movere, ferire. Equidem adiunctam audaciae notionem habere et de iis dici existimo, qui, dum nihil maris minas timent, sed temere et audacter ei se committunt, illud quasi ad iram et saevitiam provocant; similiter fere *insultare fluctibus* apud Ovid. Met. I. 134: *contemnere undas* apud Tibull. I. 3. 37. et *transilire vada* supr. I, 3. 24. nos: *dem Meere trotzen.*

v. 9—16. *Dac. asp.* — *Daci*, incolentes trans Istrum, Romanis ob crebras, quas in eorum fines faciebant, incursiones infestissimi; *asper*, Iustin. II. 3: *gens laboribus et bello aspera.* — *Scythae* ob sedem vagam et instabilem dicuntur *profugi*, nam erant, ut infr. Hor. III, 24. 9., *campestres* — *Quorum plaustra vagas rite trahunt domos;* ἁμαξόβιοι, ἁμάξοικοι. — *Latium ferox*, bellicosum. — *regumque matr. barb.* nam regiae matres vel maxime de filiorum regni incolumitate sollicitae sunt; Cfr. Aeschyl. Pers. 160. — *barbarorum*, intellige reges in Asia minore; cogitavit fortasse poeta de Parthorum rege Phraate. — *purpurei*, purpura induti, purpurati. — *Iniurios. ne pede pror.* Sententia: ne violenter

Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes ad arma
Concitet imperiumque frangat.
Te semper anteit saeva Necessitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aëna, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.
Te Spes et albo rara Fides colit

v. 17. *serva*, Codd. non pauci, plurimi tamen habent *saeva*, quod unice rectum est. Vide *Orell.* ad h. l. *R.*

imperium de eo, quo se nunc extollit, statu deiicias neve populus ad seditionem concitatus illud evertat. — *iniurioso* h. e. violento; sic venti *iniuriosi* infr. Epod. 17. 34. — *proruas*, active: deturbes, deiicias. — *Stantem columnam*, stans et florens adhuc imperium, quod cum stante columna comparatur; hinc passim reipublicae status *concuti*, *labefactari*, cett. dicitur. — Cfr. Pind. Pyth. IV. 484. et Pausan. III. 7. — *cessantes*, moras nectentes nec statim arma arripientes; *ad arma*, cum vi repetit voces *ad arma*, *ad arma*, quas, qui in repentino tumultu ad arma evocant, identidem repetere solent. Ovid. Met. XII. 241: *Certatimque omnes uno ore arma, arma loquuntur.* ibid. XI. 377: *cuncti coeamus et arma Arma capessamus;* cf. Virg. Aen. II. 668.

v. 17—20. Sententiam „*potentiae tuae cedere debent omnia*“ lyrica sublimitate expressit per adumbratam imaginem *Necessitatis*, quae *Fortunae*, ut eius ministra, cum instrumentis ad res indissolubili firmitate muniendas validissimis praecedere fingitur. Cum Necessitas Fortunae, ut ita dicam, sit attributum, apte iam illa personam induit. — *saeva*, dira, inexorabilis, *δεινή*, *κρατερά*. — *clav. trabal.* quibus ad aedium trabes firmissime copulandas olim utebantur; cum eiusmodi *clavo trabali* sistitur Fortuna, ut observat ad h. l. *Iani*, in *Causei Musco Rom.* T. I. p. 72. Tab. XXVIII. et apud *Spenc.* Tab. XXIII. n. 5. p. 151. hinc apud Cic. Verr. V. 21: *ut beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret*, h. e. firmissimum efficeret. Petron. c. 75: *Nosti, quod semel destinavi, clavo trabali fixum est*, h. e. immutabile est. Aeschyl. Suppl. 949. — *cuneos manu Gestans*, — iam non ad diffindendum, sed ad compingendum et firmius coagmentandum. (Vitruv. X. 12.) — *uncus*, hamus ferreus (nos *Klammer*), cuius usus fuit in lapidibus firmius iungendis, adfuso *liquefacto plumbo*, ne uncus inde dissolvi posset; *severus*, tenax, lapides firmiter continens. His omnibus autem instrumentis, quae non sine animi quodam horrore *Necessitatem* prae se ferre conspicimus, nil nisi vim Fortunae indomitam et insuperabilem designari, vix est, quod moneam.

v. 21—28. Sententia: *Spes* et *Fides* te *adversam* quoque colunt nec a te recedunt, quando ex *secunda* in *adversam* mutata potentiorum domos relinquis; sed caete-

Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At volgus infidum et meretrix retro
Periura cedit; diffugiunt cadis
Cum faece siccatis amici
Ferre iugum pariter dolosi.
Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos et iuvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.
Eheu cicatricum et sceleris pudet

v. 33. *Heu, heu*, e Codd. *Fea, Iahn. R.*

ri, qui tibi *secundae* tantum adhaerent, vulgus infidum, meretrices, parasiti, te *adversam* fugiunt; h. e. veri amici in fortuna adversa fidem, falsi perfidiam probant. — *Spes*, quae adest Fortunae adversae, ut miseros melioris sortis solatio recreet; hinc *Ἐλπίδες Τύχης ἑταῖραι* apud Macedon. XXXIX. 1. in Anthol. Graec. T. IV. 92. (Anthol. Pal. II. p. 301). — *rara*, quia raro amici in utraque fortuna fidem praestant, significanter ipsa dea dicitur *rara* h. e. raros cultores habens. — *albo*, ad candorem animi designandum; — *abnegat*, sc. se. Ov. Ars Am. I. 127: *Si qua repugnarat nimium comitemque negarat.* — *utcumque*, quandocumque, tum quoque, quando. — *mutata veste*, finge tibi *Fortunam secundam* splendida, *adversam* sordida veste indutam; mutat igitur vestem splendidam cum sordida, quando ut dea adversa apparet. — *cadis cum faece siccatis*, postquam ad faecem usque vinum ebiberunt, h. e. omnes opes consumserunt et devorarunt. — *dolosi ferre*, Graece pro: astutiores, quam ut ferant; sic infr. Sat. I, 4. 12: *piger ferre* pro: nimis piger, quam ut ferat. — *iugum* h. e. calamitatem, inopiam, tanquam iugum et onus. — Comparant Pind. Nem. X. 147: *παῦροι δ᾽ ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν καμάτου μεταλαμβάνειν.*

v. 29—40. Iam captata quasi Fortunae per hymnum in eius potentiam decantatum benevolentia subiungit preces pro Caesare. — *ultimos Britann.* Sic ex veteri opinione, ultimam orae occidentalis insulam esse Britanniam, apud Catullum quoque *Britanni* dicuntur *ultimi;* et *extremi* Virg. Aen. VIII. 727. Tac. Agr. 30. Luc. VII. 541. — *examen*, apposite a nova apum sobole translatum ad exercitum recens ex iuvenibus conscriptum. — *Eois partibus*, terrae orientali, Arabiae Felicis populis, cf. argum. supr. ad Carm. XXIX. — *Oceano rubro*, maris Indici, ab ortu solis rubescentis, accolis.

v. 33. *Eheu cicatric. et scel.* cett. haec subita ad bella domestica conversio et dira malorum, quae illa protulerunt, exsecratio, ad votum, ut bellum a patria ad barbarorum

Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum iuventus
Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

CARMEN XXXVI.

AD PLOTIUM NUMIDAM.

Et thure et fidibus iuvat
Placare et vituli sanguine debito
Custodes Numidae deos,

v. 36. *manus*. e paucis Codd. *Lambin.* — v. 39. *diffingas retusum*, Codd. plerique. *defingas retusum*, e Codd. nonnullis *Bentl. Fea.* Alii aliter. *R.*

vincendorum terras avertatur, egregie ducit. — *sceleris* cf. supr. I, 2. 29. — *Fratrumque*, copiosius in hanc sententiam Lucan. II. 256: *domini per viscera ferrum Exegit famulus; nati maduere paterno Sanguine — in fratrum ceciderunt praemia fratres.* — *intactum*, impollutum. — *nefasti*, scelesti. — *diffingas*, recudendo in aliam formam fingas, retractes. — *Massagetas*, nobilem Scythiae gentem, Parthis conterminam.

CARMEN XXXVI.

Cum redux factus esset Plotius Numida ex Hispania (U. C. DCCXXX.), ubi cum Augusto in bello Cantabrico tres annos abfuerat; poeta eius sodales, praecipue autem intimum eius amicum et aequalem Lamiam, diem festum secum celebrare et mactata ante omnia ex voto pro felici Numidae reditu suscepto hostia potationi, saltationi, amoribus, et omnibus, quibus iucundissimi dies transigi solent, liberius indulgere iubet laetitiis. — Quam egregie poeta in hoc carmine prae laetitia de recepto amico exsultans mollissimi in amicitia amoris sensus expresserit, quivis ipse sentiet. — Compara cum hoc carmine Catull. IX. Iuvenal. XII. et infra Od. II. 7.

v. 1—9. *fidibus*, inter sacrificandum enim ad tibiam et lyram cani solebat; infr. IV, 1. 21: *Illic plurima naribus Duces thura Lyraeque et Berecynthiae Delectabere tibiae Mixtis carminibus non sine fistula.* — *vituli sanguine debito*, hostia, quam poeta ex voto, quo diis pro felice Numidae reditu se obligaverat, nunc debebat. Infr. Epist. I, 3. 36: *Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.* — *custodes*, tutelares, *Numidae*, cognomen nobilis gentis Plotiae et Aemiliae, quod maiorum aliquis ob

Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiae, memor
Actae non alio rege puertiae
Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota,
Neu promtae modus amphorae,
Neu morem in Salium sit requies pedum,
Neu multi Damalis meri
Bassum Threïcia vincat amystide,
Neu desint epulis rosae

rem quandam in Numidia praeclare gestam accepisse videtur. — *ultima*, remotissima, ut infr. II, 18. 3: *ultima Africa.* (cf. praeced. carm. v. 29: *ultimos Britannos*). — *oscula dividere*, oscula, tanquam grata amicitiae munera, amicis distribuere, *Küsse austheilen*, ut supr. I, 15. 15: *carmina dividere.* — *memor act. non al. reg. puer.* suaviter recordans, se una cum eo sub unius eiusdemque magistri vel custodis auspiciis pueritiam transegisse et simul cum eo togam virilem induisse; — a teneris igitur Numidae et Lamiae (ad quem Od. I. 26.) amicitia coaluerat. — *mutatae*, praetextae nempe cum pura.

v. 10—16. *Cress. ne car. pul. di. not.* dies, quem hodie celebramus, laetissimus nota alba insigniatur, h. e. in numerum felicissimorum dierum referatur; dies feliciores apud Romanos nota alba vel albo lapillo, infeliciores autem nota nigra vel atro lapillo notatos fuisse multis exemplis probavit *Bentl.*, quem vide de hoc loco disputantem. — *Cressa* h. e. alba a creta, quae ex insula Creta vel apportata vel pro Cretica terra habita fuit. — *neu promt. mod. amph.* neve modus in promendis ex cella vinaria amphoris servetur, h. e. largius hodie vinum afferatur. — *morem in Salium*, [*Salium*, i. q. Saliarem, ut recte *Lamb. R.*] more Saliorum, Martis sacerdotum, qui ex Numae instituto secundum Liv. I. 20: *per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatione iussi sunt.* — *multi Damalis meri*, puella, quae largiter vino se ingurgitare solebat, ut apud Ovid. Met. XIV. 452: *nimiique Elpenora vini.* Cic. ad Fam. IX. 26: *homo non multi cibi, sed multi ioci*; fuit Damalis haud dubie libertina vel puella inhonestior, quia honestioribus vel ingenuis virginibus haud interesse licebat potationibus. — *Bassum*, insignem inter sodales potatorem; — *amystide* h. e. uno spiritu et haustu poculum exhauriendo; *amystis* est vox Graeca, Hesychio interprete: *συνεχὴς πόσις*, hinc apud Anacr. XXI. 2: *πίνειν ἀμυστί.* Vocatur haec avidius uno haustu vinum absorbendi ratio *Thracia*, a nota Thracum vinolentia; laudant Callimach. Fragm. (*Bentl.* CIX. p. 481. edit. *Ernest.*): *Καὶ*

Neu vivax apium neu breve lilium.
Omnes in Damalin putres
Deponent oculos, nec Damalis novo
Divelletur adultero
Lascivis hederis ambitiosior.

CARMEN XXXVII.

AD SODALES.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus

γὰρ ὁ Θρηϊκίην μὲν ἀνήνατο χανδὸν Ἄμυστιν ζωροποτεῖν. Eurip. Cycl. 416: *ἐδέξατ', ἔσπασεν ἄμυστιν ἑλκύσας.* — *apium vivax*, diu viridem colorem suum servans; *breve*, breve tempus florens, ut *brevis rosa* infr. II, 3. 13. Caeterum florum usus in laetis conviviis notissimus; cf. infr. carm. XXXVIII. et multa in hanc rem congesta a *Fulv. Ursin. in Append. ad Ciaccon. de Triclin.* p. 263 sqq.

v. 17—20. *Deponent*, suaviter amantes, qui obtutum in puella figunt vel uno obtutu in ea haerent, *deponere in puellam* dicuntur *oculos*, et quidem *putres* h. e. amore tabescentes, libidine natantes, lascivos. Comparant Theocrit. I. 90: *Καὶ τὺ δ', ἐπεί κ' ἐσορῇς τὰς παρθένος, οἷα γελεῦντι, Τάκεαι ὀφθαλμώς.* — *nec Dam. nov. divell. adul. lasc. hed. ambitios.* nec Damalis ab novi amatoris amplexibus, quibus arctius hedera se implicabit, per alium se divelli patietur. — *lasciv. heder.* similiter Hor. arctos complexus cum hedera ubique se implicante comparat infr. Epod. 15. 5: *Arctius atque hedera procera adstringitur ilex, Lentis adhaerens brachiis.* cf. Catull. LXI. 34. 35. *hedera* autem, ob eius amplexus cum lasciviorum amplexibus comparata, ipsa suaviter dicitur *lasciva*, quod respondet fere nostro: *buhlend.* — *ambitiosior*, magis brachiis suis ambiens, h. e. arctius et tenacius inhaerens atque se implicans.

CARMEN XXXVII.

Quo gravius fuit periculum, quod Romano imperio moliebatur Cleopatra, eo laetior Romanis debebat esse nuncius de morte, quam Cleopatra, cum anno post pugnam Actiacam (DCCXXIV.) capta esset ab Augusto Alexandria, aspidis ad corpus admotae morsu, ne in triumphum duceretur, sibi conscivit. — In huius publicae igitur laetitiae societatem dum poeta sodales suos evocat et, quomodo Cleopatra ad Actium primum ab Augusto victa, deinde usque eo redacta fuerit, ut violenta morte periret, sublimiore spiritu enarrat, alia quasi agens Augusti, ut Romani imperii statoris, laudes in hoc carmine celebrat. Compara cum hoc carmine infr. Epod. 9. Virg. Aen. VIII. 675. Propert. III. 11. et IV. 6. Lucan. X. 53.

v. 1—4. *Nunc* cum vi ter repetitum: hoc die, si quo alio, ubi lae-

Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et imperio parabat

tissimus de Cleopatrae morte nobis accidit nuncius, potationi et saltationi indulgendum est. Horatius imitatus est, ut observant interpretes, similis argumenti carmen Alcaei, cuius primos versus servavit Athenaeus X. 8. (Fragm. 4. M.): *Νῦν χρὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν Πίνην, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.* — *nunc Saliaribus* cett. hic dies, si quis alius, lautas epulas diis in templis apponendas, h. e. lectisternium sive supplicationem exigebat. — In supplicationibus enim, ubi diis vel ob res praeclare in bello gestas vel ob felicem quendam rerum eventum publice gratiae agebantur, lautiores epulae in eorum templis apponi et circa eas strati lecti sive pulvinaria, quibus dii ad cibos capiendos discumberent, collocari solebant, quod dicebatur *lectisternium;* itaque *ornare pulvinar deorum Saliaribus dapibus* iam erit: magnificas epulas diis in eorum templis apparare; *pulvinar* pro templo, ubi pulvinar positum est; sic apud Ciceronem in Cat. III. 10: *quia ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est.* et sic Livius XXIV. 10. s. fin. *et supplicatio omnibus deis, quorum pulvinaria Romae essent, indicta est.* — Peculiarem libellum *de sacris pulvinaribus* scripsit *I. David Ellrod, Altorf.* 1726. 4. — *Saliares dapes* de epulis lautis et opiparis, quibus se invitare solebant Martis sacerdotes, Salii; hinc *παροιμιακῶς* apud Cic. ad Attic. V. 9: *epulari Saliarem in modum.* — *tempus erat*, explicant pro: tempus est; quod non opus videtur; cogita, poetam iam initio supplicationis facto sodales suos allocutum esse: *nunc tempus erat*, nunquam magis fas fuit, quam nunc cett. [Mihi unice probanda videtur ea, quam *Iahnius* in Annal. Phil. et Paedag. a. 1827. Vol. II. F. 4. p. 412 sq. proposuit, explicandi ratio, ex qua imperfectum *tempus erat* significat id, quod fieri quidem oportebat, sed non vere fit aut factum est. (*Zumpt*, Gr. Lat. §. 518.). Non hortatur enim Horatius sodales ad supplicationem instituendam (cum publice tantum supplicationes et lectisternia decernerentur), neque publice decretam esse supplicationem laetatur (cum his temporibus nullas omnino decretas esse certo sciamus), sed nunc cum maxime, si quo alio tempore, lautiores dicit epulas diis apponendas fuisse, licet nullae sint appositae. *R.*].

v. 5—12. *Antehac* (bisyllab.), in publico periculo. — *Caecubum* pro vino generosiore, cf. supr. ad I, 20. 9. — *Cellis avitis*, vinum ab avis conditum servantibus; Ovid. Art. Amat. II. 695: *mihi fundat avitum Consulibus priscis condita testa merum.* Similiter *testam paternam* dixit Tibull. I. 10. 48. — *dementes*, dementiam et insanum furorem eius, qui eas parat, prodentes. — *Funus* h. e. interitum;

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus,
Mentemque lymphatam Mareotico

v. 9. 10. *turpium Opprobriorum*, susp. *Bentl.* v. 9. *congrege*, Cruq. e Codd. *R.*

rem Horatius, ut poeta, auget; non proprie enim imperium Romanum ad interitum vocatura, sed imperii Romani tantum sedem Alexandriam translatura erat Cleopatra; Propert. III. 11. 31. 32: *Coniugii obsceni pretium Romana poposcit Moenia et addictos in sua regna patres.* cf. Dio lib. VII. — *Contam. c. gr. turp. morb. vir.* in comitatu suo habens catervam virorum turpi morbo infamium; intellige spadones sive eunuchos, cf. infr. Epod. 9. 13. Cum contemtu autem istam catervam vocat *gregem* et quidem *contaminatum* h. e. impurum vel foeda libidine pollutum; Tac. Ann. XV. 37: (*Nero*) *uni ex illo contaminatorum grege in modum sollemnium coniugiorum denupsisset.* Sueton. Tit. 7: *Nec minus libido propter exoletorum et spadonum greges suspecta in eo erat.* — *virorum morbo turpium* h. e. qui illicitae libidinis turpi morbo laborant; hinc apud Catull. LVII. Mamurra et Caesar, pathici, dicuntur *morbosi.* Cf. *Bentl.* ad h. l. — *quidlibet impotens sperare* impotente animo, (h. e. praeter modum, temere,) sperans omnia; *impotens,* animi cupiditati temperandae impar; Livius VI. 11: *animi ingenio vehemens et impotens.* — *dulci* refer ad dulcem illam spem, quam de Romano imperio tamquam amoris mercede ab Antonio accipiendi (Flor. IV. 11.) fovebat Cleopatra; *ebria*, quia spes, quam imbiberat dulcissima eius mentem, ut nimius potus, perverterat; nos similiter *berauscht*, Graeci μεθύων v. c. Theocrit. XXII. 98: μεθύων ἔρωτι.

v. 13 — 24. *vix un. sosp. nav. ab ign.* intelligendum est de classe Antonii, quam totam paene in pugna Actiaca combustam esse constat; ipsa Cleopatra enim vano timore exsternata sub pugnae statim initio cum sexaginta navibus aufugerat, quam mox navi praetoria (ad quam spectare videtur *una navis sospes ab ignibus*) secutus est Antonius; vid. Dio lib. XXXIII. p. 439. Flor. IV. 11. 8. — *mentemque lymphatam Mareotico — remis adurgens;* sententia: et Caesar celeri cursu ab Italia fugientem Cleopatram persecutus vanum eius timorem, quo pugnae se subduxerat, in verum ad Alexandriam mutavit; *vanum timorem*, qui vero opponitur, expressit poeta per *mentem lymphatam Mareotico.* — *lymphatus* (νυμφόληπτος) proprie dicebatur, qui Nympham aquaticam conspicatus aquam timeret (nos *wasserscheu*), deinde de eo, qui vel subito terrore offusus vel mente alienatus vel furore correptus esset, vid. *Cuper. Observ.* III. 12. Iam vero cum Cleo-

Redegit in veros timores
Caesar ab Italia volantem
Remis adurgens, accipiter velut
Molles columbas aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Haemoniae, daret ut catenis
Fatale monstrum; quae generosius
Perire quaerens nec muliebriter
Expavit ensem nec latentes
Classe cita reparavit oras;

v. 24. *reparavit*, Codd. paene omnes. *repetivit*, Codex unus Vatic. Reg. a sec. manu. *penetravit*, susp. *Bentl.; repedavit*, coni. *Tilius* ad Grat. Cyneg. 262. et rursus *Wakefield.; ire paravit*, coni. *Lamb. Bos* in Animadv. p. 36. *reseravit, Withof. peraravit, Bouhier.* At non sollicitanda est Codd. lectio. *R.*

patra vix pugna navali ad Actium commissa ita alienata esset animo, ut nulla adhuc urgente necessitate statim fugam capesseret; ille terror vanus salse ad eius vitam luxuriosam simul notandam *menti lymphatae Mareotico* h. e. offusae et externatae vino Mareotico sive eius ebrietati tribuitur; cf. *Bentl.* — *Mareoticum,* vinum nobilissimum, ad Mareotidem paludem super Alexandria natum; cf. *Heyn.* ad Virg. Georg. II. 91. — *ab Italia,* quo tetenderat Cleopatra; *remis adurgens,* primum nempe Caesar Liburnas naves fugientem Cleopatram premere iussit, deinde post aliquod temporis intervallum ipse eam ad Alexandriam usque persecutus est. — *accipiter velut* sc. premere solet; *molles,* timidas; primas lineas huius comparationis duxit Homerus Il. XXII. 139: *Πηλείδης δ' ἐπόρουσε — Ἠΰτε κίρκος ὄρεσφιν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν, Ῥηϊδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν.* Cf. Virgil. Aen. XI. 721., ubi plura tam Graecorum quam Latinorum poetarum in hanc rem exempla collegit *Cerda.* — *nivalis Haemoniae*, Thessaliae, ab antiquo rege *Haemone,* quae nunc a tempore, quo lepores in campis venator indagare solet, *nivalis* dicitur. — *daret ut catenis*, eo scilicet consilio, ut ex more sollemni *catenata* ante currum triumphalem duceretur. Plut. Ant. 78. — *Fatale monstrum,* horrendae et inauditae cupiditatis mulierem, fato quodam a diis iratis Romano imperio immissam, quam graviter! Similiter Cicero Catilinam ob dira eius consilia *monstrum* et *prodigium* vocat *in Cat.* II. 1. *Dedecus Aegypti, Latii feralis Erynnis* audit Cleopatra apud Lucan. X. 59. — [*monstrum, quae,* cf. *Zumpt,* Gr. Lat. §. 368. — *generosius per. quaerens*, mortem honestam captivitati aut fugae praeponens. *R.*] — *expavit ensem,* arreptum enim telum, quo vim sibi illatura erat Cleopatra, cum Proculeius eam ad Caesarem abductum venisset, vix vi ex eius manibus extorqueri potuit, ut narrat Plutarch. Anton. 79. — *nec lat. class. cit. repar. or.* h. e. nec, ut mortem effugeret, occultiora, quibus lateret, loca cita classe assequi stu-

Ausa et iacentem visere regiam
Voltu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior:
Saevis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

v. 25. *tacentem*, Cod. Bersmanni prob. *Bentl.* — *R.*

duit. — [*reparavit*, regni amissi loco paravit, spe novi ibi condendi imperii; cf. *Iahn*, Ann. Phil. et Paed. 1827. Vol. II. F. 4. p. 415 sq. *R.*]

v. 25—32. *iacentem*, deiectam, afflictam; sic *iacentem* (h. e. afflictum, miserum) *solari* apud Ovid. Trist. I. 8. 13. et Pont. III. 3. 77. et saepe alibi. — *tractare*, sc. manibus, ut ad morsus lacesseret; *asperas* refer ad asperam serpentum iram et saevitiam; sic infr. III. 2. 10. hostis timendus et saevus cum *aspero tactu leone* comparatur. — Serpentes autem sive aspides illas fixisse dentes suos venenatos in Cleopatrae brachio, ex adumbrata cum aspidibus eius brachio implicitis imagine, quam Augusto, in triumphum invecto, praeportatam esse tradunt, intelligi potest; v. Propert. III. 9. 53. et ibi *Burm.* — Caeterum mortis per aspidum morsus conscitae genus apud Aegyptios haud infrequens; sic Demetrium Phalereum in Aegypti regno aspide ad corpus admota vita privatum esse narrat Cicero in Orat. p. C. Rabir. c. 9. — *Saev. Lib. sc. invid. Priv. ded. sup. N. hum. mul. triumpho*, h. e. invidens scilicet *mulier non humilis* i. e. indolis generosae, hostibus hanc gloriam, ut privata in splendidum triumphum deduceretur. — *Saevis Liburnis*, navibus illis parvis et velocioribus, qualibus Liburni inprimis piratae mare olim infestaverant; iam vero cum Augustus vel potius Agrippa egregia earum opera non solum Antonii classem ex grandioribus et ob molem suam minus agilibus navibus instructam vicisset, sed iisdem etiam ad persequendam Cleopatram usus esset, cum delectu pro: hostibus infestissimis ponuntur. — *privata deduci*, ut privata (h. e. perdito regiae dignitatis honore) deduceretur; cf. Zenob. Cent. V. p. 121. edit. *Schott.* ἡ δὲ Κλ. αἱρουμένη μᾶλλον ἐντίμως ἀποθανεῖν, ἢ ἐν ἰδιωτικῇ τάξει ἐπὶ θεάτρου ἀτιμασθῆναι, ἀνελεῖν ἑαυτὴν ἐμέλησεν.

CARMEN XXXVIII.

AD PUERUM.

Persicos odi, puer, apparatus;
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus neque me sub arta
Vite bibentem.

v. 6. *curo*, Codd. paene omnes; *curae*, Cod. Bodl. et sic *Cuningh.* et *Doer.*; *cura* (imperat.), coni. *Bentl.*, quam coniecturam probavit *Klotzius*, Lectt. Venus. p. 236, ita tamen, ut *cura* ablativum esse voluerit. Minime autem mutanda erat vulgata lectio, cum hoc vel maxime se *curare* dicat poeta, ne quid puer myrto, quae sola sufficiat, nimis sedulus superaddere velit. Verbum *curo* oppositum est praegressis *odi* et *displicent*, neque igitur quid *iubeat* fieri, dicit Horatius, sed quid maxime sibi placeat, quid potissimum cupiat et amplectatur. *R.*

CARMEN XXXVIII.

Ut ostendat poeta, se conviviorum simplicitate magis quam splendido eorum apparatu delectari, puerum cui convivii apparandi curam demandaverat, coronam convivalem haud ex floribus undique studiose conquisitis, sed ex simplice myrto nectere iubet.

v. 1—4. *Persicos odi apparat.* De Persarum luxu et magnificentia in apparandis conviviis vid. Athen. IV. 10. et 12. Val. Max. IX. 1. Aelian. V. H. XIV. 34. — *nexae philyra coronae* convivales ex variis floribus per philyram connexae, quae inde dicebantur *sutiles*; de *philyra* Plin. H. N. XVI. 14. s. 25: *Inter corticem ac lignum tenues tunicae multiplici membranula, e quibus vincula, tiliae* (Lindenbast) *vocantur, tenuissimae earum philyrae, coronarum lemniscis celebres, antiquorum honore.* Cf. *Boettiger*, Sabina, Tom. I. p. 282. — *mitte*, noli. — *sera moretur*, ubi auctumni tempore, quo caeterae defloruerint, adhuc floreat.

v. 5—8. *Simpl. myrt. nih. all. sed. curo;* Sententia: nolo, ut ex sedulitate et ex ministerii tui bene administrandi cura alios flores simplici myrto adiungas. — *ministrum* sc. vini. *dedecet myrtus*, nam pocillatores quoque sertis coronari solebant; *sub arta vite*, sub denso umbraculo e vitibus contexto; sic apud Virg. Eclog. IX. 42: *lentae vites umbracula texere* dicuntur.

Q. HORATII FLACCI
C A R M I N U M
LIBER SECUNDUS.

CARMEN I.
AD ASINIUM POLLIONEM.

Motum ex Metello consule civicum
Belliqne causas et vitia et modos

CARMEN I.

In nullis, quantum equidem animadverti, Horatii carminibus magis hallucinati sunt interpretes, quam in diiudicandis iis, ubi excelsiore spiritu poeta exsurgit et lyrica arte h. e. liberiore vinculo sententias inter se coniungit. Itaque super huius quoque carminis sublimitate eminentis consilio mirae prolatae sunt argutiae, quas repetere et refellere cum molestum tum ab instituto nostro alienum est. — C. Asinius Pollio, vir consularis, quem belli pacisque artibus pariter ac literarum ingeniique, quo praeclarum tragoediarum scriptorem se praestitit, gloria inter Romanos excelluisse satis constat, cum iam eo contulisset studia sua, ut belli civilis historiam scriberet, Horatius eum in hoc carmine ad illud opus strenue perficiendum non sine magna eius laude adhortatur atque excitat. Sententiarum nexus est hic: bellorum civilium originem, inde ab eo tempore, qu Metellus consul fuit, repetendam, rationem, qua illa gesta sunt, enarrare aggressus es, Pollio. Est sane tanti, ut tamdiu, donec ultimam manum suscepto operi imposueris, ani mum paulisper a tragoediarum scri bendarum studio avertas. Qua vivis coloribus omnia in illa bell rum civilium descriptione express erunt! Iam nunc ipsis pugnis, qua descripturus es, interesse mihi vi deor! iam nunc adumbrata fortissi morum ducum imago animo meo ob versatur! iam nunc mente percipio quomodo totus terrarum orbis prae ter atrocem animum Catonis subactus et quanta strages in Afric edita sit! Quis campus enim Roma norum civium sanguine non pollutus est? In quam terram fama de bel lorum civilium calamitate non pene travit? Quem gurgitem, quem flu vium, quod mare non commaculavi civium caedes? Sed quo abripior

Ludumque Fortunae gravesque
Principum amicitias et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox ubi publicas

v. 5. *tincta*, *Bentl.* de coniectura.

ego, qui non gravioris, sed levioris tantum argumenti carmina canere possum! — Caeterum cum bellorum civilium historiae in XVII libris a Pollione expositae alii quoque scriptores (velut Tacit. Ann. IV. 34. Sueton. Caes. 30. et de Cl. Gramm. 10. Appian. de B. C. p. 479.) tam honorificam mentionem iniecerint; profecto eam non aetatem tulisse maxime dolendum est. [Cf. *Thorbecke*, de Asinii Pollionis vita ac studiis doctrinae, et quae nos disseruimus de tragica eius indole in Commentat. de Re Trag. Rom. p. 53 sq. *R.*] — Pollionis autem laudes inprimis complectuntur quarta et octava Ecloga Virgilii, qui illi aeque atque Horatio amicus et patronus extitit.

v. 1—8. *Mot. ex Met. c. civ.* Pollio, cum a societate illa, quam U. C. DCXCIV. Q. Caecilio Metello Celere, Lucio Afranio Coss. tres viri principes, Caesar, Pompeius, Crassus contra rempublicam inierunt, primam bellorum civilium originem repeteret; inde quoque eorum historiam detexere exorsus est. — *motus civicus* (ut *rabies civica* Od. III. 24. 26.), seditio, quae inter cives movetur, iam pro initio belli civilis. — *vitia*, temere, a Pompeianis inprimis, capta consilia. — *modos* refer ad omnem rationem, qua bellum pro cuiusque partis consilio et viribus gestum est. — *Ludumque Fortunae*, fortunae vicissitudines. — *graves*, exitiosas. — *uncta* h. e. polluta, ut infr. Epod. 5. 19: *ora turpis ranae sanguine* **u n c t a.** — *nond. expiat. cruor.* perpetrata enim in bello civili civium caedes ad graviora et piaculis expianda referebatur scelera; hinc supra Hor. de bellis civilibus I. 2. 29: *Cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter?* — [*Pericul. plen. op. aleae*, opus periculosissimum, rem magnam et arduam moliris; *incedis per ignes suppositos cineri doloso*, periculosam viam ingrederis, cf. Suid. s. v. ἐν πυρὶ βέβηκας. — Facile enim fieri poterat, ut Asinius in enarrandis civilibus bellis vivos laederet. *R.*]

v. 9—16. *Paul. sev. Mus. trag. Des. theatr.* sileat interea Musa tua tragica, cesset et intermittatur paululum, quo tragoediis scribendis de theatris egregie meres, studium. — *ubi res publicas ordinaris*, ubi res, quae ad bella civilia spectant, digesseris et earum nexum ex ordine descripseris; vel ad exquisitius loquendi genus: postquam rempublicam composueris, h. e. postquam historiam tuam ad illa usque tempora produxeris, quibus respublica

Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne maestis praesidium reis
Et consulenti, Pollio, curiae,
Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures, iam litui strepunt,
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque voltus.
Audire magnos iam videor duces

v. 16. *Delmatico*, *Orellius* ex Cod. Bern. antiquissimo. — v. 21. *Videre*, coni. *Bentl.* — *R.*

est composita. Facere enim dicuntur poetae et historiarum scriptores, quod describunt. — *grande mun. Cecrop. repet. cothurn.* tragici poetae partes de integro sustinebis; *repetere grande munus*, ad grave tragoedias scribendi studium redire, *Cecropio — cothurno*, sublimiore, quem illud exigit, spiritu. *Cecropius*, Atticus; fuerunt autem nobilissimi tragoediarum scriptores Attici sive Athenienses, Aeschylus, Sophocles, Euripides. — *cothurnus*, calceus altior, quo in tragoediis utebantur, pro ipsa tragoedia vel sublimiore scribendi genere, uti *soccus*, calceus humilior, pro comoedia vel humiliore scribendi genere; infr. in Epist. ad Pis. v. 90: *carmina prope socco digna* et v. 280. de Aeschylo: *Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.* Et hinc Virgilius Eclog. X. 8. Pollionem Sophocli aequiparans, eius *carmina sola Sophocleo cothurno digna* esse ait. — *Insigne maestis — peperit triumpho*, pro vulgari: o Pollio, vir consultissime et victoriarum gloria clarissime. — *consulenti curiae*, senatui de rebus gravioribus deliberanti. — *Dalmat. triumph.* Pollio, de Parthinis proprie, populo Illyrico, contra quos missus fuerat ab Antonio, triumphum egit a. 715. Dio XLVIII. 41. Appian. de B. C. V. 75. p. 1135. qui quidem triumphus honorificentiore nomine dictus est *Dalmaticus.*

v. 17—24. Sequitur locus longe pulcherrimus. Iam nunc oculis suis subiecta esse ait poeta, quae Pollio pro insigni, qua polleat, dicendi arte adumbraturus sit. Tribuit igitur ei laudem, in qua summa historiarum scriptoris virtus cernitur. — *perstringis*, feris, impellis. — *Terret equos equitumque voltus*, equi enim armorum fulgore consternantur et equitum vultus periculo imminente pallescit. — *Audire magnos iam videor duces* cett. sensus: iam auribus percipere mihi videor voces et iussa, quibus magni et egregii duces milites ad pugnam exhortantur, et sic praesens quasi cognosco, quomodo praeter invictum Catonis animum totus terrarum orbis subactus sit. — *Aud. mag. iam. vid. duc.* explicant: iam audire mihi videor te recitantem de magnis ducibus cett.

Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.
Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthae.
Quis non Latino sanguine pinguior

sed sic omnis huius loci vis tollitur; lector enim Pollionis de bellis civilibus historiae non legere de pugnis, sed in ipsa pugna simul versari sibi videtur; audit cornuum murmur et lituorum strepitum, videt consternatos equos; auribus igitur percipere quoque sibi videtur ipsas ducum militibus imperantium voces. — *non indec. pulv. sord.* decori enim est viro forti pulvis in pugna collectus; hinc supr. I. 6. 15: *Meriones pulvere Troio niger* dicitur. — *Et cuncta* cett. verbum *audire* iam non in propria significatione repetendum, sed vel pro: *cognoscere*, *intelligere*, *videre*, accipiendum, vel eiusmodi verbum ex noto loquendi genere, quod *zeugma* dicitur, supplendum est. — *praeter atroc. anim. Cat.* praeter Catonem, virum pervicacissimum, qui, cum mori quam tyranni vultum adspicere mallet (Cic. Offic. I. 31. Vell. II. 49. Flor. IV. 2. Senec. de Provid. 2. et Epist. 95.), manum sibi Uticae intulit; itaque eius animi constantia et pervicacia cum atrocitate coniuncta fuit.

v. 25—28. Iniecta Catonis mentio ducit poetam ad clades, quas in Africa acceperant Romani; vulgarem autem sententiam: „Romani in bello Africano occidione paene a Caesare occisi sunt“ egregie ad veteris religionis doctrinam adumbravit; Iunonem enim et caeteros Africae deos *ἐπιχωρίους* sive tutelares, qui cedere olim debuerant cladibus, quas Romani in bello Iugurthino et bellis Punicis Afris intulerant, iam auctores facit insignis illius cladis, qua collectus a Q. Scipione exercitus, ultimum libertatis defendendae praesidium, ad Thapsum (Byzacii oppidum) ad internecionem caesus est; — olim quidem, ait, Iuno et caeteri dii Afris propitii *impotentes* (quia fati necessitati resistere non poterant) *inulta terra* excedere coacti sunt; sed nunc dii illi *nepotes victorum*, tamquam piacula, Iugurthae et caeterorum Afrorum manibus obtulerunt, h. e. nunc avorum poenas a nepotibus expetierunt. — *cesserat*, loca enim vastata vel captas urbes dii deserere putabantur; vid. *Cerda* ad Virgil. Aen. II. 351. — *retulit*, significanter pro: obtulit; *referre* enim notionem vicis reddendae simul complectitur, uti *gratiam referre* in malam partem pro: vicem reddere, dici solet. — *inferias* refer ad inhumanum illum priscae antiquitatis morem, ex quo captorum sanguine placari solebant in bello caesorum Manes; de quo vid. ad Virg. Aen. X. 519.

v. 29—36. *Quis non Lat. sangu.* cett. vulgarem sententiam: ubinam est in toto terrarum orbe locus, quem Romani cives non sanguine suo ma-

Campus sepulcris impia proelia
Testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurges aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?
Sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae:
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

culaverint? splendide exornavit poeta. — *sanguine pingu. camp.* similiter apud Virgil. Georg. I. 491. de bellis civilibus *campi pinguescere* dicuntur. — *audit. Med. Hesp. sonit. ruin.* imperiique Romani ruinam (*Hesper. ruin.*), cuius fragor Medis adeo (h. e. Parthis, Romano nomini infestissimis) auditus est? — *quae flumina*, fluvii enim passim a poetis proeliorum testes adhiberi solent; cf. infr. IV. 4. 38. Catull. LXIV. 358. Tibull. I. 7. 11. Virg. Eclog. V. 21. cogitare autem licet de proeliis ad Rhodanum, Padum, Iberum commissis. — *Daun. caed.* h. e. sanguis caesorum civium Romanorum; *Daunia* sive Appulia pro tota Italia. — Terras, quae bella civilia senserunt, recenset Florus IV. 2. §. 6: *Si locum et spatium* (sc. inspicias, quod ex antecedentibus repetendum) *ubi commissum est, intra Italiam; inde se in Galliam Hispaniamque deflexit, versumque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit; hinc in Aegyptum subito transiliit; inde respexit Asiam; inde Africae incubuit; postremo in Hispaniam regiravit et ibi aliquando defecit.*

v. 37—40. *ne munera Ceae neniae retractes*, ne canas nenias, θρήνους, carmina lugubria et miserationem moventia, qualia olim cecinit Simonides *Ceus* (insula Cea oriundus.) — *Simonideas lacrimas*, flebiles illos et miserabiles Simonidis elegos vocat Catull. XXXVIII. 8. — De laudibus, quae Simonidi, ut poetae, tribuuntur, vid. *Wesseling.* ad Diodor. Sic. T. I. p. 412. — [*munera neniae*, ea, quae sunt carminum lugubrium. — *Dionaeo sub antro*, sub antro Dionae (h. e. Veneri, quae a matre Dione hoc ipsum nomen accepit) dicato, ubi vigent lusus amatorii. — *leviore plectro*, cf. Ov. Metam. X. 150: *Cecini plectro graviore Gigantas — Nunc opus est leviore lyra.* — *R.*]

CARMEN II.

AD C. SALLUSTIUM CRISPUM.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

v. 2. *Abditae*, coni. *Lambinus.* Recte eum refutavit *Bentleius*, qui verba *nisi — usu* iungenda esse docet cum proxime antecedentibus *inimice lamnae*, non vero, ut Lamb. fecit, cum praegressis *Nullus argento color est.* „Nihil pulchri est argento abdito terris; hoc verum esse tu agnoscis, qui nihil facis lamnam, nisi in quantum humanis usibus inserviat.“ *R.*

CARMEN II.

Agit poeta in hoc carmine de vera, quae ex divitiarum vel contemtu vel liberali usu comparetur, gloria eo consilio, ut eam Sallustio Crispo, liberali homini, vindicet. Proculeii igitur immortale liberalitate sua in fratres nomen nacti laudato in hanc rem exemplo tam miseram conditionem eorum, quorum plura habendi cupiditas in dies, ut hydrops, crescat, quam summam felicitatem et potentiam eorum, qui exstirpata plane ex animo plura habendi cupiditate sibi imperare et fortuna sua uti didicerint, describit. — Fuit autem Sallustius Crispus, clarissimi historiarum scriptoris ex sorore nepos, non solum a divitiarum augendarum (nam vivebat splendidissime), sed etiam honorum (noluit enim ultra ordinem equestrem assurgere) studio alienissimus (Tac. Ann. III. 30.). Nobilissimi inprimis sunt *horti Sallustiani*, quos praeclaris antiquitatis monumentis instructos Imperatores postea obtinuisse constat. — In sententiam huius carminis comparant Theocrit. XVI. 22 sqq.

v. 1—4. Sententia: nullum pretium habet argentum, quod avaris hominibus abditum est in terra; hinc invisa tibi est, Crispe Sallusti, pecunia, quae non sapienter in usum convertitur. — *nul. arg. col. est*, splendore suo h. e. pretio caret argentum. — *avaris* omnes, quos vidi, interpretes ad *terris* trahunt, et *avaram terram* explicant de ea, quae avari instar argentum conditum custodiat; equidem *avaris* in casu tertio et *terris* in casu sexto positum esse arbitror, ita, ut *argentum avaris abditum terris* sit, argentum, quod avaris hominibus abditum est, vel quod avari abdere in terra solent. *Avaris* nempe opponitur Crispus Sallustius, qui, ut paulo post dicitur, *avidum spiritum domare* didicerat. [Poetica tamen ratio atque structurae concinnitas postulare videtur, ut *avaris* cum v. *terris* iungatur. *R.*] — *inimicus lamnae*, qui nihil curat pecuniam; *lamna* pro *lamina* (ut supra *puertiae* Od. I. 36. 8.), argentum in laminas procusum, iam cum contemtu quodam pro: pecunia. — *Crispe Sallusti*, inverso ordine, ut Od. II. 11. 2: *Hirpine Quinti;* cf. *Iahnium* ad h. l. — *temperato* sc. ad eum,

Vivet extento Proculeius aevo
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni.

v. 7. *agit*, Codd. plures. — v. 11. *uterque pontus*, coni. *Schrader*: sed praestat omnino vulgata. *R.*

qui tenendus est, modum, h. e. recto. Commode cum sententia huius loci contendunt Pind. Nem. I. 44: *Οὐκ ἔραμαι πολὺν ἐν μεγάρῳ πλοῦτον κατακρύψαις ἔχειν· Ἀλλ' ἐόντων, εὖ τε παθεῖν καὶ ἀκοῦσαι, φίλοις ἐξαρκέων.*

v. 5—8. Itaque gloria, quam liberalitate in fratres sibi comparavit Proculeius, semper vigebit et apud posteros celebrabitur. — *Notus — paterni animi* pro vulgari: notus paterno animo. — *C. Proculeius Varro Murena*, eques Romanus et intimus Augusti amicus, tam pio liberalique in fratres (L. Licinium Varronem Murenam et M. Terentium Varronem Murenam, secundum Masson. Vit. Horat. p. 304.) bonis suis in bellis civilibus exutos animo fuisse dicitur, ut patrimonii sui partem de integro aequis partibus cum iis divideret. — *extento aevo*, pro vulgari: apud posteros; extendit enim aevum, qui gloriam virtute partam ad posteros propagat; similiter Virg. Aen. X. 468: *famam extendere factis* et ibid. VI. 807: *virtutem extendere factis* dixit. — *aget*, extollet, evehet; *penna metuente solvi Fama*, ad famae aeternitatem designandam tribuuntur Famae, ut deae alatae, *pennae metuentes solvi*, quae sibi cavent, ne solvantur, h. e. quae nunquam solvuntur, nunquam languescunt, nunquam volatui desunt; sic passim verbum *metuere*, ut Graecorum *φυλάττεσθαι*, periphrasi particulae *non* vel *nunquam* servit. Virg. Georg. I. 246: *Arctos Oceani metuentes aequore tingi.* cf. infr. ad Sat. II. 5. 65. — *superstes*, ad Famam refertur, quod proprie ad Proculeium referri debebat.

v. 9—12. Sententia: si animum tuum a maiorum divitiarum cupiditate domas et iis, quae habes, recte uteris, haud scio, an latiores possessiones tibi habere videaris, quam si Africae et Hispaniae agros simul possideas et Carthaginienses tam in Africa quam in Hispania tibi uni serviant; brevius: sapiente autem divitiarum tuarum usu longe eris beatissimus. — *regnum* et *regnare* passim de agrorum possessionibus; Virg. Eclog. I. 70: *Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?* cf. Georg. III. 476. — *Libyam*, Africam, ubi latifundia sua habebant Romanorum ditissimi. — *Gades*, insula prope fretum Gaditanum, pro Hispania, vel Hesperia, quae terra Romanis fuit remotissima; hinc supr. I.36. 4: *Hesperia ultima.* — *iungas*, simul possideas; candem sententiam variavit Horatius

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraaten
Dissidens plebi numero beatorum
Eximit Virtus populumque falsis
Dedocet uti

v. 18. *plebis*, Codd. nonnulli et Porphyr.; *plebi*, Codd. plerique et Prisc. p. 1158. — ibid. *beatum*, Codd. aliquot et sic *Fea*, *Iahn*, *Mein.* Servavimus tamen cum *Orellio* ceterisque lectionem plurimorum Codd. *beatorum*, cuius vocis ultima syllaba eliditur. *R.*

infr. III. 16. 39 sqq.: *Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam, Quam si Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem.* — *Uterque Poenus*, Afer et Hispanus, Libyae atque orae Hispaniensis maritimae incolae. Cum *Libya* ac *Gades*, Poenorum colonia, modo nominatae sint, dubium omnino esse non potest, quorsum spectent verba *uterque Poenus*, neque locus est coniecturis.

v. 13 — 16. Avarus enim, qui semper plura appetit, similis est hydropico, cuius sitis, quamdiu causa morbi in venis sedet, nunquam expleri potest, morbo adeo ingravescente, si sitim explere studet (*indulgens sibi*). Similiter crescentem avarorum cupiditatem cum hydrope comparat Ovid. Fast. I. 211: *Creverunt et opes et opum furiosa cupido; Et, cum possideant plurima, plura volunt. Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda, Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.* — *aquosus alb. corp. langu.* aqua intercus, qua corpus tam pallore quam languore afficitur.

v. 17—24. Sapiens longe aliter ac plebs de felicitate, quae virtute paritur, indicat; nec Phraaten ideo, quod in regnum Parthicum restitutus sit, in censum beatorum refert; idemque probans, solum eum recte dici posse regem et summis virtutis praemiis dignum esse, qui nulla plane divitiarum cupiditate tangatur, rectius populum de humana felicitate iudicare docet. — *Reddit Cyr. sol. Phraat.* Phraates IV., rex Parthorum, cum insolentius et crudelius se gessisset, a suis expulsus, sed idem deinde Scytharum auxilio, quod imploraverat, sustentatus U. C. DCCXXX. in regnum restitutus est; v. Dio LI. 18. cf. supr. ad I. 25. 5. *Cyri solio*, imperio Persico, pro Parthico, ut saepe Persae pro Parthis; supr. I. 2. 22. et 21. 15. — *beatorum*, Senec. Epist. 45: *beatus non is est, quem vulgus appellat, ad quem magna pecunia confluxit; sed ille, cui bonum omne in animo est, erectus, excelsus, et mirabilia calcans.* — *Virtus* personam doctoris, sive sapientis, virtutis praeceptis imbuti, induit. — *dissidens plebi*, non eadem iudicans, quae plebs imperita. — *populumque fals. ded. uti vocibus*, et populum non amplius uti iubet falsis rerum nominibus falsoque de felicitate humana iudicio. *diadema*, insigne regii honoris; *tu-*

Vocibus regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

CARMEN III.

AD DELLIUM.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis

v. 2. *secus ac bonis, Bentl.* e duobus Lamb. Codd., perperam. *R.*

tum, quod eripi nequit. — *propriam*, perennem, aeternam; Cic. post Red. in Senat. 4: *Si illud — perenne ac proprium manere potuisset;* et sic perennes et aeternae deorum voluptates *propriae* dicuntur apud Terent. Andr. V. 5. 4. infr. Sat. II. 6. 5: *nil amplius oro, Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis;* ubi plura vid. in not. — [*oculo irretorto.* Duae sunt horum verborum explicationes, quarum utraque multos habet et satis graves fautores. Intelligunt enim per *irretortum oculum* aut *non retortum a divitiis oculum*, aut *oculum non retortum ad divitias.* In illa explicatione hoc displicet, quod idem tribuitur contemtori divitiarum, quod alias tribui solet avaro; haec rectissima est, si verbum *retorquendi* recte intelligitur. Etenim hoc verbum nostro loco non significat, quod significare opinati sunt, praetereuntem *retro torquere* oculos, sed simpliciter *oculum convertere* in al., oculum figere in aliqua re, ut Ov. Met. XI. 163: *ora retorsit Tmolus ad os Phoebi.* Iam haec verborum est sententia: „acervos non spectat defixo oculo (*μηδαμῶς ἑλκόμενος πρὸς τὴν ὄψιν* Luc. Pisc. 46.), sed ne adspectu quidem dignos eos habet, ubi forte sub oculos cadunt.“ *Oculo irretorto* est igitur: oculo, quem non retorquet ad acervos, qui eos spectat, vel oculo, quem non retorquent in se (Quintil. Declam. VIII. 8.), non captum quasi ac fixum tenent acervi. *R.*].

CARMEN III.

Dellio, qui tum ob praesentem rerum suarum statum tristitiae se tradidisse videtur, animum in utraque fortuna sibi constantem commendat eumque monet, ut communi moriendi necessitate ante oculos sibi posita vitae iucunditatibus, dum liceat, sapienter perfruatur. De quo quidem ad iucundioris vitae fructum spectante praecepto saepius nova arte ab Horatio repetito compara supr. lib. I. carm. 4. et 9. — Fuit autem Q. Dellius homo varius et inconstans, *bellorumque civilium*, ut vocatur a Messala apud Senec. Suas. I. 6. *desultor;* de quo vid. Vell. Paterc. II. 84. et Dion. XLIX. 39. ibique *Fabricium.*

v. 1—8. *Aequ. mem.* cett. *mens aequa*, quae fortuna adversa haud

Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli,
Seu maestus omni tempore vixeris
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.
Quo pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis? quid obliquo laborat

v. 9. *Quo*, Codd. plerique (*Vanderburgii, Feae, Orellii* omnes); *Qua, Lambinus* ex nonnullis Codd. et sic *Bentl., Iani, Mitscherl., Doer., Mein.* — v. 11. Libri plerique exhibent aut *quo obliquo*, aut *quid obliquo; Lambinus* ex nonnullis Codd. dedit; *qua obliquo, Cuningh.* (et *Iani*): *qua et obliquo*, plerique vero cum Edit. Venet. 1492 scripserunt: *et obliquo* (sic *Mitsch., Doer., Iahn, Meineke*). Codd. lectionem *quid* restituit *Vanderburg.; quo et* scripsit *Orellius.* Equidem veram esse puto antiquissimorum Codd. scripturam, qui v. 9. praebent *Quo*, v. 11. *quid*, at aliter hunc locum explico, atque ab interpretibus factum est. *Quo* enim neque pro *ubi* positum accipio neque refero ad praegressa verba *in remoto gramine*, sed interrogantis esse censeo: *quem in usum, cui bono.* Idem significat sequens *quid*, in cuius locum librarii *quo* substituerunt, ut alterum membrum priori responderet; inde vero reliquae lectiones ortae, cum *quo* metro repugnet. Porphyrion recte igitur subaudiendum dicit ad alteram enunciati partem: *si ea non utimur.* Egregie autem hic noster locus illustratur simillimo apud Horat. in Ep. I. 5. 8 seq.: *cras nato Caesare festus Dat veniam somnumque dies; impune licebit Aestivam sermone benigno tendere noctem. Quo mihi fortunam, si non conceditur uti? Parcus ob heredis curam nimiumque severus Assidet insano. Potare et spargere flores incipiam* etc. *R.*

de statu suo deiicitur, sed in ea sibi constat eamque patienter fert. Plaut. Rud. II. 3. 71: *Animus aequus optumum est aerumnae condimentum.* — *res arduae*, quae difficultatibus haud facile superandis nos impediunt, res dubiae et periculosae.

ab insol. temper. laetit. h. e. ita ratione se regi patientem, ne insolentius in re secunda se gerat nimiaeque se dedat laetitia. Cfr. Grotii Excerpt. trag. p. 909. ubi Incertus: *Ἀγαθὸς ἀνὴρ λέγοιθ' ὁ φέρων εὖ τ' ἀγαθά, Ἀγαθὸς ἂν εἴη χ' ὁ φέρων καλῶς κακά.* — *Seu maest. omn. temp.* cett. Cfr. epigramma IV. Antiphanis in Anthol. Graec. Tom. II. p. 188. et Epigr. Incert. DXXVI. Anth. Gr. T. IV. p. 229. — *in remoto gramine*, in prato a conspectu hominum remoto, h. e. secreto. — *bearis inter. not. Fal.* exhilaraveris optimo Falerno. — *nota*, de cado notam sive titulum, quale vinum contineat, prae se ferente; qui quidem nunc dicitur *interior*, quia vinum nobilius et praestantius continebat, ideoque in interiore cellae vinariae parte, ut festis tantum diebus inde promeretur, reconditum atque repositum fuit.

v. 9—16. Sententia: ubi pinus et populus hospitaliter communem umbram sufficiunt rivusque intentiore cursu festinat, eo affer vina, unguenta et rosas ibique, dum fata

Lympha fugax trepidare rivo?
Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amoenae ferre iube rosae,
Dum res et aetas et sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coëmtis saltibus et domo
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.

v. 13. 14. *breves — amoenae*, optimi ac plurimi Codd.; *brevis — amoenos*, *Cruquius* ex aliquot Codd. et sic *Iani*, *Mitscherl.*, *Doer.* — R.

sinunt, indulge laetitiae. Fuit autem hic locus, quem tanta arte Horat. descripsit, amoenissimus haud dubie in villa Dellii, cuius mentio fit v. 18. — *alba*, nos *Silber-Pappel.* — *hospitalem*, benigno quasi eos, qui illuc deveniunt, hospitio excipientem; cf. Virg. Georg. IV. 24. — *consociare amant ramis*, implicitis invicem ramis ex mutui quasi amoris affectione umbram iungunt; similiter fere supr. I. 25. 4: *amat ianua limen* pro: ianua amanter quasi cum limine consuescit, amanter limini adhaeret. — *laborat trepidare*, cum labore et intentiore nisu per tortuosos rivi sinus flexusque festinat, unde gratum rivi murmur oritur. Ep. I. 10. 21: *quae per pronum trepidat cum murmure rivum.* — *breves Flores rosae*, ut supr. I. 36. 16: *breve lilium.* — *amoenae rosae*, Ov. Trist. V. 2. 27: *amoena rosaria.* — *res*, praesens rerum conditio; *sororum*, Parcarum, quae simpliciter *sorores* dici solent. — *atra*, ornat, ut rerum infernarum epitheton; nihil amplius.

v. 17 — 24. *Cedes coemt. salt.* morte tibi recedendum erit a coemtis saltibus cett. *saltibus* h. e. pascuis, in quorum possessione spectabantur antiquitus divitiae; sic *saltus* (h. e. pascua) depascere apud Ovid. Fast. V. 283. cf. infr. Epist. II. 2. 177. — *villaque*, intellige caetera aedificia et possessiones, quae praeter *domum*, ubi habitabat dominus, ad villam pertinebant. — *lavit*, alluit. *lavere* antique, ut infr. III. 4. 61. et 12. 9. — *prisco nat. ab Inacho*, antiquissima stirpe oriundus. *Inachus*, antiquissimus Argivorum rex. — *sub divo moreris*, in terra sub caelo degas, pro simplice: vivas; cum delectu autem posuit *morari;* ad vitae brevitatem designandam, quia breve tantum tempus in hac vita commorantur homines. Cic. Cat. 23: *Commorandi natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit.* — *Victima nil. mis. Orci*, es et manes tamen victima immisericordis Orci; vel: destinatus tamen es Orco inexorabili; morti enim destinati, tamquam victimae, crine abscisso, diis inferis consecrabantur; vid. supr. ad I. 28. 20. — Rex Orci, Pluto, apud Homerum quoque Iliad. IX. 158. audit ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος, unde Virgilius Georg. IV. 470. eidem *corda* tribuit *nescia humanis precibus mansuescere.* — Pro *moreris* ingeniose *Wakefieldius* tentat: *moraris*, quod deleta distinctione cum *Victima* coniungit, ut sit: vivis tamen victima nil miserantis Orci.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura et nos in aeternum
Exilium impositura cymbae.

CARMEN IV.

AD XANTHIAM PHOCEUM.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,

v. 28. *cumbae*, *Bentl.*, *Iani*. *Orelli.*

v. 25—28. Expende ornatum vulgaris sententiae: moriendum est sine discrimine omnibus hominibus. *Omnes eodem cogimur*, aurea nempe virga Mercurii ψυχοπομποῦ, cf. supr. I. 10. 8. et 24. 16 sqq. — *omn. sors. versatur*, quatitur (πάλλεται) in *urna;* cogita de urna illa fatali, quam *Necessitas* (Ἀνάγκη, Μοῖρα) eo consilio in Orco versare atque concutere fingitur, ut, cuiuscumque hominis sors inde exsiliat, ei moriendum sit; vid. *Gronov.* ad Sen. Herc. Fur. 191. Sic infr. III. 1. 14 sqq.: *aequa lege Necessitas Sortitur insignes et imos; Omne capax movet urna nomen.* — *serius ocius*, similiter Propert. II. 28. 58: *longius aut propius.* Ovid. Met. X. 33: *serius aut citius.* — *exire* (ἐξορούειν, ἐκθορεῖν) proprie de sortibus, quae excidunt vel exsiliunt. — *impositura cymbae*, sc. Charontis, *in aetern. exilium*, ut avehamur *illuc*, *unde* (Catull. III. 12.) *negant redire quemquam;* vel, ut Virgil. Aen. VI. 425. loquitur, in *ripam irremeabilis undae.*

CARMEN IV.

Turpitudinem, quam ancillarum amore contrahere sibi apud Romanos putabantur homines ingenui, elevare studet Horatius in hoc carmine. Tantum enim abest, ut amorem, quo Xanthiam Phoceum ancillam suam Phyllidem sectari audiverat, turpem et pudendum habeat, ut potius laudatis summorum virorum, qui ancillas amaverint, exemplis Xanthiae amorem vel maxime probet; praecipue cum Phyllidem nobili loco natam esse tam ex iis, quae ipse profiteatur, quam ex eius ingenio et moribus liberalem educationem prodentibus satis colligi possit. — Denique ne forte laus, quam Phyllidi tribuit, suspicionem aliquam apud Xanthiam moveat, se iam in ea aetate constitutum esse ait, ubi iuvenilis ille in amore aestus deferbuerit. — Similiter fere ancillariolorum causam perorat Ovidius Am. II. 8. 9 sqq.

Xanthia Phoceu: prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem;
Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae;
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta,
Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore et ademtus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.
Nescias, an te generum beati

v. 1—4. *ancillae*, servae, haud dubie in bello captae, ut suspicari licet ex v. 15. — *Xanth. Phoc.*, nomen fictum. — *prius insolentem* cett. iam olim et antiquitus ferocem Achillis animum cepit et vicit servae Briseidis venustas; alii *prius* ad *insolentem* trahentes explicant: invictum et indomitum adhuc amore; sed hic nullus huius sententiae cum praecedente est nexus. Horatius voluit dicere: non est, quod ancillae amoris te pudeat; haud *novus enim ille est*, immo *antiquissimi* heroes iam ei indulserunt. — *insolens* bene designat immitem nec facile pervincendum Achillis animum. *Briseis*, quae capta in praedae sortitione Achilli contigerat; res notissima, vid. Hom. Iliad. II. 690. — *niveo colore*, pulchra, formosa; *movit*, ita affecit, ut amori resistere non posset. Terent. Eunuch. III. 5. 19: *in hac commotus sum* pro: eius forma captus sum.

v. 5—12. *Tecmessae*, Teleutantis sive Teuthrantis, regis Phrygii, filiae ab Aiace in expeditione quadam captae. — *ardere aliqua* pro: ardere ob aliquam saepius; infr. III. 9. 5. IV. 11. 33. et sic supr. I. 4. 19: *calere aliquo.* — *Atrides*, Agamemnon. — *medio in triumpho*, in ipso Troiae excidio, cum victor urbem ingrederetur; vocem *triumphus* paulo audacius ad gloriosum victoris in urbem expugnatam ingressum transtulit. — *virgine rapta*, capta Cassandra. — *barbarae turmae*, Phrygiae sive Troianae copiae; *barbarus* et *barbaricus* saepe apud poetas pro: *Phrygius;* vid. Cerd. ad Virg. Aen. II. 504. et quos ibidem laudat *Burmannus.* — *Thessalo victore*, intellige Achillem, a cuius fortitudine, qua praeter multos alios Hectorem, summum Troianorum praesidium, morti dedit, pendebat Graecorum victoria. *ademtus*, e medio sublatus, occisus. *leviora tolli*, Graece pro: ad tollendum, ut leviore opera tolli possent; obversatus Horatio videtur Homerus, ubi Il. XXIV. 243. Priamus ad Troianos: *Ῥηΐτεροι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἔσεσθε Κείνου τεθνειῶτος ἐναιρέμεν.* — *fessis*, sc. bello, in decem annos extracto. Virg. Aen. II. 109.

v. 13—20. *Nescias, an*, pro vulgari: fortasse. — *beati*, potentes, nobiles. *flavae*, pulchrae, a parte

Phyllidis flavae decorent parentes:
Regium certe genus et Penates
Maeret iniquos.
Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam, neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.
Brachia et vultum teretesque suras
Integer laudo; fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

CARMEN V.

Nondum subacta ferre iugum valet

v. 18. *delectam*, Codd. nonnulli; *dilectam*, plerique et optimi. *R.*

pulchritudinis in flavis crinibus positae. — *te gen. decor.* honore te generum ornent atque mactent. — *iniquos* refer ad iniquam et indignam sortem, qua nobilioris gentis puella ad servilem conditionem detrusa fuerat.

v. 17. *scelesta*, ad quodque scelus perpetrandum proclivi, infima, abiecta.

v. 20. *pudenda*, inhonesta, cuius sors et conditio proli est pudori et dedecori.

v. 21—24. *teretesque suras*, earum enim forma apud servas inprimis, brevioribus tunicis usas, in oculos incurrebat. — *integer*, omnis amoris expers, ab omni amore liber et vacuus; nos: *unbefangen*, ut infr. III. 7. 23: *fuge suspicari* sc. me tibi in hoc amore esse rivalem; *cuius octav. trepid. act. Claud. lust.* qui iam quadraginta annos natus sum (carmen igitur scriptum est a. 729 U. C.); *trepidavit*, festinavit.

CARMEN V.

A Lalages, nimis adhuc tenerae et immaturae puellae, amoribus poeta in hoc carmine hominem quendam, qui illam sectabatur, avocare studet. Usus autem est ad Lalagen, ut crudam adhuc marito, describendam duplice comparatione, altera, ab iuvenca adhuc indomita et cum vitulis in pascuis ludente et exsultante, altera, ab immitibus uvis petita; in quarum quidem posteriore, ut multo honestiore, sola poetam acquievisse, malit fortasse is, qui rem ad nostros mores diiudicat.

v. 1—4. Puella, nondum libidini exercendae matura, comparatur cum iuvenca, tam iugum, quam libidinem tauri in se ruentis adhuc detrectante. — *ferre iugum*, iugum ferunt boves adultiores, et quia bos vel iuvenca, quae iugum fert, coniugatum sibi socium habet, id translatum est ad amantes, qui amoris vinculo rite coniuncti inde dicti

Cervice, nondum munia comparis
Aequare nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuae
Campos iuvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Praegestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvae: iam tibi lividos

sunt *coniuges* (σύζυγες) et eorum coniunctio sive societas *coniugium*: hinc supr. I, 33. 11: *Venus animos sub iuga aënea mittere*, pro: coniungere, dicitur. — *cervice subacta*, adacta, ut iugum subeat, h. e. domita; inde puella quoque nullius adhuc amore victa, vel nullum adhuc virum experta, dicta est *indomita*, *παρθένος ἀδμής*, Hom. Odyss. VI. 109. et 228. Hinc apud Catullum LXVIII. 118. Protesilaus cum Laodamia, puella adhuc integra, primum coniugio coniunctus, *indomitam iugum ferre docuisse* dicitur; — *munia comparis aequare*, eadem in opere faciendo praestare, quae praestat eidem iugo submissus. — *tauri ruentis* hinc Graecis, quorum sensum et ingenium haud offendebant hae a bobus ad amantes translatae locutiones, puella coniugii adhuc expers dicta est *ἀταύρωτος*, Aristoph. Lysistrat. 217. Aeschyl. Agam. 254. — *in Venerem*, *συνουσίαν*.

v. 5—8. Imago iuvencae in pascuis lascivientis et cum vitulis ludentis mores certe tenerae puellae unice adhuc lusibus cum aequalibus suis deditae suaviter exprimit. — Colorem Horatium duxisse aiunt ex Anacr. LXI: *Πῶλε Θρηϊκίη — Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι. Κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις.* Similiter Theocrit. XI. 21. Galateam *μόσχω γαυροτέραν* vocat. cf. infr. III, 11. 9. — *iuvencae*, puellarum comparatio cum iuvencis saepe apud Graecos obvia; cf. Euripid. Hec. 526. Androm. 511. 1167. pariter infra II, 8. 21: *iuvenci* de adolescentibus. — *solantis* pro: refrigerantis, exstinguentis; Claudian. XVII. 196: *Ille vel Aethiopum pluviis solabitur aestus;* scilicet *solari* ponitur pro: levare, quia, quos solamur, levare studemus.

v. 9—12. *praegestire*, *ὑπερπροθυμεῖσθαι*, prae caeteris omnibus cupere. — *Tolle cupidinem* cett. Sententia: abstine a puella immatura et cupidinem usque ad eius maturitatem, quae non procul abest, comprime. — Caeterum puellarum viro nondum tempestivarum vel in amore adhuc crudarum cum immaturis fructibus comparatio haud infrequens est apud veteres poetas. Theocrit. XI. 21. de Galatea: *φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς*, contra puellae viro maturae et plenis annis nubiles cum *uvis maturis* comparantur; sic Catullus XVII. 16. puellam adultiorem *uvis nigerrimis* (h. e. maturis) *diligentius asservandam* esse ait, et hinc puellae *nondum nubiles* Graecis *ὄμφακες*, *nubiles πέπειροι* dictae sunt. — *iam tibi lividos distinguet* cett. pro vulgari:

Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore.
Iam te sequetur: currit enim ferox
Aetas, et illi, quos tibi demserit,
Apponet annos: iam proterva
Fronte petet Lalage maritum,
Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris, albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Gnidiusve Gyges,

v. 12. *varius*, Codd. plerique; *vario*, aliquot *Lambini* libri; *varios*, coni. *Bentl.* (et sic iam Editt. a. 1485. 1486), probante *Wellauero* (Iahnii „Archiv" a. 1831. p. 406.). Recte tamen autumnus dicitur *varius*, dum ne iungas *varius purpureo colore*, sed *distinguet purp. col.* — v. 13. *fugax aetas* et v. 17. *Pholoë ferox* susp. *Cruqu.* et *Wakefield*. *R.*

brevi maturescet. — *autumnus* dicitur *varius*, quia variis coloribus fructus distinguit. — *distingu. livid. racem. purp. color.* h. e. variabit et imbuet iam nigrescentes racemos purpureo colore; sive: purpureum colorem iam nigrescentibus uvis inducet. Ov. Metam. III. 484: *ut variis solet uva racemis Ducere purpureum nondum matura colorem.* — *lividos*, subnigrum enim colorem habent uvae maturescentes. Sil. Ital. VII. 208: *liventes sole racemos.* Propert. IV. 2. 13: *Prima mihi variat liventibus uva racemis.*

v. 13—20. Sententia: brevi non amplius Lalage te fugiet, sed sponte te sequetur; nam aetas, qua illa adhuc ferocem se praebet, celeriter transit, et quos de tuorum annorum serie demserit, eos illius annorum summae explendae adiiciet; brevi amplexus tuos ultro petet, et quidem tantum tibi amata, quantum nunc nec aspera Pholoe, nec pulchra Chloris, nec Gnidius Gyges ab aliis amatur. — *currit enim — aetas;* Anacreon. IV. 8: *τρόχος ἅρματος γὰρ οἷα Βίοτος τρέχει κυλισθείς.* — *aetas ferox*, h. e. aetas ferocis puellae, aetas, qua ferociter adhuc se gerit puella. — *et illi, quos tibi dems., appon. an.* et anni, qui currente aetate de vitae tuae summa decedent, illius vitae summae accedent, h. e. et sicut tu aetate proveheris, ita illa quoque aetatem amoribus maturiorem consequetur; in locutione: *aetas annos alii demit, alii apponit*, id tantum discriminis interesse videtur, ut illud dicatur de eo, qui iam ad certum quendam vitae terminum pervenit; hoc de eo, qui hunc terminum nondum attigit; *demit* nempe aetas annos, qui vitae vere vitali decedunt, *apponit*, qui summo aetatis flori adhuc desunt. — *iam proterva Fronte pet. marit.* hoc ad iuvencae imaginem, quam primum puellae induerat poeta, referendum; *maritus*, pro quovis amatore. — *dilecta* sc. tantum. *fugax* insolenter dictum pro: quae fugit amatores, aspera est. — *albo sic hum. nit. ut pur.* cett. cuius humeri ita candore nitent atque splendent, uti

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque vultu.

CARMEN VI.

AD SEPTIMIUM.

Septimi, Gades aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et

nocte sublustri imago lunae in mari repercussa splendere solet. Exsplendescentis autem pulchritudinis, praecipue in albo colore spectatae, cum lunae in aquis repercusso fulgore comparatio passim apud veteres poetas obvia; vid. quae in hanc rem notavimus in Eclog. Vett. Poett. ad Val. Flacc. III. 558. p. 222: *Gnidius*, ab eius patria, Gnido, vel Cariae vel Cypri urbe, sic dictus.

v. 21—24. *Quem si puellarum inserer. choro* cett. Sententia: quem si puellarum turbae immisceres, eius a puella discrimen, quod soluti crines et vultus venustas obscurum et ambiguum reddunt, ne sagacissimi quidem, qui eum nondum norunt (*hospites*), animadverterent. — *discrimen mire hosp. falleret*, exquisitius pro: omnino non animadverterent discrimen. *obscurum*, haud facile oculorum acie assequendum; *solut. crin.* crines enim solvere solebant cum pueri tum puellae delicatiores; cf. infr. III, 20. 14. IV, 10. 3. Epod. 11. 28. — *ambiguo*, h. e. dubitationem, utrum puer, an puella sit, movente. Simillime autem Hermaphroditum describit Lucian. D. D. XXIII: ὁ δὲ θῆλυς καὶ ἡμίανδρος καὶ ἀμφίβολος τὴν ὄψιν· οὐκ ἂν διακρίναις, εἴτ' ἔφηβός ἐστιν εἴτε καὶ παρθένος.

CARMEN VI.

Septimium, quem ut spectatae fidei amicum remotissima quaeque secum loca aditurum esse persuasum habet, rogat poeta, ut nunc in agrum Tiburtinum vel Tarentinum, ubi reliquam vitae partem transacturus sit, se comitetur, et, si supremum diem ibi obierit, piis lacrimis cineres spargendo iusta sibi persolvat. — Omnis igitur huius carminis finis in rarae, quam Septimius poetae probaverat, amicitiae laude ponendus esse videtur. — Eundem Septimium, equitem (ut probatum ivit Porphyrio) Romanum, Tiberio U. C. DCCXXXI. in Orientem proficiscenti commendat Hor. infr. Ep. I. 9. Cf. C. *Schiller*, Comment. p. 86 sqq.

v. 1—4. *Gades* (nunc *Cadix*) cf. supr. ad II, 2. 11. — *aditure mecum*, ad fidem enim in amicitia probandam referebatur paratus amici amicum in remotissimas terrae partes comitandi animus; Catull. XI. 1: *Furi et Aureli, comites Catulli, Sive in extremos penetrabit Indos* cett. cf. infr. Epod. 2. 11 sqq. — *Cantabri*, populus Hispaniae Tarraconensis bellicosissimus (infr. II, 11. 1: *Quid bellicosus Cantaber* cett.), iam semel ab Augusto U. C. DCCXXIX. et ite

Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda;
Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae,
Sit modus lasso maris et viarum
Militiaeque.
Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.

rum DCCXXXI. victus, denique ab Agrippa DCCXXXIV. perdomitus; vid. Dio LIV. 11. hinc *Cantabrum* Hor. dixit *indoctum iuga ferre nostra*, non ita se domari patientem, ut iuga nostra ferre discat, h. e. ditioni nostrae se subiicere nolentem; quapropter infr. III, 8. 22: *Cantaber, sera domitus catena.* — *Barb. Syrt.* cf. supr. ad I, 22. 5. — *barbaras* refer ad feros accolarum mores. — *Maura unda*, mare Africum, ab extrema Africae regione Mauritania (nunc *Marocco*). — *aestuat*, de impetuoso fluctuum motu, Sall. Iug. 78.

v. 5—8. *Argeo posit. colono*, a Tiburno, Catillo, Cora, fratribus, qui coloniam Argivam eo deduxerunt, conditum, cf. supr. ad I, 18. 2: *ponere* pro: condere, fundare, passim; sic *urbs alieno loco posita* apud Liv. IV. 48. cf. Virgil. Aen. IV. 212. — *modus*, locus, ubi modus ponitur, terminus. — *lasso mar. et vi. milit.* mihi itinerum maritimorum et terrestrium per militiam factorum pertaeso; *lassus alicuius rei*, Graece pro: aliqua re. Stat. Theb. III. 395: *fessus bellique viaeque.* — Sane, si verba Horatii spectas, eum in armis consenuisse putes, quamvis breve tantum tempus ea sub Bruto (cf. carm. sq.) secutus est. Sed poetae, otio et mollioris vitae generi adsueto, brevis quoque militia debebat esse molestissima.

v. 9—12. *Unde si Parc.* cett. Sententia: quodsi autem sors iniquior ab agro Tiburtino me prohibet, in agrum Tarentinum me conferam; *ager Tarentinus* primum designatur per Calabriae fluvium *Galaesum*, (nunc *Galaso*) Tarentum praeterfluentem (Virg. Georg. IV. 126.), deinde per *Phalantum*, quem coloniam *Partheniarum* (h. e. hominum vago concubitu ex innuptis matribus prognatorum, vel potius, ut erudite docet Cl. *Manso* *Sparta* Vol. I. Pars I. p. 229. et P. II. p. 270 sqq. ab muliebri ignavia, qua militiam contra Messenos detrectaverant, opprobrii causa sic dictorum) e terra Laconica Tarentum deduxisse et pulsis veteribus incolis ibi regnasse tradunt; Iustin. III. 4. Strabo VI. p. 426. *flumen dulce ovibus*, cum propter laeta ad utramque fluminis ripam pascua, tum propter umbrarum iucunditatem. — *oves* dicuntur *pellitae*, quia oves in his regionibus, ne sentibus et dumetis corrumperetur earum lana praestantior, pellibus velari solebant; Columell. VII. 2. Varro R. R. II. 2. Idem adhuc

Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt viridique certat
Bacca Venafro.
Ver ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces; ibi tu calentem

v. 18. *apricus Aulon*, *Bentl.* de coni. scripsit (Nic. Heins. *amictus Aulon*). — v. 19. *Fertilis*, e Codd. dedit *Bentl.* — v. 22. *ubi.* Codd. nonnulli, admodum languide. *R.*

fieri solet in iis regionibus, ubi lana praestantior gignitur. — Caeterum similiter Tarentum describit Martial. VIII. 28. 4: *tibi floruit herba Phalanti, Qua saturat Calabris culta Galaesus aquis.* — *regnata*, Od. III. 29. 27: *regnata Cyro Bactra.* Ov. Heroid. X. 69: *tellus iusto regnata parenti.*

v. 13—16. *Ille terrarum angulus*, illa terra, ubi quis suaviter delitescere potest in otio et securitate. — *mihi ridet*, mihi placet. Infr. Epist. I, 7. 44: *mihi iam non regia Roma, Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum.* — *praeter omnes*, sc. terras sive terrarum angulos, h. e. loca secretiora et a strepitu hominum remotiora. — *ubi non Hymett. mell. deced.* ubi mella non cedunt iis, quae apes in monte Hymetto colligunt; ubi aeque bonum atque in monte Hymetto mel conficitur; de mellis Tarentini bonitate vid. Varro apud Macrob. Sat. II. 12. cf. infr. III, 16. 33. — *decedere*, ut passim *concedere*, pro simplice: cedere. Virg. Eclog. VIII. 88: *Perdita nec serae meminit decedere nocti*, pro: cedere tenebris, h. e. non sera nocte sub divo manere, sed redire in stabulum. — *virid. cert. bacc. Venafr.* et ubi oliva certat cum bonitate olivarum in Campaniae urbe, Venafro, nascentium; *certare alicui* pro vulgari: *certare cum aliquo* passim. — *Venafrum* pro olivis Venafranis, ut *Hymettus* pro melle Hymettio; *viridi*, apte ad terram, ubi olivae virent, designandam.

v. 17—20. *tepidas*, mites; infr. Ep. I, 10. 15: *Est, ubi plus tepeant hiemes?* — *Iuppiter*, qui, ut supr. I, 12. 15. dicitur, *variis Horis mundum temperat*; — *Aulon*, tractus agri Tarentini, ubi vinum optimum nascebatur; Mart. XIII. 125: *Nobilis et lanis et felix vitibus Aulon, Det pretiosa tibi vellera, vina mihi*; hinc dicitur *amicus fertili Baccho*, h. e. Bacchi muneribus insignis. — *min. Fal. invid. uvis*, uvae quas Aulon gignit, quia nihil a Falernarum uvarum bonitate recedunt, minime opus habent, ut iis invideant. Imitatus Horatium est Statius Silv. II. 2. 4: *Qua Bromio dilectus ager collesque per altos Uritur et prelis non invidet uva Falernis.*

v. 21—24. *beatae arces*, colles tam amoenitate, quam fertilitate sua beantes; *postulant*, impellere omnino nos debent, ut eo secedamus; gravius igitur pro vulgari: vocant, invitant. — *calentem favillam*, cineres cremati corporis adhuc tepidos. — *debita lacrima*, non unguentis, ut alias mos ferebat (vid. Tibull. I. 3. 7.), sed piis amici lacrimis cineres suos spargi cupit; *vatis amici*, significantius pro vulgari: meam. Anthol. Graec. DCCXV. 6. 7. T. IV. p. 273. (Anth. Pal. II. p. 855): *Μέμνεο κὴν ζωοῖς ἐμέθεν καὶ πολλάκι τύμβῳ Σπεῖσον ἀπὸ βλεφάρων δάκρυ' ἀποιχομένῃ.*

Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

CARMEN VII.

AD POMPEIUM.

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis Italoque caelo,
Pompei meorum prime sodalium?
Cum quo morantem saepe diem mero

CARMEN VII.

Quo gravior fuit sollicitudo, qua Horatius de Pompeio sibi amicissimo, qui post proelium Philippense novis belli tempestatibus se exposuerat, perturbatus fuit, eo maior fuit laetitia, qua ille de insperato primi sodalium reditu perfusus est. Cui quidem poeta nunc liberius indulturus diem festum tam sacris, quas Iovi Pompeius voverat, epulis quam hilari potatione celebrandum, hoc carmine indicit. Similiter fere laetitiam suam de felici Plotii Numidae reditu expressit Hor. supr. I. 36. — Plerique censent scriptum esse hoc carmen ad Pompeium *Grosphum*, equitem Romanum; contra Pompeium *Varum* intelligendum esse demonstrare studuit *Vanderburgius.*

v. 1—8. *tempus in ultimum*, ubi, ut Livius IX. 39. loquitur, *ad ultimum periculi ventum est.* — *redonavit*, redonantur enim quasi, quos iam perditos putabamus. *Quiritem*, omnis, quo ante civis Romanus gaudebas, iuris de integro participem; in ius Quiritium restitutum. — *Cum quo morant. saep. di. mer. fregi* cett. cum quo saepe tempus fefelli in compotationibus. Pro vulgari: tempus inter vina fallere, gravius dixit: *morantem diem mero frangere*, h. e. compotationi indulgendo tardius euntis diei moras vincere. — Sed *Mitsch. diem mero frangere* paulo subtilius explicat: partem de die gravibus et seriis rebus destinatam demere demtamque compotationi dare; decurtare diei spatium noctique illud adiicere, quod fit compotatione tempestivius instituta; ut supr. I, 1. 20: *partem de die solido de-*

Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula,
Cum fracta virtus et minaces
Turpe solum tetigere mento.

merc. — *prime*, omnium maxime dilecte. — *malobathro*, unguento e malobathri foliis expresso; *malobathrum* proprie frutex odoratus, in Indiae paludibus nascens, ex cuius folio convoluto conficiebatur unguentum nobilissimum, quod et ipsum *malobathrum*, Latinis *foliatum* (Mart. XI. 28.) dictum est; vid. Plin. XII. 26. XIII. 1. *Syrio*, ex India in Syriam et inde a mercatoribus Romam deportato; fuit igitur, ut supr. I, 31. 12. dicebatur, *merx Syra.*

v. 9—12. *Tecum Philipp. et cel. fug. sensi*, quale fuerit illud summum vitae discrimen, quod se una cum Pompeio subiisse versu primo ait, disertius nunc poeta declarat. — Expertus sum, inquit, una tecum infelicem illam ad Philippos (Macedoniae urbem) pugnam, ubi, cum fortiter pugnantes non amplius sustinere possent vim hostium et in terram prostrati iacerent mihi, ut salutem in celeri fuga quaererem, parmula parum honorifice abiicienda fuit. *Sentire* passim de calamitatibus sive malis, quibus bello graviter afficimur. Liv. IX. 37: *Vastationem sub Ciminii montis radicibus iacens ora senserat.* et XLV. 28: *quae quisque Persei bello privatim ac publice sensisset.* Senec. Oedip. 472: *Sensere terrae te Dacum feroces.* cf. infr. III, 4. 43. IV, 4. 25. IV, 6. 3. — *et celerem fugam*, ad mala, quae in pugna Philippensi senserit, celeriter inde aufugiendi necessitatem refert; rei igitur magis describendae haec adiecta esse puta. — *non bene*, non sine pudore; quamquam, ut expeditior esset fuga, scutum abiicere debebat. *parmula* de scuto breviore. — Sunt qui rem de abiecto scuto ideo Horatium finxisse existiment, ut fac'is quoque imitatus esse videretur Alcaeum et Archilochum, quorum uterque se arma in proelio amisisse fatentur; de Alcaeo vid. Strab. XIII. p. 600. Herodot. V. 95. de Archilocho autem versus in hanc rem extant apud Sext. Empir. Pyrrh. hypot. III. 24. — *fracta virtus*, fortitudo, quae vi maiore ita deprimitur et contunditur, ut resistere ei non valeat. — *sol. tetig. mento* pro vulgari: ceciderunt, ad terram prostrati sunt; ducta videtur haec loquendi ratio ex Hom. Il. II. 418: *Πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν.* Virg. Aen. XI. 418: *Procubuit moriens et humum semel ore momordit.* ibid. 669: *cruentam mandit humum.* Od. IV. 6. 11: *posuitque collum in Pulvere Teucro.* [Praestat omnino haec explicandi ratio alteri, quam proposuit primum *Acron* ac nuper rursus amplexi sunt *H. Peerlkamp* et *Orellius*: „significari scilicet ab Horatio victos, qui turpiter humi prostrati mentoque terram tangentes clementiam victoris implorave-

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre;
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.
Ergo obligatam redde Iovi dapem,
Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis.
Oblivioso levia Massico
Ciboria exple, funde capacibus

rint." Quae turpissimae adulationis species cum omnino abhorreat a Romanis moribus (Liv. XXX. 16: *more adulantium, accepto, credo, ritu ex ea regione, ex qua oriundi erant, procubuerunt*), tum certe ingratissima esset hoc loco, quo Horatius eorum, quibuscum ipse militaverat, cladem describit. An putemus, eum ad levandam suae fugae ignominiam tam contumeliosis verbis in reliquorum, qui victori se dedidissent, ignaviam invectum esse? Imo multo honestius fugam suam excusat eo, quod fracta virtute ac fortissimo quoque (*minaces*) in acie caeso nulla nisí fugae spes in tanta clade sibi relicta sit. *R.*]. *turpe solum*, sanguine turpiter pollutum.

v. 13—16. Sententia: sed me tum bona fortuna ex medio belli periculo eripuit, te vero in idem vehementior impetus abripuit. — Quod bona fortuna factum est, id tribuit Mercurio, tum propter eius in huius muneris vicibus obeundis dexteritatem et celeritatem (hinc dicitur *ὠκύπους* apud Euripid. Hel. 247. cf. supr. I, 10. 13.), tum, quia *virorum Mercurialium* (infr. II, 17. 29.), h. e. poetarum, custos est. Poeta autem satis magnifice se assimulat heroibus Homericis, qui passim vel a deo vel a dea quapiam *denso aëre*, h. e. nube circumfusi et sic proeliis erepti esse finguntur. — *resorb. und. fret. aest.* belli impetus comparatur cum impetu undae marinae, fluctibus aestuosis secum abripientis; *resorb. fret. aest.* h. e. te iterum maris aestu sorbens, quem iam semel sorbuerat; *Mitsch.* cum nostro loco contendit Eurip. Heracl. 428. Infr. Epist. II, 2. 47: *Civilisque rudem belli tulit aestus in arma.* Caeterum imago non omnino servata est; exspectes enim ex allegoriae lege „*in altum*" pro „*in bellum.*"

v. 17—20. *obligatam*, h. e. debitam; nam vota, quibus Iovi, si salvus ex hoc bello evaderet, *se obligaverat*, nunc solvere debebat; — *dapem* antique pro: dapes, h. e. sacras epulas. — *sub lauru mea*, quae haud dubie in impluvio, vel quod Virgil. Aen. II. 512. et VII. 59. de eiusmodi lauru ait, *aedibus in mediis*, ubi seri et nutriri antiquitus solebant arbores, consita fuit.

v. 21—28. *ciborium* genus poculi speciem fere eorum, quibus Aegyptii usi esse dicuntur, referentis; Aegyptiis nempe calyx fabae cuiusdam (quam *colocăsiam* sive *cyamum* fuisse aiunt) poculorum, quae *ciboria*

Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

CARMEN VIII.

AD BARINEN.

Ulla si iuris tibi peierati

appellabant, usum praestabant; cf. Schol. ad. h. l. Paulo capacius illud poculi genus fuisse, ex usu, cui id poeta nunc destinat, facile apparet. — *levia*, polita adeoque splendentia; *exple Massico*, imple vino Massico, cf. supr. ad I, 1. 19. — *oblivioso*, curas abigente et oblivioni tradente; hinc Alcaeo apud Ursin. p. 101. vinum dicitur *οἶνος λαθικηδής*, et *λήθη ὀδύνης* apud Incert. Auct. Ep. LXXIX. 8. in Anthol. Graec. T. IV. p. 133. — *funde*, in crines tuos. — *conchis*, vasis unguentariis ad formam conchae effictis. — *Quis* sc. convivarum. — *curatve*, de transposita part. *ve* cf. quae notavimus ad I. 3. 16. — *Venerem* intellige talorum iactum optimum, cum unusquisque quatuor talorum, quibus ludebatur, aliud latus ostenderet; *pessimus* contra, cum omnes tali idem latus ostenderent, *Canis* dicebatur (Prop. IV. 8. 45.); legant tirones, quae accurate de talorum lusu exposuit *Ernesti* in *Clav. Cic.* sub voce *talus.* — *arbitr. bibend.* cf. supr. ad I, 4. 17. — *Edonis*, Thraciae populo, pro ipsis Thracibus, effracnata in compotationibus licentia satis notis; cf. supr. ad. I, 18. 9. — *dulce mihi furere est*, expressit notissimum illud Anacreontis XXXI: *θέλω, θέλω μανῆναι.*

CARMEN VIII.

Haud nescium poeta in hoc carmine se profitetur aurae fallacis, qua varia et mutabilis puella *Barine* in amore nunc sibi adspiret. Quamquam igitur Barine iureiurando tandem firmiorem ei in amore constantiam promiserat, tamen, cum illa iam saepe peieraverit nec ulla usquam adhuc corporis parte periurii poenam dederit, imo, quasi per sanctissimas obtestationes fefellisse ei prosit, novis insuper formae lenociniis aucta multo plures, quam ante, in amorem suum pellexerit, se nullo modo, ut eius verbis fidem habeat, adduci posse ait. — Quod sub fine addit, matres et patres ob filios suos, novas coniuges autem ob maritos suos de Barine esse sollicitos, id sane ad insignem illius venustatis laudem plurimum valet. — Caeterum non poenitet me eorum sententiae esse, qui totum hoc carmen ex Graeco quodam poeta expressum esse statuunt. — Horatium de periuriorum in amore impunitate imitatus est Ovidius Am. III. 3.

v. 1—8. *iuris peierati*, h. e. periurii; quemadmodum enim *ius iura*

Poena, Barine, nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui:
Crederem. Sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo iuvenumque prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
Fallere et toto taciturna noctis
Signa cum caelo gelidaque divos
Morte carentes.
Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident

v. 2. *Barine*, Codd.; *Carine*, *Mein.* Alii aliter. *R.*

tum secundum Acronem dictum pro iureiurando, ita *ius peieratum* pro periurio ponitur, scilicet *ius peieratur* ab eo, qui, quod iuris vel officii sibi impositum est, perfide, sed id exsecuturum esse, iuravit. — *Dente si nigro* cett. nam secundum religionem, quae veterum animis insidebat, vitia, quae quis corpore traxisset, vel morbi vel alia repentina mala ad mendaciorum, periuriorum vel fraudis cuiusdam commissae poenas referebantur; vid. *Casaubon. Lect. Theocrit.* cap. X. — *crederem*, sc. fidei iureiurando interposito mihi datae; non mentireris enim semel punita. — *Simul oblig. perfid. vot. cap.* h. e. simulac iurasti; nam, qui iurat, *obligat*, obstringit, obnoxium facit *caput suum*, h. e. se, *votis*, exsecrationibus, in se ipsum, si fallat, iactis; *perfidum*, apposite pro: tuum, *perfidum caput* autem pro: te. — *iuvenum publica cura prodis*, brevi gravitate pro: tam pulchra et venusta appares, ut, quicumque te incedentem conspiciunt iuvenes, statim curam tui sive amoris flammam animo concipiant; scilicet *puellae* dicuntur *curae*, quia curas iniiciunt. Sic, ut unum saltem ex multis ponam exemplum, Propertius II. 25. 1. Cynthiam suam *pulcherrimam curam, dolori suo natam*, appellat.

v. 9—12. *matris cineres opertos Fallere*, falso iurare per conditos matris cineres; de more per parentum ossa iurandi cf. Propert. II. 16. 15. et ibi *Burmann.* Peierantes igitur per rem, quae maxima pietate et religione ab iis coli debebat, gravioris sceleris culpam sibi contrahebant. — *gelida morte carentes*, immortales.

v. 13—16. *Ridet hoc, inquam, Venus* cett. nihil, inquam, nocent tibi periuria, nam ipsa Venus, Nymphae et Cupido ea rident. Positam igitur ab initio sententiam, *impune peierare amantes*, ad quam *inquam* referendum est, ulterius exsequitur. — *Ridet hoc* (eiusmodi periurium) *Venus ipsa;* apud Tibullum III. 6. 49. ipse Iuppiter: *periuria ridet amantum Iuppiter et ventos irrita ferre iubet.* Caeterum in sententiam *τοὺς ἐν ἔρωτι Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ᾽ ἐς ἀθανάτων* (ut apud Callimach. Epigr. XXVI. 3. dicitur) cf.

Simplices Nymphae ferus et Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.
Adde quod pubes tibi crescit omnis,
Servitus crescit nova, nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt
Saepe minati.
Te suis matres metuunt iuvencis,
Te senes parci miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

Ovid. Art. I. 631. — *simplices*, non ad externum Nympharum cultum, sed ad nativam earum animi simplicitatem retulerim, nos: *gutmüthig.* — *ferus*, saevus, ἄγριος. — *semp. ard. acu. sag. cot. cruent.* de hac Cupidinis sagittas acuentis in gemmis quoque expressa imagine laudant *Lippert. Dactyl.* Mill. I. 798. Adde *Winckelmann* in Opp. Tom. I. p. 71. VII. p. 499. — *sagittae* dicuntur *ardentes*, quia ignem, quo imbutae sunt, spirant, τόξα ἔμπυρα, πυρίπνοα, πυριπνείοντες ὀϊστοί. — *acuens*, sic apud Philodemum Epigr. XV. 3. in Anthol. Graec. T. II. p. 74. (Anthol. Pal. I. p. 118.): Ἀλλ' ἤδη θοὰ τόξα νέοι θήγουσιν Ἔρωτες. — *cote cruenta*, cogita Cupidinem sagittas acuere obtusas et sanguine in cotem destillante adhuc madentes; nisi *cruentus*, ut saepe alibi, iam est saevus, crudelis, atrox.

v. 17—20. *Adde qu. pub. t. cr. omn.*, *Serv. cr. nov.* Quid, quod plures, quam ante, ex omni iuventute ad te confluunt et sic novorum, qui tibi serviant, amatorum numerus augetur. *servitus*, hinc Barine vers. sq. *domina* dicitur; apposite autem iuvenis, qui totum se puellae cuidam emancipat, ei *servire* dicitur, ut apud Graecos δουλεύειν, vid. *Dorvill.* ad Charit. II. 17. p. 319. edit. Lips. — *Impiae*, periurae, perfidae.

v. 21—24. *iuvencis suis*, filiis suis; *iuvencus* de adolescente, ut supr. II, 5. 5: *iuvenca* de puelia, ubi vide notata. — *te sen. parci*, sc. ne formae tuae illecebris eorum filios capias et sic fundi illorum fias calamitas. — *miserae*, h. e. misere et perdite amantes, δυςέρωτες. eodem sensu infr. III, 7. 10. Chloë *misera* dicitur. — *tua ne retard. aur. maritos*, h. e. ne formae tuae lenociniis maritos ad libidinem tecum exercendam pellicias. — *Aura* de odore, quem iuvencae, equae (Virg. Georg. III. 250: *Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum Corpora, si tantum notas odor attulit auras.*) et alia animalia ad libidinem proclivia emittunt et sic mares ad coitum alliciunt. Quemadmodum igitur Horatius paulo ante adolescentes appellavit *iuvencos*, ita nunc Barinen comparat cum *iuvenca* (cf. supr. II. 5. 6. et infr. III. 11. 9 sqq.) et, quod iuvencae proprium est, ei tribuit. Quam quidem inhonestioris rei imaginem non ex nostrae aetatis ingenio diiudicandam esse, iam supra l. l.

CARMEN IX.

AD VALGIUM.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque, nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes aut Aquilonibus

v. 3. *Versant*, *Fea* e Vatic. Reg., perperam. *R.*

monuimus. Vide de hoc loco disputantem *Obbarium* in *Iahnii* „Archiv" 1833. II. Suppl. p. 586.

CARMEN IX.

T. Valgium Rufum immodicas de amatissimi sibi Mystae morte querelas dies noctesque repetentem duabus praecipue rationibus, ut tandem illis modum ponat, permovere studet. Primum enim reputare eum secum iubet, quomodo in rerum natura quoque non semper mala tempestas, vel hiems, vel venti saeviant; deinde ante oculos ei ponit exemplum Nestoris et Priami, qui, quamvis atque acerbum de carissimorum filiorum morte dolorem suscepissent, tamen non semper, ut ille, in eo defixi permanserint. — Tum, ut habeat, quo animum suum cum maxime exhilarare possit, novas Augusti victorias carminibus secum celebrandas tanquam optimum tristitiae remedium ei proponit; quae quidem ingeniosa ad Augusti laudes canendas conversio efficacissima sane ad eius gratiam captandam esse debuit. — De *T. Valgio Rufo*, poeta epico, quo *non alterum aeterno Homero propiorem* fuisse Tibullus IV. 1. 180. ait, copiose ad hunc ipsum Tibulli locum egit *Broukhusius.*

v. 1—8. *Non semper*, ad vim, quam particula *semper* in hoc carmine habet, praecipue advertendum est; poeta enim ideo tantum carpit Valgii luctum, quod assidue et *semper* ei huc usque indulserat; hinc *non semper*, *non usque*, *non menses per omnes*, *non omnes annos*, et *tu semper*, sibi respondent. — *Non semp. man. imbres nubibus*, pro: e nubibus; in eandem sententiam supr. I, 7. 16. Notus *non imbres perpetuos parturire* dicebatur: *hispidos*, h. e. squalidos, uti agri sunt tempore pluvioso [cf. *Wellauer* in Iahnii „Archiv" a. 1831. p. 405.]; *inaequales*, quia procellae inaequaliter, h. e. vario, turbido et inconstante impetu decidunt; at *Mitsch.* *procellas* dictas esse putat *inaequales*, quod mare inaequale reddunt. — *mare Caspium*, procellosum, Pomp. Mel. III. 5. — *vexant*, perturbant, concitant; Ovid. Her. XIX. 126: *An mare, ab inviso privignae nomine dictum Vexat in aequoream versa noverca deam?* — *Armeniis in oris*, mari Caspio vicinis. — *iners*, immobilis, apposite ad glaciei naturam desi-

Querceta Gargani laborant
Et foliis viduantur orni:
Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademtum, nec tibi vespero
Surgente decedunt amores
Nec rapidum fugiente solem.
At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex

gnandam; *iners* enim dicitur, quod torpet, sine motu et actu iacet; hinc *bruma* quoque *iners* infr. IV, 7. 12: *terra iners* III, 4. 45. — *Gargani*, Apuliae montis (nunc *Monte S. Angelo* in *Capitanata*), qui crebris tempestatibus infestari solet; cf. infr. Epist. II, 1. 202. — *Aquilonibus laborant*, ita Aquilonibus impelluntur, ut vix se tenere possint; *laborare* eleganter dicitur, qui vim, impetum, onus cett. vix sustinere potest; sic supr. I, 9. 4. *silvae*, nivis oneri sustinendo impares, *laborantes* dicuntur; ubi cf. not.

v. 9 — 12. *urges* gravius pro vulgari: prosequeris; similiter *lacrimis urgere* dixit Propert. IV. 11. 1: *Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum.* — *flebilibus modis*, h. e. *miserabilibus* (quales supr. I, 33. 2. Tibullus decantasse dicitur) *elegis;* fuit igitur Valgius non solum poeta epicus, sed etiam elegiacus. — *Mysten*, puerum delicatum, cuius mors summa Valgium affecerat tristitia. — *Vespero surgente — fugiente solem*, Veneris stella sub vespere surgente, solis ortu occidente, h. e. vespere et mane, noctu dieque; nam *sidus* Veneris, quod vespere *Hesperus*, idem mane mutato nomine *Lucifer* vocatur; vid. *Wernsdorf.* ad Poett. Minor. T. III. Excurs. V. p. 508 sq. — *rapidum*, ad celerem et rapidum solis cursum referendum. — *decedunt amores*, ex animo Mysten tuum, quem in deliciis habebas, dimittis; *amores* passim in honestiore sensu de iis, quos pie amamus et in deliciis habemus; Virg. Eclog. VII. 21: *Nymphae, noster amor, Libethrides* cett. h. e. quas pie colimus. cf. ad Catull. X. 5.

v. 13—16. *senex ter aevo* (h. e. tribus aevis, *γενεαῖς*) *functus*, qui tres hominum aetates vixit, Nestor; *aevum*, *γενεά*, hominum aetas, triginta ferme annorum spatio circumscribi solet; scriptores tamen in constituendo annorum, quibus *γενεά* absolvatur, numero inter se discrepant; vid. quos laudat *Alberti* ad Hesych. T. I. p. 814. n. 18. *Larcher.* in Nott. ad Herod. Libr. II. De *Nestore* vid. Hom. Il. I. 250. — *Antilochum*, filium Nestoris, in pugna ad Troiam, dum patrem praesenti vitae periculo ereptum venerat, occisum; cuius caedem, breviter Homero Odyss. III. 111. IV. 187. commemoratam (cf. Pindar. Pyth. VI. 28 sqq.), celebrarunt poetae, qui plura ad bellum Troianum spectantia latius post Homerum exsecuti sunt, nominatim Quint. Calab. II. 243 sqq. — *amabilem*, filius enim, cui pater vitae suae salutem acceptam refert,

Annos, nec impubem parentes
Troilon aut Phrygiae sorores
Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum, et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vertices,
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

profecto *amabilis* est. — *parentes*, Priamus et Hecuba. *Troilon*, in pugnis illis Troianis, quas in tabulis depictas non sine magna admiratione Carthagine deprehendisse Aeneas dicitur apud Virgilium, repraesentata quoque fuit caedes Troili, infelici conatu et imparibus viribus cum Achille congressi; vid. Virg. Aen. I. 474 sqq. ubi lege, quae *Heyne* in Excurs. XVII. erudite de *Troilo* disserit. — *Phrygiae sorores*, Cassandra, Creusa, Polyxena.

v. 17 — 24. *Desine querelarum*, Graece (*λῆγε γόων, ὀδυρμῶν*, vid. Lambin.) pro: desine queri, vel, (ut Ovid. Met. VI. 215. dixit) *desine querelas.* Similiter Od. III. 27. 69: *abstineto irarum et rixae.* — *mollium*, mollioris animi dolorem exprimentium. — *nov. August. Caes. tropaea et rigid. Niph.* cett. novas, quas Augustus ab Armeniis, Parthis, Gelonis reportavit, victorias. Rem, ut poeta, auget. Iusto bello enim nullum horum populorum proprie perdomuit Augustus, sed *Armeniis*, qui per *rigidum Niphaten* designantur, U. C. DCCXXXIV. misso in eorum terram Tiberio duce exercitu, regem tantum Tigranem pulso Artaxia praeposuit, vid. Dio LIV. 9. Sueton. Tib. c. 9. Vellei. II. 94. Tacit. Annal. II. 3. a *Parthorum* (pro quibus *Medum flumen* positum est) rege autem, Phraate, eodem anno signa Crassi clade amissa recepit, vid. Dio LIV. 8. *Gelonos* denique, gentem Sarmaticam, cum in Romanorum fines trans Istrum incursionem fecissent, misso Lentulo trans flumen repulit; vid. Flor. IV. 12. — *Niphaten*, montem Armeniae, qui propter altitudinem *rigidus* dicitur, i. e. rigens (*steil emporstarrend*), cf. Ov. Met. XI. 150: *riget arduus alto Tmolus in adscensu.* Sed *Mitscherlichius* proclivior est *Niphaten* explicare de fluvio, cuius nomen, licet nulli veterum Geographorum commemoratum, Tigris fortasse in ea Armeniae parte, ubi mons Niphates situs fuit, gesserit; quae quidem opinio seriorum certe poetarum, qui *Niphatis* fluvii mentionem faciunt, testimonio nititur. — *Medum flumen*, Euphraten; *minores volvere vertices*, minus, ut domitum, se extollere, lenius et moderatius fluere; huc pertinet, quem laudant, locus Virgil. Aen. VIII. 726: *Euphrates ibat iam mollior undis.* — *Parthi* nempe, huius fluvii accolae, desinebant hoc anno altiores spiritus trahere. — *intra praescriptum*, intra praescriptos terminos. — *equitare*, pro vulgari: se tenere, moris

CARMEN X.

AD LICINIUM.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti

quo Geloni equis vecti circumvagari et incursiones facere solebant, respectu habito.

CARMEN X.

Quum Horatius L. Licinium Varronem Murenam, Proculeii (de quo vid. supr. ad II, 2. 5.) ac Terentiae fratrem, hominem varium, ambitiosum, seditiosum et, quicquid suaderet vehementioris animi impetus, cupide appetentem, iam id agere intellexisset, ut non solum meliorem sortem (nam bonis suis proscriptione exutus fuerat) sibi pararet, sed etiam ad honores altissimos adscenderet; praeceptis saluberrimis ei in hoc carmine consulere eumque a temerariis istis ad rectiora consilia avertere studet. Itaque primum ei auctor est, ut inter altiora et humiliora viam mediam eamque ad felicioris vitae fructum tutissimam ingrediatur; deinde eum eiusmodi animo, qui in rebus adversis meliorem sortem sperans, in secundis iniquiorem timens, adversam fortunam fortiter ferat, in secunda autem minime se efferat, sapienter se munire iubet. — Sed Licinius, uti ex Dione LIV. 3. Vellei. II. 91. discimus, amicorum consilia aspernatus, detectis, quae cum Fannio Caepione ad Augustum opprimendum inierat, consiliis temeritatis suae poenas tandem dedit gravissimas. Necatus est a. U. C. 732.

v. 1—4. *Rectius*, prudentius ideoque felicius; *neque altum semper urg.* cett. dum neque in altum semper navis tuae cursum dirigis, neque securitatis causa litori, ipsi non satis fido propter scopulos, nimium adhaeres; h. e. demta rei imagine: si neque nimio animi fervore ad altiora abreptus, neque nimio timore ad humiliora depressus, mediam inter utrumque viam ingressus fueris. — *semper*, refer ad ferventius, quo quis semper agitatur, studium.

v. 5—8. *Auream quisquis mediocrit.* Loll. Bass. Epigr. VI. 3. in Anthol. Graec. T. II. p. 148. (Anthol. Pal. II. p. 310): *Αἱ μεσότητες ἄρισται· ὅπη δέ γε πράξιες ἀνδρῶν, Καὶ μάλα μέτρον ἐγὼ τἄρκιον ἠσπασάμην. Τοῦτ' ἀγάπα, φίλε Λάμπι, κακὰς δ' ἔχθαιρε θυέλλας.* Cic. de Off. I. 25: *mediocritatem, quae est inter nimium et parum.* — *tutus*, sc. ab egestate; *caret obsol. sord. tect.* non opus habet habitare in domo sordida et longioris temporis iniuria male affecta;

Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Saepius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsae graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iuppiter, idem
Summovet. Non, si male nunc, et olim

v. 9. *Saevius*, ex edit. Rothomag. 1701. *Sanad.*, *Iani*, *Mitscherl.*, *Docr.* ex Cod. Sorbon. *Fea*. *Saepius*, Codd. fere omnes, et recte quidem; etenim hoc dicit poeta, hominem excelsiore loco constitutum et *saepius* et *gravius* fortunae iniquitate premi. — v. 10. *excelsae*, *Iani*, *Fea*; *et celsae*, Codd. — v. 12. *Fulgura*, Codd. plerique (*Bentleii*, *Vanderburgii*, *Orellii* omnes); *fulmina*, *Lamb.*, *Torr.*, *Fea* e Codd. Cfr. *Bentl.* ad h. l. *R.*

sobrius, *νήφων*, continens, prudens. — *invidenda*, ubi invidia, cui expositi in aula sunt homines, evitari omnino nequit. Od. III. 1. 45: *invidendis postibus.* Sotad. apud Stob. in Floril. Grot. p. 427: *Ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται, ὁ μέσος δὲ βίος κεκραμένος δίκαιός ἐστιν. Αὐτάρκεια γὰρ πρὸς πᾶσιν ἡδονὴ δικαία.* cf. Pallad. Ep. CXXIV. in Anthol. Graec. T. III. p. 140. (Anthol. Pal. II. p. 295).

v. 9—12. Vulgarem sententiam: „noli igitur ultra mediocritatem assurgere; nam quo quis in altiore loco est positus, in eo maiore periculo versatur" allegoricis imaginibus pulchre exornavit. — *cels. grav. cas. decid. turr.* Claud. in Ruf. I. 22: *tolluntur in altum, Ut lapsu graviore ruant.* — *summos montes*, summa montium cacumina, *τὰ ἄκρα*. Ov. Rem. Am. 369 sq.: *Summa petit livor, perflant altissima venti; Summa petunt dextra fulmina missa Iovis.*

v. 13—20. *Sperat infest.*, *met. secund.* cett. Sententia: animus virtutis praeceptis bene munitus et confirmatus neque in rebus infestis desperat, neque in secundis, timens quippe fortunae inconstantiam, insolentius se gerit; scit enim, utriusque fortunae eandem ac tristioris et laetioris anni temporis vicissitudinem esse cett. — *alteram*, contrariam, adversam; qui in rebus secundis metuit adversas, eleganter infr. Sat. II, 2. 111: *in pace sapienter bello idonea aptare* dicitur. — *informes*, quia tristem formam naturae induunt. *Iuppiter*, cf. supr. I, 12. 15. et II, 6. 17. — *idem summov.* Fragm. Comici apud Grot. in Exc. p. 913: *χειμὼν μεταβάλλει ῥαδίως εἰς εὐδίαν.* — *Non, si male nunc, et ol. sic. er.* notissimi in hanc sententiam sunt versus Theocriti IV.

Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat Musam neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

v. 18. *cithara*, Codd. plerique; alteram lectionem *citharae* praetulerunt *Bentl.*, *Mein.*, *Orell.* — *R.*

41. et 43: *Θαρσεῖν χρή, φίλε Βάττε· τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.* — *quondam cithar. tac. suscit. Mus.* cett. non semper tendit arcum Apollo, sed idem citharam quoque interdum pulsat, h. e. non semper tristem et iratum, sed serenum quoque placidumque nonnunquam vultum prae se fert Apollo. *Tendere* nempe *arcum* Apollo fingitur, quando ira commotus sagittis suis pestem et calamitatem immittit; Hom. Hym. in Apoll. 3. et Iliad. I. 59. at *arcum suum*, ut in Carm. Saecul. 33. dicitur, *condit*, quando *mitis placidusque* apparet. — *tacentem Musam suscitare*, Gr. *ἐγείρειν, ἐρεθίζειν*, pro vulgari: intermissa carmina retractare. — *quondam*, nonnunquam, interdum. Virgil. Aen. II. 367: *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.*

v. 21—24. *animosus appare* bene praeparatum pectus, ut v. 14. dicebatur, ostende, animi robur et constantiam proba. — *contrah. vent. nim. sec. turg. vel.* Carminis exitus bene eius initio respondet; vulgarem sententiam; „fortuna secunda tibi arridente compesce animum tuum" pariter imagine a navigatione ducta extulit. Nam nautae quoque, si prohibere volunt, ne longius auferatur navis secundi venti afflatu, contrahere debent vela nimium vento turgentia; *nimium* aptius ad *turgida*, quam ad *secundo* refertur. Infr. Epist II, 2. 201: *Non agimur tumidis velis Aquilone secundo; Non tamen adversis aetatem ducimus austris.* Exempla de locutione nautica: *vela contrahere*, ad impetum animi cohibendum translata, ex utriusque linguae scriptoribus collegit *Dissen.* in Comment. ad Pind. Isthm. II. 40. Tom. III. Pars. II. p. 497.

CARMEN XI.

AD QUINTIUM.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
Divisus obiecto, remittas
Quaerere, nec trepides in usum

v. 2. *Quinti* scripsi secutus *Vanderburgium*, *Mein.*, *Orellium*, cf. *Obbar.* in Iahnii „Archiv" a. 1831. p. 583 sq. Vulgata lectio est *Quincti*. *R.*

CARMEN XI.

Quintio Hirpino variis, ut videtur, curis se maceranti eandem, quam saepe aliis amicis, consilii sui medicinam poeta affert. Monet enim eum, ut vanas tam de bellis externis quam de rebus in futurum usum necessariis curas ex animo eiiciat vitaeque potius brevitate ante oculos sibi posita una secum, dum liceat, hilaritati et potationi indulgeat. Quod quidem ut eo magis fiat, ipse statim consilio, quod dedit, perficiendo instat. Locus amoenus, quo potent, deligitur; vinum Falernum affertur; et psaltria Lyde, facilitate sua in amore satis nota, arcessitur. — Audimus igitur Horatium non solum inter ambulandum cum Quintio in loco amoeno canentem, sed eundem inter canendum quoque videmus agentem; quod quidem totius rei scenam ita ante oculos ponit, ut suaviter delusi ei interesse videamur. — Ad eundem Quintium, de quo nihil aliunde constat, scripta quoque est infra Epistola decima sexta libri primi. [Quod negat *Obbarius*, Iahnii Arch. a. 1831 p. 576 sqq.] — Caeterum poetae cum artem, tum ubertatem in unius eiusdemque sententiae pertractatione admiraturum comparasse iuvabit supr. lib. I. 4. 9. 11. II. 3. infr. IV. 7. Epod. 13.

v. 1—8. *Quid bellicos. Cantaber*, vid. supr. ad II. 6. 2. *cogitet*, moliatur, minetur; scriptum igitur hoc carmen est ante annum DCCXXXIV., quo demum Cantabri ab Agrippa et Scythae a Lentulo perdomiti sunt. — *divisus*, seiunctus et interclusus ab Italia; *obiecto*, tamquam obice et propugnaculo; Virgil. Aen. X. 377: *Ecce maris magna claudit nos obiice pontus;* significantius igitur pro: interiecto; *remittas quaerere*, cave quaeras, *omitte et fuge*, ut alibi Horatius, quaerere; noli eiusmodi curis te cruciare; *nec trepid. in us. posc. aev. pauc.* vulgo iungunt: *nec trepides aevi* (quod explicant: aevi causa) *pauca poscentis in usum;* equidem malim: *nec trepides in usum*, nec sis sollicitus, quod attinet ad res, quae sint in usum, h. e. quod attinet ad res necessarias *aevi*, vitae, *pauca poscentis.* [Quam verissimam et simplicissimam explicandi rationem iniuria damnavit *Wunderlichius*, Observ. crit. p. 123.] — *in usum* et *ad usum esse*, de rebus, quibus vita sustentatur, infr. Epist. I. 12. 4: *Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.* Liv. VII. 26: *aqua*

Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis iuventas et decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor
Vernis, neque uno luna rubens nitet
Voltu: quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu iacentes sic temere et rosa

etiam praeter caetera u s u i (in usum) *deficiente.* Idem XXII. 2: *nec ubi consistere coactis necessaria ad u s u s deessent.* cf. *Burm.* ad Quintilian. Decl. 133. p. 281. et *Gronov.* de *Pec. Vet.* II. 7. p. 105. — *fugit retro*, pro vulgari: recedit; — *Levis*, imberbis. Tibull. I. 8. 31: *Carior est auro iuvenis, cui l e v i a fulgent Ora.* — *decor*, iuvenilis nitor, honor, vel ut Virgil. Aen. IV. 558. loquitur: *membra decora iuventae.* — *arid. Pell. lasc. am. Can.* Tibull. I. 1. 71: *Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit, Dicere nec cano blanditias capite.* — *facilem*, ut infr. III. 21. 4., quem dormiturus facile capit.

v. 9 — 12. *Non semp. id. flor. est hon. Vern.* hanc sententiam copiosius, ut ferebat carminis pastoritii indoles, exsecutus est Theocritus Idyll. XXIII. 28 sqq.: *Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει, Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ. Λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ, μαραίνεται ἁνίκα πίπτῃ· — Καὶ κάλλος καλόν ἐστι παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ.* Strat. Epigr. LXXIII. 3. 4. in Anthol. Graec. T. III. p. 85. (Anthol. Pal. II. p. 523): *Ἄνθος γὰρ καὶ κάλλος ἴσον χρόνον ἐστὶ λαχόντα. Ταῦτα δ' ὁμῆ φθονέων ἐξεμάρανε χρόνος.* ubi plura in hanc sententiam suppeditat *Iacobs. in Animadv.* V. II. P. III. p. 114. Cf. Ovid. Ars Amat. II. 115: *nec violae semper nec hiantia lilia florent Et riget amissa spina relicta rosa. Et tibi iam cani venient, formose, capilli.* — *honor*, pulchritudo, ut Epod. 17. 18. Sat. II. 2. 28. — *neque uno luna nitet Voltu*, variae enim eius sunt singulis mensibus species. — *rubens*, lucens, *rubens nitet*, ornatius pro simplice: lucet. *rubere* de lunae splendore passim; infr. Sat. I. 8. 36. Propert. I. 10. 8. — *aetern. min. consil. anim.* h. e. animum ad brevioris temporis spatium tibi concessum, quam ut ille aequare vel ad exitum perducere possit consilia *aeterna*, h. e. in remotissima tempora, quasi aeternum victurus sis, praecepta.

v. 13 — 20. *sic temere*, hic, ubi forte fortuna in hanc pinum, sub qua considere licet, incidimus, nullo alius arboris delectu habito. Similiter apud Virgil. Aen. IX. 329. tres famuli, cum in loco, qui ante pedes fuerat, forte fortuna procubuissent, *temere inter tela iacuisse* dicuntur, et sic *temere sub armis strati* milites apud Liv. X. 43. — *canos*, canescere certe incipientes, eoque gravius de fugientis aetatis usu

Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?
Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna, dic age, cum lyra
Maturet, in comtum Lacaenae
More comam religata nodum.

v. 23. *incomtum*, Codd. plerique; *in comtum*, Codd. non pauci et Acron, Porphyr., Schol. Cruq.; *incomtam*, Codex unus Torrentii. — v. 24. *comae* et *comas* Codd. pauci; *comam*, Codd. plerique. *nodum*, Codd. omnes. *incomtam — comam religata nodo*, *Bentl.* et sic *Doeringius*, *Mein.* Rectior autem videtur, quam reliqui fere omnes editores in textum receperunt, lectio: *in comtum — comam religata nodum.* Etsi enim *religata coma* simplicissimum erat ornatus genus, minime tamen ab elegantia et munditie abhorrebat, ut patet ex Od. I. 5. 4: *Cui flavam religas comam, Simplex munditiis?* — Incomti autem capilli nihil prorsus habent elegantiae et decoris ac non tam puellae sunt *comam religatae*, quam *irreligatae comas* (Ovid. Ars. Am. I. 530). Itaque non hoc vult poeta, ut puella maturans *incomtam comam* negligenter nodo cohibeat, sed ut spreto nimio ornatu in simplici, neque invenusto tamen, corporis cultu acquiescens Lacaenae more comam *in comtum nodum* colligat (cf. Od. III. 14. 22). *R.*

utrumque monentes. Comparant Anacr. XXXVI. 9: *Πολιαὶ στέφουσι κάρα. Δὸς ὕδωρ, βάλ' οἶνον, ὦ παῖ.* — *odorati*, significanter de iis, qui serto suaves odores spirante capillos coronant. — *Assyria*, v. supr. ad I. 31. 12. et ad II. 7. 8. — *Evius*, Bacchus, v. supr. I. 18. 9. — *dissip. curas.* — *Mitsch.* affert locum ex Athenaeo II. 1. p. 35 (est ille ex Cypriis carminibus): *οἶνόν τοι, Μενέλαε, θεοὶ ποίησαν ἄ ρ ι σ τ ο ν θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας.* — *edaces*, *γυιοκόρους μελεδῶνας*, quae, ut Catullus LXVI. 23. loquitur, *penitus medullas exedunt.* — *restinguet*, temperabit. — *ardentis* (*αἴθωνος*) h. e. fervidioris, ut infr. Epod. 11. 14. nos: *feurig*; nam *φλὸξ οἴνου* (ut Euripid. Alc. 761. loquitur) *θερμαίνει.* Huc pertinet locus Meleagr. Ep. CXIII. 3. in Anthol. Graec. T. I. p. 33: *Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος. ἢν δέ νιν εἴργῃς Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.*

v. 21 — 24. *devium*, in urbis loco remotiore vel angiportu, ubi meretrices latere solebant, habitans; hinc apud Ovidium quoque Trist. III. 7. 30. *devia femina* de meretrice. *eliciet domo*, domo evocatam arcesset. Eadem fere, quae Horatius, iussa dat Anacreon IV. 13 sqq.: *Ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ, Μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα Πύκασον, κάλει δ' ἑταίρην.* — *eburn. cum lyra*, leviores enim puellae sub causa psallendi compotationibus interesse solebant. — *in comtum Lacaenae More comam relig. nodum*, ad morem puellae Spartanae simplici ornatu comam in comtum nodum colligens.

CARMEN XII.

AD MAECENATEM.

Nolis longa ferae bella Numantiae
Nec durum Hannibalem nec Siculum mare
Poeno purpureum sanguine mollibus
Aptari citharae modis,
Nec saevos Lapithas et nimium mero

v. 2. *durum*, Codd. plerique et sic *Bentl.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Vanderb.*; *divum*, *Lamb.*, *Cruq.*, *Fea*, *Mein.*, *Orelli* (coll. Od. III. 6. 36. Od. IV. 4. 42). Vide *Bentl.* ad h. l. *R.*

CARMEN XII.

Poeta carmen Maecenati pollicitus imparem se profitetur cum cuilibet graviori argumento lyra tractando tum rebus gestis Augusti carmine celebrandis, quae multo melius ab ipso Maecenate pedestri oratione enarratum iri confidit. [Canendas igitur sibi sumit, quas Musa cum canere iubet, laudes Licymniae, i. e. *Terentiae*, Maecenatis coniugis, quam hoc nomine intelligendam esse probabiliter demonstravit *Weichert*, Poet. Lat. Rel. p. 462 sqq., assentiente *Obbario*, Iahn Arch. 1831. p. 458. *R.*].

v. 1—12. Sententiarum nexus est hic: vix cupias, ut vel bellum Numantinum, vel bella Punica, vel Lapitharum cum Centauris pugnam, vel Gigantomachiam poeta tenuis canam; neque etiam poscas a me, ut res gestas Augusti lyra mea, mollioribus modis tantum apta, celebrem; tu ipse enim multo melius soluta oratione tam proelia Augusti, quam eius triumphos expones. — *Numantia*, Hispaniae Tarraconensis urbs olim nobilissima, quae, cum plures annos (in annorum numero scriptores inter se discrepant) fortissime Romanis restitisset, tandem a Scipiono Africano Minore deleta est; vid. Flor. II. 18. Vellei. II. 4. 2. Strabo III. p. 246. — *ferae*, referendum fortasse eo, quod eius incolae, ut tradit Florus l. l. *in ultimam rabiem furoremque conversi, duces suos seque patriamque, ferro et veneno subiectoque undique igne, peremerunt.* — *durum*, laboris, famis, caloris frigorisque patientissimum; de Hannibalis ingenio est locus praeclarus apud Liv. XXI. 4. designatur autem per Hannibalem bellum Punicum secundum. — *Sicul. mar. Poen. purpur. sangu.* intellige tres nobilissimas illas pugnas navales, quibus Carthaginienses in bello Punico primo ad Siciliam victi sunt a Romanis, C. Duillio, Regulo, Luctatio Catulo ducibus. — *mollibus aptari cithar. modis*, cani ad citharam, qua *molliores modi* tantum (carmina amatoria puta) deducuntur, h. e. cani a poeta res levioris argumenti tractare solito; infr. Epist. I. 3. 13: *fidibusne Latinis Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?* — *Nec saev. Lapith.* argumentis in insigni Romanae virtutis gloria versantibus adeoque recentioribus subiungit antiquiora, fabulas, non nisi a sublimioris spiritus poetis tam olim pertractatas, quam nunc et in posterum pertractandas. Fabula de Lapitharum cum Centauris pugna vel ex Ovid. Met. XII. 220 sqq. satis nota; cf. Virg. Georg. II. 457. Apollod. II. 5. 4. et ib. *Heyne.* — *nim. mer. Hylaeum*, Centaurum, qui, cum nimium vino accensus Hippodamiam attrectavisset, pugnae auctor fuisse traditur. — *Telluris iuvenes* (γηγενεῖς), Gigantes, caelum et Iovem adortos, sed Hercule in partes vocato domitos (Apollodor. I. 6. 1. cf. infr. II. 19. 21.). — *unde*, a quibus, quorum conatu. Cf. Od. I. 12. 17. — *contremuit*, cum tremore timuit. *fulg. dom. Saturn.* Olympus, caelum; *veteris*, πρεσβυτάτον μακάρων, ut Chronus appellatur ab Orph. Lapid. XVIII. 31. — Cum toto hoc loco compara Virg. Cul. 26 sqq.: *tibi namque canit non pagina bellum, Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus; Nec Centaureos Lapithas compellit in enses: — Mollia sed tenui percurrere carmina versu.* — *tuque* cett., cum proprie pergendum esset: „et nolis me cantare proelia triumphosque Caesaris, quos tu multo melius dices pedestri oratione“ dicit statim: „et tu melius quam ego historiis pedestribus res gestas Caesaris dices (intellige: itaque nolis eas a me cantari).“ — *historiis pedestribus*, Maecenatem vere conscribendae Augusti historiae manum imposuisse, fidem facit Plin. VII. 45. Caeterum, quod supra ad Carm. I. 1. 29. dixi, Maecenatem non fuisse poetam, cum ex aliis tum ex hoc carmine satis apparet. — *ducta regum colla*, pro vulgari: reges collo (h. e. catenis collo annexis) ductos; *minacium*, qui antea exitium imperio minati fuerant.

v. 13—20. „Ego missis illis gra-

Hylaeum domitosque Herculea manu
Telluris iuvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulces dominae Musa Licymniae

v. 6. *domitosve*, sine ulla Codd. auctoritate *Cuningh.*, *Fea*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* Veram esse Codd. lectionem *domitosque* multi docent loci, quibus part. *que* praegressam negationem excipit: e. g. Od. II. 15. 10 sqq. Epod. 16. 5 sqq. Od. III. 24. 36 sqq. Ep. II. 1. 88. Sat. II. 6. 18. Recte dicit *Orellius*: „Ubi nulla oppositio significatur, se excipiunt part. *non* vel *nec — que*; ubi utrumque membrum distinguitur, *nec — ve.*“ — v. 12. *minacium*, Codd. plerique et Serv. ad Virg. Georg. II. 42. Alteram lectionem minus aptam huic loco, *minantium*, receperunt *Vanderb.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* Cf. Od. II. 7. 11. — v. 13. Cod. praebent *dulcis* et *dulces*; utrumque rectum est, dummodo *dulcis* non pro genit. vel nom. sing., sed pro antiqua accusativi plur. forma habeatur. Qui iunxerunt *dulcis dominae* vel *dulcis Musa*, non satis cogitarunt, vocem *cantus* epitheto carere omnino non posse, cum *oculos* quoque et *pectus* non sic nude posita sint. *R.*

Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos et bene mutuis
Fidum pectus amoribus,
Quam nec ferre pedem dedecuit choris
Nec certare ioco nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die.
Num tu, quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae
Plenas aut Arabum domos?
Dum flagrantia detorquet ad oscula

v. 25. *Cum*, *Lambin.*, *Vanderb.* e Codd. — *fragrantia*, *Lamb.* e Codd. *R.*

vioribus rebus cantabo potius Licymniam tuam.“ *lucidum fulgentes*, ὄμματα μαρμαίροντα, in quibus, ut eiusmodi oculos describit Tibull. IV. 2. 6: *Accendit geminas lampadas acer Amor.* — *lucidum*, pro: lucide, ut *dulce* vel *perfidum ridens* (infr. III. 27. 67.), et plura eiusmodi. — v. 17 — 20. Sequitur pulcherrima Licymniae mira cum suavitate et concinnitate saltantis descriptio. — *quam nec dedecuit*, per λιτότητα pro: quam egregie decuit; de eiusmodi puella suavissime Tibullus IV. 7: *Illam*, *quidquid agit*, *quoquo vestigia movit*, *Componit furtim subsequiturque decor.* — *ferre pedem*, saltantium enim ars praecipue in scito concinnoque pedum motu vel incessu cernitur. *certare ioco*, varii cogitari possunt lusus, quibus saltantes invicem se excipiunt et iocose inter se certant; *dare brachia*, quod, cum saltantes brachia inter se nectunt, vel manus invicem sibi porrigunt, cum lepore quodam fieri debet. — *ludentem*, h. e. saltantem; *ludere*, ut παίζειν apud Graecos, saepe pro: saltare, sive choreas ducere. — *sacr. Dian. celebr. die*, plures quotannis dies, Dianae sacri, a virginibus, praecipue choreas ducendo (Propert. III. 28. 50.), tam in urbe, quam in agris, magna cum laetitia celebrari solebant.

v. 21 — 28. Quid dicam de crine Licymniae? num tu eum cum Achaemenis opulentia vel Phrygiae opibus vel Arabum divitiis permutare velis, quando illa vel sponte osculum offert, vel facili saevitia denegat? — *dives Achaemenes*, primus Persarum rex, in universum pro regum Persarum opulentia. — *pingu. Phryg. Mygdon. opes*, h. e. opes, quas Mygdones in opimis Phrygiae campis possident. *Mygdones*, antiquus Thraciae populus, qui Phrygiae partem occupavit. Ad septentrionalem Phrygiae plagam Mygdones collocat Strabo XII. p. 861: *permutare crine opes*, exquisitiore ratione pro vulgari: crinem permutare opibus, vel cum opibus. — Cfr. Pallad. Epigr. I. v. 1 sqq. in Anthol. Graec. T. III. p. 114. (Anthol. Pal. I. p. 205). — *plen. Arab. domos*,

Cervicem, aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

CARMEN XIII.

AD ARBOREM.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilega manu

v. 28. Pro vulgata lectione *occupet*, quam plerique libri tuentur, *Bentl.* e Codd. recepit: *occupat* (et sic *Mitsch. Doer.*, *Mein.*). At haud dubie opposita sibi sunt: *gaudeat eripi* et *rapere occupet*, non vero: *facili saevitia negat* et *Interdum rapere occupat*, cum illis verbis *fac. saev. neg.* iam opposita sint; vv. *det. ad oscula Cerv.* — XIII. v. 1. *Illum*, *o*, *nefasto*, coni. *Bentl.* *Illum*, *nefasto*, *Buttm.* in Seebodii Misc. Crit. Vol. II. P. I. p. 45 — 48. *R.*

intellige *beatas*, ut supr. I. 29. 1. Hor. loquitur, *Arabum gazas.* infr. Epist. I. 7. 36: *nec Otia divitiis Arabum liberrima muto.* — De caesura in composita voce *detorquet* cf. supra Od. I. 18. 16. — *detorquet ad oscula*, collum ita inflectit, ut osculis occurrat. — *facili*, facile se vinci patiente. — *Quae poscente magis gaudeat eripi*, quae oscula magis gaudeat sibi eripi ab amatore oscula poscente. — *rapere occupet*, prius ipsa rapiat; cf. infr. ad Epist. I. 6. 32.

CARMEN XIII.

Quid senserit et cogitaverit Horatius, feliciter e praesente vitae periculo, quod ei in villa sua forte ambulanti ab inopinato arboris casu imminuerat (cf. infr. II. 17. 27. III. 4. 27. III. 8.) servatus, id enarrat in hoc carmine. Primum igitur, quo rapere in eiusmodi casu homines solet affectus vehementior, ei, qui istam arborem tam infausto omine posuisset, tamquam homini omnium scelestissimo diras imprecatur; deinde, quod res ipsa iam suggerebat praeceptum, neminem ab improviso mortis genere satis sibi cavere posse, graviter exemplo suo confirmat; denique Orci, ad quem paene delatus fuisset, imaginem mira arte ad Alcaei et Sapphus inprimis laudes celebrandas adumbratam animo suo repraesentat. Fingit poeta, Alcaeum et Sappho apud inferos quoque ita placere carminibus suis, ut non solum omnes umbrae ad ea audienda catervatim confluant, sed eorum dulcedine Cerberus adeo et Furiae suaviter demulceantur damnatique intermisso interea labore suo cupidi ab ore cantantium pendeant, quo nihil profecto cum ad utriusque gloriam, tum ad universam poesis laudem celebrandam fingi ab Horatio potuit sublimius.

v. 1 — 4. *Ille et nefasto* cett. Iunge: *Quicumque* te, *arbor*, *primum* posuit, *ille et die nefasto te posuit, et manu sacrilega produxit* cett. *nefasto*, infausto. Sic apud

Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi;
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha
Et quicquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bosporum
Poenus perhorrescit neque ultra
Caeca timet aliunde fata;

v. 8. *Colchica, Lamb.* e Codd. Vide *Bentl.* ad h. l. *R.*

Livium VI. 28: *ne qua terra sit nefasta* (infausta, inominata) *victoriae suae.* — *ponere arborem* (plane uti nos *einen Baum setzen*) pro: serere, plantare, passim apud scriptores rusticos; apud Ovidium quoque Fast. III. 139. sic *posita arbor* dicitur; et sic *statuere arborem* vers. 10. — *qui* — *produxit*, pro educavit, vel quod idem, eduxit. — *opprobrium*, dedecus; nos: *Schandfleck;* sic *opprobria Romuli Remique* apud Catull. XXVIII. 15. cf. *Bentleius* supr. ad I. 37. 9.

v. 5—12. *Illum et parentis* cett. Imo, qui te male ominatam arborem plantavit, ut in immerentis domini caput aliquando caderes, is vel patrem occidisse, vel nocturna hospitis caede domum suam polluisse, vel venena miscuisse, vel, quod usquam gentium nefandum scelus concipitur, perpetrasse videtur, pro simplice: is gravissima quaeque commisisse videtur scelera. — *cervicem fregisse*, sc. laqueo; similiter *gulam laqueo frangere*, dixit Sallustius Cat. c. 55. — *nocturno cruore*, sanguine tempore noctis hausto, pro: caede nocturno tempore insidiose perpetrata; de hospitii, cui tuendo Iuppiter ξένιος praeerat, sanctitate res nota. — *Colcha*, pro: Colchia, Medeae Colchicae inprimis veneficiis, ut longe efficacissima, nobilitata. — *caducum lignum*, arborem cadentem, vel lignum casurum, ut infr. III. 4. 44: *fulmen caducum*, quod decidit, vel deiectum est; et sic saepe alibi. — *triste*, perniciosum.

v. 13—20. *in horas*, in singulas horas. — *Navita Poenus*, mercator Phoenicius. *Bosporum*, Thracium, per quem navigantes in Pontum Euxinum deferuntur. — *perhorrescit*, praecipue ob petras Cyaneas, a Bosporo Thracio exeuntibus magna circumspectione, ne naufragium ibi patiantur, evitandas. — *nequ. ultr. caec. tim. al. fat.* neque praeterea, quae in aliis locis (*aliunde*) ei immineant pericula, timet, quia *caeca* sunt, h. e. latent nec praevideri possunt. Cic. Agr. II. 14: *cur hoc*

Miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur; sed improvisa leti
Vis rapuit rapietque gentes.
Quam paene furvae regna Proserpinae
Et iudicantem vidimus Aeacum
Sedesque discretas piorum et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,

v. 23. *discriptas* et *descriptas*, pars Codicum. Praestat tamen meliorum Codd. auctoritate lectio altera *discretas*, quam agnoscunt Acron et Porphyr. et Comm. Cruq.

est tam obscurum et caecum. — *timet*, syllaba ult. in arsi producta. — *celer. fug. Parthi*, Parthus enim in celeri, quam simulabat, fuga, cum telorum equo repente verso (cf. supr. I. 19. 11.) in hostem iaciendorum esset peritissimus, vel maxime timendus fuit. — *robur*, intellige locum in carcere trabibus roboreis contextum, ubi supplicium de captivis vel maleficis sumi solebat; unde postea *roboris* nomen carceri mansit. Liv. XXXVIII. 59: *Ut in carcere inter fures nocturnos et latrones vir clarissimus Scipio includatur et in robore et tenebris exspiret.* Tac. Ann. IV. 29.

v. 21—28. Expende ornatum, quem simplici sententiae: „quam paene ego arboris ictu periissem, vel: quam paene arboris ictu delatus fuissem ad inferos," paravit poetae ingenium. — *furvae*, ut *luridus*, *niger*, *pallidus* cett. rerum infernarum epitheton. — *regna Proserpinae videre*, ut *nigrum Tartarum videre*, apud Virgil. Aen. VI. 134. et apud Hom. Il. XV. 252: νέκυας καὶ δῶμ' Ἀΐδαο ὄψεσθαι. — *iudic. vid. Aeac.* Antip. Sid. I. 4. Anthol. Graec. T. II. p. 5. *Μίνω θᾶσσον ἐποψόμεθα.* Plat. Gorg. p. 526. A. — *sed. discr. pior.* campos Elysios. — *Sapph. quer. puell. de popul.* sensum amoris, quo puellas populares deperiit, mollioribus carminibus exprimentem, h. e. carmina amatoria, ᾄσματα, canentem; ad haec Sapphus carmina spectare videtur Fragm. 37. Neue. At qui Sappho ideo de puellis popularibus nunc queri contendunt, quod hae Phaonem ab illa misere amatum in amorem suum pellexerint, ipsi, quam apte hoc argumentum nunc apud inferos tractaverit Sappho, viderint. — *Aeoliis*, h. e. Lesbiis, nam Lesbus tota fere ad Aeoliam pertinet. Similiter infr. IV, 9. 12. Sappho *puella Aeolia* dicitur. — Caeterum ut Hor. Sappho, ita Simonides Fragm. 171. Schneidew. Anacreontem apud inferos canentem inducit. — *Et te son. pl. aur., Alc., pl.* et te, Alcaee, graviore carminis genere cantantem duros labores, quos in navigatione, exilio et bello exantla-

Dura fugae mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbrae dicere; sed magis
Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps

veris. Tangit igitur argumenta ab Alcaeo in carminibus suis tractata. — *sonare plectro mala*, facere, ut sonent vel resonent plectro mala, pro simplice: mala canere. — *plenius*, gravius, fortius. Ipsa Sappho apud Ovid. Heroid. XV. 30. se cum Alcaeo, patriae lyraeque consorte, comparans illum *grandius sonare*, at se *blandissima carmina* dicere ait. — *aureo*, epitheton ornans; sic Pindar. Pyth. I. 1: *χρυσέαν φόρμιγγα*, et Nem. V. 24: *χρύσεον πλᾶκτρον* Apollini tribuit. — *dura navis mala*, intellige tempestates marinas. — *fugae*, exsilii, in quod a civitatis suae tyrannis, Myrsilo et Pittaco, expulsus fuerat Alcaeus. — *dura belli*, bellum Mitylenaeis cum Atheniensibus gestum puta, quod Alcaeo inprimis, qui ex eo male abiectis armis aufugisse perhibetur (Herodot. V. 95.), plenum periculosae aleae opus fuisse videtur.

v. 29—32. *Mirantur utrumque dicere*, cum admiratione tam Sappho, quam Alcaeum audiunt canentes, *digna sacro silentio*, carmina tam egregia, ut digna sint, quae summo silentio auscultentur; *sacro*, tamquam in re sacra, ubi, quicumque adsunt, linguis favere debent. — *densum humeris vulgus*, en praeclaram rei imaginem! omnes ac singulae umbrae (hinc *vulgus* dictae sunt) undique accurrunt et tam arcta turba circa Sappho et Alcaeum prae cupiditate eorum carmina audiendi condensantur et glomerantur, ut humeris invicem se premant terantque. cf. Virgil. Georg. IV. 473 sqq. — *aure bibit*, cupide audit. Propert. III. 6. 8: *suspensis auribus ista bibi.* — *magis*, grandioris enim spiritus carmina magis percellunt audientium animos. — *pugnas*, h. e. Alcaeum, pugnas, quibus tyranni exacti sunt, canentem; cecinit igitur bella civilia a Mitylenaeis contra tyrannos mota, quorum ipse dux factus est. — *exact. tyrannos*, ad eos praeter Pittacum et Myrsilum plures, qui rerum potiri cuperent, pertinuisse, ex Strab. XIII. p. 917 intelligi potest.

v. 33—40. Quid mirum, umbras delectari carminibus, quibus Cerberus adeo et Furiae delectantur! Compara omnino cum Horatio Virg. Georg. IV. 471 sqq. ubi eadem vi apud inferos canens inducitur Orpheus; nec utriusque poetae imitatores Ovid. Met. X. 41 sqq. Senec. Herc. Oet. 1065 sqq. et Boeth. Consol. Philos. III. metr. 12. 29 sqq. contulisse pigebit. — *centiceps*, in capitum, quae Cerbero affinxit antiquitas, numero discrepant poetae; vulgo tria tantum ei capita tribuuntur, ut infr. II. 19. 31. sed *πεντηκοντακάρηνος* ille apparet apud Hesiod. Theog. 312. Horatius Cerberum sistit *ἑκατοντακάρηνον*, haud dubie Graeci cuiusdam poetae exemplum secutus; Tzetzes ad Lycophr. 678: *ὁ κύων τοῦ Ἅιδου, ὃς ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς.* Itaque v. *centiceps* malim equidem proprie accipere, quam contra usum loquendi cum aliis ad anguium, quibus Cerberi cervix horruisse dicitur, capita referre. — *stupens illis carminibus*, cum stupore admirans illa carmina; observa vim in *illis*, h. e. tam praeclaris, divinis. — *demittit aures*, uti enim canes minaces et stomachabundi aures arrigere, ita iidem eas, quando suaviter afficiuntur, demittere solent. — *et intort. capill. Eumen. recre. angu.* angues, quos Furiae capillis implexos gestant, graviter pro ipsis Furiis dulci cantu deleniri dicuntur. In eiusdem rei imagine Virgil. l. l. 483: *Eumenides* dixit *caeruleos implexas crinibus angues.* — *Prometheus*, ergo secundum antiquiorem, quam Hor. secutus est, fabulam, Prometheus in Orco quoque aeternis laboribus exerceri fictus est; nam vulgo eum Caucaso affixum, ubi aquila continuo cor eius renascens exedat, sceleris, quo ignem caelo subduxerit, poenam luere tradunt. — *Pelopis parens*, Tantalus. — *dulc. lab. decip. sono*, cantus dulcedine ita decipitur et abripitur, ut laborum suorum immemor sit. *decipitur laborum*, deceptus obliviscitur laborum; genit. ex Graeco loquendi more (*κλέπτεται τῶν πόνων*) explicandus. Exempla dedit *Ramshorn.*, Gr. Lat. §. 112. not. p. 331. ed. sec. — *Orion*, is enim venationem, cuius studiosissimus in vita fuerat, apud inferos quoque (quia, ut dicitur apud Virg. Aen. VI. 655: *cura — eadem sequitur tellure repostos*) exercebat; *Orionis* apud inferos venantis imaginem iam adumbravit Homerus Odyss. XI. 571 sqq. Quo magis autem Orion venatione delectabatur, eo maior carminum, quibus audiendis ab ea detinebatur, vis esse debuit.

Aures et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono,
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

v. 38. *laborem*, *Lambin.*, *Bentl.*, *Vanderb.* e Codd. *laborum*, Codd. plerique, Acron, Porphyr., Comm. Cruq. *R.*

CARMEN XIV.

AD POSTUMUM.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis et instanti senectae
Afferet indomitaeque morti;
Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

v. 2. *Heu heu*, *Fea* e Codd. — v. 5. *tricenis*, Codd. multi (*trecentis*, nonnulli), *trecenis*, reliqui. Falsam lectionem *tricenis* arguit vel prima syllaba longa. — v. 8. *Geryonem*, *Lamb.*, *Bentl.* al. e Codd. *R.*

CARMEN XIV.

Vitae praeceptum, ab eius brevitate ductum, quod ad bona, quae cuique contigerint, sapienter, dum licet, percipienda iterum iterumque amicis suis commendat Horatius (ut *Dellio* supr. II. 3. *Quintio* II. 11. ubi cf. argum. et *Torquato* infr. IV. 7.) *Postumo*, quoque impertit. Itaque eum ad celerem temporis fugam animum advertere. moriendi necessitatem nulli omnino homini neque sacrificiis avertendam, neque prudentia evitandam, secum reputare bonisque, quae heres profusius absumturus sit, ipsum perfrui iubet. — Quis fuerit Postumus, vix certis argumentis evincas; nam neque *Iulius Florus*, ad quem infr. duae epistolae lib. I. 3. et II. 2. scriptae sunt, neque ille Postumus, ad quem apud Propertium III. 12. elegia exstat, idem fuisse videtur.

v. 1 — 12. *labuntur*, celeriter fluminis instar (quod proprie *labi* dicitur) currunt. — *nec pietas* sett. nec sacrificiis efficere poteris, ut rugae et instans senecta atque mors tardius te occupent atque opprimant. — De senecta nos opprimente compara Mimnerm. IV. 4. Anall. Brunck. T. I. p. 61. — *indomitae*, nullo pietatis genere se mitigari patienti, saevae, inexorabili; similiter Graecis Θάνατος vel Ἀίδης ἀδάμαστος, ἀμείλιχος. — *trecenis tauris*, tribus hecatombis. — *quotquot eunt dies*, quotidie. Ep. II. 2. 55: *Singula de nobis anni praedantur euntes.* — *illacrimabilem*, ad lacrimas, h. e. ad miserationem se permoveri non patientem, ἄδακρυν; infr. Epist. II. 2. 179: *Si metit Orcus Grandia cum parvis non exorabilis auro.* In sententiam huius loci compara Aeschyl. Fr. Niob. p. 642. *Stanl.* — *ter. ampl. Geryon.* τρισώματον vel τρικάρηνον; nam tria capita sive tria corpora Geryoni, Chrysaoris et Callirrhoes filio, ab Hercule perdomito, ad insignem eius corporis molem designandam tributa esse satis notum est. *Forma tricorporis Umbrae* dicitur Virgilio Aen. VI. 289. — *Tityonque*, Terrae filium, ob vim, quam Latonae

Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicumque terrae munere vescimur,
Enaviganda, sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus
Fractisque rauci fluctibus Hadriae,
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum:
Visendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
Infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.
Linquenda tellus et domus et placens
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Te praeter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

v. 18. *Cocytos*, *Bentl.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Orell.* e Codd. *Cocytus*, reliqui. *R.*

inferre ausus est, vel Iovis fulmine, vel Apollinis sagittis confixum, et ad Tartara, ubi ei, ut Virgil. Aen. VI. 596. canit, *per tota novem iugera corpus porrigitur*, detrusum; posuit autem Geryonem et Tityon, vastissimi corporis homines, tamquam illustria humanae fragilitatis exempla. — *unda*, Stygis nempe. — *omnibus*, *quicumqu. terr. mun. vesc.* pro vulgari: mortalibus. Nota est Homerica *mortalium* descriptio: οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι. — *reges*, divites, beati, potentes; cf. supr. I. 4. 13. et infr. II. 18. 32.

v. 13 - 24. Mortis fugiendae causa frustra bello et navigatione abstinebimus, frustra autumni tempore gravem aërem, morborum causam, evitabimus; pro vulgari: a morte nulla nos tutos praestabit prudentia. — *Marte cruento*, μιαιφόνῳ, αἱματόεντι. — *rauci*, raucum sonantis. — *per autumn. noc. corp. met. Austr.* hinc infr. Sat. II. 6. 19: *Autumnusque gravis*, *Libitinae quaestus acerbae;* et eadem de causa infr. III. 23. 8. autumni tempus *grave*, h. e. valetudini perniciosum, dicitur. Huc pertinet Bion VII. 13: Οὐκ ἐθέλω φθινόπωρον, ἐπεὶ νόσον ὤρια τίκτει. — *flum. langu. err.* lente circa Tartarum fluens. — *Danai gen. infame*, filiae Danai sponsorum caede infames. Ov. Metam. IV. 461. — *Sisyph. Aeol.* notissimam Sisyphi apud inferos ingens saxum in verticem volventis fabulam enarrat Hom. Odyss. XI. 592 sqq. — *placens*, sc. morum suavitate, amabilis, dulcis; comparant Lucret. III. 907 sqq.: *At iam non domus accipiet te laeta, neque uxor Optima, nec dulces occurrent oscula nati Praeripere — omnia ademit Una dies infesta tibi tot praemia vitae.* — *invisas*, quia in tumulis ponebantur; Epod. 5. 17. — *bre-*

Absumet heres Caecuba dignior
Servata centum clavibus et mero
Tinguet pavimentum superbo,
Pontificum potiore coenis.

CARMEN XV.

Iam pauca aratro iugera regiae
Moles relinquent, undique latius

v. 27. *superbo*, Codd. plurimi; *superbum*, Codd. pauci et sic *Lamb.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.*; *superbis*, *Fea* ex uno Cod.; *superbus*, Cod. unus a sec. manu. *R.*

vem, brevis vitae, *ὀλιγοχρόνιον*, *μινυνθάδιον*, ut *brevis rosa*, *breve lilium* cett.

v. 25—28. *Absumet heres* cett. Eandem sententiam expressit Hor. infr. Sat. II. 3. 122: *Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres, Dis inimice senex, custodis?* — *dignior*, sc. vini Caecubi possessione, quia illud non centum clavibus servaturus, sed bibiturus est. — *centum clavibus* pro: diligentissime. — *et mer. tingu. pav. sup. Pontif. pot. coen.* et merum ipso illo, quod in coenis Pontificum bibi solet, praestantius, tam profuse apud eum bibetur, ut pavimentum adeo eo madeat. — *tingu. pavim.* de eiusmodi profuso vini usu similiter Cicero Philipp. II. 41. 105: *natabant pavimenta mero, madebant parietes.* — [*superbo*, epitheton ab herede helluone et opum modo acceptarum prodigo translatum ad merum]; *potiore Pontificum coenis*, meliore et nobiliore, quam quod in coenis Pontificum bibitur; sacrae epulae enim, quas Pontifices apparabant, tam lautae et opiparae fuerunt, ut locum darent proverbio. Mart. XII. 48. 12: *Non Albana mihi sit comissatio tanti, Nec Capitolinae, Pontificumque dapes.* cf. Macrob. II. 9.

CARMEN XV.

Ad luxum, qui tum Romam immigraverat, pertinebat ea inprimis magnificentia, quae ab hominibus privatis in amplissimorum aedificiorum, piscinarum, non ad communem utilitatem, sed ad solam voluptatem spectantium, usu atque possessione ponebatur. In hoc insanum igitur per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia studium nobiliore indignationis affectu Horatius in hoc carmine invehitur veterumque Romanorum severiore disciplina, frugalitate, continentia ante oculos posita, quantum a maioribus suis nunc degeneraverint Romani, ostendit. Cf. Od. II. 18. Od. III. 2.

v. 1—10. *Iam*, brevi inde tempore. *regiae moles*, amplissima et regio splendore in altum educta aedificia, qualia tum in villis suis exstruere solebant beatiores. Hinc illud, quod in villa sua habebat Maecenas, similiter quoque infr. III. 29. 10. vocatur *moles propinqua nubibus.* — *undique visentur*, ex omnibus partibus conspicere licebit.

Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque caelebs
Evincet ulmos; tum violaria, et
Myrtus et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori:
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,

— *stagna*, intellige piscinas marinas sive maris particulam, quam ditiores *iactis in altum molibus* (ut infr. III. 1. 33. dicitur) ideo a mari secluserant, ut quovis anni tempore piscium ibi haberent copiam; locus eximius de hoc luxus Romanorum genere est apud Varr. R. R. III. 17. cf. Tibull. II. 3. 45. Cic. Attic. I. 16. 17. — *latius extenta Lucrino lacu*, lacus Lucrini ad Baias in Campania magnitudinem superantia; vocantur haec *stagna* infr. Sat. II. 5. 44. *cetaria.* — *platanusque cael. evinc. ulm.* platanis, non utilitatis, sed voluptatis causa consitis, cedere debebunt ulmi; scilicet ulmi ei praecipue in Italia inserviebant usui, ut vites cum earum trunco iungerentur, unde vites *ulmos maritare* dicuntur; Columell. V. 6. Itaque *platanus*, quae non commode adhiberi posset iungendis cum ea vitibus (pulchre pro: inutilis), iam dicitur *caelebs.* — *tum — tum*, porro — porro. *violaria*, loca violis consita. *omnis copia narium*, quidquid est florum bene olentium. — *spargent odorem*, eleganter pro vulgari: florebunt, erunt, conspicientur; *olivetis*, iis locis, ubi antea fertilia erant oliveta. — Horatium ante oculos habuisse videtur Quint. Instit. Orat. VIII. 3. 8: *An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia et violas — quam ubi plena messis, aut graves fructu vites erunt? Sterilem platanum tonsasque myrtos, quam maritam ulmum et uberes oleas praeoptaverim?* — *Tum spiss. ram. laur. fervid. exclud. ictus*, porro lauri eo tantum fine ponentur, ut sub spissis suis ramis ambulantes a solis aestu defendant; h. e. umbrosis lauretis porro delectabantur homines. — *ictus*, sc. solis. Eurip. Bacch. 458: *ἡλίου βολαῖσιν.*

v. 11—20. *Non ita Rom. Praescr. et int. Cat. Ausp. vet. nor.* huic quidem insano luxui secundum vivendi normam a Romulo, Catone, aliis veteribus praescriptam nemini olim indulgere licuit. — Commode autem ad priscos mores commendandos Catonis antiquioris, tam morum, quam censurae, severitate satis noti, mentionem facit, qui, quia priscorum morum observantissimus haud ad aetatis suae morem barbam tondebat, *intonsus* vocatur, ut supr. I. 12. 41: *Curius — incomtis capillis.* — *Privat. ill. cens. er. brev., comm. magn.* bonorum privatorum tum par-

Commune magnum; nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton,
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumtu iubentes et deorum
Templa novo decorare saxo.

va, sed communium lata fuit possessio; *census* pro bonis, quae censu aestimantur; hinc bona tenuia infr. Epist. I. 7. 56: *tenuis census.* Ep. I. 1. 43: *exiguus census.* — *nulla decempedis* cett. non ampliores, ut nunc, a privatis hominibus ad decempedarum mensuram exstrui solebant porticus, quae septentrionem exciperent, h. e. septentrionem versus sitae essent, scilicet ut solis aestum ibi vitarent molliores homines. *decempedis metata*, passive (ut apud Liv. XLIV. 7: *metarique sub ipso templo — iussit*) ad mensuram decempedarum facta. — *privatis*, sc. hominibus; — *privatis* haud cum aliis ad *decempedis*, in casu sexto positum, referendum, sed in casu tertio accipiendum esse existimo. [Altera tamen ratio fortasse magis poetica. *R.*] — *opacam*, quia Arctos sive Septentrio loca ad se versa opaca reddit. Sidon. Apollin. XXII. 179: *Porticus ad gelidos patet hinc aestiva triones.* — *Nec fortuit. spern. cesp. leg. sineb.* Sententia: nec secundum leges, quae tum vigebant, hominibus privatis domos in agris exstruere licebat ex magnis lapidibus, quibus oppida tantum et deorum templa publico sumtu decorari iubebantur, sed casas ex cespite fortuito. — *fortuitum*, vulgarem quemque, in quem forte incidimus; ubique forte obvium. *fortuitus*, alias *fortuitus.* Serv. ad Aen. VI. 169. — *cespitem*, hinc apud Virg. Ecl. I. 61. de eiusmodi casa: *tuguri congestum cespite culmen.* — *oppida*, intellige publica oppidorum aedificia, muros et alia, quae ad externum oppidorum vel splendorem vel amplitudinem pertinent. — *novo*, aliunde quaesito et recens exciso. *saxum novum*, opponitur *cespiti fortuito.* Nimirum in agris Romanorum, ubi ante casae humiliores ex cespite constructae steterant, nunc amplissima ex lapidibus quadratis vel marmore surgebant aedificia.

CARMEN XVI.

AD GROSPHUM.

Otium divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura venale neque auro.

v. 8. *nec auro*, *Bentl.* aliique. *R.*

CARMEN XVI.

Scripsit hoc carmen eo praecipue consilio poeta, ut Grosphum a rerum nunc animum eius perturbantium sollicitudine ad tranquillitatis, in qua omnis vitae humanae spectanda sit felicitas, traduceret studium. Sententiarum nexus est fere hic: *Otium*, h. e. securitatem, quietem, et animi tranquillitatem, semper homines flagitant; securitatem quidem, qui in mari tempestatis periculo expositi sunt; quietem populi bellorum laboribus fessi; animi tranquillitatem, neque purpura neque auro venalem, summis honoribus et divitiarum splendore conspicui. Verum enim vero animi tranquillitas iis tantum contingit, qui modica, in qua nati sunt, sorte contenti neque divitias appetunt, neque studiose eas in exteris regionibus quaerunt et sic omnibus curis, assiduis illis cupiditatum comitibus, vacui sunt. Animus tranquillus de iis, quae adsunt, laetatur et sicut futura non curat, ita fortunam adversam moderate fert, cum nihil ab omni parte beatum esse vel Achillis et Tithoni exempla satis doceant; alius alio felicitatis genere gaudet; tu, o Grosphe, es dives, ego parvi agelli sum possessor, sed poeta ultra vulgi invidiam elatus. — Sic equidem in hoc carmine, in cuius sententiis inter se nectendis valde laboratum est, omnia ad consilium, quo illud scriptum esse diximus, commode referri posse existimo. — De *Pompeio Grospho* copiose egit *Sanadonus* supr. ad lib. II. 7.

v. 1—8. *Otium* in latiore sensu, ut iam in argumento ostendimus, tam de securitate, pace et quiete, quam de animi tranquillitate positum; itaque notio cuique sententiae apta inde elici debet. — *prendi* et *deprendi* proprie de nautis, qui subita tempestate in mari opprimuntur; vid. *Bentl.* supr. ad I. 14. 10. — *certa*, ad quae nautae navis cursum tuto dirigere possunt, tuta. Tibull. I. 9. 10: *Ducunt instabiles sidera certa rates.* — *bello furiosa*, bellandi cupiditate, tamquam furore quodam, agitata bellicosissima; hinc Euripid. Hecub. v. 1090. Thraces *Ἄρεϊ κάτοχον γένος* dixit. — *Medi*, Parthi, *pharetra decori*, sagittiferi. — *non venale*, quod non

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et Curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes iaculamur aevo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriae quis exsul
Se quoque fugit?

v. 19. Sic Codd. omnes. *quid terras alio calentes Sole mutamus patria? quis exsul Se quoque fugit?* Vir doctus ap. *Bentl.* et sic *Wakefield* et *Doer.* At nihil mutandum est, ut recte docuit *Bentl.* (cf. *Wunderlich* Observatt. Critt. p. 182 sq.). *R.*

parari potest; sed nunc intelligit Hor. per *otium* animi tranquillitatem, ut satis docent sequentia.

v. 9 — 12. *Non enim* cett. nam neque divitiae, neque honorum insignia curas ex animo pellere valent. — *consul. summov. lict.* suaviter *lictor consularis*, qui Consuli in viis praeire et plebis ibi *tumultuantis* turbam *summovere* solebat, iam non *mentis tumultus summovere*, h. e. non ea, quae turbas in animo movent, sive curas abigere posse dicitur. Senec. Ep. 94: *Non est, quod tibi tranquillitatis tuae fastidium faciat ille, sub illis fascibus purpura cultus: non est, quod feliciorem iudices, cui summovetur, quam quem lictor semita deiicit.* — *Curas — volantes*, de *Curis alatis* egimus in Comment. *de alatis Imaginibus* p. 29. (Goth. 1786.) — *circum tecta laqueata*, intellige tricliniorum inprimis tecta, quae *laqueata* vel *laquearia* et *lacunaria* dicuntur, quod eorum *lacus* vel *lacunae* (*die Füllungen der getäfelten Felder*) auro, opere caelato et picturis exornatae atque distinctae fuerunt; eiusmodi *tecti laqueati* vel *lacunaris* descriptio est apud Ioseph. Ant. Iudd. VIII. 3. 2. ubi tabulae tecti dicuntur fuisse ἐξεσμέναι εἰς φατνώματα καὶ προσκόλλησιν χρυσοῦ.

v. 13 — 16. *parvo*, re modica. — *paternum*, tamquam pars patrimonii, *splendet salinum*, ad externam enim munditiem salinorum inprimis bene politorum splendor pertinebat; vid. *Meurs.* ad Lycophr. v. 135. Comparant Pers. III. 25: *rure paterno Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum.* — *in mensa tenui*, hinc infr. Sat. I, 3. 13: *sit mihi mensa tripes et Concha salis puri* cett. — *leves*, molles, faciles. *sordidus* refer ad sordidam avaritiam.

v. 17 — 24. *Quid brev. fort. iac. aev. multa?* graviter pro vulgari: cur tam multis rebus in brevioris vitae usum nobis parandis tanta omnium virium contentione unice intenti sumus? *iaculari aliquid* pro;

Scandit aeratas vitiosa naves
Cura nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro.
Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare et amara lento

v. 26. *laeto*, Codd. aliquot et sic *Cruq.*, *Torr.*, *leni*, coni. *Bentl.* *R.*

omne studium in aliquid dirigere, ut Graecorum τοξεύειν τι, dictum est; vid. *Mitsch.* — [*quid terr. alio calentes Sole mut.?* Cur terras sub alia caeli plaga sitas petimus? Cur patria relicta in terras exteras discedimus? — Plena esset structura, si adiectus esset ablat. *patria;* noluit tamen hunc addere poeta, cum verba *terras alio calentes Sole* satis indicent, quomodo supplenda sit oratio. *Patria* autem *mutare terras exteras* eodem sensu dictum est ac *patriam mutare terris exteris*, i. e. relicta patria exteras terras adire; quam structuram bene illustravit *Bentl.* comparans. Od. I. 17. 1: *Velox amoenum saepe Lucretilem Mutat Lycaeo Faunus.* Sat. II. 7. 109: *qui puer uvam Furtiva mutat strigili.* — *patriae quis exsul se quoque fugit?* quis patriam fugiens animi simul curas fugit? (Ep. I. 11. 27: *caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* Sat. II. 7. 113: *teque ipsum vitas —; Frustra*). v. *patriae exsul* (ut Ov. Metam. IX. 409: *exsul mentisque domusque*) cum vi quadam opponuntur verbis *Se quoque fugit*; quae elegans oppositio prorsus tollitur, si mutata Codd. lectione scribitur *terras — mutamus patria? — R.*]

v. 21 — 24. *Scandit aeratas* cett. nemo, cui semel adhaeret Cura, eam effugere potest; est enim velocissima et ubique homines comitatur; si quis aufugere vult navi, navem simul conscendit, si quis equo, sedet illa post equitem. — *aeratas*, rostra navium *aere* inprimis munita fuisse constat. — *vitiosa*, cum curae ad vitia humana pertineant, *Cura* quoque, ut persona, per epitheton *vitiosa*, talis, qualis est apud homines, designatur; similiter supr. I. 35. 21. *Fides*, ut persona, *rara* dicitur. — *turmas equitum* explicant vel de militia, vel de itinere terrestri, navali opposito: equidem per *navem* et *equites* simpliciter celerrime fugiendi modum designari existimo; hinc infr. III. 1. 40: *atra Cura post equitem sedere* dicitur. — *agente nimb. oc. Eur.*, Hom. Il. XII. 156: *νιφάδες — Ἄς τ' ἄνεμος ζαὴς, νέφεα σκιόεντα δονήσας, Ταρφειὰς κατέχευεν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.*

v. 25 — 28. *quod ultra est*, futuram sortem, τὰ πόῤῥω. — *Oderit curare*, Ep. I. 16. 52: *oderunt peccare.* — *amara lento risu temperare*, praeclare pro vulgari: tristia moderate vel lento aequoque animo ferre; vir constans enim mediis in malis ridet, et dum hoc risu placido animum *lentum*, h. e. qui malis haud afficitur, prodit, suaviter *amara risu lento temperare*, h. e. mitigare, dicitur. *Mitsch.* Horatium contendit cum ignoti cuiusdam poeta Epigr. DXXXI. Anth. Graec. T. IV. p. 230 (Anth. Pal. I. p. 349): Ὁ τὸν

Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctae

πολυστέναντον ἀνθρώπων βίον Γέλωτι κεράσας Νικαεὺς Φιλιστίων. — *Nihil est ab omn. p. beat.*, laudant Theognid. v. 1159: *Οὐδεὶς γὰρ πάντ' ἐστὶ πανόλβιος.* et Euripid. Fr. Sthenob. I. *οὐκ ἔστιν ὅςτις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ* cett.

v. 29—32. *cita*, maturior, quae fuit Achilli a fato constituta; unde ille apud Homerum *μινυνθάδιος*, *ὠκύμορος* dicitur; cf. Hom. Il. IX. 410 sqq. — *Tithonum*, cf. de eo supr. ad I. 23. 8. — *Et mihi forsan* cett. et mihi fortasse continget felicitatis genus, quo frui tibi non licebit. Respexisse inprimis videtur, ut ex v. 37 sqq. colligas, animum paucis contentum, poesis facultatem et pectus ultra vulgus sapiens. — *hora*, quae tempus futurum et fata futuri temporis subministrat; alias *Horae*, ut deae, anni vicissitudines dispensare finguntur; cf. infr. IV. 7. 8.

v. 33 — 40. *Te greges centum* cett. Tu es multorum gregum, armentorum et equarum nobilium possessor vestesque geris bis colore purpureo tinctas; h. e. tu es longe ditissimus; antiquitus enim, ut satis constat, in magnorum gregum armentorumque possessione spectari inprimis solebant magnae divitiae, unde homines beatiores dicuntur apud Homerum Il. IX. 154: *ἄνδρες πολύῤῥηνες, πολυβοῦται.* — *Te circum mugiunt*, eleganter pro vulgari: tu habes, tu possides cett. [Ad *greges* autem intelligendum est: *circum te balant*, cf. Stat. Silv. IV. 5. 17. Alii *greges Siculaeque vaccae* dictum esse putant pro: *greges Sicularum vaccarum. R.*]. *Siculae vaccae*, Grosphus, ut in armentis suis nobilioris stirpis vaccas haberet, haud dubie arcessi iusserat *Siculas*, praestantia sua ob egregia in Sicilia pascua insignes. — *tibi tollit hinnitum*, pro vulgari: tibi est; *apta quadrigis*, tam generosa, ut quadrigis in certamine curuli aptari s. iungi possit; *equarum* autem praecipuum in certaminibus curulibus usum fuisse vel ex Virg. Georg. I. 59. constat. — *lanae bis Afro murice tinctae*, bis succo muricis infectae; *murex*, e cuius succo parabatur color purpureus, dicitur *Afer*, quod ille ad Africae, Phoeniciae et Laconicae litora capi solebat; hinc *murex Gaetulus* infr. Epist. II. 2. 181. *Tyrius* Epod. XII. 21. *Sidonium ostrum* Ep. I. 10. 26. De vestibus bis colore purpureo tinctis sive dibaphis vid. *Ruben. de Lat. Clav.* II. 14

Vestiunt lanae; mihi parva rura et
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
Spernere vulgus.

CARMEN XVII.

AD MAECENATEM.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec dis amicum est nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.

mihi parva rura cett. obversatum Horatio esse Bacchylidae carmen, cuius Fragm. servavit Athen. XI. 500. (Anthol. Graec. c. XIII. T. I. p. 85.) iam monuit *Mitsch.* — *parva rura*, intellige agellum Sabinum. — *Spirit. Grai. ten. Camen.* tenuem ad modos Graecorum poetarum canendi facultatem (*tenuem*, quia res grandes non attigit. *Baxt.*). — *Parca non mendax*, sors mihi nascenti a Parcis, veridicis illis deabus (C. S. 25.), assignata; Parcae enim nascentibus non solum sortem praedicere, sed etiam destinare dicuntur. Comparant cum Hor. Pind. Ol. VIII. 38. Nem. IV. 66. — *et spernere*, sc. dedit, h. e. concessit mihi hoc, ut spernerem.

CARMEN XVII.

Quanto amore Maecenatem complexus fuerit Horatius, tam expressus in hoc carmine ob iteratas eius de instante sibi morte querelas dolor, quam ratio, qua vanas istas querelas compescere studet, luculenter ostendunt. Itaque Maecenatem de vitae nondum secundum deorum voluntatem exactae fine eo magis desinere tandem queri iubet, cum ille utrique communis futurus sit; se enim post eius mortem diutius in hac vita morari nolle, sed pro sacramento, quod illi dederit, indissolubili plane societatis vinculo una cum eo mortis iter ingressurum esse; huc accedere mirum quendam siderum, sub quibus uterque natus sit, consensum summamque fortunae, qua iam semel uterque mortis periculo ereptus sit, similitudinem; non igitur nunc de morte, sed potius de votis utrique pro vitae servatae beneficio reddendis cogitandum esse.

v. 1—4. *exanimas*, gravius pro: crucias, maceras, ut alias: *enecare.* — *querelis tuis*, sc. de propinqua tibi morte. Constat autem Maecenatem saepe multumque cum adversa valetudine conflictatum esse; Plin. VII. 52: *Quibusdam perpetua febris est, ut Cilnio Maecenati.* — *Nec dis amic., n. mih. te pr.* cett. nec diis, nec mihi placet, te prius mori; dii enim propter virtutes longiorem tibi destinaverunt vitam, ego autem ne vivere quidem sine te possum. — *amicum est*, Graece: *φίλον ἐστί*, placet, vid. *Lambin.* ad h. l. — *columen*, ut Graecorum *βάθρον*, *ἔρεισμα* (vid.

Ah te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimaerae spiritus igneae
Nec si resurgat centimanus Gyges

v. 14. *gigas* (vel *gygas*), Codd. paene omnes et sic *Cruq.*, *Torrent.* At recte viderunt viri docti, nomen proprium hic subesse; plerique igitur scripserunt *Gyges* (quod Muret. Var. Lect. VI. 12. in quibusdam libris se invenisse testatur), alii *Gyas* (quod idem Mur. l. l. in Codd. nonnullis se legisse ait); cf. Hesiod. Theog. 149, ubi *Γύης* alii, alii *Γύγης* legunt. *R.*

Hemsterhus. ad Lucian. Timon. c. 50.), de eo, in quo omnis posita est spes et fiducia; cf. *Cerda* ad Virg. Aen. XII. 59.

v. 5—12. *partem animae*, h. e. *dimidium animae*, ut supr. I, 3. 8. vocat Virgilium. *maturior vis*, mors ante constitutum vitae terminum accelerata; ipsi enim dii, ut v. 2. dicebatur, Maecenatem ante diem mori nolebant. Videtur igitur poeta maturioris mortis causam in nimiam, qua corporis sui vires conficiat Maecenas, sollicitudinem non sine reprehensione aliqua transferre. — *moror*, sc. in his terris. *altera*, ego animae pars altera. — *Nec carus aeque*, siquidem non aeque, atque antea, cum tu, pars mei melior, superesses, carus mihi futurus sim, vitam non amplius iucundam ducam; *nec superstes integer*, sublata nempe altera animae parte. *utramque* (pro: utriusque) *ducet ruinam*, communi casu utrumque detrudet ad inferos, pro vulgari: utrumque ex hac vita auferet, utrique parabit interitum. — *sacramentum*, iusiurandum, quod milites, se nunquam formidinis causa signa deserturos esse, dabant, bene iam transfertur ad fidem, quam Horatius Maecenati, se eum ne morientem quidem deserturum esse, dederat. *Utcumque*, quandocumque, ut supr. I, 35. 23. — *suprem. carp. iter*, similiter loquitur Sophocl. Antig. 806 sqq.: Ὁρᾶτέ με — τὰν νεάταν ὁδὸν στείχουσαν, νέατον δὲ φέγγος λεύσσουσαν ἀελίου. et Simmias Rhod. IV. 4. Anthol. Graec. T. I. p. 137. (Anthol. Pal. I. p. 364): ᾤχεο γὰρ πυμάταν εἰς Ἀχέροντος ὁδόν.

v. 13—16. *Me nec Chimaer.* cett. nihil omnino nec Chimaera igneum spiritum efflans, nec Gyges centimanus (ἑκατόγχειρ) me in Orcum te comitantem a societate tua divellere poterunt. Scilicet in Orcum descensuri incidere debebant in duo ista monstra, Chimaeram et Gygen, una cum aliis in Orci vestibulo stabulantia; vid. Virg. Aen. VI. 285 sqq.: De *Chimaera* vid. supr. ad I, 27. 24. — *resurgat*, mole sua se levet et contra me assurgat; prostratus enim iacebat Gy-

Divellet unquam: sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis.
Seu Libra seu me Scorpius adspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae,
Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Iovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit volucrisque Fati

v. 17. *Scorpios*, *Bentl.*, *Orell.* *R.*

ges in Tartaro, quo cum aliis centimanis Iovis fulmine deiectus fuerat. — *sic potenti Iustit. plac. Parc.* haec nostra ne morte quidem dirimenda societas deorum voluntate decreta est. — *Parcas* nascentibus fata decernere et assignare in vulgus notum; cf. carm. antec. v. 39. Praeclare autem in Parcarum consiliis et societate, ut dea πάρεδρος, apparet *Iustitia*, *Δίκη*, quae a summa, qua res humanas moderatur, potestate *potens* dicitur.

v. 17—32. Sub quibuscumque tandem, tam faustis quam infaustis, sideribus ego natus sum, mirifice certe illa cum iis, sub quibus tu natus es, consentiunt; uterque enim, iam semel ex praesente vitae periculo servatus, simillimam sortem expertus est; ergo (nam haec conclusio inde elici debet) uno eodemque quoque die simul moriemur. De veterum superstitione vitae exitum ex ea, quae sub hora cuiusque nascentis esset constellatio, sive ex horoscopo coniiciendi cf. supr. ad I, 11. 2. Consensus autem siderum, sub quibus Horatius et Maecenas nati esse dicuntur, ponendus est in singulari stellarum tam faustarum quam infaustarum coniunctione, qua factum est, ut vis salutaris unius vim noxiam alterius infringeret. — *Libra*, astrum salutare, at *Scorpius* et *Capricornus* mali ominis sidera. — *me adspicit*, mihi nascenti radiavit et adhuc radiat. *formidolosus*, cuius ipse adspectus formidine implet. — *pars viol. nat. hor.* quae maximam vim in genituram eius, qui in illius adspectu natus est, exercet. — *Capricornus* dicitur *tyrannus Hesperiae undae*, quod tam ortus quam occasus eius procellas comparare putabatur; similiter supr. I, 3. 15. *Notus* dicitur *arbiter Hadriae.* — *tutela Iovis*, sidus tutelare, Iuppiter, *refulgens impio Saturno te eripuit*, contra impii Saturni sidus fulgens, periculo, quod illud tibi portendebat, te eripuit. — *impio — Saturno*, Saturni sideri exitioso (βλαβερῷ); mala enim et pericula significat. Caeterum totum hunc locum expressit Persius V. 45 sqq.: *Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo Consentire dies et ab uno sidere duci. Nostra vel aequali suspendit tempora Libra Parca tenax veri seu nata fidelibus hora Dividit in Geminos concordia fata duorum Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.* — *volucr. Fat.* tarduv. al.

Tardavit alas, cum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas
Aedemque votivam memento;
Nos humilem feriemus agnam.

CARMEN XVIII.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiae

ornate pro: Fatum celeri volatu te petens repressit. — *cum pop. freq. laet. theat. ter crep. son.* publici illius plausus, quo Maecenas a gravi morbo recreatus, cum primum in theatrum prodiisset, a frequente populo exceptus est, meminit quoque supr. I, 20. 3. — *truncus*, sc. arboris; cf. supr. II. 13. *sustulerat*, pro: sustulisset, quasi res vere facta esset; *Zumpt*, Gr. Lat. §. 519. — *Faunus*, villa enim Sabina, ubi Horatius extinctus paene fuerat arboris casu, (cf. supr. II, 13. 10.) in peculiari Fauni tutela fuit; vid. supr. I. 17. *virorum Mercurialium*, poetarum; Mercurius enim *curvae lyrae parens* supr. I, 10. 6. — *humilem*, suaviter *agna* ab humilitate et tenuitate eius, qui eam offert, ipsa *humilis* dicitur.

CARMEN XVIII.

Dum poeta insanum illum luxum, cui labente tum vetere disciplina in magnificis inprimis exstruendis aedificiis indulgebant opulentiores, in hoc carmine ridet atque exagitat, se ut hominem paucis contentum et ingenii sui facultatibus aliis carum atque dilectum multo divitibus feliciorem praedicat. Compara supr. II. 15. ubi eadem fere indignatione in aetatis suae luxum invehitur.

v. 1 — 8. Vulgarem sententiam: „Equidem non possideo, quibus divites superbiunt,“ enumerando quaedam, quibus enormem opulentiorum luxum et magnificentiam sugillaret, egregie exornavit. *Non ebur*, ad externum enim in potentiorum domibus splendorem varia, inprimis ex ebore facta, utensilia pertinebant. — *aureum lacunar*, vid. supr. ad II, 16. 11. — *renidet*, splendet, refulget. Obversatus Horatio videtur Bacchylides XI. 11. 12. Anth. Gr. T. I. p. 84: *Χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε Μαρμαίρουσιν οἶκοι* — *trabes*, intellige superiores columnae partes (*das Gebälk*), nempe *epistylium* (*Unterbalken; Architrab*), *zophorum* (*Friess*), *coronam* (*Kranz, Karniess*), columnae scapo (*Schaft*) eiusque capitulo incumbentes; *Hymettiae*, e marmore Hymetti, montis Atticae, excisae. — de *Hymettii* marmoris nobilitate vid.

Premunt columnas ultima recisas
Africa, neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi,
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.
At fides et ingeni
Benigna vena est, pauperemque dives
Me petit: nihil supra
Deos lacesso nec potentem amicum

v. 8. *clientes*, pars Codd. *R.*

Strab. IX. p. 613. quod primum a L. Crasso Romam advectum esse narrat Plin. XXXVI. 3. Caeterum quod trabes, quae alias fuerunt ligneae, nunc e pretioso marmore factas esse memorat, id quoque ad Romanorum luxum, quem carpit, referendum. Laudant de his trabibus, lapideis quoque et marmoreis, Vitruv. III. 2. et 3. Plin. XXXVI. 8. Plin. Paneg. 54. *premunt columnas*, superimpositae sunt columnis. — *ultima recisas Africa*, factas e marmore in remotiore Africae parte exciso, h. e. Numidico, subnigro et variis maculis distincto. — *regiam Attali*, immensas Attali, regis Pergamenorum, divitias, pro quibusque aliis ingentibus divitiis; *heres ignotus*, nemini, ut heres legitimus, notus, alienus, heredipeta, vulturius; *occupavi*, iusto heredi praeripui; carpit autem nefandam aetatis suae hominum, testamentorum subiectionibus aliisque malis artibus aliena bona sibi vindicandi, cupiditatem. — *Nec Lacon. mih. trah. honest. purpur. client.* nec vestem e lana, purpura tincta, quam mihi clientae honestiores traxerunt, confectam gero, h. e. non purpura fulgeo, non summorum magistratuum insignibus ornatus incedo. *honestae clientae*, intellige matronas ingenuas, quae lanam patrono suo trahendo, tanquam officiorum quodam genere, eius gratiam sibi conciliare student; caeterum quod *honestae* vocantur, cum lanificium servarum alias opus esset, id ad patroni nobilitatem augendam vel maxime facit. *Laconicas*, fuit enim purpura *Laconica*, h. e. e murice, prope oram Laconiae capto, infecta, ob colorem lucidiorem inprimis nobilis; Plin. IX. 36. XXI. 8. XXXV. 6.

v. 9—14. *At fides*, apud Bacchylid. l. l. *ἀλλὰ θυμὸς εὐμενής, Μοῖσά τε γλυκεῖα·* vitae probitatem et integritatem, quam sibi, ut poetae, alias quoque tribuit (cf. supr. I, 22. 1.), commode nunc opponit, quam paulo post describit, divitum improbitati; *ingeni benigna vena*, ingenium ex fonte largo affluens, h. e. ingenii vis largior; *vena* passim pro: fonte; similiter infr. Ep. ad Pis. v. 409: *dives vena*. — *supra*, praeterea, ulterius. *lacesso*, rogo, precibus instans. — *potentem amicum*, intellige Maecenatem.

v. 15 — 22. Nexus sententiarum hic est: dum enim considero, quomodo dies die trudatur et novae semper lunae intereant, nihil in futurae vitae usum molior; sive: reputans enim mecum cursum vitae humanae celerrimum parum equidem de vita futura sum sollicitus. — Cfr. Ammian. XXVI. 12. Anth. Graec. T.

Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novaeque pergunt interire lunae.
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus et sepulcri
Immemor struis domos;
Marisque Baiis obstrepentis urges
Summovere litora,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos et ultra
Limites clientium
Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens deos

III. p. 98. (Anthol. Pal. II. p. 322.): *Ἠὼς ἐξ ἠοῦς παραπέμπεται, εἶτ', ἀμελούντων Ἡμῶν, ἐξαίφνης ἥξει ὁ πορφύρεος.* cf. infr. IV, 7. 9 sqq. — *Tu*, cett. Indignabundus alloquitur senem divitem, qui immemor fugientis temporis ac mortis propinquae splendida adhuc aedificia exstruenda curat. — *locas*, sc. redemtoribus. — *Maris Baiis obstrep. urg. sum. lit.* cett. et quasi tibi non sufficiant possessiones in terra continente, litori adeo maris, Baias alluentis, ulterius promovendo unice intentus es, h. e. in litore sinus Baiani mare adeo summo cum studio aedificiis occupas; *urges summovere*, pro: summo cum studio summoves; *parum locupl. cont. rip.* similiter fere infr. III, 1. 36: *dominus terrae fastidiosus*; notat autem, ut passim alibi, insigne illud luxus genus, quo Romanorum ditissimi tam voluptatis, quam possessionum suarum amplificandarum causa pretiosissima in ipso maris litore iactis in altum molibus exstruerent aedificia sive praetoria, quorum in ipso sinu Baiano exstructorum mentionem quoque facit Virgil. Aen. IX. 710 sqq. ubi cf. *Cerda* et *Heynius*; huc refer eorum piscinas vel vivaria, de quibus supr. II, 15. 3. infr. III, 1. 33 sqq.

v. 23 — 32. Locus sequens mira arte ad indignationem contra improbas divitum cupiditates excitandam adornatus. *Quid, quod*, pro vulgari: imo. — *proximos revellis agri terminos*, terminos revellendo et ulterius promovendo praeter ius et fas vicini agri partem tibi vindicas, quod proprie: *movere s. exarare terminos* dicebatur. — *clientium*, indignum sane facinus, si patronus, quos defendere contra iniuriam debebat, ipse fallit; hinc iam in Legg. XII. Tabb.: *Si patronus clienti fraudem faxit, sacer esto.* — *salis*, pudendae audaciae et insolentiae notionem habet. — *pellitur paternos* cett. imago pulsae divitum vi ab agello suo pauperis familiae deos patrios et sordidos natos in sinu gestantis egregie ad miserationem movendam adumbrata. Horatium ante oculos habuit Quintilianus Decl. XIII. 2: *Postquam proximos quos*

Et uxor et vir sordidosque natos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris, nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum
Tantalum atque Tantali
Genus coërcet; hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit.

v. 30. *fine*, Codd. plerique. *sede*, tres Codd. Cruq. et Cod. Zulich. Sic *Bentl.*, *Mein.* — v. 36. *revinxit*, Codd. nonnulli. *R.*

que revellendo terminos ager locupletis latius inundavit: aequatae solo villae, et excisa patria sacra, et cum coniugibus parvisque liberis respectantes patrium larem migraverunt veteres coloni. — *sordidos*, squalidos, quales fere sunt, quorum parentes cum inopia conflictantur. — *Nulla certior tamen* cett. Iunge: *Nulla tamen aula manet divitem herum certior rapacis Orci fine destinata*, h. e. locorum inferorum destinatis cuique finibus, pro vulgari: mors tamen divites istos et iniustos homines manet certissime. Altera lectio *sede* habuit fortasse auctorem, qui frustra de grammatica esset sollicitus. Nam *finis* haud raro apud optimos quosque scriptores in genere feminino ponitur. Caeterum in eandem sententiam exstat Ammiani Epigr. XIV. Anth. Gr. T. III. p. 95. (Anth. Pal. II. p. 330); ubi avarus quidam vicinorum terminos movere ausus de futura apud inferos paupertate admonetur: *Κἂν μέχρις Ἡρακλέους στηλῶν ἔλθῃς παρορίζων* (h. e. quod Hor. dixit, *proximos agri terminos revellens*), *Γῆς μέρος ἀνθρώποις πᾶσιν ἴσον σε μένει.* — *rapacis*, sic apud Callim. Ep. II. 6: *Ἀΐδης ἁρπακτήρ.*

v. 32 — 40. *Quid ultra tendis?* cur spem vanam ultra vitae terminum prorogas? cur rebus intentus es, quibus tibi morituro frui non licet? — *Aequa tell. paup. recl. reg. pueris*, aliter eandem sententiam expressit supr. I, 4. 13: *recluditur*, sc. sepeliendis. — *satelles Orci*, Charon, qui similiter Leonidae Tar. LIX. 1. Anth. Gr. T. I. p. 169. (Anth. Pal. I. p. 325): *Ἀΐδεω λυπηρὸς διήκονος* dicitur. — *callidum*, *ποικίλον*, *αἱμυλομήτιν*. — *Revexit aur. captus*, fabulam de hoc callido, quo Prometheus Charontem, ut se reveheret, auro corrumpere tentavit, consilio haud dubie tractavit poeta Graecus, quem Hor. secutus est. — *superbum*, divitem. *Tantali genus*, Pelopem, Atreum, Agamemnonem, Orestem. — *hic levare*, cett. iunge: *hic vocatus levare*, h. e. ut levet. *vocatus atque non vocatus*, *κἄκλητος, ἀκλητί.*

CARMEN XIX.

IN BACCHUM.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discentes et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Euoe, recenti mens trepidat metu,

CARMEN XIX.

Bacchi laudes carmine sublimiore celebraturus fingit rem ad altiorem spiritum animo concipiendum aptissimam. In ipsum Bacchum poeta incidit; videt et audit eum in rupe remota Nymphis et Satyris carmina praecinentem; stupet attonitus, sentit dei praesentiam, eius numine impletur, furit et ipsius dei, qui in eius pectus descenderat, ut fas erat, laudes canit. Canit igitur primum tam summa, quibus ille pios sacrorum suorum cultores mactet, beneficia, quam graves poenas, quibus idem sacrorum suorum contemtores, ut Pentheum et Lycurgum, afficiat; deinde maximam, qua saevissima quaeque domet, potentiam; tum insignem virtutem, qua Iovi in ancipiti contra Gigantes proelio adfuerit; denique divinum a Cerbero adeo ei apud inferos praestitum honorem. — Si varios huius carminis colores et sublimitatem, ad quam poeta in *hoc hymno in Bacchum* eniti studet, spectaveris, ei Graeci cuiusdam poetae carmen ex genere dithyrambico, ut infr. III. 25., obversatum esse, vix dubites; huc pertinere videtur Pratinae ὑπόρχημα apud Athen. XIV. 8.

v. 1—4. *rupibus remotis*, sc. ab hominum conspectu et frequentia, solis. *carmina docentem*, choragi quasi carmina praecipientis partes sustinentem. Sic Bacchus canens apparet apud Euripid. Bacch. 150 sqq. cf. Orph. H. LII. 5. et sic pariter Silenus Satyris et Nymphae cuidam carmina praecinit apud Virgil. Eclog. VI. — *credite posteri*, quasi rei tam novae et inauditae fidem de rogaturi sint posteri. — *Nymphasque*, Bacchi olim nutrices, nunc comites (Anacr. Fragm. 2. Bergk. Soph. Oed. Col. 678.); hinc Bacchus infr. III. 25. 14. *Naïadum potens* dicitur. — [*Caprip. Satyr.* In Graecorum mythologia soli *Panes* sunt capripedes (αἰγίποδες); quare *Lanzi* ap. Gerhard del Dio Fauno p. 35. not. 60. corrigendum esse putavit: *Capripedum et Satyrorum.* Sed praeter Horatium Lucretius quoque Satyros capripedes vocat (IV. 584.), unde patet, Romanos poetas minus accurate horum deorum naturam distinguentes ad *Satyros* transtulisse, quod *Panum* proprium erat. *Welcker*, Nachtr. z. Trilog. p. 219. not. 117. *C. O. Müller*, Archaeol. §. 385. — *acutas*, arrectas ad auscultandum; Satyri enim, cum natura sint ὀξεῖς s. περιττοὶ τὰ ὦτα, belluarum instar aures erigunt s. acuunt, ubi cupide et attente aliquid audiunt. *R.*]

v. 5—8. *Euoe*, iam sentiens, se Bacchi numine agitari, exclamat, ut Bacchico furore correpti exclamare solebant; qua quidem exclamatione ad furentis speciem prae se ferendam nihil ab Horatio nunc adhiberi potuit accommodatius. — *recent. mens trep. met.* mens horrore recens immisso tremiscit et quatitur. *Plen. Bacch. pect.* infr. III. 25. 2: *Quo me, Bacche, rapis tui Plenum?* Ovid. Fast. VI. 535: *Fitque sui toto pectore plena dei.* — *turbidum* pro: turbide (cf. Od. I. 22. 23); mixta enim laetitia fuit cum timore et animi perturbatione. *Euoe* (εὐοῖ ut εὐα, εὐάν.) iam, cum vi maiore Bacchum in se ruentem sentit, iterum bacchantis more exclamat deumque, quasi pectus eum ferre et capere nequeat, ut sibi parcat, implorat. — *grav. met. thyrso*, iniecto enim thyrso furorem simul iniicere putabatur Bacchus; a qua graviore thyrsi vi ipse thyrsus nunc dicitur *gravis;* Ovid. Amor. III. 1. 23: *Tempus erat thyrso pulsum graviore moveri*, cf. eundem III. 15. 17. Trist. IV. 1. 43.

v. 9—12. *Fas — est mihi cantare*, pietas in deum, a quo agor, a me exigit, ut cantem, cett. *Thyiades pervicaces*, Bacchas pervicaciter in furore perstantes. *vinique fontem* cett. recenset quaedam munera Bacchi beneficio sacra eius colentibus concessa, ex aureae aetatis, ad quam illa referebantur, ingenio aestimanda. Scilicet Thyiades thyrsis suis e terra aquam, vinum, lac, ex arboribus autem mel elicuisse dicuntur; laudant in hanc rem Euripid. Bacch. 142 sqq.: Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν νέκταρι. ibid. 704 sqq. — [*iterare*, referre, enarrare, ut recte explicuit *Mitsch.* — *R.*].

v. 13—16. *honorem*, insigne honoris, coronam; *coniugis*, Ariadnes, *beatae*, ut deae; dii enim *beati*, μάκαρες· de Ariadne inter deos relata vid. Propert. III. 15. 8. et ibi *Broukh. additum stellis*, de Ariadnes corona stellis inserta vid. Ovid. Fast. III. 459 sqq. Met. VIII. 180. Manil. Astron. I. 323. V. 252. et Hygin. II. 5. *tectaque Penthei* cett. ad Bacchi potentiam, quam cantaturus est poeta, declarandam divinas illas poenas refert, quas ille a sacrorum suorum contemtoribus, Pentheo et Lycurgo, expetiisse, et Penthei quidem (Echio-

Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur! Euoe, parce Liber,
Parce, gravi metuende thyrso!
Fas pervicaces est mihi Thyiadas
Vinique fontem lactis et uberes
Cantare rivos atque truncis
Lapsa cavis iterare mella,
Fas et beatae coniugis additum
Stellis honorem tectaque Penthei
Disiecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

v. 9. *Fas — sit*, coni. *Bentl.* At poeta non rogat deum, ut haec canere sibi liceat, sed furore divino concitatus sentit, sibi fas esse laudes Bacchi cantare. — ibid. *Thyadas* (s. *Thiadas*), Codd. omnes et sic *Lambin*, *Cruq.*, *Torr.*, *Vanderb.;* — *Thyiadas*, scribendum esse docuit *Bentl.*, quem recentiores fere omnes secuti sunt. *R.*

Tu flectis amnes, tu mare barbarum,
Tu separatis uvidus in iugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala;

v. 23. Veram esse Codd. omnium lectionem *Rhoetum* neque scribendum *Rhoecum* (ut fecerunt *Lamb.*, *Cruq.*, *Torr.* al.), egregie demonstravit *Bentleius.* — v. 24. *horribilisque*, coniectura *Bentleii* minime necessaria. *R.*

nis et Agaves filii, regis Thebarum) domum, ruptis vinculis, quibus ibi constrictus tenebatur, disiecisse (cf. inprimis Euripid. Bacch. 633.), Lycurgum vero (Dryantis, regis Edonorum, Thraciae gentis, filium), quod Baccho infestissimus omnes vites per totum regnum exscindi iusserat, in tantum furorem immisisse dicitur, ut filium suum Dryantem interficeret, et ipse sibi falce crura amputaret; vid. *Heyn.* ad Apollodor. III. 5. p. 576.

v. 17—20. *Tu flectis amnes*, tu fluviorum cursum pro arbitrio moderaris et cohibes; respicit autem Orontem et Hydaspen, quos Bacchus thyrso percussos retro flexisse et sicco pede transiisse traditur; vid. Nonni Dionys. XIII. 123 sqq. — *tu mare barbarum*, sc. flectis, quod iam pro: domas. — *barbarum*, h. e. Indicum, victoriarum ex India reportatarum respectu habito; hinc Bacchus apud Senec. Herc. Fur. 903: *domitor rubri maris* dicitur. — *uvidus*, sc. vino, ut *madidus*, (βεβρεγμένος, ὑγρός); sic infr. IV. 5. 39: *dicimus integro Sicci mane die, dicimus uvidi.* — *separatis*, secretis, remotis. — *Tu nodo coërc. vip. Bist. s. fr. crin.* tu viperas *sine fraude* (h. e. quas potentia tua reddit innoxias) mulierum bacchantium crinibus implicas, sive: tua potentia fit, ut bacchantes sine noxa tractent serpentes eosque crinibus suis innectant; *Bistonidum*, mulierum Thraciarum sive Baccharum; *Bistones* enim populus Thraciae, ubi praecipue orgia celebrata esse satis constat. Caeterum de more, quo bacchantes tam comam, quam corpus serpentibus incinxerint, vid. *Voss.* et *Muret.* ad Catull. LXIV. 259. ubi de bacchantibus: *Pars sese tortis serpentibus incingebant.*

v. 21—28. Sententia: te quoque insignem fecit virtus bellica, cuius quidem, cum in pugna illa, qua Gigantes Iovis regnum affectabant, leonis forma indutus unum eorum Rhoetum de caelo deturbares, egregium documentum edidisti; quamquam enim choreis, iocis et ludo aptior, quam pugnis esse videbaris, idem tamen non minus ad bellum utilem te ostendebas. — *per arduum*, per aërem, δι' αἰθέρος. — *impia*, mortalis enim contra deum assurgens impium scelus committit. *leon. ungu. horr. mal.* sequitur Hor. eos, qui Bacchum in leonem conversum contra Gigantes pugnare tradunt. Similiter Bacchus contra latrones pugnans apud Hom. Hymn. in Bacch. v. 44. leonis speciem in

Quamquam choreis aptior et iocis
Ludoque dictus non sat idoneus
Pugnae ferebaris, sed idem
Pacis eras mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

duisse fingitur. — *chor. apt. et ioc. lud.* designatur Bacchus χορευτής, ἐγερσίγελως et φιλοπαίγμων. — *ferebaris*, putabaris a diis. — *sed* pro: tamen, ut passim post: *quamvis* (Markland ad Stat. Silv. III. 3. p. 163). — [*Pacis eras med. belli*, medius eras inter pacem et bellum, h. e. neque paci neque bello unice aptus ad utrumque aeque utilem te praebebas. *Porphyr.*: „tam belli, quam pacis potens eras.“ Qui medium tenet inter duas res ita, ut ad neutram magis inclinet, recte dicitur medius earum; cf. Hor. Ep. I. 18. 9: *Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.* Ov. Metam. X. 174 sq.: *Iamque fere medius Titan venientis et actae Noctis erat spatioque pari distabat utrimque.* Adde Gronov. ad Liv. XXVIII. 6. Similiter de Anco Liv. I. 32. dicit: *Medium erat in Anco ingenium, et Numae et Romuli memor*, h. e. non inclinatior erat Anci animus ad bellum, quam ad pacem. — Caeterum vv. *Pacis erat mediusque belli* dicta sunt pro: *medius eras pacis bellique*, cf. quae annot. ad Od. I. 3. 16. — *R.*]

v. 29—32. Vulgarem sententiam: „Tibi, ut insigni deo, apud inferos adeo magnus honor statuitur,“ egregie exornavit. Fingit enim, Cerberum, belluam alias saevissimam, Bacchi ad inferos venientis adspectu adeo percussum esse, ut caudam atterendo comiter ei adblandiretur et, cum ille inde recessurus esset, pedes et crura eius lambendo summae reverentiae amorisque signum ederet. — *Te vidit*, nimirum tum, cum Bacchus Semeles repetendae causa ad inferos descendisset; vid. Apollod. III. 5. 3. Hygin. Fab. 251. — *insons*, iam innoxius et mitis, qui alias esset immitissimus. — *aur. corn. decor.* de Bacchi cornibus, antiquo illo roboris insigni, praeter *Spanhem. de Usu et Praest. Num.* Diss. VII. T. I. p. 392. et *Burm.* Sicul. T. II. t. 12. copiose disputavit *Broukh.* ad Tibull. II. 1. 3. — *aureo*, hinc Bacchus χρυσόκερως. — *trilingui*, iam Cerberus est triceps, τρικρανής, qui supr. II. 13. 34. dicebatur *centiceps;* ubi cf. not. — *recedentis ore ped. tet. crur.* imago suavissima! Cerberus, qui alias ex Orco recessuros devorasse fingitur (Hesiod. Theog. 771.), nunc Bacchum inde recedentem lambit. — *tetigitque*, de transposita part. *que* cf. Od. I. 3. 16.

CARMEN XX.

AD MAECENATEM.

Non usitata nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates, neque in terris morabor
Longius, invidiaque maior
Urbes relinquam. Non ego pauperum

v. 1. *non tenui*, Codd. duo *Bentl.*, duo *Vanderburgii*, et sic *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Fea*, *Iahn.* — *nec tenui*, Codd. reliqui omnes et pleraeque editiones. *R.*

CARMEN XX.

Immortalem nominis sui gloriam (ut alii poetae, v. c. Ovidius Amor. I. 15.) vaticinatur in hoc carmine Horatius. Ornatum autem ad vulgarem sententiam: „*Nominis mei gloria per totum terrarum orbem semper celebrabitur*" efferendam ab egregie in hanc rem ficta imagine petit. Non amplius, canit, in his terris morabor, nec, ut caeteri mortales, obibo, sed transformatus in alitem enitar ad aethera; iam sentio me fieri cycnum, iam totum terrarum orbem, ut remotissimi quique populi me noscant, pervolitabo; nolite igitur me, ut fato suo perfunctum, vel luctu persequi, vel vano sepulcri honore decorare. — Cum cycnus Apollini sacer sit et ob eius cantum suavissimum (distinguendus est enim *cycnus canorus* ab *olore muto*, vid not. ad Eclogg. Vett. Poett. p. 232.), ipsi poetae passim *cycni* appellentur, (cf. supr. ad I. 6. 2.) sane, cur prae caeteris alitibus in cycnum potissimum mutari voluerit poeta, nemo non intelligit. — Caeterum tam rei imaginem, quam altiorem, quo Horatius in hoc carmine assurgit, spiritum a poeta quodam Graeco traxisse videtur.

v. 1 — 8. *Non usitata penna*, h. e. novis alis, qualibus nec ego adhuc, nec quisquam alius ante me instructus fuit; *nec tenui*, h. e. non alis modicis, sed grandioribus, cycneis nempe. — De commento alarum usu gloriam per loca remotissima dissipandi commode afferunt Theognid. 237. Bekk.: *Σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντον Πωτήσῃ κατὰ γῆν πᾶσαν ἀειρόμενος Ῥηϊδίως... πολλῶν Κείμενος ἐν στόμασι.* Eurip. Fragm. inc. 102. D. — *biformis vates*, ego, cui ut poetae binae formae, tam hominis quam cycni, concessae sunt. — *invidiaque maior*, et maiore gloria elatus, quam ut invideri mihi amplius possit; ultra invidiam elatus. *Non ego paup. sang. parent.* non ego pauperum parentum filius; — patre enim libertino usus est Horatius. cf. eius Vit. ap. Suet. — *sanguis*, de prole et propagine passim. Virg. Aen. VI. 836: *Proiice tela manu, sanguis meus*, ubi vid.

Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo
Nec Stygia cohibebor unda.
Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles et album mutor in alitem
Superne nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.
Iam Daedaleo ocior Icaro

v. 6. 7. *quem vocas Dilecte, Maecenas*, *Acron*, *Comment. Cruq.*, *Lamb.*, *Vanderb.*, *Iahn* al. — *quem vocant*, *Dil. Maec.*, coni. *Bentl.*; *quem notant*, coni. *Klotz.* lect. Venus. p. 227; alii aliter. — v. 11. *Superna*, Codd. nonnulli et sic *Iani*, *Mitsch.*, *Fea*, *Doer.*, *Iahn.* *Superne*, Codd. plerique (*Vanderburgii*, *Feae*, *Orellii* omnes) et pleraeque editiones. Ultima syllaba corripitur, ut apud Lucret. VI. 543. 696. Cf. *Bentl.* ad h. l. — v. 13. *notior*, Codd. nonnulli, ad removendum, ut videtur, hiatum, cuius plura tamen similia inveniuntur apud Hor. exempla. — *tutior*, coni. *Bentl.* et alii aliter; vide annot. — *R.*

Cerda. cf. infr. III. 27. 63. — [*non ego, quem vocas, Dilecte Maecenas.* Ut supra Horatius Od. II. 18. 9 sqq. cum generosa quadam virtutis suae fiducia dicit: *At fides et ingeni benigna vena est, pauperemque dives me petit*, ita hoc quoque loco se pauperem Maecenatis amicitia expeti gloriatur et hoc potissimum nomine immortalitatem sibi pollicetur. Rectissime igitur *Mitscherlichius* atque *Orellius* verba *quem vocas* explicuerunt: „quem amicitia tua dignaris, quem ad te vocas et veri amici loco habes" ac totius loci hanc statuerunt esse sententiam: „ego, qui pauper sum, quem tu tamen propter ingenii facultates intima amicitia amplecteris." Reliquas explicationes ita refutat *Orellius*: Prorsus indigna tali amicorum pari est nonnullorum interpretatio: „Non ego ut homo vulgaris, qualem tu me nunc appellas, dil. Maec., et qualis tibi esse videor, morti ero obnoxius" itemque alia: „quem tu ioco saltem libertini filium appellare soles." Violenter rursus et contra ipsius metri rationem alii cum Scholiastis distrahunt vv. sic: quem tu, Maecenas, soles appellare: Dilecte Horati. — *Nec Stygia cohib. unda*, nec Stygia aqua includar, h. e. nec apud inferos morabor. Od. III. 4. 80: *catenae cohibent Pirithoum.* Od. I. 28. 9 sq.: *habent Tartara Panthoiden.* — *R.*]

v. 9 — 12. *Iam iam resid. crur. asp. pell.* iam incipit corporis mei in cycnum mutatio, pellis fit aspera et *residit cruribus*, h. e. ita contrahitur, ut tenuiora tantum crura ambiat. — *album alitem*, cycnum; *superne*, superiore corporis parte; Ep. ad Pis. 4. — *leves*, refer ad splendidum pennarum cycnearum nitorem.

v. 13—16. Sententia: iam summa velocitate in terras longissime a nobis distantes volabo. — *Iam Daedaleo ocior Icaro*, h. e. iam ut verus ales et veris, non ut Icarus, Daedali filius, cereis, alis instructus, multo velociore volatu cett. — Quod in multis aliis comparationibus tenendum est, ut ex re comparata id

Visam gementis litora Bospori
  Syrtesque Gaetulas canorus
    Ales Hyperboreosque campos.
Me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
  Noscent Geloni, me peritus
    Discet Hiber Rhodanique potor.
Absint inani funere neniae
Luctusque turpes et querimoniae:
  Compesce clamorem ac sepulcri
    Mitte supervacuos honores.

v. 20. *Hiber, Bentl., Fea, Iahn, Mein.* — *Iber*, reliqui. *R.*

tantum, quod unice spectatum est, eliciamus, id quoque de hac cum Icaro instituta comparatione valet. Scilicet Horatius, ut se in verum alitem conversum multo velocius Icaro volaturum esse ostenderet, iam in illo secum comparato non tam ad infelicem eius casum, quam ad eius alas facticias, longe nativis postponendas, respexisse putandus est. Sic mihi quidem hic locus nec reprehendendus, nec emendandus cum *Bentleio* et aliis esse videtur. — *gementis*, refer ad sonitum, quo fluctus ibi franguntur. *Bospori*, intellige Bospori Thracii accolas; *Gaetulas*, Libycas; *Gaetulia* enim pars interioris Libyae. *Hyperb. campos*, extremas Septentrionem versus terras; cf. Plin. H. N. IV. 26.

v. 17 — 20. *Marsae cohortis*, Marsi enim, cum fortissimis Romani exercitus militibus adnumerarentur, vel maxime hosti timendi fuerunt — *Dacus*, cf. supr. ad I, 35. 9. ubi *asper* dicitur. *Geloni*, cf. supr. ad II. 9. 23. *Hiber* s. *Iber*, Hispanus, a fluvio Ibero. *peritus*, sc. literarum, in quarum studio Romanos imitabantur Hispani. — *discet*, cantibus meis attentas aures praebebit. — *Rhodani potor*, Gallus; nam fluviorum accolae ita a poetis designari solent, ut ex iis bibere dicantur; cf. infr. IV. 15. 21. Il. II. 828.

v. 21—24. *Absint inani fun. nen.* cett. ad illud Ennii apud Cic. Tusc. I. 15: *Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu Faxit: cur? volito vivu' per ora virum.* — *fun. inani*, ubi corpus in cycnum mutatum non sepeliri potest. — *turpes*, vultum deturpantes. Ovid. Art. Am. I. 534: *Clamabat flebatque simul, sed utrumque decebat; Nec facta est lacrimis t u r p i o r illa suis.* — *sepulcri mitte supervacuos honores*, noli cogitare de tumulo in honorem meum exstruendo, cum ille, quod corpus meum tegere nequeat, supervacuus sit.

Q. HORATII FLACCI
C A R M I N U M
LIBER TERTIUS.

CARMEN I.

Odi profanum volgus et arceo:
Favete linguis: carmina non prius

CARMEN I.

Praeceptum illud sapientissimum: „*veram hominum felicitatem neque in potentia et honorum splendore, neque in magnarum divitiarum possessione, sed in animo tranquillo et in eo, quod satis est, acquiescente, ponendam metiendamque esse,*“ iam nova in hoc carmine sententiarum gravitate novaque, quam sibi ut saserdoti Musarum tribuit, auctoritate proponit atque commendat. Nexus sententiarum hic est: gravioris argumenti carmen, quod ego cantaturus sum, attento animo percipite: Reges, divites, nobiliores et alii vel gloria, vel gratia populi eminentes, male vulgo in censum feliciorum hominum referuntur; manet enim eos non solum aequa moriendi necessitas, sed iidem quoque, dum vivunt, miseris curis agitantur. Hinc fit, ut medias inter curas nec lautissimarum epularum suavitate delectentur, nec avium citharaeque cantu ad somnum invitentur. Quanto maior igitur est hominis nil nisi quod satis est desiderantis felicitas; is nec marinis tempestatibus, nec ortu casuve siderum minacium, nec grandine, nec nimia pluvia nimiove solis aestu, sterilitatis causis, perturbatur. Videmus nunc quidem divites immensis sumtibus magnifica in maris litore, ut ibi se recreent, exstruere aedificia, sed timor et tristes curae ibi quoque ab iis haud recedunt, imo eos, sive navi, sive equo vectos, ubique sequuntur atque premunt. Quod si igitur nec praestantissimi marmoris, nec nobilissimae purpurae, nec vini optimi, nec unguentorum pretiosissimorum usus quidquam ad curas avertendas valet, cur ego tam stultus sim, ut villulam Sabinam cum aedificiis magnificis, vitae iucunditatem autem et tranquillitatem cum divitiarum molestiis curisque permutem? — Sic ea, quae super huius carminis sententiis, ut parum inter se cohaerentibus, a pluribus disputata sunt, vana et nihili esse facile apparet. — Ante oculos

Audita Musarum sacerdos
  Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
  Clari Giganteo triumpho,
    Cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latius ordinet

v. 9. *Esto ut*, suspic. *Bentl. R.*

habuisse videtur Hor., cum hoc carmen scriberet, Lucr. II. 1—50.

v. 1—4. Verbis sollemnibus ad audientiam sibi faciendam exorditur poeta. Primum igitur abesse iubet homines imperitos et indoctos (*profanum volgus*), quemadmodum sub sacrorum initiis sacerdotes profanos arcebant sollemni formula: *ἑκὰς βέβηλοι!* vel *ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός* (Callim. Hymn. Ap. 2.); *Procul, o procul este, profani* (Virg. Aen. VI. 258.); deinde initiatos, qui sacris his intersint, *εὐφημεῖν* iubet, altera illa sollemni formula usus: *Favete linguis*, h. e. tacendo et male ominatis verbis parcendo; Tibull. II. 2. 1: *Dicamus bona verba: — Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.* Cf. Cic. de Div. I. 45. 102. Apposite ad has formulas Hor. iam se non vatem vel poetam, sed *Musarum sacerdotem* profitetur; sic Ovid. Am. III. 8. 23: *Ille ego Musarum purus Phoebique sacerdos.* — *carmina non prius audita*, h. e. nova, quasi nemo ante eum praecepta tam salubria cecinerit. — *virginibus puerisque*, sc. ut ea discant, et in cantibus sollemnibus repetant; canebat enim puerorum virginumque chorus, quae chori magister (*Musarum sacerdos*) praecinuerat.

v. 5—8. Reges quidem in his terris super alios elati sunt et timentur ab iis, quibus imperant; sed iisdem timendus est Iuppiter, qui eorum pariter, ut olim Gigantum, frangere potest superbiam; errant igitur (nam ita sententia supplenda est), qui reges inter feliciores homines referunt, praecipue ob ea, quae v. 14 sqq. dicuntur. — *in proprios greges*, h. e. populum eorum potestati subiectum; *grex* antique pro populo, hinc *reges ποιμένες λαῶν·* in sententiam laudant Pind. Ol. I. 113: *τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι.* — *Reges in ipsos*, comparant Call. H. in Iov. 75. et 79. 80. Philisc. in Thebanis apud Stob. Florileg. Grot. p. 233. — *Gigant. triumpho*, domitis enim Gigantibus triumphans quasi *Ζεὺς Γιγαντολέτωρ* curru suo invectus dicitur; *Winckelmann*, Monum. ined. p. 9. N. X. — *Cuncta superc. moventis*, primas lineas huius sublimioris ad summam Iovis potentiam designandam imaginis duxit Homerus Il. I. 528—30. in eadem exprimenda multos imitatores nactus; vid. ad Catull. LXIV. 204—6.

v. 9—16. Sunt porro alii, qui vel divitiis vel gloria vel gratia apud populum super alios se extollant, sed omnes illi pariter, ut infimi, ad mortem destinati sunt. — *Est ut, ἔστιν ὡς, ἔστιν ὅπως*, fieri solet, ut, h. e. est sane haec humanae sortis diversitas, ut cett. *viro vir lat. ordin. arbust. sulc.* alius

Arbusta sulcis, hic generosior
  Descendat in campum petitor,
    Moribus hic meliorque fama
Contendat, illi turba clientium
Sit maior: aequa lege Necessitas
  Sortitur insignes et imos;
    Omne capax movet urna nomen.
Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
  Dulcem elaborabunt saporem,
    Non avium citharaeque cantus

v. 17. *Districtus*, Codd. non pauci, et sic *Cruq.*, *Torr.*, *Gesner*, *Vanderb.* — *Destrictus*, reliqui. *R.*

ampliora alio possideat latifundia. *arbusta sulcis ordinare* est: arbores, oleas, vites cett. eiusmodi intervallo inserere sulcis (*ὄγμοις*, vid. *Hermann.* in Comment. Soc. Phil. T. II. p. 259.) sive scrobibus, ut congruo ordine invicem se excipiant; serebantur autem arbores fere in *quincuncem*, cuius adumbratam figuram vid. in *Gesn. Thesaur. s. v. quincunx*, et apud *Voss.* ad Virg. Georg. II. 277. *latius*, ut iam explicuimus, ad latiores agrorum fines referendum. — *generosior*, generis nobilitate clarior. *petitor*, sc. honorum. *morib. hic mel. fama*, alius vitae honestate et meritorum gloria insignior; intellige hominem *novum*, qui *generoso* opponitur. — *meliorque*, cf. quae annotavimus ad Od. I. 3. 16. — *contendat*, certet cum reliquis de obtinendo magistratu. — *Necessitas*, dea (*Ἀνάγκη, Μοῖρα*), quae apud inferos urnam capaciorem, in quam uniuscuiusque hominis sors coniecta fuisse dicitur, eo consilio versare fingitur, ut cuius sors inter versandum exsiliat, ei statim moriendum sit; cf. Od. II. 3. 26. — *insign. et im.* in hanc sententiam cf. supr. I. 4. 13. II. 3. 26. II. 18. 32.

v. 17—24. Huc accedit, quod homines potentiores ob assiduas, quibus anguntur, curas parum suavitatis e vitae suae deliciis percipiunt, imo ne quietum quidem somnum capiunt. — *Destrict. ens. cui sup. imp. cerv. pend.* vulgarem sententiam: „qui semper de imminente sibi periculo trepidat, ei" cett. expressit imagine nudi ensis, cervici impii alicuius impendentis; de qua re nota est historia Damoclis, quam narrat Cicero Quaest. Tusc. V. 21. 61. — *destrictus ensis*, infra Sat. II. 1. 41: *quem* (ensem) *cur destringere coner?* ubi vide, quae de differentia verborum *destringere* et *distringere* notavimus. — *Siculae dapes*, exquisitissimae, qualibus se invitare solebant tyranni Siculi; hinc epulae lautissimae proverbiali locutione dictae sunt *Siculae* seu *Syracusanae;* Plat. de Rep. III. p. 404. D. — *Dulc. elab. sapor.* ita eius palatum afficere poterunt, ut earum suavitatem sapiat; quam pulchre et significanter *elaborabunt* pro *parabunt*, *excitabunt*, positum sit, suus

Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem, quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Haedi,
Non verberatae grandine vineae
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros

v. 23. *umbrosamque*, Codd. omnes. *umbrosamve*, *Iani*, *Mitsch.*, *Docr.*, sine iusta causa. Cf. quae annot. ad Od. II. 12. 6. Iidem scripserunt v. 30. *Fundusve*, quod unus praebet Cod. Lips., et v. 44. (cum *Bentl.*) *Achaemeniumve*, sine ulla Codd. auctoritate. *R.*

quemque sensus docebit. — *Somnum reducent*, efficere poterunt, ut somnus, quem metus expulit, denuo concilietur. — [*Somnus agrestium* cett. Tam verborum collocatio quam sententia suadet, ut iungamus: *lenis somnus agrestium virorum*, i. e. (ut *Acron* explicat) somnus, quo rustici aut lassitudine laboris utuntur aut animi securitate. Si vv. *agrestium virorum* referuntur ad *humiles domos* (quae est vulgaris ratio), somnus lenis frequentare dicitur et casas rusticas et umbrosas ripas et amoenas valles. Nonne autem aditus ad ripas et valles divitibus quoque patet? Ergo poterunt leniter dormire, si volent. Sed lenis agrestium virorum somnus opponitur insomniae divitum; illi leni fruuntur somno, et quidem in humilibus casis et sub arborum umbra et in amoena valle, cum divites ne avium quidem citharaeque cantu atque exquisitissimis deliciis somnum reducere possint. *R.*]

v. 25—32. Qui non plura, quam quibus ad vitam sustentandam opus est, desiderat, is omnibus illis curis, quibus divites, velut mercator, ob tempestatum in mari pericula, et arbustorum dominus, ob iniquam aëris temperiem, sollicitantur, liber atque vacuus est. — *Nec saev. Arct. cad. imp. aut* cett. nec impetus, h. e. vis vehementior saevae tempestatis, quae occasum Arcturi aut ortum Haedi (pro: Haedorum) sequi solet. *Arcturus*, stella in cauda Bootae, quae secundum vulgares rationes astronomicas IV. Cal. Nov. occidit; *Haedi*, duae stellae in laevo brachio Erichthonii, cuius ortus in prid. Non. Octobr. incidit. — *fundus mendax*, fidem fallens, non reddens, quod ei creditum est; similiter infr. Epist. I. 7. 78: *spem mentita seges*. Ov. Met. V. 480: *arvaque iussit Fallere depositum*; cui opponitur *segetis certa fides* infr. III. 16. 30, de quo loquendi genere e re pecuniaria ad agriculturam translato vid. *Stat.* et *Broukh.* ad Tibull. II. 6. 21. et *Heins.* ad Val. Flacc. I. 69. — *arbore nunc aqu. culp.* cett. dum arbor (intellige inprimis oleam, cf. infr. Epist. I. 8. 5.), quae lepide iam insimulatae perfidiae causam apud domi

Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus; huc frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis dominusque terrae
Fastidiosus: sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra Cura.

v. 35. *dimittit*, Codd. nonnulli, et sic *Lamb. R.*

num perorare fingitur, sterilitatis culpam modo in nimias pluvias, modo in nimium aestum, modo in verni frigoris iniquitatem confert. — *torrentia sidera*, intellige Sirii inprimis sidus, sub cuius ortu arbores nimio solis aestu torreri solent; hinc vitium, quod inde trahunt arbores, *sideratio* (ἀστροβολία) dicitur. Plin. XVII. 24: *Proprium siderationis est, sub ortu canis siccitatum vapor, cum insitae ac novellae arbores moriuntur.* Comparant cum Horatio Philemon. apud Stob. Floril. Grot. p. 403: *πάνυ μόλις ὥςπερ τὸ κατὰ χρέος κεφάλαιον, ἐκτίει (sc. ἡ γῆ) τὸ σπέρμα, τοὺς τόκους, ἀνευρίσκουσ' ἀεὶ πρόφασίν τιν' αὐχμὸν ἢ πάχνην, ἵν' ἀποστερῇ.*

v. 33—40. Divites quidem, ut habeant, quo se recreent, magnifica in maris litore, dum vastis in altum demissis molibus fundamenta iaciunt, aedificia moliuntur et piscinas marinas cum iis iungunt cett. — Has piscinas egregie designat sic: *contracta pisces aequora sentiunt*, h. e. pisces sentiunt, se in angustiore maris spatio inclusos esse; de quo luxus genere, in quod graviter invehitur Senec. Epist. 89, cf. supr. ad II. 18. 20. ubi divites *domos struendo maris litora summovere* dicuntur. [Rectius intelligi videtur ipsum mare magnificis aedificiis coarctatum; eadem est hyperbole infra Od. III. 24. 3: *caementis licet occupes Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum. R.*] — *sentiunt*, infr. Epist. I. 1. 84: *lacus et mare sentit amorem Festinantis heri* cett. — *redemtor*, manceps (*Entrepreneur*), infr. Epist. II. 2. 72: *Festinat calidus mulis gerulisque redemtor.* — *frequens cum famulis*, pro vulgari: cum frequente famulorum, h. e. operariorum, turba; per *caementa* (dicta quasi pro: *caedimenta*, a caedendo, ut *ramenta* pro: *radimenta*, a radendo) intellige lapides caesos, sed rudes et informes; nos: *Bruchsteine*, *Schutt*. — *dominus*, qui simul adest, ut operi strenue perficiendo instet; *terrae fastidiosus* dicitur, quod possessionibus suis in continente non contentus est; ut supr. II. 18. 22: *parum locuples continente ripa*. — *Minae*, quasi deae, quae periculorum minis vel malorum instantium terrore homines exagitant. — *decedit aerata triremi*. *Boettig.* bene cum Horatio comparat Menand. apud Plutarch. de Tranquill. p. 466. — *aerata*, epitheton ornans, ut supr. I. 16. 21. — *post equitem*, quando dives, aiunt, corporis animique recreandi causa

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delinit usus, nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,
Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

v. 43. *Delinit*, Codd. plerique, et sic *Bentl.*, *Vanderb.*, *Fea*, *Iahn*, *Mein.*, *Orell.* — *Delenit*, praeter alios *Doer.* — v. 48. *onerosiores*, susp. *Bentl.* *R.*

equo circumvehitur; sed cf. supr. ad II. 16. 22. ubi *Cura turmas equitum non relinquere* dicitur. *atra*, infr. de *cura* Sat. II. 7. 115: *nam comes atra premit sequiturque fugacem.*

v. 41—48. *dolentem*, de divitiis nihil dominum vel aegrotantem vel curis se excruciantem, iuvantibus infr. Epist. I. 2. 47: *Non domus et fundus, non aeris acervus et auri Aegroto domini deduxit corpore febres, Non animo curas.* — *Phrygius lapis*, marmor Synnadicum, ad Phrygiae oppidum, Synnada, excisum, de cuius praestantia et colore vid. Plin. XXXV. 1. Strabo IX. p. 437. et XII. p. 865. — *purpurarum sid. clar. usus*, doctiore ratione pro vulgari: usus purpurarum clariorum sidere, h. e. lucido colore siderum splendorem superantium; comparant Lucret. II. 47—51. — *Falerna vitis*, vinum Falernum; similiter supr. I. 10. 10: *vites Falernae* pro: vino Falerno. — *costum* et *costus* eximii odoris unguentum, quod exprimebatur ab eiusdem nominis frutice in Indiae insula, Patale, nascente; vid. Plin. XII. 12. — *Achaemenium*, Parthicum vel Persicum (a Parthorum rege, *Achaemene*) ideo dictum, quod *costum* a mercatoribus ex India in terram Parthicam et inde, ut merx Parthica, Romam advehebatur; similiter supr. I. 31. 12. unguenta Indica *merx Syra* dicta sunt. — *invidendis*, tam superbis et magnificis, ut invidiam aliorum moveant; similiter fere *aula invidenda* supr. II, 10. 7. — *novo ritu:* nos: *nach dem neuesten Geschmack.* — *operosiores*, tantum curarum molestiarumque creantes, vel: cum tanta laborum curarumque molestia coniunctae. In sententiam cfr. Menand. apud Stob. Flor. Grot. p. 389: *Κρεῖττον γάρ ἐστι — μὴ πόλλ' ἀηδῶς, ὀλίγα δ' ἡδέως ἔχειν, πενίαν δ' ἄλυπον μᾶλλον ἢ πλοῦτον πικρόν.*

CARMEN II.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta
Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo

v. 1. *amici*, Codd. duo Pulmanni, *Lambin.*, *Torrent.*, *Bentl.* Multo vero aptior est plurimorum Codd. et Editt. lectio: *amice*, quam bene defendit *Iani* ad h. l. — v. 5. *Doer.* delendam putavit particulam *et*, explicans: „et quando periculum reipublicae imminet, vitam sub divo agat.“ At qui molestam sub divo vitam agit, non semper id facit propter imminentia pericula (cf. Od. I. 1. 25.), neque, qui in periculis versatur, sub divo potissimum vitam degit. Duas igitur diversas res Horatius puero strenuo praecipit, ut et cum molestia et inter pericula vitam agat. *R.*

CARMEN II.

Cum Romani divitiarum possessione corrupti a priscae disciplinae severitate in mollitiem, luxum aliaque vitia degenerassent, Horatius prima eradenda esse censens pravi cupidinis elementa iuventutem Romanam ad spernendas voluptatis illecebras et recolendum neglectae virtutis studium graviter hoc carmine impellit. Hortatur igitur pueros, ut belli laboribus perferendis mature assueti paupertatem patienter ferre, divitias contemnere, honestum turpi praeponere discant; excitat eos, ut dulce et decorum putent pro patria mori; omnia denique, ad quae eniti debeant, uno complectitur *virtutis* nomine, quae per se semper splendeat et immortalitatis praemio homines afficiat. Laudata ita et commendata virtute separatim in fine pueros hortatur ad pietatem erga deos, quae pariter praemio suo gaudeat, cum impietatis contra certissimam dii poenam repetant. *R.*

v. 1—6. Paupertatis incommoda patienter ferre discat puer militia corroboratus. *Robustus acri militia*, h. e. factus per acrem et strenuam militiam robustior. — *angustam pauperiem*, res angustas, vitam duriorem. — *amice pati*, Graece: *ἀγαπητῶς φέρειν*, h. e. lubenter sive promto parâtoque animo ferre, quod enim fit *amice*, id prompto paratoque animo fieri solet. — *vexet*, premat et fortiter invadat. — Mensura, qua usus est poeta: *Vitamque sub di | vo trepidis agat*, alibi quoque utitur; sic infr. IV. 14. 17. *Spectandus in cer | tamine Martio.*

v. 6—12. Iunge: *Matrona* (honestius pro: uxor) *et adulta virgo* (pro: filia nubilis) *bellantis tyranni prospiciens illum* (h. e. tam egregiae fortitudinis militem) *suspiret* (suspirando in haec verba erumpat): *eheu*, *ne* cett. — *prospiciens*, ut Antigone e moenibus Thebanis apud Euripid. Phoeniss. 90. cf. Hom. Iliad. III. 154. Hesiod. Scut. Herc.

Suspiret, eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.
Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidoque tergo.
Virtus repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus,

v. 9. *heu heu*, *Fea* et *Iahn* e Codd. nonnullis. — v. 14. *Bentl.* de coniect. dedit *consequitur* (atque hoc ipsum in uno Cod. invenit *Cuninghamius*). Rectissima vero est Codd. plurimorum atque Editionum fere omnium lectio: *persequitur* (pro qua pauci tantum Codd. ex vulgari permutatione exhibent: *prosequitur*). Sententia enim haec est: „non missum facit Mors fugacem virum, sed continuo a tergo instat (et cum inevitabilis sit, instando consequitur).“ — v. 16. *timidove*, pars Codd., atque sic *Bentl.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* Rectius reliqui *timidoque*, cf. Od. II. 12. 6. Od. III. 1. 23. — v. 18. *in — contaminatis*, e Codd. nonnullis *Cruquius*. *intaminatis*, Codd. plerique et Editt.; forma antiquior. *R.*

241. — *rudis agminum*, pugnandi inter agmina sive artis bellicae imperitus. — *asperum tactu leonem*, Romanum leoni accessu difficili in pugna simillimum; viri fortis autem cum leone comparatio frequentissima; sic apud Diotimum Ep. IX. in Anthol. Gr. T. I. p. 186. (Anthol. Pal. I. p. 373): *Οὐδὲ λέων ὡς δεινὸς ἐν οὔρεσιν, ὡς ὁ Μίκωνος* cett. Sil. Ital. VII. 401. de Hannibale: *Iam cernes Libycum hunc vallo assultare leonem.* — *cruenta ira*, saevus impetus; *ira* de rabie, qua furunt leones, passim; cf. supr. I, 16. 15. et Lucret. III. 297.

v. 13—16. Spretis voluptatis illecebris dulce et decorum putent iuvenes pro patria mori. — Comparant notissimum illud Tyrtaei: *Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.* — *Mors et fugacem persequitur virum*, ad illud Simonidis (Fragm. 106. Schneidew.): *Ὁ δ' αὖ Θάνατος ἔκιχε καὶ τὸν φυγόμαχον.* — *Nec parcit poplitibus*, hostis enim fugientis poplitibus inprimis caedendis intentus fuit; hinc Numidae apud Livium XXII. 43: *terga ferientes et poplites caedentes stragem ingentem fecisse* dicuntur. Virg. Aen. IX. 762: *Principio Phalerim et succiso poplite Gygen Excipit.* cf. Aen. X. 699.

[v. 17—20. Summum vitae decus est virtus, quae per se semper splendet neque alienis sordibus obsolescit (Cic. pro Sest. 28). Virtutis enim honores certi sunt ac perpetui neque augeri aut imminui possunt populi iudicio. Qui virtute conspicuus est, is secundum Stoicorum doctrinam consul est et princeps in civitate (consul *non unius anni* ut infra ait Hor. Od. IV. 9. 39); etsi igitur repulsam ferat in petendis reipublicae honoribus aut magistratu deposito in otium recedat, perpetuum

Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.
Virtus recludens immeritis mori
Caelum negata tentat iter via,
Coetusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.
Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Volgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus fragilemque mecum

v. 28. *fragilemque*, Codd. et sic omnes ante *Bentl.* editiones; *fragilemve*, emendavit *Bentl.* et receperunt omnes fere recentiores editores. Equidem cum *Vanderburgio* et *Iahnio* retinendum puto illud, quod Codd. praebent; nulla est enim inter haec duo membra oppositio, sed ambo coniuncta plenam efficiunt hominis familiariter cum altero viventis imaginem; cf. Ep. I. 13. 19: *cave ne titubes mandataque frangas.* ibid. 4: *ne studio nostri pecces odiumque libellis importes.* — *R.*

tamen gerit virtutis consulatum, qui neutiquam pendet ab instabili populi favore, sed omni casu maior est. Contra qui virtutis expers est, propria dignitate omnino caret nec ullo honore splendet; nisi quem a populo accepit. *R.*] — *secures* pro *fasces*, et hoc pro summo magistratu.

v. 21—24. Virtus cultores suos a terra in caelum evectos immortalitatis praemio afficit. — *immeritis mori*, immortalitate dignis. — *negata tentat iter via*, plenius pro: negatam viam vel negatum iter tentat, h. e. via caeteris vulgaris conditionis hominibus haud patente ad caelum enititur. cf. Virg. Aen. VI. 130. — *coetusque vulgares*, ignobilioris vulgi turbam. Cic. de Senect. 23: *O praeclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar cumque ex hac turba et colluvione discedam.* — *udam*, humoribus squalentem, vel udis nebulis obductam; hinc apud Val. Flacc. I. 10: *Eripe me populis et habenti nubila terrae.* — *fugiente penna*, dum celeri volatu ad caelum tendit.

v. 25—32. Pueris denique tam pietatis erga deos praemia, quam poenam impietatis ante oculos ponit. — *Est tuta merces*, constitutum est certum praemium (*μισθὸς ἀσφαλής*), *fideli silentio*, ei fidei, quam quis in rebus arcanis reticendis probat. Expressit Hor. Simonidis verba: *ἔστι καὶ σιγᾶς ἀκίνδυνον γέρας*, quae saepe in ore habebat Augustus (Plut. Apophthegm. T. II. p. 207. Fr.). Quale autem silentium intelligi velit, ipse statim adiicit. — *vetabo, qui Cereris* cett. cavebo mihi, ne, qui Cereris mysteria evulgarit, una mecum vel habitet vel naviget; h. e. in impii hominis societate equidem esse nolo. — *Cereris arcanae sacrum*, arcana Cereris sacra, quae summa religione reticenda erant. — *sub isdem trabibus*, ὁμωρόφιος, ὁμότοιχος. Callim. H. in Cer. 118: *Δάματερ, μὴ τῆνος ἐμοὶ φίλος, ὅς τοι ἀπεχθής, Εἴη, μηδ' ὁμότοιχος.* —

Solvat phaselon: saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum;
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

CARMEN III.

Iustum et tenacem propositi virum

v. 29. *phaselon*, multi ac boni Codd., *phaselum s. faselum*, alii. Cf. *Bentl.* ad h. l. — Carm. III. v. 1. *Iustum ac*, Porphyr., et sic *Iani*, *Mitscherl.*, *Fea*, *Doer.* — *Iustum et*, Codd. omnes et pleraeque editiones. — *R.*

phaselus, navicula, qua Aegyptii inprimis utebantur, longior et angustior, a *phaselo* (*Schwertbohne*), cuius formam fere referebat; iam pro quovis navigii genere; *fragilis*, ut Od. I. 3. 10: *fragilem ratem.* — In sententiam compara Euripid. Electr. 1334. — *Saepe Diesp. neglect. incest. add. integr.* Iuppiter enim *neglectus*, h. e. hominum impietate laesus, saepe innocentem scelesto addere, h. e. innocentem, si in societate scelesti est, una cum eo punire solet. Valuit haec de poenis divinis iam apud antiquissimos populos opinio, ideo inprimis, ut homines ob detestabile, quod scelesti apud alios sibi contrahunt, odium a sceleribus committendis deterrerentur, propagata; locus classicus de communi illa veterum opinione est apud Aeschyl. Sept. c. Thebas. v. 606 sqq. — *Diespiter*, Iuppiter, cf. supr. I. 34. 5. — *Raro antec. scel. des. p. Poen. cl.* Vulgarem sententiam: „scelestus enim iustam poenam raro effugit“ aptissima imagine expressit; Poena enim, ut dea scelerum vindex, scelestum claudo vel tardo pede assidue insequi ac raro tantum deserere, h. e. plerumque, etsi sero, consequi fingitur. Notissimum est illud Tibulli I. 9. 4: *Sera tamen tacitis Poena venit pedibus;* multa in hanc sententiam exempla e Graecis inprimis poetis congessit *Mitscherlichius.*

CARMEN III.

Iustitiam et constantiam, quae nulla omnino vi et potentia concuti et a proposito abduci potest, ut eas virtutes, quibus iam olim summis priscae aetatis heroibus, Dioscuris, Herculi, Baccho, Romulo divinus in caelo honor partus sit, popularibus suis exercendas commendat. In qua quidem harum virtutum commendatione quamquam totius carminis summa ponenda est, poeta tamen, ut carmini suo maiorem cum dignitatem, tum sublimitatem pararet, digressioni, quam Romuli suppeditabat exemplum, multo longius, quam ipsi argumento, immoratus est. Fingit enim Iunonem, expiato tandem, quo illa gentem Troianam adhuc eiusque posteros persecuta fuerat, odio cum dii in sollemni consilio de Romulo in coetum deorum recipiendo deliberarent, in hanc sententiam caeteris diis gratissima verba fecisse: „Troia, cuius perfidiam ulciscendi mihi atque Minervae partes datae

Non civium ardor prava iubentium,
Non voltus instantis tyranni

sunt, versa est per Paridem et Helenam in pulverem nec periura domus Priami amplius Graecis resistit; ipsum bellum denique tam diu dissensu nostro extractum compositum est; iam non amplius graves iras in Troianorum nepotes exercebo; iam in Martis gratiam concedam, ut Romulus, quem ille e Troianae originis sacerdote, Ilia, procreavit, deorum ordinibus adscribatur; imo concedam, ut Romani, dum modo eorum imperium per longum mare a terra Troiana seiunctum maneat et loca illa circa Priami et Paridis bustum vasta et inculta iaceant, in quacumque alia regione beati regnent, floreant, de victis populis triumphent, et nominis sui gloriam ad remotissimas terras extendant. Ne multa! totus terrarum orbis Romanorum subiiciatur imperio, modo illi in aeternum veterem Troiam reparandi abiiciant consilium! Troiam enim recidivam vel denuo surgentem iterum bello petam eamque vel munitissimam funditus iterum evertam.“ Hac Iunonis oratione exposita poeta percussus quasi audaciae, qua deorum sermones retulerit, cogitatione repente carmen finit. — Quod ad longiorem poetae digressionem, male a nonnullis reprehensam, attinet, in ea ipsa, qui sensum pulchri habet, huius carminis excellentiam ponendam esse facile sentiet. Scilicet poetae, ut lectores suos in re sterili quoque delectent, studiose ea, in quibus adumbrandis et exornandis ingenii sui vim artemque ostentare possunt, arripere carminibusque suis inserere, inprimis vero, quo nihil ad lectorum animos detinendos efficacius est, personas tam agentes quam loquentes inducere solent. Felicissime igitur poetam artificio illo in hoc carmine usum esse dixerim. Quis est enim, quem in eo non capiat gravissima Iunonis oratio? et quis in aliis poetae nostri digressionibus longioribus, v. c. infr. III. 5. et 27. ea, quae Regulus et Europa loquuntur, sine summa delectatione et admiratione legere potest? Dicebam ab initio, hoc carmen in laudem iustitiae et constantiae scriptum esse Quid? si totum hoc carmen poetam eo inprimis consilio, ut *Augustum tamquam deum deorum ordinibus insereret*, scripsisse dicamus? Est enim haec poetarum lyricorum ars, ut saepius rem ipsam, quam carmine celebraturi sunt, breviter tantum et obiter quasi tangant, eam vero cum caeteris carminis sententiis tam sollerter coniungant, ut eo magnificentius illa exsplendescat. Iam vero quid in Augusti laudem brevius simulque gravius et splendidius dici potuit, quam quod v. 11 et 12: *Quos inter Augustus recumbens Purpureo bibit ore nectar*, de eius divinitate dictum est? Ampliores certe Augusti laudes ne amplissimum quidem carmen complecti poterat!

v. 1—8. *Iust. et ten. propos. vir.* virum probum et in iis, quae semel bona et honesta esse intellexit, inconcusso animo persistentem; laudat igitur eam tantum constantiam, quam vir iustus in rebus iustis probat. — *ardor*, furor; *prava*, intellige res novas, seditiones, et quidquid pravi cives contra civitatis salutem et incolumitatem moliuntur. — *voltus*, minax nempe et torvus. —

Mente quatit solida, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.
Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens

v. 10. Codd. praebent partim *innixus* (s. *innisus*), partim *enisus* (s. *enixus*); illud receperunt *Lambin.*, *Torr.*, al., hoc praeferendum esse docuit *Bentleius*, quem recentiores omnes secuti sunt. „Qui pondus aliquod sustinet, is fulcro *innititur*, ne cadat; qui in altum ascendere conatur, *enititur.*" — *R.*

mente quatit solida, ita impellere et concutere valet, ut mens eius *solida*, h. e. immobilis, de statu suo deiiciatur. Bene ad rem comparant illud Iuvenal. VIII. 79: *Phalaris licet imperet, ut sis Falsus, et admoto dictet periuria tauro.* — *neque Auster, dux inqu. turb. Hadr.* cett. nec rerum physicarum violentia, saevae tempestates et fulminum iactus. — *turbidus*, turbulentus, saevo impetu turbas concitans, ut *turbida procella* Catull. XXV. 4. — *Auster dux Hadriae*, cf. supr. I. 3. 15. et sic *Capricornus* supr. II. 17. 19: *tyrannus Hesperiae undae* dicitur. — *magna manus*, h. e. valida, potens. Similiter de Iove Ovid. Met. I. 595: *Sed qui caelestia magna Sceptra manu teneo;* et Sil. Ital. VII. 371. de ipso Iove fulminante: *Caelone exciderint et magna fulmina dextra Torserit omnipotens;* plura vide apud *Burmann.* ad Ovid. Eleg. in Drus. 224. — *Si fractus ill.* cett. nec, si caelum ruat, eius ruina perterrebitur. Comparant Theogn. v. 849. et Strab. VII. p. 462. Caeterum hunc locum, ut observat *Mitsch.*, in suam rem vertit Senec. Quaest. Nat. VI. 32. et Thyest. 358.

v. 9—16. *Hac arte*, hac inexpugnabili animi in proposito susceptoque consilio perseverantia. *Pollux*, sc. cum fratre *Castore.* — *vagus*, refer ad errores, quibus totum paene terrarum orbem pervagatus esse Hercules dicitur. Euripid. Herc. Fur. 1196: *Οὐκ ἂν ἴδοις Πολυμοχθότερον πολυπλαγκτότερόν τε θνατῶν.* — *enisus* — *eniti* proprie de iis, qui cum nisu ad altiora tendunt. — *arces attigit igneas*, divini honoris in caelo particeps factus est; de Herculis divinitate vid. *Mitsch.* ad h. l. — *Quos inter August. recumb.* cett. h. e. inter quos Augustus, eadem arte ad caelum evectus, iam deus et deorum mensae consors nectarque bibens, divino honore exsplendescit (cf. Ep. II. 1. 15). — *cum diis epulari*, vel *deorum mensae et epulis adhiberi* priscum loquendi genus pro: *inter deos ut deum versari* vel *deorum socium esse;* sic *Hercules*, ut deus, infr. IV. 8. 30: *Iovis epulis interesse* dicitur; cf. Hom. Odyss. XI. 603. Virgil. Eclog. IV. vers. ult. Aen. I. 79. Scite autem poeta, ut Augusto divinitatem virtute partam asserat, eum inter eos deos epulari fingit, quos, ut prisco sermone apud

Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres indocili iugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocuta consiliantibus
Iunone divis: Ilion, Ilion
Fatalis incestusque iudex

v. 12. *bibet*, *Fea* e Codd. Praestat vulgata lectio; cf. *Bentl.* et *Iahn* ad h. l. — *R.*

Cicer. de Legg. II. 8. dicitur: *endo caelo merita locaverunt;* ad hos autem inprimis Hercules, Dioscuri, Bacchus, Quirinus referri solent; cf. infr. IV. 8. 30 sqq. Cicero l. l. et Sil. Ital. XV. 77 sqq. — *purpureo ore*, pulchro ore, quale deo convenit; cf. *Bentl.* ad h. l. — *Mitsch. os purpureum* de eo, cui nectaris purpurei color inter bibendum affundatur, argute magis quam vere explicat. — *te merentem*, dignum, qui in caelum eveharis, te praebentem; Ovid. Trist. V. 3. 19. de Baccho: *Ipse quoque aethereas meritis invectus es arces, Qua non exiguo facta labore via est.* — *tuae tigres vexere*, Bacchus enim post Indiam perdomitam (cf. supr. II. 19. 17.) ut victor triumphans curru tigribus iuncto ductus (Sil. Ital. XV. 79—81: *Quid, cui, post Seras et Indos Captivo Liber cum signa referret ab Euro, Caucaseae currum duxere per oppida tigres?*) et hac triumphali specie ad caelum quoque evectus esse fingitur. Similiter Ariadne apud Propert. III. 17. 8. Bacchi *lyncibus in caelum vecta* traditur. — *indocili*, bene ad tigridum, quas Bacchus condocefecerat, feritatem designandam. — *Martis equis*, Ovid. Fast. II. 496. de *Romulo* in caelum vecto: *Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus aether: Fit fuga; Rex patriis astra petebat equis.* cf. Met. XIV. 805—828. — *Acheronta fugit*, observent tirones poetae artem et copiam, qua vulgare illud: *in caelum evehi* et *deum fieri* variaverit. Theocrit. XVII. 47: *Ἀχέροντα πολύστονον οὐκ ἐπέρασεν.*

v. 17—24. Nexus: Romulus autem Deus factus est tum, postquam Iuno in consilio deorum haec caeteris diis grata verba pronunciaverat; *Ilion, Ilion.* cett. iunge: *Fatalis incestusque iudex et mulier peregrina Ilion, Ilion, cum populo et duce fraudulento mihi castaeque Minervae, ex quo Laomedon deos mercede pacta destituit, damnatum, vertit in pulverem*, h. e. Troia, quae mihi et Minervae ad perfidiae a Laomedonte commissae poenam a populo Troiano et eius rege expetendam tradita et devota fuerat, nunc eversa et deleta est bello, quod Paris per raptum Helenae concitaverat. — *Fatalis*, *Δύσπαρις*, *Αἰνόπαρις*, in fatum (h. e. perniciem) patriae electus; *incestus*, ob turpe, quo Helenae raptu tam hospitii quam coniugii sanctitatem polluit, flagitium; *iudex* invidiose pro: Paris, nunquam enim ex Iunonis animo excidit, ut canit Virgil. Aen. I. 27: *Iudicium Paridis*

Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento.
Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes, nec Priami domus
Periura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit,
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
Iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,

v. 30. *protinus*, Codd. omnes; *protenus*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* — v. 32. *Troica*, Codd. omnes. *Troïa*, cum N. Heinsio *Bentl.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Fea*, *Doer.* — *R.*

spretaeque iniuria formae. — *mulier peregrina*, contemtim pro: *Helena*, quae coniugem Menelaum deseruerat Paridem secuta. — *ex quo destit. deos merc. pact. Laomed.*, de perfidia, qua Laomedon Neptunum et Apollinem mercede, quam iis de commodata sibi in reficiendis Troiae muris opera promiserat, defraudasse dicitur, res nota; vid. Homer. Iliad. XXI. 443 sqq. hinc Virgil. Aen. IV. 542: *Laomedonteae periuria gentis.* — *destituere* eleganter de iis, qui fidem in re promissa fallunt, vel: qui non dant, quod se daturos esse promiserunt; Cic. p. Rosc. Amer. 40: *Roscius socios suos induxit, decepit, destituit.* — *damnatum*, devotum, destinatum, sc. ad poenas, quibus se obligarant hac fraude Troiani, exigendas. Virg. Aen. IV. 699: *Stygiumque caput damnaverat Orco.* — *cum popul. et duc. fraudul.*, fraus enim aliqua commissa *immeritis* quoque *nepotibus* (ut supr. I. 28. 30. dicitur) *nocere* putabatur. — *duce fraudulento*, rege Priamo, qui, quasi fraus a patre admissa ad filium quoque pertineat, *fraudulentus* dicitur.

v. 25—36. *splendet*, sc. forma et externo cultu; Paris enim fuit admodum formosus, *θεοειδής*, (Hom. Il. III. 16.) *εἶδος ἄριστος*, (Hom. l. c. v. 39.) et externi nitoris studiosior; hinc supr. I. 15. 14. curam inprimis in *caesarie pectenda* posuisse dicitur; cf. Hom. l. l. 54. 55. — [Recte iungit *Orellius*: *hospes adulterae Lacaenae* (genit.); vulgo construunt: *hospes splendet adulterae* (dat.). *R.*] *Famosus*, nos: *berüchtigt.* — *Hector. opibus*, Hectoris virtute; *Boettig.* comparat Senec. Troad. 124—129. — *ductum*, extractum in decem annos; *seditionibus*, dissensu, discordia, scilicet aliis diis contra Troiam, aliis pro Troia stantibus; cf. Virgil. Aen. X. 7 sqq. Ovid. Trist. I. 2. 5. — *Protinus*, postea, deinceps; nos: *Forthin.* — *Troïca sacerdos*, Ilia. *Marti redonabo*, donabo et concedam Marti, h. e. ab ira et odio invisi mihi nepotis

Marti redonabo; illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos et adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum.
Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati;
Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum et catulos ferae
Celent inultae, stet Capitolium
Fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas

v. 34. *discere*, Codd. permulti (atque sic *Iani* et *Vanderb.*). Aptior tamen est h. l. vulgata lectio *ducere*. Cf. Od. I. 17. 22. Od. IV. 12. 14. Ov. Metam. XII. 316. — *R.*

in Martis gratiam absistam. Romulus autem Iunoni ex Marte *nepos* est. — *lucidas sedes*, Olympum, *δώματα αἰγλήεντα.* — *ducere*, cf. supr. ad I. 17. 22. — *quietis ordin. deor.* pro vulgari: *ordinibus deorum quietorum;* nam in quiete et tranquillo otio pars divinae felicitatis spectari solebat; hinc apud Sil. Ital. XV. 57: *Atque idem*, (deus) *exemplar lenis mortalibus aevi, Imperturbata placidus tenet otia mente.*

v. 37—44. *Dum*, modo, dummodo; *longus*, epitheton ornans; *inter saev. Il. Rom. pont.* gravius pro vulgari: Romam ab Ilio dividat, disiungat. — *exsules*, posteri Troianorum a terra patria exclusi. — *Dum Priam. Par. bust. insult. arm.* cett. vulgarem sententiam: „dummodo loca illa, ubi Troia stetit, sola et vasta maneant, vel: dummodo nemo ibi, ubi Troia stetit, novam urbem moliatur,“ egregia regionis incultae et desertae descriptione exornavit; qui enim in agris, ubi alta moenia et tecta antea surgebant, armenta errare conspiciunt, et in locis hominum frequentia antea celebribus ferarum latibula animadvertunt, eorum oculis viva sane penitus eversae urbis imago obversatur; cf. infr. Epod. XVI. 10 sqq. et *Mitsch.* ad h. l. Iam vero, cum maxima contumelia affici putarentur sepulti, si quis petulantius eorum sepulcris insultaret, facile apparet, quanto odio Iuno, optans, ut *Priami Paridisque busto insultet armentum*, cum in omnes veteres Troianos, tum in Priamum Paridemque inprimis, flagraverit. — Sic apud Euripid. Electr. 327. Aegisthus contumeliose Agamemnonis busto insultat (*ἐνθρώσκει τάφῳ*); cf. Hom. Iliad. IV. 177. — *celent*, sc. ibi *inultae*, nullis hominum insidiis ibi expositae. — *possit dare iura*, tam potens fiat, ut iura det; *triumphatis*, de quibus triumpharunt.

v. 45—52. *Horrenda*, fortitudine sua timenda; ut supr. I. 28. 4. *horribilis Medus* et infr. Sat. II. 5. 62. *horrendus Parthis iuvenis.*

Extendat oras, qua medius liquor
  Secernit Europen ab Afro,
    Qua tumidus rigat arva Nilus,
Aurum irrepertum et sic melius situm,
Cum terra celat, spernere fortior
  Quam cogere humanos in usus
    Omne sacrum rapiente dextra.
Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tanget armis, visere gestiens,
  Qua parte debacchentur ignes,
    Qua nebulae pluviique rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii

v. 53. *mundi*, *Lamb.* e paucis Codd. Cf. *Bentl.* — v. 54. *tangat*, lectio vulgata. At libri plerique atque optimi habent *tanget*, quod praeeuntibus *Iahnio* et *Orellio* recipiendum duximus. Praedicit enim dea, quid, cum ipsa permiserit, certo sit eventurum, atque hoc ipso vaticinio dictis fidem addit sanctissimam. Cf. similem futuri post praegressum coniunct. usum Od. I. 12. 57. ibique var. lect. — *R.*

— *medius liquor*, intellige fretum Gaditanum, Africam Europamque interfluens. Laudant illud veteris poetae apud Cic. de Nat. Deor. III. 10: *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda.* — *tumidus*, apte de fluvio nimia aquarum copia intumescente et super ripas in agros se effundente. — Designat autem poeta terras, ad quas illo tempore victricia Romanorum arma penetraverant, remotissimas, victoriarum inprimis, quas ex Hispania et Aegypto reportaverat Augustus, in eius laudem et gloriam respectu habito. — *Aurum irrepertum* cett. iunge: *fortior spernere* (Graece pro: ad spernendum) *aurum irrepertum* cett. *quam cogere dextr. rap. omne sacr. in us. hum.*, h. e. Roma antiquae potius frugalitatis studiosa, quam divitiarum undique congerendarum cupida. — *irrepertum* ipse explicat, quod *terra celat.* — *omne sacrum*, sanctissima quaeque. Teles quoque apud Stobaeum XCI. p. 510. 34. ad mala, quae divitiarum cupiditate proferuntur, sacrilegia refert, διὰ κέρδος, aiens, ἱερὰ συλᾶται. — *humanos*, profanos.

v. 53 — 60. *Quicumque mund. term. obst.* quicumque terminus orbi terrarum obiectus est, h. e. quaecumque in extremo terrarum termino posita est regio; — *tanget*, attinget. — *Qua parte debacch. ign.*, *Qua neb.* cett. regionem, ubi aut solis aestus, aut nebularum pluviarumque vis saeviet, h. e. regionem aut zonae torridae aut zonae frigidae subiectam; de zona *torrida* et *frigida* cf. supr. I. 22. 17 sqq. ubi similiter fere de zona frigida: *Quod latus mundi nebulae malusque Iuppiter urget.* — *pluvii rores*, ut δρόσος de imbribus. — *nimium pii*, nimio pietatis in metropolin studio ducti; ad reparandas enim urbes eversas veteres earum incolae pie-

Rebusque fidentes avitae
  Tecta velint reparare Troiae.
Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
  Ducente victrices catervas
    Coniuge me Iovis et sorore.
Ter si resurgat murus aëneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
  Excisus Argivis, ter uxor
    Capta virum puerosque ploret.
Non hoc iocosae conveniet lyrae:
Quo Musa tendis? Desine pervicax
  Referre sermones deorum et
    Magna modis tenuare parvis.

v. 66. *Ductore*, (i. e. conditore murorum) tres Codd., probante *Cruquio.* Vide tamen *Bentl.* ad h. l. — v. 69. *Non hoc iocosae conveniet lyrae*, Codd. plurimi ac praestantissimi, et sic *Cruq.*, *Torrent.*, *Bentl.*, *Vanderb.*, *Iahn*, *Mein.*, *Or.* — *Non haec — conveniet*, e pluribus Codd. recepit *Lambin.* — *Non haec — conveniunt*, e nonnullis Lamb. Codd. *Iani*, *Mitsch.*, *Fea*, *Doer.* Apparet autem, singularem potius numerum offensioni fuisse librariis, quam pluralem, qui propius ad pedestris orationis usum accedit. Singularis eodem modo hic positus est atque Sat. II. 3. 6: *dic aliquid dignum promissis.* — *R.*

tatis officio teneri putabantur; cf. *Boettigerus.*

v. 61 — 68. *Troiae renascens fortuna*, exquisitius pro: fortuna Troiae renascentis. Sententia: quam sortem iam semel a Graecis experta est Troia, eandem illa infausto omine de integro exstructa iterum tristi clade experietur; *renascens*, ut *Pergama recidiva* apud Virgil. Aen. IV. 344. — *ducente catervas*, similiter Iuno *ferro accincta agmen vocare* fingitur apud Virg. Aen. II. 513. — *Coniuge me Iov. et sor.*, laudant notissimum illud Virgilii Aen. I. 47: *Ast ego, quae divom incedo regina Iovisque Et soror et coniux*, ubi vid. *Cerda.* cf. Hom. Iliad. XVI. 432. — *murus aëneus*, firmissimus; hinc infr. Epist. I. 1. 60: *Hic murus aëneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.* Firmissima quaeque enim poetae *ferrea* vel *aënea* faciunt; similiter *moenia Cyclopum educta caminis* de regia Plutonis apud Virg. Aen. VI. 630. — *auctore*, h. e. conditore; Virg. Georg. III. 36: *Troiae Cynthius auctor*; cf. supr. ad v. 22. — *uxor capta — ploret*, cf. Hom. Iliad. IX. 589 sqq.

v. 69 — 72. Subita poetae ad se vel Musam suam conversio et repente compressus impetus, quo se temere ut poetam tenuem ad rem graviorem enarrandam abripi passus sit, mirifice totius carminis sublimitatem auget. Similiter a gravioris rei tractatione Musam suam revocat supr. II. 1. extr. — *pervicax*, ut supr. I. 1. *procax* de Musa, quae temere et audacius aliquid molitur et constanter in proposito persistit. — *magna mod. tenuare parvis*, sublimia carmine tenui ad humilitatem deprimere.

CARMEN IV.

AD CALLIOPEN.

Descende caelo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,

v. 1. *caelo, dic, Cuningh., Iani, Fea* e Codd. nonnullis. — *R.*

CARMEN IV.

Quod in argumento carminis antecedentis dictum est de arte et sollertia, qua poetae lyrici sententiam, in qua totius carminis finis ponendus est, breviter tantum tangere, in caeteris vero ad eam accommodandis et referendis liberius exsultare solent, id in hoc quoque carmine recte diiudicando teneri debet. Nam, si quid video, totius huius carminis, ut ita dicam, cardo vertitur in *laude*, quam poeta *Augusti ingenio literarum studiis exculto* tribuit. Iam vero cum poetae Musas doctrinae magistras faciant ideoque earum laus cum laude doctrinae arcto vinculo coniuncta sit, Horatius Augusti doctrinam et sapientiam laudaturus hanc opportunam in laudes Musarum excurrendi occasionem cupide amplexus est. Exordiens igitur hoc carmen incalescit statim Musarum cogitatione; advocat Calliopen, ut sibi carmen canat; sentit appropinquantis Musae praesentiam, audit dulcissimos eius modos, et hac dulci insania plenus in ipsis Musarum lucis sibi errare videtur; — dum stupet attonitus, reputare secum incipit, quae sibi a prima pueritia Musae praestiterint; narrat igitur, quomodo non solum puer olim in monte Vulture dormiens defensus ab iis contra saevas bestias, sed ex tribus aliis quoque vitae periculis peculiari earundem tutela servatus fuerit. Quibus enarratis animo assurgit et ubique vel apud quosque populos feros et barbaros se tutum ab omni periculo sub Musarum praesidio fore praedicat. Tum ad ea, quae Augustus Musarum favori debeat, transiens, quomodo ille militiae laboribus fessus non solum in earum consortio recreetur, sed ab iis quoque sapientiore consilio regatur et sustentetur, breviter exponit. Ut eo magis autem appareat, quantum praestet potentia consilio et prudentia temperata stultitiae et temeritati eorum, qui nimium viribus suis confisi prae se contemnunt omnia, Gigantum et aliorum, qui graves audaciae suae poenas dederunt, exempla proponit. — Sic in hoc quoque carmine, super cuius consilio tam multa disputata sunt, apte omnia conspirare existimo.

v. 1 — 8. *Descende caelo*, comparant Alcmanis Fragm. apud Hephaest. p. 22: *Μῶσ' ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διὸς, Ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων· ἐπὶ δ' ἵμερον Ὕμνῳ καὶ χαρίεντα τίθει χορόν.* — *caelo*, Musae enim in caelo quoque inter caeteros deos versari finguntur, hinc *Ὀλυμπιάδες* dicuntur Hom. Iliad. II. 491. et Ennio: *Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum.* — *Regina*, ut dea; Calliopen enim ideo reginam dictam

Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharaque Phoebi.
Auditis, an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.
Me fabulosae Volture in Appulo
Altricis extra limen Apuliae

v. 4. *citharaque*, tres vel quatuor Codd.; reliqui omnes *citharave*, quod receperunt *Lamb., Cruq., Torr., Bentl., Vanderb.* At cithara et fides non duae diversae res sunt, quae sibi opponuntur, sed unam exprimunt *lyrae* notionem, ut Virg. Aen. VI. 120: *Threïcia fretus cithara fidibusque canoris.* Unice vera igitur est lectio *citharaque.* — v. 5. *Audiris*, coni. *Fea.* — v. 10. Pro *altricis* permulti Codd. habent *nutricis*, quod recepit *Vanderb.*; sed ortum videtur ex glossemate. Pro *limen Apuliae* legendum suspicatus est Bentl. *limina sedulae*, ut cum Scholiastis per *nutricem* s. *altricem* intelligatur femina. Vide quae *Iahnius* ad h. l. annotavit. *R.*

esse, quod sit, ut illa Hesiodo Theog. 79. dicitur, *προφερεστάτη ἁπασέων*, parum probabile est. — *longum*, explicant: longe duraturum, aeternum; et sic fere *longus somnus* infr. III. 11. 38. sed nihil impedit, quominus *longum melos* de carmine ampliore et copiosiore explicetur; quo longius enim et uberius Musa canebat carmen, eo maior poetae illud audientis debebat esse delectatio. — *acuta*, acutos et claros sonos edente, h. e. *clarisona*, ut eiusmodi vocem appellat Catullus LXIV. 321. — *Auditis?* poeta, quasi vocata e caelo iam ad se descenderit Calliope, videt et audit, quae divino numine pleni audire et videre sibi videntur; quaerit igitur e circumstantibus: *auditis?* scilicet canentem Calliopen. *amabilis insania*, dulcis furor. — *pios*, piis novem sororibus sacros nec nisi piis earum alumnis adeundos; — *amoen. qu. et aqu. sub. et aur.*, ad locorum enim amoenitatem pertinent transeuntes aquae et aurae mitioris flatus.

v. 9 — 20. Ad nectendas inter se sententias supple haec: scilicet a prima pueritia singulari ego fruor Musarum tutela et benevolentia, nam *fabulosae palumbes texere nova fronde me puerum ludo somnoque fatigatum in Volture Appulo*, cum evagatus essem *extra limen altricis Apuliae.* — Rem narrat, quae sibi admodum puero acciderit. Cum lusisset aliquando extra domum patriam in regione adiacente cum aequalibus, in monte Vulture, ubi prae lassitudine somno oppressus fuerat, inter medias saevas bestias salvus et incolumis inventus est. — Cum statim alia, quibus vere Horatium expositum fuisse constat, subiungentur vitae pericula, non totam rem, ut *Boettigerus* credit, ad simile quoddam Pindari de pueritia sua commentum finxisse, sed ea tantum, e quibus se tum a Musis servatum esse appareat, affinxisse videtur.

Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere, mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae
Saltusque Bantinos et arvum
Pingue tenent humilis Forenti,
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis, ut premerer sacra
Lauroque collataque myrto,

v. 16. *Ferenti*, pars Codicum atque sic *Lamb.*, *Torr.*, *Cruq.*, *Bentl.* Praeferendam esse alteram lectionem *Forenti*, recte viderunt recentiores editores. „Forentum enim urbs Apuliae, Ferentum oppidum Etruriae longe dissitum a Vulture monte.“ *R.*

Rem veram igitur re ficta de palumbibus, quae Horatium, ut futurum poetam, lauro et myrto Musarum iussu contra saevas bestias texisse dicuntur, egregie in Musarum laudem exornat. — *palumbes fabulosae*, de quarum ministerio saepe in fabulis fit mentio; sic *columbae* Iovi ambrosiam attulisse finguntur apud Hom. Odyss. XII. 62. — *Volt. in App. Altr. extr. lim. Ap. lud. fat. som.*, h. e. cum in Vulture monte extra patriae Apuliae fines me ita fatigasset ludus puerilis, ut somno opprimerer. — Tenendum est, Venusiam, patriam Horatii urbem, sitam fuisse in Apulia haud procul a finibus Lucaniae. Cum vicinus autem Apuliae mons *Vultur* parte sui aliqua procurreret in Lucaniam, fieri potuit, ut audax puer longius in eo monte progressus *extra limen* (extra fines) *altricis Apuliae* (patriae terrae) evagaretur. — *altricis Apuliae*, ut Ov. Metam. IV. 293: *Idaque altrice relicta.* — *ludo fatigatumque somno* (pro: *ludo somnoque fatigatum*, transposita part. *que*) proprie quidem non somno fatigamur, sed labore aliquo defatigati eo opprimimur; itaque *oppressum*, quod simul in voce *fatigatum* latet, inde elici debet, ut apud Homerum Il. XII. 98: *καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ.* — *fronde*, sc. lauri et myrti, ut ex v. 19. apparet; *nova*, recens nata, viridi; sic *novae frondes* apud Ovid. Art. Am. I. 299. Fast. III. 138. et sic passim *novi flores*, *nova* herba, rosa cett. — *mirum quod foret omnibus* cett. quod omnes Vulturni accolas in stuporem dedit, cum viderent, *ut*, h. e. quomodo, *dormirem* cett. Testes autem huius rei facit incolas trium oppidorum, in montis Vulturni vicinitate sitorum, *Acherontiae*, *Bantiae* et *Forenti.* — *Acherontia*, quod in loco arduo, nidi instar in celsa arbore, exstructa fuit, *nidus celsae Acherontiae* vocatur; ad quam rei similitudinem Cicero quoque (Orat. I. 44.) Ithacam *nidulum in asperrimis saxis affixum* appellat. — *Salt. Bantin.* Bantiam, saltibus cinctam. — *Forenti*, (nunc *Forenzo*) oppidi in valle siti, unde illud *humile* dictum est. — *ut premerer* eleganter pro: uti contegerer. — *collata*, congesta; finge tibi palumbes laurum et myrtum e locis re-

Non sine dis animosus infans.
Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste seu Tibur supinum
Seu liquidae placuere Baiae.
Vestris amicum fontibus et choris
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus unda.

motioribus attulisse. — *Non sine dis*, (*οὐκ ἀθεεί*) sub Musarum tutela. — *animosus infans*, significanter pro: ego. — *animosus*, tam audax, ut ne terrores quidem, qui omnino in nemore inesse perhibentur, expavisset, quin potius ibi solus dormiret. *infans*, qua voce se ipsum h. l. ut puerum significat.

v. 21—28. Quocumque me confero, mihi adestis comites et me ut vestrum alumnum et cultorem vestro fovetis et tegitis praesidio. — Ad quam quidem sententiam exornandam sponte Horatio nunc ea inprimis agrorum loca occurrere debebant, in quae saepius ex urbe animi recreandi causa secedere solebat. — *in arduos tollor Sabinos*, ubi villam suam habebat Horatius; cf. supr. II. 18. 14. — *tollor*, significanter pro: proficiscor, quia in loca ardua proficiscentes per acclivia tolli debent. — *frigidum Praeneste*, hoc quoque Latii oppidum (nunc *Palestrina*) in loco edito situm fuit, unde illud *altum* dicitur Virgil. Aen. VII. 682. cf. Strab. V. p. 348. et ob id ipsum Horatio: *frigidum.* — *Tibur supinum*, (nunc *Tivoli*) in colle leniter assurgente positum, vel, (quod Livius I. 3. de Alba Longa dixit) in montis dorso porrectum; de voce *supinus* in hac significatione vid. *Bentl.* infr. ad Epod. I. 29. — *liquidae* refer ad naturam aquarum, quarum salubritatis causa Baiis, oppido in Campania amoenissimo, Romani, ut satis constat, frequenter commorari solebant. — *Vestr. amic. font. et chor.* pro vulgari: me poetam; ut supr. I. 26. 1. *Musis amicus* cett. — *Philipp. vers. acies retro*, clades illa fusi ad Philippos exercitus; servatam autem in pugna illa funesta vitam, quam supr. II. 7. 13. Mercurii tribuit custodiae, iam causae suae inserviens Musarum tutelae se debere ait. — *devota*, exsecrabilis, *nefasto* scilicet *die* (ut supr. II, 13. 1—2. dicitur,) *posita et sacrilega manu producta.* — *Palinurus*, tempestas, qua olim ad promontorium Palinurum oppressus et ad summum vitae discrimen adductus fui. — *Palinurus* notum in ora Lucaniae prope Veliam promontorium, naufragiis inprimis, quae crebro ibi ad latentes scopulos fieri solebant, infame, ab Aeneae gubernatore, *Palinuro*, dictum. Virg. Aen. VI. 381. *Sicula unda* latiore sensu pro: mari Tyrrheno, cuius pars certe Siciliam praeterlabitur. Caeterum huius periculi, cui poeta in mari expositus fuerit, nulla alibi fit mentio.

Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo et urentes arenas
Litoris Assyrii viator,
Visam Britannos hospitibus feros
Et laetum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,

v. 31. *arentes arenas*, multi Codd. et pleraeque editt. Significantior tamen altera lectio *urentes arenas*, quam receperunt *Fea*, *Vanderb.*, *Iahn*, *Mein.*, *Or.* — v. 38. *abdidit*, Codd. plerique et plurimae editiones; *reddidit*, e Codd. nonnullis *Bentl.*, *Fea*, *Mein.*; *addidit*, cum paucis Codd. *Vanderb.* et *Orelli* (qui coll. Tac. Ann. XIII. 31. ita explicat: „adiunxit tanquam novos colonos.“). Mihi vulgata lectio *abdidit* (quam Scholiastae quoque tuentur) verissima videtur esse, cum hac voce admodum suaviter pingatur summum, cui reddantur fessi milites, otium. Lectio *reddidit* nil nisi glossema est; *addidit* ex scribendi vitio ortum videtur Orelliique explicatio displicet propterea, quod solis veteranis dimissis ac per colonias dispositis non totum statim bellum finitum erat nec quoties bellum finiebatur semper quoque agri militibus dividebantur. Narrat quidem Sueton. Oct. 13., Augustum veteranos post Philippense proelium in Italiam reduxisse et municipalibus agris collocasse; sed tum neutiquam labores finiti erant, imo gravior belli pars restabat. Hic autem aperte significatur armorum cessatio ac dulce pacis otium, quo utebatur Augustus ad literarum studium; fessae igitur militia cohortes non soli sunt veterani, sed omnes copiae, quae confecto bello domum cum Caesare redeunt. „Quotiescumque copias in urbes reduxit, abiectis belli curis, literarum studiis rursus vacat.“ — v. 43. Pro *turmam* plures Codd. praebent *turbam*, sicuti v. 47. pro *turbas* non pauci habent *turmas* (quod receperunt *Cruq.* et *Torr.*) — v. 44. *corusco*, coni. *Bentl.*; multo significantius autem epitheton *caduco*. *R.*

v. 29—36. In vestro comitatu periculosissima quaeque loca tam mari quam terra securo animo adibo, nec ullius barbarae gentis saevitiam timebo. *Utcumque*, quandocumque, dum; *insanientem*, ob ventorum furorem, quo mare ibi concitari solet; *Bosporum*, de Bosporo Thracio, navigantibus infestissimo, cf. supr. ad II. 13. 15. *tentabo*, eleganter pro: audacter adibo; *tentare* enim eleganter dicuntur, qui res periculosas cum audacia et fiducia quadam suscipiunt. — *Lit. Ass. viator*, h. e. iter pedestre faciens per arenarum acervos in Syria; *litus* enim iam, ut Graecorum ϑίν, de arenarum cumulis sive coacervata arenae copia; vid. *Boett.* et *Mitsch.* ad h. l. — *Assyrii* pro: Syrii, ut saepe. Designari autem a poeta putant *Syriae Palmyrenae solitudines*, de quibus vid. Plin. V. 24. 25. — *Britann. hospit. feros*, nam, si verum est, quod Acron ad h. l. observat, Britanni immolare solebant hospites. — *laet. equ. sangu. Concan.*, de hoc barbaro more, quo Concani, Cantabriae in Hispania Tarraconensi populus, sanguinis equini potu delectati esse dicuntur, nihil quidem aliunde constat; sed cum Scythae, quibuscum multa, teste Strabone III. p. 165., communia habuere Cantabri, secundum Virg. Georg. III. 464: *lac concretum cum sanguine equino* potaverint, vel inde, quod Hor. de Concanis memorat, admodum fit probabile. — *Gelonos*, gentem Sarmaticam, amnem Borysthenem accolentes, *pharetratos*, similiter ad eorum feritatem designandam Virgilio Aen. VIII. 725. dicuntur *sagittiferi*. — *Scythicum amnem*, h. e. Tanain, pro Scythis, eius accolis.

v. 37—42. In vestro, o Musae, consortio Augusti quoque animus ex finiti belli laboribus reficitur, h. e. Augustus perfunctus belli laboribus animi recreandi causa literarum studia tractat. De opera in literarum studiis ab Augusto posita testis est Suetonius Vit. Oct. c. 84 et 85. — *altum*, longe super alios elatum, excelsum; Ovid. ex Pont. II. 3. 63. — Eleganter emeriti milites *oppidis abdi* dicuntur, quod ibi militiae officiis liberi adeoque a publica quasi luce remoti in otio vivebant; similiter infr. Epist. I, 1. 5. gladiator rude donatus *agro abditus latere* dicitur (cf. Virg. Georg. III. 95 sq.); nec dissimili ratione apud Ciceronem p. Arch. 6. *literis se abdere* dicuntur, qui, fugientes quasi lucem publicam, in umbra et otio literis tantum sibique vivunt. — *Pierio antro*, quem Musae amant et artibus suis erudiunt, is una cum iis in amoenis recessibus, (qualis inter alios Musis fuit in antro quodam Pieriae, montis in Macedonia), versari et earum cantibus delectari fingitur. — *lene consilium*, respicitur clementia, qua post bella civilia inprimis prudenter Augustum potentiam suam temperasse constat. — *gaudetis*, dum Augustum studiose, quae datis ei consilia, exsequi videtis.

Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium et datis et dato
Gaudetis, almae. Scimus, ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,

v. 42—48. Sententiarum nexus est hic: qui a Musis alieni sunt, insolentius se gerere et mitiora consilia spernere solent; satis enim constat (*scimus ut*), quam graviter impia Titanum ausa ultus sit Iuppiter, cett. Comparant cum h. l. Pindarum Pyth. VIII. de poenis, quae temeritatem et insolentiam maneant, pariter Gigantum exemplo usum; inprimis autem huc pertinet Pind. Pyth. I. 25. Caeterum, quod *Heynius* in Not. ad Apollod. p. 67. observat, geminam de Titanum et Gigantum pugna fabulam posteriores inprimis poetas ob magnam, quae inter utramque intercedit, similitudinem ita inter se confudisse, ut paene in unam confluxerit, id in permixtis Titanum Gigantumque nominibus hic quoque tenendum est. — *impios*, impio ausu contra deos adeo assurgentes; *immanem*, im-

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes regnaque tristia
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.
Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhoeus et validus Mimas,

v. 46. *et umbras*, coni. *Bentl.*; tautologiam enim esse in „*urbes*“ et „*mortales turbas.*“ Sed consulto Horatius *urbes* opposuit inferorum locis, *mortales* divis, terram inertem mari ventoso, ut significaret, totum mundum atque omnia, quae in eo insint, licet natura vel maxime inter se diversa, Iovis unius imperio gubernari. Cf. Od. I. 12. 14 sqq. Caeterum vv. *urbes* et *regna tristia* non iungenda esse arbitror cum praecedenti *temperat*, sed referenda potius ad sequens *regit*, cum hoc satis indicatum videatur particula *et*, quae non sine causa particulae *que* ter repetitae antecedit. *R.*

mani corporum mole se iactantem; *caduco*, decidente, deiecto, ut supr. II. 13. 11: *lignum caducum.* — *inertem*, h. e. immobilem; similiter Horatius terram *brutam* dixit supr. I. 34. 9. ubi confer not. — *regna tristia*, Tartara. — *aequo*, miti et iusto.

v. 49—64. *terror. intul.*, supra II. 12. 7: *unde periculum Fulgens contremuit domus Saturni veteris.* — *horrida*, refer ad externam Gigantum speciem sive ad prodigiosa eorum corpora, multis brachiis horrentia; tribuuntur enim iis vel centum vel mille adeo manus (Ovid. Fast. V. 37.), unde dicti sunt πολυπήχεες, ἑκατόγχειρες. — *fidens brachiis*, ut apud Homerum Iliad. XII. 135: χείρεσσι πεποιθότες. *Fratresque*, Otus et Ephialtes, Aloidae, qui, ut Virgilius quoque Georg. I. 281 et 282. de his *coniuratis fratribus* canit: *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam Scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum.* cf. Aen. VI. 580. Adnumerantur autem nunc Otus et Ephialtes Gigantibus, quod his similia moliti sunt. Inter Gigantes Ephialtes quoque apparet apud Apollodor. I. 6. 2. —

v. 53 sqq. *Sed quid Typhoeus* cett. Sed ne Gigantum quidem ferocissimi Typhoeus, Mimas, Porphyrion, Rhoetus, Enceladus vim et potentiam Minervae, Vulcani, Iunonis, Apollinis sustinere potuerunt. — *Typhoeus* seu *Typhon*, (horrendae figurae monstrum, vid. Hesiod. Theog. 821. Apollodor. I. 6. 3.) quem alii post Gigantomachiam demum ab Iove, quem stolide petierat, deiectum et Sicilia ei imposita perdomitum esse narrant, iam, uti apud Pindarum Pyth. VIII. 16., inter Gigantes apparet. — *Mimas* inter Centauros quidem commemoratur apud Hesiod. Scut. Herc. v. 186., sed idem inter Gigantes quoque occurrit apud Euripid. Ion. 215. cf. Claud. Rapt.

Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evolsisque truncis
Enceladus iaculator audax
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Volcanus, hinc matrona Iuno et
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consili expers mole ruit sua;

v. 55. *Rhoetus*, ut supra Od. II. 19. 23. — *R.*

Proserp. III. 347. — *Porphyrion*, Gigas, terribili forma et saevitia inter caeteros princeps, unde Pindaro l. l. v. 17. βασιλεὺς Γιγάντων appellatur; *minac. statu*, terribili, quo ad pugnam procedebat, gradu; *status* in re gladiatoria de gradu vel eo pedes sistendi modo, quo quis in pugna se adversario opponit; *minaci* refer ad terribilem vastissimi, quo Porphyrion imminebat, corporis adspectum. *Rhoetus*, cf. supr. ad II, 19. 23. *Enceladus*, diversus quidem a Typhoeo, sed cui pariter, ut illi, in pugna contra deos Sicilia sive Aetna superiniecta esse fingitur; Virg. Aen. III. 578. Quint. Calab. XIV. 582. Laus vero de hoc monstro devicto tribuitur Minervae; vid. Apollodor. I. 6. 2. Euripid. Herc. Fur. 908. — *evols. trunc. iacul. audax*, truncos arborum radicitus evolsos ad caelum audacter iaculans. — *sonantem aegida*, h. e. clipeum, cuius ipso sonitu terrorem incutiebat Minerva. — *possent*, efficerent, valerent. — *avidus*, sc. pugnae; Aeneas quoque apud Virg. Aen. XII. 430. pugnandi cupiditate flagrans *avidus pugnae* dicitur. *matrona*, ad Iunonis dignitatem refer. — *Qui rore* cett. Iam Apollinem, ut eius laudem, sicut Iovis v. 45—48., amplificet, a locis, quibus ille praeerat vel ubi praesens numen suum declarabat, uberius, ut solent poetae, designat. — *Castalia*, fons in Parnassi iugo, Apollini sacer; fit autem huius fontis, ubi ut pulcher iuvenis promissos crines lavisse dicitur, ideo inprimis mentio, ut simul eum Musarum praesidem celebret; similiter Apollo infr. IV. 6. 26. *amne Xantho crines lavisse* fingitur. *Lyciae dumeta*, intellige Pataram, oppidum Lyciae, (unde statim ille *Patareus*) ubi Apollo, ut observat Servius ad Virgil. Aen. IV. 144., sex hiemalibus mensibus commorari solebat, uti sex mensibus aestivis in insula Delo, quae per *silvam natalem* designatur, unde *Delius.* — Per *dumeta* autem intellige regionem dumetis, vepribus et virgultis obsitam. Caeterum cum h. l. opportune comparant Pind. Pyth. I. 39.

v. 65—68. *Vis consil. exp. mol. ru. sua.* Comparant in hanc sen-

Vim temperatam di quoque provehunt
In maius; idem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum, notus et integrae
Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.
Iniecta monstris Terra dolet suis
Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum; nec peredit

v. 69. *Gyges*, ut supra Od. II. 17. 14. — v. 70. *Sententiarum notus, et*, disting. *Lamb.*, *Cruq.*, *Torr.* — Caeterum monendum est, *Buttmanno* (Mythol. II. p. 369.) cum propter repetitum ex Od. II. 17. 14. epitheton *centimanus*, tum propter verbum *sententiarum*, nimis referens pedestris orationis colorem, tum propter Gygae mentionem post enarratam Gigantum pugnam admodum incommode hic rursus iniectam, totam hanc stropham v. 69—72 spuriam visam esse. Ac profecto negari nequit, eiecta hac stropha multo aptius sententias se excipere; additur enim statim poena, qua impii illi Gigantes a diis affecti sint. *R.*

tentiam Eurip. ap. Stob. Floril. Grot. p. 207: *Ῥώμη δέ γ' ἀμαθὴς πολλάκις τίκτει βλάβην.* et Pindar. Pyth. VIII. 15: *Βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ.* — *temperatam*, sc. consilio. *idem odere vires*, Euripid. Hel. 909: *μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν.* cf. eundem Orest. 705. — *vir. omn. nef. anim. mov.*, h. e. eos, qui vires haud consilio temperant, sed temere iis confisi nefanda quaevis moliuntur.

v. 69—80. Sententia: vera esse, quae dixi, probant exempla eorum, qui iam olim stolidae temeritatis et impiorum ausorum poenas dederunt, ut Gyges, Orion, Tityus, Pirithous. — *mearum sententiarum* pro vulgari: eorum, quae dixi et monui. — *Gyges*, centimanus, Caeli et Terrae filius, qui cum fratribus suis *Cotto* et *Briareo* a patre in Tartara detrusus et inde ab Iove reductus ei in perdomandis Titanibus auxilio adfuisse perhibetur, (vid. Hesiod. Theog. 617 sqq.) iam, ut Briareus apud Virg. Aen. X. 565. sqq. cum Gigantibus permiscetur; cf. supr. ad v. 43 sqq. — *Orion*, notus venator (vid. supr. II. 13. 39.), qui, cum libidinose sollicitasset Dianae pudicitiam, ab ea sagittis confossus esse dicitur; vid. *Hygin.* Fab. 195. et *Heyn.* Not. ad Apollodor. p. 53. — *notus*, famosus. — *tentator*, *tentare*, (Graecis *πειρᾶν*, vid. *Hemsterhus.* ad Lucian. Dial. D. 6. T. I. p. 217.) de eo, qui pudicitiam puellis eripere tentat. — *iniecta monstris suis*, superiniecta monstrosis suis filiis; *partus*, eos, quos peperit; quod voces antecedentes *monstris suis* magis explicat; *luridum* perpetuum rerum infernarum epitheton; — *nec pered. imposit. ignis Aetnam*, h. e. nec ignis (quem vel Typhoeus vel Enceladus ex Aetnae cavernis evomere credebatur), consumere valet Aetnam ei impositam,

Impositam celer ignis Aetnam,
Incontinentis nec Tityi iecur
Relinquit ales, nequitiae additus
Custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

CARMEN V.

Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens divus habebitur

v. 76. *Aetnen*, e paucis Codd. *Cuningh.*, *Iani*, *Mitscherl.*, *Doer.* — v. 78. Pro vulgata lectione *Relinquit* e pluribus Codd. *Mein.* et *Or.* receperunt *Reliquit*. *R.*

pro vulgari: nec unquam e locis, ad quae detrusi scelerum suorum poenas luunt, se expedire vel liberare possunt. *Tityi*, cf. supr. ad II. 14. 8. — *incontinentis*, a turpi libidine haud se temperantis. *ales*, *nequit. addit. cust.* vultur, cui id datum est negotii, ut tanquam appositus custos assidue adsit Tityo et eius iecur exedendo perpetratae nequitiae poenas ab eo exigat. — *Pirithoum*, Ixionis filium, quem una cum Theseo ad inferos Proserpinae inde rapiendae causa descendisse et ibi, ut temeritatis suae poenam exsolveret, a Plutone saxis alligatum esse narrant; vid. Apollodor. II. 5. 12. et ibi *Heyn.* cf. Diod. Sic. IV. 63.

CARMEN V.

Laus Augusti, in qua extollenda hoc quoque carmen versatur, iam ea inprimis, quae U. C. DCCXXXIV. sub eius imperio facta sunt, complectitur. Illo anno scilicet Phraates, rex Parthorum, solo rumore, se bello ab Augusto petitum iri, ita perterritus esse traditur, ut ad gratiam apud Augustum ineundam captivos et signa militaria (quae Crasso et Antonio ducibus perdiderant Romani), iam saepius frustra repetita, nunc sponte remitteret. Quod cum Augusto esset gloriosissimum et pro insigni de Parthis victoria tam ab ipso quam ab omnibus Romanis haberetur (vid. Dio LIV. 8.), Horatius *Augustum tanquam praesentem Romanae gentis deum*, qui iam tum graves Persas imperio adiecerit, in hoc carmine celebrat. Iam vero cum simul *Britannorum imperio adiectorum* mentionem faciat, in eundem annum incidere videtur, quod de Britannia iam tum maximam partem per dynastarum quorundam studia Romanorum imperio adiecta scribit Strabo IV. p. 138: *οἰκείαν σχεδὸν παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον.* Totam enim insulam sub Claudio demum in Romanae provinciae formam redactam esse satis constat. — Unde ornatum et gravitatem carmini suo peteret, non longe circumspiciendum fuit poetae. Graviter enim, quod ipsius rei ferebat narratio, pudendam istam militum Romanorum ignaviam et impietatem in patriam, qua non eripi sibi solum passi essent signa militaria, sed coniugio adeo in captivitate apud

Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.
Milesne Crassi coniuge barbara

Parthos se iunxissent cum mulieribus barbaris, carpenti et abominanti sponte ea, quae Regulus olim ad prohibendam talem turpitudinem et ignominiam de captivis iudicaverat, succurrere debebant. Itaque ut Reguli de captivis iudicium eo attentius ex ipsius quasi ore audiatur, sistit eum in consilio Senatus Romani praesentem et ea ipsa, quae missus a Carthaginiensibus contra eos suasisse dicitur, verbis gravissimis pronunciantem; quo nihil ad animos priscae virtutis et patriae amore inflammandos fingi et adhiberi ab Horatio potuit efficacius.

v. 1—4. *Caelo tonantem* cett. Sententia: Iovem in caelo regnare iam antiquitus nobis persuasum fuit; nunc vero praeter Iovem in caelo regnantem tanquam praesentem deum in terris colemus Augustum, qui potentia sua Britannos et Persas Romanorum imperio adiecit. — De eo, quod Hor. ad Augusti maiestatem et potentiam magnifice extollendam bipartitum quasi ei cum Iove regnum, huic quidem in caelo, illi in terris assignat, cf. supr. I. 12. 57. et 58. et ibi not. — *tonantem*, per tonitrua enim regnum suum declarare putabatur Iuppiter; hinc supr. Hor. l. l. *Tu gravi curru quaties Olympum*, pro vulgari: tu regnabis in caelo; — *praesens divus*, qui se conspiciendum praebet in terris, qui praesentia sua in terris numen suum declarat; opponitur enim *Iovi in caelo regnanti*. — *adiect. Britann. imper. grav. Pers.* rem auget, ut poeta; vid. argum., nam neque Britanni, neque graves Persae (h. e. Parthi, Romano nomini infestissimi, cf. supr. I. 2. 22.) tum vere et plane in Romanorum potestatem redacti fuerant.

v. 5—11. Vix rem de remissis nunc a Phraate signis Romanorum militaribus et captivis tangere poterat poeta, quin eius animum simul de ignominia ista Romanae gloriae inusta subiret indignatio. Huic igitur primum indulget et postquam gravius in eos, quorum ignavia tam turpiter contaminata sit vetus Romanorum gloria, invectus est, transit ad Reguli laudes, qui Romanae dignitatis memor captivorum redemtionem in senatu olim dissuaserat atque ad atrocissima supplicia redire quam assentiendo foedis pacis conditionibus priscam morum severitatem pessumdare maluerat. Hoc illustri viri fortissimi et constantissimi exemplo proposito graviter monere studet Horatius Romanos de turpi ista ignominia, quam ignavi Crassi milites in se admiserint, hortaturus simul eos, ut duce fortissimo Caesare, qui nunc maculam illam Romano nomini adspersam deleverit, priscae virtutis memores vivant. — *Mil. Crass. coniug. barb. turp. mar. vixit?* Hoccine a se impetrare potuerunt milites Crassi, ut in captivitate apud Parthos patriae suae plane obliti ignominiosum cum feminis barbaris inirent coniugium? [Verba *coniuge barbara* causam

Turpis maritus vixit et hostium,
Pro curia inversique mores!
Consenuit socerorum in armis
Sub rege Medo Marsus et Appulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli

v. 8. *armis*, Codd. omnes praeter unum (Ianii), qui exhibet quod coniecerant T. Faber, Nic. Heinsius, Bentl.: *arvis* (receptum etiam a *Ianio*, *Mitsch.*, *Fea*, *Doer.*). Praestat autem illud, quod satis defenditur loco Flori IV. 10: *Unus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat et salute Latina data ... edocuit.* Huc accedit testimonium Iustini XLI. 2. 5: (Parthi) *exercitum non, ut aliae gentes, liberorum, sed maiorem partem servitiorum habent.* — *Hos* (servos) *pari ac liberos suos cura habent et equitare et sagittare magna industria docent.* Captivis igitur illis Romani nominis oblitis non solum id opprobrio vertitur, quod barbaras feminas in matrimonium duxerint et in Parthorum regno vixerint, sed quod insuper stipendia quoque cum hostibus meruerint. — v. 10. Omittunt Codd. aliqu. part. *et* post v. *Anciliorum* et sic ediderunt *Cruq.* et *Torr.*; non recte. *R.*

indicant, cur *turpis* ille vixerit *maritus;* explica: cum coniux barbara esset, cum coniugem barbaram duxisset. *R.*]. — *vixit*, observa huius verbi vim pro: vivere potuit, nec mortem potius eiusmodi vitae ignominiosae praetulit? — *Pro Curia, invers. mor.* Ah quam turpiter antiqua Senatus Romani auctoritas et antiquus Romanae virtutis honor pollutus est! — Cui non in mentem venit illud Ciceronis: *o tempora, o mores!* — *Consen. soc. in armis*, en dedecus militis Romani, apud gentem barbaram stipendia merentis. — *Medo*, Parthico. — *Marsus et Appulus*, ergo ii adeo milites, quorum fortitudinis laus apud exercitum Romanum alias fuit maxima; hoc nomine supr. II. 20. 18. laudatur *Marsa cohors;* et Virgil. Georg. II. 167. Marsos *genus acre virum* vocat. — *anciliorum*, h. e. imperii, quod *ancilia* aeternitatis suae pignora haberet; e duodecim autem illis scutis, quae a Graeca voce ἀγκύλος ob incurvatam et sinuatam formam dicta sunt *ancylia*, unum inprimis, quod Numa ab Egeria sibi missum esse finxerat, ideo a Romanis religiosissime cultum esse constat, quod, ubi illud esset, ibi summa imperii fore putabatur. — Caeterum *anciliorum* rarior est forma pro *ancilium* a v. *ancile.* — *togae*, quam antea ut Romanus, tanquam Romanae dignitatis et libertatis insigne, gesserat. — *Incolum. Iov. et urb. Rom.* praecipue cum sub Iovis tutela Capitolium et urbs incolumitate sua adhuc gaudeat; — per *Iovem* designatur Iuppiter Capitolinus et is pro ipso *Capitolio* dictus est.

v. 13—24. *Hoc caverat mens prov. Reg.* cett. Nexus: *hoc*, ne miles Romanus spe redemtionis turpem captivitatem honestae morti praeferret, cavere olim studuerat

Dissentientis conditionibus
Foedis et exemplo trahentis
Perniciem veniens in aevum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris et arma

v. 15. Pro Codd. omnium lectione *trahentis* de coni. *Canterus* dedit: *trahenti* (i. e. quod traheret), et hoe receperunt *Lamb.*, *Bentl.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* (*Bentl.* tamen mavult: *exempli trahentis*). Sed nihil est mutandum. Vide ann. — v. 17. *perirent*, coni. Glareanus, cum haec una exceptio sit apud Horatium thesis brevis in priore versus Alcaici ordine. *R.*

Regulus, dum captivos neutiquam redimendos, sed sine omni miseratione hosti relinquendos esse censuit. — Rem notam de Regulo Cic. Offic. I. 13. breviter narrat sic: *Regulus primo bello Punico captus a Poenis cum de captivis commutandis Romam missus esset iurassetque se rediturum; primum ut venit, captivos reddendos in Senatu non censuit; deinde cum retineretur a propinquis et amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.* — *Hoc*, ne quis in posterum vitam ex captivitate speraret, sed potius pro libertate moreretur. — *mens provida Reguli*, prudens consilium Reguli, providentis, quam perniciosa futura esset reipublicae ignavorum militum redemtio. — *Dissent. condit. foed.* cett. dum foedas de redimendis captivis conditiones dissuadebat. — *Foedis*, aequiores quoque illas conditiones, quas de captivis vel commutandis vel redimendis Carthaginiensium nomine nunc ferebat Regulus, ideo vocat *foedas*, quod omnes, qui non mortem captivitati praetulerint, foedae ignaviae milites babet, et proinde quasque de his redimendis latas conditiones, ut rem foedam et pessimi exempli, damnat. — Sed ne forte Regulum foedae istius captivitatis, de qua sermo est, consortem ita loqui et suadere mireris, imperatoris fortunam non a sola ipsius, sed a communi militum virtute pendere, cogita. Nam si fortissimum ducem Regulum secuti fuissent milites, quis eum non una cum illis in media hostium agmina irrupturum, et honestam pro patria mortem longe foedae captivitati antepositurum fuisse sibi non persuadeat? [*exemplo trahentis Pern.* etc. Alias quidem exemplo trahit perniciem is, qui perniciei auctor est; hic autem intelligendum esse eum, qui *mente* perniciem exemplo trahat ad posteros, satis declarat apposita sententia „*Si non periret* etc. Praevidebat Regulus, si redimerentur captivi, exemplo perniciem ad posteros propagatum iri; ipse igitur quodammodo propagabat tali exemplo perniciem ad posteros, cum oritura inde mala praediceret. Recte sententiam expressit *Acron*: „in futurorum perniciem processurum, si tale deduceretur exemplum Romanis non pereuntibus, qui capi poterant." *R.*]. — *Signa et arma affixa delubris*, veteres enim, ut satis constat, spolia

Militibus sine caede, dixit,
Derepta vidi, vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero
Portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,

v. 21. *Direpta*, Codd. fere omnes et sic *Cruq.*, *Vanderb.* — v. 23. *clusas*, e paucis Codd. *Cuningh.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* — *R.*

hostium ut *ἀναθήματα* in templorum fastigiis suspendere solebant. — *sine caede*, graviter de militibus ignavis, qui nec hostem caedunt, nec ab eo caeduntur, sed sine caede statim hosti se dedunt. — *civium tergo libero*, pro vulgari: tergo liberorum civium; quod autem Regulus se liberos cives Romanos manibus in tergum revinctis vidisse ait, id cum contumeliosissimum haberetur, ad Romanorum animos exacerbandos egregie accommodatum est. — *Portasque non claus. et arv. col.* vulgarem sententiam: „et Carthaginienses nihil Romanos curantes in summa securitate vivere," apta securitatis imagine adumbravit; ubi enim urbis alicuius incolae hostem non timent, ibi apertis portis libere et secure agris colendis operam dare solent. Infra in Epist. ad Pis. v. 199: *apertis otia portis.* — *populata Marte nostro*, Regulus enim ante ignominiosam illam cladem, quam militum suorum ignavia accepit, splendide Carthaginienses vicerat et eorum agros usque ad Carthaginis fere muros depopulatus fuerat.

v. 25—36. *scilicet*, eleganter hac particula utuntur, qui, quod ita esse, vel futurum esse, vel fieri omnino posse negant, cum sarcasmo quodam affirmant. — *auro repensus*, exquisitius pro: auro appenso redemtus. — *Flagitio additis damnum*, (Eur. Rhes. v. 102: *Αἰσχρὸν γὰρ ἡμῖν καὶ πρὸς αἰσχύνῃ κακόν*), h. e. flagitium ab ignavis militibus in patriam commissum augebitis damno, si eos redimitis; *damnum* autem tam in redemtionis pretio, quod perdatur, quam in timenda ab hoc pravo exemplo antiquae virtutis corruptela ponendum est. — *nequ. amiss. col. Lan. ref. med. fuc. Nec* cett. Vulgarem sententiam: „Quemadmodum lanae tinctae non restitui potest pristinus color vel candor, ita nec virtus in animum semel corruptum redit," vel brevius: „non elui potest ex animo vitium, quo semel ille imbutus vel infectus est," egregie poeta exornavit. — *medicare*, ut *φαρμάσσειν* apud Graecos, passim pro: tingere, inficere; sic *medicatum vellus ahenis* apud Ovid. Rem. Am. 707. — *fucus* (*φῦκος*) herba marina, cuius succo lana, purpura tingenda, primum imbui (nos: *gegründet zu werden*) solebat, ut sic tam accipiendo quam firmiter

Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus,
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret, inscius
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!
Fertur pudicae coniugis osculum

v. 33. *dedidit*, coni. *Bentl.*, quia nemo unquam dixerit: „se credere hostibus.“ Recte contra *Mitsch.*: „*credidit se* multo acrius quam dedidit se, tradidit se hostium potestati; cui graviter opponitur *perfidis*.“ — v. 38. Codd. non pauci pro *inscius* praebent *aptius*, quod ex interpretamento verbis *unde vitam sumeret* adscripto ortum videtur. *Bentleius* totum locum ita constituit: *timuitque mortem Hinc, unde vitam sumeret aptius; Pacem et duello miscuit.* *R.*

tenendo colori purpureo praepararetur; vid. *Boettig.* ad h. l. et quos laudat *Gesn.* ad Quint. p. 634. et *Beckmanni Beiträge zur Geschichte der Erfind.* T. I. p. 336 sqq. Eodem sensu *venenum* infr. Epist. II. 1. 207: *Lana Tarentino violas imitata veneno.* — *refert*, denuo ostendit, recipit. — *amissos colores*, candorem puta. — *curat repon. deterior.*, redire cupit in pectora eorum, qui deteriores facti sunt; sententia: qui semel a verae virtutis studio recesserunt ignavia corrupti, ii nunquam ad bonam frugem se recipient, sed pro perditis habendi sunt. *curat reponi*, pro vulgari: se reponi patitur. — *Si pugnat extricata* cett. Sententia: si fieri potest, ut cerva retibus expedita timiditatem suam deponat et forte animal evadat; tum fieri quoque posse crediderim, ut milites nostri ignavi, qui se capi et vinciri passi sunt ab hostibus, evadant viri fortes et novo proelio Carthaginienses vincant. *se credid. hostibus*, sc. deditione. *restrictis*, retortis (cf. v. 22.) et in tergum vinctis. — *iners*, de homine lenti animi, qui contumelia non afficitur.

v. 37—40. *Hic, und. vit. sum.*, *inscius*, ignavus iste, qui omnem salutis spem in sola virtute et armis ponendam esse haud didicerat. — Romanus enim miles sentire debebat, ut Aeneas apud Virgil. Aen. II. 353. 4: *Moriamur et in media arma ruamus; Una salus victis, nullam sperare salutem.* — *Pacem duello miscuit*, dum iste, ubi pugnare debuerat, de vita sibi condonanda cum hoste egit. — *probr. alt. Ital. ruin.* Carthago, dum imperium Romanum probrosa militum ignavia destruitur, eo altius caput suum extollit.

Parvosque natos ut capitis minor
Ab se removisse et virilem
Torvus humi posuisse voltum,
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque maerentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet; non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem,

v. 43. *a se*, editiones pleraeque ante *Bentl.*, Codd. meliores et Edit. princeps habent *ab se*, quod nunc in plerisque legitur editionibus. — *R.*

v. 41—48. *ut capitis minor*, ut homo, qui captivitate non solum liberi civis iura amisit, sed servus adeo factus est; dicebantur eiusmodi homines *deminuti capite* (vid. Liv. XXII. 60. ubi Manlius captivos, ut redimerentur, ab Hannibale missos, ut *deminutos capitis*, *abalienatos iure civium et servos Carthaginiensium*, haud redimendos esse censet), et ipsa eorum conditio *capitis deminutio*, quae fuit triplex, *maxima* quidem, ut Reguli nostri *capitis deminutio*, cum cives captivitate vel alio modo non solum civitatem et libertatem perderent, sed adeo servi fierent; *minor* vel *media*, cum civium tantum ius amitterent; *minima*, cum, pristinae familiae iure amisso, adoptione in aliam transirent; *ab se removisse*, ne ut servilis conditionis homo eos quasi contaminaret osculando vel contingendo. — *viril. torv. hum. pos. volt.* en praeclaram magni Romani imaginem! Regulus, ipse captivus, ne captivi redimantur, Senatui Romano auctor, cum senatores de capiendo consilio fluctuare et cunctari videt, generosius indignatur et hanc indignationem iam non verbis, sed vultu humi deiecto viriliter prodit! — *nunquam alias dato*, quale nullus unquam in suam ipsius perniciem tam generoso animo dedit. — *egregius*, h. e. egregii et singularis exempli.

v. 49—56. *Atqui scieb.*, *quae sibi barb. tort. par.* Cic. Offic. III. 27: *Nec vero ignorabat*, *se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci.* Respicit scilicet Horatius crudelissima illa supplicia et tormenta, quibus Regulus, cum Carthaginem reversus esset, affectus et necatus esse traditur; quorum descriptionem lege apud Sil. Ital. VI. 539 sqq. — Extitere autem post *Palmerium* in *Exercit. ad App.* (cf. edit. *Schweigh.* Vol. III. p. 392.) plures, qui vulgarem de Reguli suppliciis narrationem in dubitationem vocarent et totam rem ad invidiam contra Carthaginienses augendam confictam esse contenderent; vide inprimis, quae nuperrime docte et copiose de hac re disputavit *Ruperti* ad Sil. Ital. l. l. p. 395 sqq. —

Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

CARMEN VI.

AD ROMANOS.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris

Quam si client. cett. quam si, ut causarum aliquis patronus, causa tandem, quam non sine magna molestia pro clientibus suis defendendam susceperat, diiudicata, animi sui reficiendi causa in amoenissimam quandam regionem rusticatum iret. — *longa*, et proinde eo molestiore et maiore cum taedio coniuncta. — *Venafran. in agros*, in Campania sitos, pro quavis alia amoeniore regione. — *Lacedaem. Tarent.* cf. supr. II. 6. 11 et 12.

CARMEN VI.

Ad licentiores, quibus tum praecipites in perniciem agi coeperant Romani, mores pertinebat inprimis deorum contemtus et vita libidinosior. Ab hac igitur perniciosissima morum corruptela dum populares suos avocare studet in hoc carmine poeta, primum deos, quorum cultum adhuc neglexerint, non solum variarum, quas iam experti sint, calamitatum auctores fuisse, sed eosdem multo graviora mala, nisi refectis eorum templis ad pristinum pietatis exercitium redierint, iis immissuros esse ostendit; deinde, ut flagitiorum, quibus libere nunc polluantur, turpitudinem iis ante oculos ponat, tam inhonestas, quibus puellae a tenera inde aetate ad libidinem iuvenes pellicere soleant, artes, quam infamia, quae licentius nunc a nuptis admittantur, describit adulteria; denique, ut cum pudore intelligant, quantum a maiorum suorum indole et virtutibus degeneraverint, breviter, quales illi nati et educati fuerint, commemorat. — Augusti nulla quidem in hoc carmine facta est mentio, sed commendare voluisse videtur poeta ea, quae sapienter ille tum instituebat aut instituere cogitabat. Etenim Augustus, ut scribit Sueton. Aug. c. 30. *aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumtas refecit*, et postea ad compescendum liberae Veneris licentiam legem *Iuliam de adulteriis* (a. U. C. 737) et legem *Papiam Poppaeam de maritandis ordinibus* (a. U. C. 762) dedit.

v. 1 — 4. *Delicta maiorum*, ab impiis patribus, in bellis civilibus inprimis, contra deos et patriam perpetrata. *immeritus*, h. e. innocens, integer; nam *Diespiter neglectus*, ut supr. Carm. III. 2. 30. dicitur, *saepe incesto addidit integrum*, ubi cf. not. et supr. I. 28. 30. — *templa refeceris*, infr. Sat.

Aedesque labentes deorum et
Foeda nigro simulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.
Iam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus

v. 9. *Monaesis* (s. *Monesis*), Codd. fere omnes, Editt. Venett., *Lamb.*, *Torr.*, *Vanderb.*, *Iahn.* Pauci libri *Monaeses*, quod cum aliis metri causa recte praetulit *Orellius.* — v. 10. Pars Codd. *inauspicatos.* *R.*

II. 2. 104—5: *quare templa ruunt antiqua deum? cur, improbe, carae Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?* — *aedes deorum*, intellige delubra, quae passim cum templis coniungi solent. — *labentes*, prae vetustate desidentes et ruinam minantes, quoniam earum reficiendarum nulla adhuc habita fuerat ratio. — *foeda nigr. fum.* foede inquinata et decolorata fumo, sc. quem flamma thuris, quod in templis adolebatur, sursum mittebat; ritus igitur ille, quo deorum simulacra stato quotannis die lavari solebant, intermissus fuerat, de quo *Spanhemius* ad Callimachi Hymn. in Lavacr. Pall. erudite more suo disputat.

v. 5—8. *Dis te min. qu. ger. imp.* nam tum demum, cum deorum potentiae te submittis, h. e. deos pie colis, firmum, quod tenes, erit imperium; sententia gravissima! in quam Cic. de Harusp. Resp. 9: *Pietate ac religione atque hac una sapientia, qua deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.* et Camillus apud Liv. V. 51: *Intuemini horum deinceps annorum vel secundas res vel adversas; invenietis omnia prospere evenisse sequentibus deos, adversa spernentibus.* — [*Hinc omne princip., huc ref. exit.* a diis omnium rerum magnarum *duc s. repete* (quod eliciendum est ex sequenti *refer*) principia, ad deos refer quoque exitum; nihil puta sine deorum auxilio feliciter aut suscipi aut ad exitum perduci. Legendum autem per synecphonesin: *principjum*, ut Od. III. 4. 41: *consilium. R.*] — *neglecti*, cf. supr. 2. 30.

v. 9 — 12. *Iam bis Monaes. et Pacor. man.* cett. bis enim Romani a Parthis fusi sunt; primum quidem duce Crasso, quem maiore exercitus Romani parte interemta (vid. Vell. Pat. II. 46.) vicit dux Orodis, *Monaeses*, qui vulgo ab historiarum scriptoribus *Surena* appellatur; fuit scilicet *Surena*, ut recte hanc difficultatem historicam iam expedierunt Interpp., titulus, quo summus dux apud Parthos insigniri solebat; deinde duce Antonio, cuius exercitus, postquam eius legatus Didius Saxa a Pacoro, regis Orodis filio fortissimo, antea victus fuerat, vid. Dio XLVIII. 24 sqq. sub ipsius deinceps imperio paene deletus est; vid. Dio XLIX. 24 sqq. — *Non auspic. cont. impet.* temeritatem nostram, qua inauspicato et praeter deorum voluntatem

Nostros et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.
Paene occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus et Aethiops,
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fecunda culpae secula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos;
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

v. 20. *Inque patres populumque*, coni. *Bentl.* de otiosa eiusdem notionis repetitione sollicitus. Sed recte explicatur vulg. lectio: „in rem publicam et singulos cives," coll. Ov. Met. XV. 572. Iuv. XIV. 70. — *R.*

Parthos aggredi ausi sumus, graviter ulta est Pacori manus; *non auspicatos*, Crasso certe multa prodigia, quae funestas huius belli clades portenderent, oblata esse dicuntur; vid. Val. Max. I. 6. 11. Flor. III. 11. — *et adiec. praed. torq. exig. renidet*, et Parthus animi sui voluptatem, quod praedam Romanis detractam exiguis torquibus suis adiecit, laeto risu declarat; per *praedam* intellige torques ampliores et pretiosiores, quales Romanos, equites inprimis, gestasse constat; cf. Sil. Ital. XV. 256. — *renid.* verbum *renidere* hominis suaviter ridendo os diducentis speciem bene pingit; cf. ad Catull. XXXIX. 2.

v. 13 — 16. *seditionibus*, bellis domesticis. *Dacus*, refer ad bellum, quod Romano imperio, ad se et Cleopatram transferendo, paravit Antonius; in eius exercitu enim fuerunt, quos sibi adiunxerat (vid. Dio LI. 22.), *Daci*, gens bellicosissima et Romanis infestissima; cf. supr. I. 35. 9. — *Aethiops*, per Aethiopes (ad quorum terminos potestatem suam prorogavit Antonius, vid. Plutarch. in vit. Anton. c. 61.) iam designantur Aegyptii, quod satis docent verba sequentia: *Hic classe formidatus*, h. e. timendus horrendae magnitudinis classe illa, quam contra Romanos Cleopatram instruxisse constat; cf. Virg. Aen. VIII. 688 sqq. — *melior*, exercitatior, praestantior.

v. 17 — 20. Notat et perstringit nunc poeta Romanorum libidinem, quae una cum deorum contemtu corruptam civitatem invaserat. — *Fecunda culp. sec.* aetas nostra, tanquam fecunda flagitiorum mater, h. e. flagitia aetate nostra increbrescentia; similiter *saeculum bonis artibus ferax* dixit Plinius Ep. IV. 15. 8. — *nuptias*, matrimoniorum iura et sanctitatem; *genus*, h. e. liberos, qui, quod parentes vitia sua iis inserunt, *inquinari* dicuntur; in sententiam, vitia parentum in liberos propagari, veterum scriptorum exempla congessit ad h. l. *Mitsch.* — *domos*, familiarum propaginem, nepotes. Sic *domus Assarici* apud Virgil. Aen. I. 284. de eius propagine Romanis. — — *derivata fluxit*, elegantius pro vulgari: derivata est. Caeterum de insigniter aucto apud Romanos moechorum numero queritur quoque Catullus Carm. CXIII.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo et fingitur artibus:
Iam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui:
Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis;
Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor
Seu navis Hispanae magister,

v. 22. *artubus*, non pauci Codd. (nonnulli *frangitur artubus*). Bene vulgatam defenderunt *Bentl.*, *Iani*, *Or.* — v. 27. *intermissa*, Codd. nonn. — *R.*

v. 21 — 24. *Motus Ionicos*, h. e. lascivos. Iones enim cum ad vitam molliorem et libidinem procliviores essent, eorum protervi et ad libidinem excitandam compositi mores in proverbium abierunt; hinc Ἰωνικὴ ὄρχησις, h. e. saltatio lasciva, apud Athen. I. 19. p. 22., et Aristoph. Thesmoph. 163: διεκλῶντ' Ἰωνικῶς, ubi Scholiast. Ἰωνικῶς explicat ἁβρῶς, τρυφερῶς. — *motus* pro saltatione, ut *moveri* pro saltare, cf. infr. ad Epist. ad Pis. v. 214. — *doceri*, sc. a servis, cf. Sen. Ep. 90. — *gaudet*, vi libidinis nempe a parentibus insitae stimulante. — *fingitur artibus*, instituitur artibus, quibus libidinosos ad libidinis fructus apud se capiendos pelliciat. *de tenero ungui*, ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων. Egregie ad rem *Mitsch.* cum Horatio comparat Epigramma Automedontis Anth. Graec. T. II. carm. 3. p. 191. (Anth. Pal. I. p. 119.), ubi Asiatica saltatrix sic describitur: Τὴν ἀπὸ τῆς Ἀσίης ὀρχηστρίδα, τὴν κακοτέχνοις Σχήμασιν ἐξ ἁπαλῶν κινυμένην ὀνύχων, Αἰνέω, οὐχ ὅτι πάντα παθαίνεται, οὐδ' ὅτι βάλλει Τὰς ἁπαλὰς ὧδε καὶ ὧδε χέρας· cf. Animadv. *Iacobs.* Vol. II. P. II. p. 129.

v. 25 — 32. *Mox*, coniux nempe facta; *inter mariti vina*, in compotatione, cui maritus interest; *cui donet imperm. gaud.* cui furtim sui copiam faciat; — *gaudia*, de libidinis fructu passim; *raptim*, commodo temporis momento celeriter utens. — *luminibus remotis*, tenebrae enim alias furtivos amores celare solent. — *coram non s. consc. mar.* coram convivis nec inscio marito; eiusmodi maritus apud Iuven. I. 55: *ad calicem vigilanti stertere naso* dicitur. — *institor*, cui a mercatore id datur negotii, ut merces ostiatim venales circumferat, mercatoris administer; iam vero cum temporibus liberae reipublicae ipsa mercatura honesto cive Romano indigna haberetur, nec nisi a faece plebis libertinisque exerceretur; mulier sane institoris adeo libidini morem gerens turpissimi flagitii culpam contrahere debebat; hinc Horatius infr. Epod. XVII. 20. contumeliose de Canidia: *Amata multum nautis et institoribus.* — *Seu nav. Hisp. magister*, seu ipse mercator; ideo-

Dedecorum pretiosus emtor.
Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas et severae
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes, sol ubi montium

v. 36. *dirum*, Codd. plurimi et pleraeque editiones. Alteram lectionem *durum* praetulerunt *Fea*, *Iahn*, *Mein.* Cf. *Bentleium* ad h. l. — *R.*

que sine ullo discrimine, sive famulus sive dominus se ei offerat adulterum; *magister navis* alias est navarchus, sed cum h. l. *institori* opponatur, ipse dominus navis, naviculator vel mercator intelligendus est. — *Hispanae*, pro quavis navi mercatoria; mercatores enim Romani in Hispania inprimis quaestum facere solebant. — *dedec. pret. emtor*, pretium pro turpi libidinis fructu solvens.

v. 33 — 44. Eiusmodi flagitiosis parentibus haud orta est olim illa pubes, quae in bello Punico primo mare Siculum Carthaginiensium sanguine infecit et Pyrrhum, Antiochum, Hannibalemque vicit, sed prognata est ruri a robustis parentibus, qui eam mature duros in agris labores sustinere docuerunt cett. — *infec. aeq. sangu. Punico*, tres nobilissimas illas pugnas navales respicit, quibus Carthaginienses in bello Punico primo a Romanis ad Aegates ducibus Duilio et Lutatio Catulo splendide victi sunt; cf. supr. II. 12. 3. *Pyrrhum*, Epirotarum regem et Tarentinorum socium, a Curio et Fabricio perdomitum. Flor. I. 18. *Antiochum*, regem Syriae, a Romanis, quos ab Hannibale sollicitatus bello petierat, primum mari duce Aemilio Regillo, deinde terra ab Acilio Glabrione et Corn. Scipione debellatum; *ingentem*, ad eius nominis et potentiae magnitudinem designandam. — *Hannibalem dirum*, similiter infr. IV. 4. 42. Hannibal ob diras iras, quas contra Romanos conceperat, *dirus Afer* vocatur. — *mascula*, robusta, valida. *versare glebas ligonibus*, ornate pro vulgari: fodere, quod Virgilius in loco illo de veteri Italiae disciplina suavissimo Aen. IX. 608. simili ornatu dixit *terram rastris domare.* Opportune *Mitsch.* in Analect. ad Horat. p. 705. cum Horatio comparat Columell. de Re R. L. I. Praef. §. 17. — *Sabellis*, h. e. Sabinis; apud Sabinos enim severa illa disciplina, de qua sermo est, vel maxime viguit; cf. Virgil. Georg. II. 167 sqq. — *fustes*, armenta. *sever. matr. ad arbitr.* en egregium severae disciplinae exemplum, ubi ad matris adeo nutum ita exercentur filii! — *sol ubi mutaret umbras* cett. tempore vespertino, nocte appetente (nos: *zum Feyerabend*); quod vulgare, ut decebat magnum poetam, suavissimis

Mutaret umbras et iuga demeret
Bobus fatigatis amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

CARMEN VII.

AD ASTERIEN.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi

et dulcissimos vitae rusticae sensus excitantibus adumbravit imaginibus; — *mutaret umbras*, sole enim decedente umbrae, ut Virgilius loquitur, crescunt maioresque de montibus cadunt. — *iuga dem. bob. fatig.* hinc Graecis tempus vespertinum dictum est βούλυσις, βουλυτός, Theocrit. VII. 56. Hom. Il. XVI. 779. — *amicum tempus agens abeunte curru*, h. e. iucundum, quando decedit curru suo, h. e. occidit, tempus adducens, sc. rusticis, a peracto opere diurno tum requiescentibus; *agens*, similiter apud Virg. Ecl. VIII. 17: *Lucifer almum diem agere* pro: adducere, ἐπάγειν, dicitur.

v. 45 — 48. *Damn. quid non immin. dies?* sed quid temporis processu non corrumpitur? *damnosa dies*, tempus iniuriosum, damno afficiens et attenuans omnia. — *peior avis*, multo avorum aetate deterior: sic fere supr. I. 7. 25: *Fortuna melior parente* pro: melior parentis fortuna, sive benignior illa fortuna, quam parens perferendam imposuit. — *nequiores*, antiquissimam illam opinionem, hominum tam corporis robur quam animi integritatem magis magisque unaquaque aetate corrumpi, in sua tempora poeta accommodavit. Laudant in hanc sententiam Arat. Phaenom. 123. et Hom. Odyss. II. 276.

CARMEN VII.

Asterien de longiore amatoris sui, Gygis, quaestus faciendi causa in Asia peregrinantis absentia eiusque in amore perfidia misere se excruciantem bono animo esse iubet in hoc carmine Horatius, dum ei non solum oppidum, ubi nunc ille detineatur, indicat, sed etiam summae eius in amore constantiae, quod ibi ab alia puella petitus ediderit, specimen refert. Monet igitur eam, ut ipsa potius Gygi suo se in amore constantem praebeat, nec fenestram ad nequitiam Enipeo cuidam, qui nunc eam sectetur, aperiat. — Tractavit fortasse hoc argumentum poeta quidam Graecus, quem Horatius imitatus videtur.

v. 1 — 8. *Quid fles* cett. iunge: *quid fles Gygen — quem* cett. Sententia: cur dolori adeo indulges,

Primo restituent vere Favonii
Thyna merce beatum
Constantis iuvenem fide,
Gygen? Ille Notis actus ad Oricum
Post insana Caprae sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.
Atqui sollicitae nuntius hospitae,
Suspirare Chloën et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.

v. 4. Plerique Codd. *fidei.* Sed praestat sine dubio antiquior, quam Codd. nonnulli praebent, forma *fide;* cf. *Bentl.* ad h. l. *R.*

Asterie, ob Gygis tui absentiam, qui, simulac sub veris initio serenitatem reducentes spirabunt Zephyri, usus in mercaturae suae negotiis successu prosperrimo, ut spectatae fidei amator in amplexus tuos redibit! — *candidi*, caelum candidum, h. e. serenum reddentes; sic *Notus albus*, supr. I. 7. 15. ubi vid. not. *Iapyx albus*, infr. III. 27. 19. — *Thyna*, e Bithynia advecta; — *Thyni* et *Bithyni* antiquitus quidem ita inter se differebant, ut per illos, qui oram Ponto proximam, per hos autem, qui inferiorem Ponti regionem incolerent, designarentur; vid. Herodot. I. 28. sed deinde universi illi populi simpliciter *Bithyni* vocati sunt. *Bithynia* autem, cum et ipsa variarum rerum copia abundaret et complures aliae merces ex tota Asia eo conveherentur mercatura, quae ibi a multis populis exercebatur, maxime fuit nobilis; vid. Voss. ad Catull. XXIII. 7. et, quem laudat *Mitsch.*, Eustath. ad Dionys. Perieg. 793. — *fide*, antique pro: *fidei*, ut Sat. I. 3. 95. — *Notis*, tempestate. *Oricum*, oppidum Epiri ad sinum Ionicum, portu instructum. — *post sidera Caprae*, post ortum vel occasum sideris Caprae. Est autem *Capra* sidus in sinistro humero Erichthonii sive Aurigae, cuius tam ortus, (IV. Cal. Octobr.) quam occasus, (Cal. Ian.) tempestatem concitare putabatur; hinc illud sidus dicitur *insanum*, h. e. tempestatum furorem portendens; similiter supr. III. 1. 27: *saevus Arcturi cadentis Impetus aut orientis Haedi.* — *frigidas*, solas et viduas, ubi deest tori socia, quae membra frigida tepefaciat.

v. 9 — 12. *Atqui sollicitae* cett. Nexus: atqui ne opus quidem habet, ut frigidas noctes agat; nuntius enim hospitae cett. *sollicitae*, ut sunt, qui misere amant. Notum est illud Ovidii: *Res est solliciti plena timoris amor.* — *nuntius*, rei cuiusdam administer, internuntius. — *suspirare*, vehementius et suspirando desiderare, sc. Gygen. cf. *Heynii* Observat. ad Tibull. I. 6. 35. — *tuis ignibus*, eleganter pro: Gygis tui amore; *mille modis*, quavis arte et quibusque machinis *tentat*, sc. Gygis fidem.

Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
Et peccare docentes
Fallax historias movet.
Frustra: nam scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer. At tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus iusto placeat, cave;
Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,

v. 20. *monet*, Codd. plurimi (et sic *Lamb.*, *Cruq.*, *Torr.*, *Vanderb.*); sed aptior et exquisitior est altera Codicum nonnullorum lectio *movet.* — Pro *fallax* Bentl. suspic. *pellax.* *R.*

v. 13— 20. Cum internuntius ille Gygen ad furtivos Chloes amores non permovere posset pelliciendo, mutata ratione id efficere studet terrendo. Ut igitur eum doceat, quam graviter spreti amoris iniuriam ulcisci soleant mulieres, inter alia Anteae sive Sthenoboeae Hippolytesque ei ante oculos ponit exemplum, quarum illa Bellerophontem, haec Peleum paene ob spretos amores pessumdederit. — *mulier perfida*, uxor in maritum suum perfida; fabulam narrat Hom. Iliad. VI. 155 sqq. cui illa *Antea*, aliis *Sthenoboea* appellatur. — *impulerit maturare necem*, Graece pro: ut maturaret necem. *Hippolyten*, Acasti, Magnesiae regis (unde illa *Magnessa*) coniugem, de cuius ira, qua Peleum, quod oblatam incesti amoris conditionem repudiaverat, perditum ivit, vid. Pind. Nem. IV. 54 sqq. — *abstinens*, castus. — *historias movet*, eleganter pro: excitat, laudat, profert; sic apud Ovid. Art. Am. II. 275: *Sol mala exempla movere*, pro: in lucem proferre, dicitur. — *peccare docentes*, quae doceant, ne quis oblatum a muliere adulterium repudiet.

v. 21—28. *scopulis surdior Icari*, sc. maris. Senec. Hippol. 580: *Ut dura cautes undique intractabilis Resistit undis et lacessentes aquas Longe remittit, verba sic spernit mea.* Eurip. Med. 28: *ὡς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος Κλύδων ἀκούει νουθετουμένη φίλων.* Philodem. XX. 5. 6. Anthol. Graec. T. II. p. 75 (Anth. Pal. I. p. 12): *Τοῦτ' ἐβόων αἰεὶ καὶ προὔλεγον· ἀλλ' ἴσα πόντῳ Ἰονίῳ μύθων ἔκλυες ἡμετέρων.* Similia vide apud *Valckenar.* ad Euripid. Hippol. p. 196. C. — *integer*, sc. castitate sua; supr. II. 4. 22: *Brachia et vultum teretesque suras Integer laudo.* — *aeque sciens equum flectere*, qui aeque sciat equum flectere; ad gymnasticas exercitationes, quibus pueri ingenui operam dabant in Campo Martio,

Nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.
Prima nocte domum claude neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae,
Et te saepe vocanti
Duram difficilis mane.

CARMEN VIII.

AD MAECENATEM.

Martiis caelebs quid agam Calendis,

pertinebat inprimis studium in equitandi natandique arte atque scientia positum; cf. supr. I. 8. 6 sqq. — *Tusco alveo*, Tiberi ab Etruria delabente.

v. 29 — 32. *Prima noct. dom. claud.* idem praeceptum ad aditum amatoribus intercludendum inculcat Ovidius Amor. II. 19. 38: *Incipe iam prima claudere nocte domum.* — *sub cant. querul. tib.* quando ad querulos tibiae sonos Enipeus *παρακλαυσίθυρον* canit. *difficilis*, *χαλεπή*, aspera.

CARMEN VIII.

Maecenatem ad diem festum Calendis Martiis secum celebrandum invitat Horatius. Sententiarum nexus hic est: Invitatus ad diem festum Calendis Martiis apud me celebrandum miraris fortasse, doctissime Maecenas, quid sit, quod ego homo caelebs sollemni more diem celebraturus sim, quo matronae tantum maritique pro coniugii felicitate sacra instituere solent. Sed audi causam! Hoc ipso die ego olim in villa mea arboris ictu paene exstinctus fui. In memoriam igitur huius diei, quo singulari deorum cura servatus sum, quotannis ego ex voto suscepto sacram hostiam Baccho mactare, suaves epulas apparare et interioris notae vino depromto liberius laetitiae indulgere soleo. Itaque veni et in laeta compotatione, ad lucem usque producta, multos cyathos in salutem servati amici bibe. Graviores autem de rebus civilibus curas sepone, idque eo magis, cum domitis externis hostibus nihil amplius ab iis reipublicae timendum sit; imo abiectis curis omnibus laetum, quem sors tibi offert, diem carpe. — Equidem hoc carmen eo tantum consilio ab Horatio scriptum et missum ad Maecenatem esse puto, ut eum non vulgari modo, sed honorificentius et insignitius ad se vocaret, vel ut luderet, uti poetae oblata eiusmodi rei opportunitate ludere solent. Sed longe aliter de eo statuunt interpretes. Eos quidem, qui Horatium hoc carmen Maecenati, illius domum intranti et convivii apparatum stupenti, decantasse autumant, iam refutavit *Mitscherlichius;* cuius tamen, quam ipse de hoc carmine affert, non magis mihi probatur sententia. Putat enim ille, Horatium ad hoc carmen scribendum impulsum esse

Quid velint flores et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,
Docte sermones utriusque linguae.
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies anno redeunte festus

v. 3. Pars Codd. omittit part. *in* in versus fine atque sic ediderunt *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Vanderb.* Praestat autem vulgata lectio. — v. 5. *sermonis*, Codd. plerique (et sic veteres editiones); sed rectius scribitur in aliis Codd. *sermones*, quod confirmatur auctoritate Donati ad Ter. Eun. III. 2. 25. Genitivum ineptum esse h. l. ostendit *Bentl.* — *R.*

eo, quod a Maecenate, ne celebrandis Calendis Martiis se deridendum propinaret, monitus et de causis, ex quibus illae celebrari soleant, magno doctrinae apparatu (quem versus quintus innuat) edoctus fuerit; Horatium igitur ei hoc carmine respondere et veram, ex qua Calendae Martiae sibi sacrae sint, causam exponere. — Caeterum hoc carmen U. C. DCCXXXIV. scriptum esse ex v. 17 sqq. colligi potest.

v. 1 — 8. *Martiae Calendae* sacrae erant coniugiorum praesidi, Iunoni, cui pro coniugii felicitate sacra hoc die matronae instituere solebant, unde hic dies sub *Matronalium* nomine celebrabatur. Locus classicus de *Matronalibus* est apud Ovid. Fast. III. 170 sqq. cf. Tibull. III. 1. 1. — *quid agam caelebs*, quid mihi coniugii experti in mentem venerit, diem festum celebrare velle, quem non nisi coniugii consortes celebrare solent. — *Quid velint flores* cett. res singulas, quibus sacra sollemnia apparabantur, enumerando vulgarem sententiam: „cur ego tam operose sacra parem,“ egregie exornat; *flores*, florum in sacris usus notissimus; in *Matronalibus* quoque matronae flores Iunoni ferre, eiusque caput floribus cingere debebant; Ovid. Fast. l. l. 253. — *acerra*, arcula, in qua thus adolendum condebatur; — *in cespite vivo*, in ara graminea, qualis pro foco ignem recipiente a privatis exstrui solebat. — *Docte serm. utriusque lingu.* literarum tam Graecarum quam Latinarum cognitione instructe, pro vulgari: Vir Eruditissime, nihil amplius; simpliciter Maecenatem *doctum* appellat infr. Epist. I. 19. 1, placendi enim studio saepius Hor. doctrinae laudem Maecenati vindicat; cf. supr. II. 12. 10. — *sermones* (*λόγους*, *μύθους*) scripta, literas. *Libero*, vitam e praesente mortis periculo servatam, quam supr. III. 4. 27. *Musarum* et II. 17. 28. *Fauni* tutelae tribuerat, nunc tribuit Baccho, ipsi quoque tam poetarum patrono, cf. I. 1. 29, quam agresti et hortorum pomorumque deo; vid. quem laudat *Mitsch.* in Anal. ad Horat. Carm. p. 705. Pindari locum apud Plutarch. Sympos. Qu. IX. 14. p. 745. A. (Fr. *Heyn.* p. 96.) — *arbor*, cf. supr. II. 13.

v. 9—12. *Hic dies ann. red.* cett. Sententia: hoc die festo quotannis

Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae fumum bibere institutae
Consule Tullo.
Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis centum et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.

v. 10. Pro vulgata lectione *dimovebit* e tribus Codd. *Lambin.* recepit *demovebit*; quem secuti sunt *Mitsch.*, *Fea*, *Doer.*, *Iahn*, *Mein.*, *Or.* — v. 15. *Profer*, Codd. nonnulli; sed hoc non satis κύριον, cum *profer in lucem* significaret potius vel *in apertum profer*, vel ineptius etiam *differ in lucem*" *Orell.* — *R.*

vini Consule Tullo conditi aperietur amphora, h. e. hic dies festus quotannis inter vetusti vini pocula hilariter transigetur. — *corticem adstrictum pice demovere amphorae* est: corticem amphorae orificio immissum et pice obturatum solvere; cf. supr. I. 20. 3. Laudant Theocrit. VII. 147: *Τετράενες δὲ πίθων ἀπελύετο κρατὸς ἄλειφαρ.* Archiloch. Fragm. 49. Liebel. — *amphora*, sive *cadus*, vas figlinum ore angusto. — *institutae*, quae, in vini apotheca reposita, edocta est vel didicit; exquisitius pro vulgari: quae coepit. — *fumum bibere*, fumum imbibendo maturitatem et amaritudinem trahere vel vetustescere; veteres enim meliorem vini tractandi rationem ignorantes fumi ope maturitatem et vetustatem ei contrahere studebant; itaque, ut satis notum, vini apothecas habebant in superiore aedium parte, fumo pervia; vide Columell. de R. R. I. 6. 20. Accuratissime autem apothecarum vinariarum usum et situm descripsit Galenus de Antid. I. 3. cuius de hac re verba ad Columellae l. l. apposuit *Schneiderus* in Comment. p. 44. 45. — *Consule Tullo*, annus enim, quo vinum condebatur, ut satis constat, notari solebat in cado inscriptis consulum eius anni nominibus; per *Tullum* autem intelligendus videtur *L. Volcatius Tullus*, qui U.C. DCLXXXVIII. cum *M. Aemilio Lepido* consul fuit; vinum igitur illud, si hoc carmen, ut in argum. monuimus, ad A. U. DCCXXXIV. referendum est, vetustatem XLVI. annorum tum traxerat; nec haec vini vetustas nimia et insolita fuit; cf. infr. III. 14. 8. III. 21. 1. Epod. XIII. 6, ut visum est iis, qui aetatem huius vini ad *L. Volcatii Tulli* consulatum referunt, qui in annum DCCXXI. incidit.

v. 13—16. *Sume, Maecenas, cyath. amic. sospit. cent.* veni et sume centum cyathos sospiti amico sacros, h. e. in salutem sospitis amici exhauriendos; *cyathos amici*, poculum enim, quod in alicuius salutem vel honorem exhauritur, *eius poculum* dici solet. *Cyathus* fuit vasculum, sextarii (qui nobis fere est *Noesel*) partem duodecimam capiens, quo, in cochlearis fere formam effícto, vinum in grandiora pocula infundebatur, vel aqua per id affusa vinum temperabatur. — *vigiles lucernas*, eleganter pro: nocturnam compotationem; *perfer*, protrahe, produc; *perferre* respondet plane vernaculae in hac re locutioni: *aushalten*; — *in lucem* — *dum rediens* (ut Hor. infr. III. 21.

Mitte civiles super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis,
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,

v. 19. *infestus sibi luctuosis*, Codd. fere omnes. *infestis sibi luctuosus*, coni. Nic. Heins. et (cum Cod. Galeano) in textum recep. *Bentl.* et *Iani.* At multo gravior est Codd. lectio: „Medus alias nobis infestus nunc sibi ipsi clades infert." *R.*

24. loquitur,) *fugat astra Phoebus.* — *esto*, quasi in media compotatione iam versetur, loquitur, ut bibendi magistri leges convivis praescribentes loqui solent. — *ira*, altercatio, iurgia.

v. 17—24. *Mitte civil. sup. urbe cur.* hoc ipso anno enim (DCCXXXIV.) dum Augustus in bellum ad Orientis populos debellandos profectus ab urbe aberat, Maecenas urbi praefectus fuit; Tacit. Annal. VI. 11. Dio XLIX. 16. — *Occidit Daci Cotis. agm.* Dacorum copiae, quas contra nos duxit eorum rex Cotison, fusae fugataeque sunt (a Lentulo, vid. Sueton. Octav. 21. Flor. IV. 12.); de *Dacis* cf. supr. ad I. 35. 9. *Medus infest. sib. luct. diss. ar.* Parthus nomini Romano infestus domestica inter se dissidet seditione, quae ipsi luctus et doloris causa fit; *dissidet sibi* pro: dissidet a se, ut supr. II. 2. 18. *dissidens plebi*; — *arma luctuosa*, quae luctus causa fiunt; ut supr. I. 21. 13: *bellum lacrimosum.* Respicit autem poeta crebras seditiones a Tiridatis amicis contra Phraatem *solo restitutum* (vid. ad II. 2. 17.) motas. — *Servit*, paret Romanorum imperio, *Cantaber*, Hispaniae septentrionalis gens ferocissima, post multas clades et pugnas ab Agrippa demum perdomita, vid. Dio LIII. 25. hinc *sera domitus catena*, h. e. sero Romanorum ditioni subiectus; cf. supr. ad II. 6. 2. — *Scythae*, intellige Istri accolas, qui supr. II. 9. 22. *Geloni* vocantur. — *meditantur cedere campis*, nunc id agunt, ut e nostris finibus in suos recedant; — *laxo arcu*, significanter pro: impetu eorum hostiliter nos infestandi represso, nempe a Lentulo; nam qui hostem telorum iactu petere desinunt, arcum *laxant* vel remittunt. *Mitsch.* comparat *τόξα κεχαλασμένα* apud Antip. Thessal. XX. 3. Anthol. Graec. T. II. p. 100. — Idem commode laudat Senec. Oedip. 469: *Laxavit victos arcus Geticasque sagittas, Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.* cf. Ovid. Fast. V. 593. Trist. II. 227.

v. 25 — 28. *Negligens — parce nimium cavere*, iunge: *privatus parce* (noli) *nimium cavere*, *ne qua populus laboret*, (ne qua forte re in discrimen vocetur populi salus) *negligens*, securo nec tale quid nunc

Parce privatus nimium cavere;
Dona praesentis cape laetus horae et
Linque severa.

CARMEN IX.

CARMEN AMOEBAEUM.

Horatius:

Donec gratus eram tibi
Nec quisquam potior brachia candidae

v. 26. 27. Plerique Codd. post v. *cavere* habent *et*, omittunt post v. *horae;* iustum ordinem restituit *Bentl.* — v. 27. *rape*, pars Codd. et sic *Lamb.*, *Cr.*, *Torr.* Recte autem *Bentl.*: „Rapiamus, si fas est, negata aut fugientia: quae oblata praesto sunt, capiamus et sumamus.“ *R.*

curante animo. — *privatus*, cum sis privatus; etsi enim Maecenas praefectus urbi esset, privatus tamen dici poterat principis respectu habito, vid. Ernest. Clav. Cic. s. v. *privatus*. — *dona praes. cap. laet. hor.* laeto animo percipe bona, quae praesens tempus vel hodiernus dies tibi percipienda offert, vel, ut eandem sententiam brevius Horatius supra I. 11. 8. extulit: *carpe diem.* — *Linque severa*, omnem omittas curam.

CARMEN IX.

Zelotypia sive obtrectatio inter Horatium et Lydiam gliscere coeperat. Ambo conveniunt. Horatius primum summam, quam nullo alio adhuc sibi in amore a Lydia praelato perceperit felicitatem, mollissimi amoris affectu laudare incipit. Respondet Lydia, nec minorem suam, dum sola ab Horatio amata fuerit, felicitatem fuisse, graviter et luculenter ostendit. Tum Horatius, ut urat pungatque Lydiam, novi amoris, cui se nunc deditum esse simulat, mentionem facit. Par pari refert Lydia. Iam mutat rationem Horatius et pacis conditiones fert. Lydia statim eas accipit et sic fit mollissimi firmissimique amoris redintegratio. — Cum scena, qua in gratiam cum Lydia redit Horatius, fere sit dramatica, suaviter colloquium inter se et Lydiam ortum ad carminis amoebaei formam et leges composuit et sic, quod in hoc carmine dulcissimum est, iis, quae respondet Lydia, se superari passus est. — Caeterum lectores ipsi percipient huius mellitissimi carminis dulcedinem, quam certatim propinare studuerunt interpretes.

v. 1—4. *gratus eram tibi*, suavi simplicitate pro: a te amabar. *potior*, mihi praelatus; eleganter enim, qui potiores vel priores partes apud puellam aliquam habet, *potior esse* dicitur; infr. Epod. XV, 13: *Nam si quid in Flacco viri est, Non feret assiduas potiori te dare noctes.* cf. infr. Sat. II, 5. 76. vid. *Brouckhus.* ad Tibull. I. 5. 68. Sic *κρείσσων* apud Callimach. Epigr. XXVI. 2. — *vigui*, significanter pro tenui: fui, vixi. — *Persarum rege*, iam veteres summam felicitatem cum regum sorte comparare solebant. Cum delectu autem posuit Persarum regem, quod Persarum reges opulentissimi et omnium rerum, in quarum possessione vulgo censeri solet humana felicitas, copia instructissimi fuere.

Cervici iuvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior.

Lydia:

Donec non alia magis
Arsisti neque erat Lydia post Chloën,
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

Horatius:

Me nunc Thressa Chloë regit,
Dulces docta modos et citharae sciens,
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.

v. 5. *aliam*, e Codd. nonnullis *Torr.*, *Bentl.*, *Cun.* Sed magis convenit usui Horatiano, quod potiores libri habent, *alia*. *R.*

v. 5—8. *non alia magis arsisti*, non aliam puellam ardentius amabas; — de locutione: *ardere aliqua* pro: ardere ob aliquam, cf. supr. ad II. 4. 7. Caeterum observa, quomodo Lydia cum Horatio in eadem sententia gravius efferenda certat. Horatius dixerat: *Donec gratus eram tibi nec quisquam potior* cett. at Lydia multo fortius: *Donec non alia magis arsisti.* — *neque erat Lydia post Chloën*, neque ego postponebar Chloae; Horatius simpliciter dixerat: *Nec quisquam potior*, at Lydia ipso nomine appellat puellam in amore sibi praelatam. *Multi Lydia nominis*, ego puella nobilissima; a nobilissimo scilicet poeta amata et ab eodem carminibus celebrata; Lydia autem bis nomen suum pro: ego, repetens venuste et acerbe monere videtur Horatium, ut illius temporis, quo saepe Lydiae nomen in ore habuerit et amatorum more itentidem repetierit, memoriam recolat. *Romana Ilia*, in comparatione quoque Horatium vincit Lydia, quae cum Romae conditoris matre, Ilia, se comparans longe Horatio cum Persarum rege comparato apparet augustior.

v. 9—12. *regit*, suaviter *regi* dicuntur amatores, qui ad nutum dominae suae se componunt; *citharae sciens*, Graece: *κιθάρας εἰδυῖα*. — *animae*, Chloae, *animae meae* (ut supra I. 3. 8. Hor. loquitur) *dimidio;* cf. supr. II. 17. 5. Eodem blandimento Cicero Ep. ad Div. XIV. 14. Terentiam et Tulliolam *animas suas* vocat.

Lydia:

Me torret face mutua
  Thurini Calais filius Ornyti,
Pro quo bis patiar mori,
  Si parcent puero fata superstiti.

Horatius:

Quid, si prisca redit Venus
  Diductosque iugo cogit aëneo?
Si flava excutitur Chloë,
  Reiectaeque patet ianua Lydiae?

Lydia:

Quamquam sidere pulchrior
  Ille est, tu levior cortice et improbo
Iracundior Hadria,
  Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

v. 14. *Ornyti* e Codd. restituit *Bentl.*, cum antea vulgata lectio fuisset *Ornithi*. Eundem cfr. de v. 9. — *R.*

v. 13—16. *torreri* de gravi amoris aestu; cf. supra I. 33. 5. infra III. 19. 20. multo maior igitur Lydiae verbis vis inest, quam Horatii: *Me nunc Thressa Chloë regit.* — *Thurini*, Thurio, Lucaniae oppido, oriundi. — *bis mori*, Horatius simpliciter *mori* dixerat.

v. 17—20. *prisca Venus*, pristinus amor. *Diduct. iug. cog. aën.* pro vulgari: disiunctos firmissimo vinculo coniungit. *iug. cog. aën.* supra quoque I. 33. 10. Venus *animos sub iuga aëna mittere* dicitur, ubi cf. not. et ad Carm. II. 5. 1. — *flava*, pulchra, ut sexcenties.

v. 21—24. *sidere pulchrior*, h. e. sideris alicuius splendorem formae suae nitore superat; apud Hom. Iliad. VI. 401. Astyanax ἀλίγκιος ἀστέρι καλῷ dicitur; cogitandum inprimis de luna, cuius splendori passim pulchrarum formarum nitor aequiparatur; sic supr. II. 5. 18. de Chloride: *albo sic humero nitens*, *Ut pura nocturno renidet Luna mari.* — *cortice*, subere, ut carm. anteced. v. 10. — *improbo Iracund. Hadr.* supr. quoque I. 33. 15. Myrtales iracundia cum maris Hadriatici aestu comparatur.

CARMEN X.

AD LYCEN.

Extremum Tanain si biberes, Lyce
Saevo nupta viro, me tamen asperas
Porrectum ante fores obiicere incolis
  Plorares Aquilonibus.
Audis, quo strepitu ianua, quo nemus

v. 3. Pro *porrectum* legi iubet *Bentl.*: *proiectum* (item Epod. X. 22. Sat. II. 3. 111.), cum illud tamen multo exquisitius sit. *R.*

CARMEN X.

A Lyce, quam amabat, non admissus hoc carmen querulum ante eius ianuam canit. Primum igitur, ut miseratione sui durum Lyces animum frangat et emolliat, saevae tempestatis, ante illius fores sibi porrecto perferendae, exponit iniuriam; deinde, ut ab invisa Veneri superbia eam deterreat, subitas fortunae vices ei ante oculos ponit; denique iterum ei exprobrata summa animi duritie, se laboribus, quos eius causa subeat, tandem victum non amplius illam curaturum esse minatur. — Est totum hoc carmen παρακλαυσίθυρον, h. e. carmen ante puellae ianuam ab amatore non intromisso flebilibus modis decantatum, cuiusmodi carminis particulam iam supra Horatius libri primi carmini vigesimo quinto (v. 8. 9.) intexuit; similia παρακλαυσιθύρου exempla iam laudarunt alii, Plaut. Curc. I. 2. 60 sqq. Ovid. Am. I. 6. Propert. I. 16. 17 sqq. in Graecis Theocrit. III. et XXIII. et Aristoph. Eccles. 945 — 67. cf. *Caspar. Sagitt. de Ian. Vett.* c. 37.

v. 1—4. *Extrem. Tanain si biberes, Lyce*, cett. Sententia: quamvis, o Lyce, ut mulier fera et barbara viveres in Scythia et timendae saevitiae marito ibi iuncta esses, tamen animum tuum mei ante fores tuas prostrati et ventorum violentiae expositi subiret miseratio. — *Tanain*, notum flumen in Scythia, *extremum*, extremae, h. e. remotissimae regionis. Sic infr. Epist. I. 1. 45: *extremi Indi.* Epist. I. 6. 6: *extremi Arabes.* et Carm. III. 11. 47: *extremi Numidarum agri*; ut passim apud Horatium *ultimus*, v. c. supr. I. 36. 4: *ultima Hesperia;* II. 18. 4: *ultima Africa;* I. 35. 29: *ultima Britannia.* — *biberes*, cf. supra II. 20. 20. — *saevo*, cuius atrox tibi in furtivo amore forte deprensae extimescendum esset ingenium. — *asperas*, h. e. duras, quibus semper excludor, significanter pro: tuas. — *plorares me obiicere*, exquisitius pro: non sine miseratione et dolore me obiiceres, h. e. me, cuius misereret, intromitteres; *incolis*, perpetuo, tanquam in domicilio suo, in Scythia dominantibus

Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nives
Puro numine Iuppiter?
Ingratam Veneri pone superbiam;
Ne currente retro funis eat rota.

v. 6. Pro vulgari *situm* (quod in plerisque Codd. ac veteribus Editt. legitur) reponendum esse *satum* (cum satis bonis Codd. atque Acrone) docuit *Bentl.*, quem omnes fere recentiores secuti sunt. — v. 7. *Sentis*, coni. *Bentl.* Vide annot. — v. 8. *Duro*, coni. *Bentl.* — v. 10. *Ne currente rota funis eat retro*, e duobus Codd. *Bentl.* (et sic *Baxt.*, *Cuningh.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.*). Sed omnes, quotquot exstant, reliqui Codd.: *retro funis eat rota*, et sic pleraeque editt. — *R.*

v. 5—8. ***nemus inter pulchra tecta satum***, intellige viridarium in tecti impluvio consitum, quale Hor. describit infr. Epist. I. 10. 22: *Nempe inter varias nutritur silva columnas.* cf. Tibull. III. 3. 15. et ibi *Heyn.* Laurorum inprimis in impluvio consitarum passim fit mentio. Virg. Aen. II. 512. et VII. 59. — ***pulchra***, splendida; unde Lycen honestam matronam et in re lauta constitutam fuisse probabile fit. — ***ventis***, ventorum, hunc strepitum excitantium, impetu. — ***et ut glaciet***, et vides vel sentis, ut glaciet cett. nam verbum *audis* non in propria significatione repetendum, sed ex noto loquendi genere, zeugmate, aliud verbum rei accommodatum inde eliciendum et supplendum est. Apponam in hanc rem locum huic simillimum Hor. supr. II. 1. 21—24: *Audire magnos iam videor duces Non indecoro pulvere sordidos Et cuncta terrarum subacta Praeter atrocem animum Catonis*, ubi pariter ad *et* non *audire* in propria significatione, sed simile, v. c. *percipere, cognoscere*, suppleri debet. Nihilominus *Bentleius* sibi temperare non potuit, quin facta post *remugiat* interpunctione corrigeret: *S e n t i s et positas ut glaciet* cett., ut nihil de aliorum super hoc loco argutiis dicam. — ***positas***, pro vulgari: iacentes; ***puro numine Iuppiter***, ornatius pro: purus Iuppiter, h. e. purus aër; puro enim aëre vis frigoris est acrior et vehementior.

v. 9—12. ***Ingrat. Ven. pon. sup.*** de Venere, superbiae ultrice, vid. *Lambin.* ad h. l. *Mitsch.* laudat Agath. XIX. 7. Anthol. Graec. T. IV. p. 10. — ***Ne currente retro fun. eat rota***, vulgarem sententiam: ne e summo loco retro veharis vel praeceps agaris ad infimum (h. e. ne superbiae tuae poenas des), funis, qui nimia eius intentione ruptus revolvitur, adumbravit imagine. Intelligendus autem funis eiusmodi, quo per machinam rota instructam, cui ille circumvolvitur, moles quaedam in altum attrahitur. Cum eiusmodi igitur fune, rupto nempe nimio pondere et retro voluto, comparatur sors eorum, qui nimio nisu ad altiora tendentes subito casu ad inferiora retro feruntur. Hinc *funis rumpitur* vel *retro it* proverbiali locutione dictum est in homines superbos, quorum altiores, quos trahunt, spiritus subita fortunae conversione franguntur. — Livius XLV. 41: *cum ex summo*

Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O quamvis neque te munera nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat, supplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior aesculo
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Caelestis patiens latus.

v. 18. *animum*, lectio vulgata, quamquam in plerisque Codd. legitur *animo*. — *R.*

retro revolvi fortuna consuesset. Horatius infr. Epist. I. 18. 87 et 88. in eandem sententiam imagine a navigatione translata: *Tu, dum tua navis in alto est, Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.* — Huc faciunt duo apprime loci a *Mitsch.* laudati, Lucian. Dial. Meretr. p. 286. edit. Gesn.: *σὺ δὲ πάνυ χαλεπὴ ἀεὶ τῷ ἀνθρώπῳ γεγένησαι. καὶ ὅρα, μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποῤῥήξωμεν πάνυ τείνουσαι τὸ καλώδιον.* et Aristaenet. Epp. II. 1. p. 72. Abr.: *πείθου μοι καὶ τῆς ἀμετρίας ἀπόσχου. ὅρα, μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποῤῥήξωμεν πάνυ τείναντες τὸ καλώδιον, μηδὲ λάθῃς λοιπὸν εἰς ἀγερωχίαν μεταβαλοῦσα τὸ φρόνημα. οἶσθα δὲ ὅσον Ἔρως ἀντιστρατεύειν τοῖς ὑπερηφανοῦσι φιλεῖ.* — ***Non te Penel. diffic. proc. Tyrrh. gen. par.*** cum Etruscae puellae alias leviores et a castitatis illius, quam Penelope marito suo Ulyssi probavit, studio alienae essent, (*Mitsch.* in hanc rem laudat Athen. XII. 3. p. 517.) Horatius non sine causa Lycen Etruscae originis esse commemorat. — ***Penelopen diffic. proc.*** tam castam, qualis fuit Penelope.

v. 13—20. ***tinct. viol. pall. amant.*** pallor, quo prae amore contabescentium os obducitur, cum violarum colore comparatur, luteo illo (unde infr. Epod. X. 16. *pallor luteus*) vel albo; nam violarum, ut Plin. XXI. 6. ait, *plurima genera: purpureae, luteae, albae;* hinc *pallentes violae* apud Virg. Ecl. II. 47. Cfr. Calpurn. IX. 41: *Pallidior buxo violaeque simillimus erro.* — ***vir. pellic. saucius***, maritus pellicis amore percussus; scilicet *saucii* dicuntur amantes, sagittarum, quibus pectora amantium a Cupidine sauciari dicuntur, respectu habito; similiter supr. I. 27. 12. felix in amore *beatus vulnere*, et infelix in amore *perire sagitta* dicitur. — ***Pieria***, Thessala, a Pieria, Thessaliae regione. — ***curvat***, flectit, pervincere potest, sc. ut amori eorum, qui te sectantur, morem geras. ***supplicibus tuis parcas***, noli tamen committere, ut ego supplex amator ante fores tuas prostratus peream. — ***nec rigid. moll. aesc.*** cett. o tu

CARMEN XI.

AD MERCURIUM.

Mercuri, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo,
Tuque testudo resonare septem
Callida nervis,

quae nunc es nec mollior rigida aesculo nec mitior animum Mauris anguibus, h. e. o tu, quae adhuc durissimo animo amorem meum aspernata es. *Mauris*, saevioribus enim anguibus scatebat inprimis Mauritania.

CARMEN XI.

Ut in carmine antecedente Lycen, ita in hoc poeta Lyden, puellam pariter adhuc asperam et ferocius amatorum blanditias respuentem, mitiorem et sibi procliviorem reddere studet. In partes igitur vocat tam lyrae inventorem, Mercurium, quam ipsam lyram, enarransque, quomodo dulcissimo eius cantu Orpheus non solum saevas bestias mitigaverit, arbores acciverit et fluviorum cursum inhibuerit, sed apud inferos quoque Cerberum adeo suaviter demulserit et Ixionem Tityumque recreaverit, mira arte ad fabulam Danaidum in hoc carmine sibi tractandam delabitur, utpote consilio suo Lyden ab animi duritie deterrendi ei mollioris animi sensu imbuendi accommodatissimam. Cardo enim totius carminis vertitur fere in his: *O testudo — Dic modos, Lyde quibus obstinatas applicet aures, — Audiat Lyde scelus atque notas Virginum*

poenas cett. Quod si tenemus, neutiquam de nexu huius carminis cum *Homio* et aliis laborabimus, imo poetae in adornandis et scite inter se nectendis iis, quae primariae carminis sententiae egregie respondent, artem et ingenium admirabimur.

v. 1—8. *nam te docil. mag. mov. Amph. lap. can.* pro vulgari: namque potes (sc. modos dicere, quibus durissimi animi Lyde moveatur), posuit exemplum Amphionis, quem Mercurius, *curvae lyrae* (supr. I. 10. 6.) *parens*, et lyra donasse et eius cantu lapides adeo movere docuisse traditur; hinc, cum ille in exstruendis muris Thebanis lyra caneret, lapides eius cantu moti sponte in ordinem suum se composuisse finguntur; vid. Apollod. III. 5. 5. Pausan. IX. 5. 8. cf. infr. Epist. ad Pis. v. 394 sqq. — *testudo*, apposite pro: lyra, quippe quam ita invenisse dicitur Mercurius, ut primum super testudine (h. e. testa, in quam testudo se recipit, concava) nervos intenderet; locus classicus in hanc rem est in Hom. Hymn. in Mercur. v. 47 sqq. — *callida*, quae calles; *res. sept. nerv.* hinc *λύρα ἑπτάχορδος*, *ἑπτάτονος*,

Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures.
Quae, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers et adhuc protervo
Cruda marito.

ἑπτάφθογγος. — *Nec loquax olim neque grata*, quae, cum olim nondum nervos intentos haberes, nec garrulos sonos edebas, nec cuiquam voluptatem creabas. — *Divit. mens. et amic. templ.* hinc illa *δαιτὸς ἑταίρη* et *χοροιτύπος* Hom. H. in Merc. v. 31. De lyrae usu in sacrificiis *Boettig.* laudat Dionys. Halic. Ant. Rom. 7. p. 1487. 11. — *obstinatas aures*, auribus iam tribuitur, quod ad Lydes animum referendum est.

v. 9—12. *velut equa trima*, similiter Hor. supr. II. 5. 6. Lalagen, puellam nondum amorum, sed tenerae aetatis adhuc lusibus et iuvenili petulantiae deditam, cum *iuvenca, in udo salicto cum vitulis ludere praegestiente*, comparat, ubi in not. Anacreontis locum LXI. 9. 10. poetae in hac comparatione obversatum iam attulimus. — *ludit exsultim*, *σκιρτῶσα παίζει* apud Anacr. l. l. — *metuitque tangi*, et cavet sibi, ne quis eam attrectet, h. e. nec se attrectari patitur; *metuit tangi*, ut supr. II. 2. 7: *penna solvi metuens*, ubi cf. not. — *tangere* de tactu libidinoso in re venerea, ut passim; similiter *attrectare mulieres* apud Cic. pro M. Coel. 8. et Suet. Ner. 26. hinc supr. *Pallas intacta* pro: integra, casta. — *Nuptiarum expers*, infr. Epist. II. 1. 132: *ignara puella mariti*.

— Omnes, quos vidi, interpretes haec verba ad *equam* referunt et rem inhonestam vocabulis honestioribus expressam esse putant, ita ut *expers nuptiarum* sit equa, quae nondum equum admiserit; per *protervum maritum* autem equus in venerem ruens designetur; sed quidni iungere quoque liceat: *Quae, — nuptiarum expers* (nondum ad libidinem proclivis) *et adhuc protervo cruda marito* (repugnans adhuc libidinosi amatoris deliciis) *ludit exsultim metuitque tangi*, *velut equa trima latis campis*, sc. ludere et tangi metuere solet? — *nuptiae* et *nuptias facere* passim de fructu amoris haud legitimi; vid. *Interpr.* ad Petron. c. XXV. ut *γάμος* et *γαμεῖν* apud Graecos; vid. *Hemsterhus.* ad Aristoph. Plut. p. 401. 2. et *Schrader.* ad Musaeum p. 123. — *maritus*, ut passim *coniux*, de quovis amatore vel amica, et *coniugium* de amore haud legitimo. — *adhuc cruda marito*, nondum matura, nondum mollem mitemque se praebens amatori, aspera; translatum a pomis *crudis*, h. e. immitibus adhuc et acerbis; hinc supr. II. 5. 10. Lalage ferocius adhuc amatores reiiciens cum *immiti uva* comparatur et Theocrito XI. 21. Galathea eadem de causa *φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς* dicitur.

Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere et rivos celeres morari;
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulae,
*Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius atque
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.*

v. 18. Vocem *eius* nimis tenuem et languidam esse in hac sublimiore carminis lyrici oratione, omnes senserunt interpretes. Quapropter alii emendando huic loco operam dederunt, ac *Bentl.* quidem pro *eius atque* tentavit *exeatque; Cuningh. aestuetque; Gesnerus effluatque; Doer. aestus atque;* alii totam hanc stropham tanquam pannum poetae aliunde assutum damnarunt et asteriscis notandam censuerunt. Sunt autem, qui ita iudicarunt, magni nominis critici: *Eichst.*, *Heinr.*, *Naeke*, *Buttm.*, *Weber*, *Mein.* Nuper quidem disputavit contra eos *Iahnius*, cui assentitur *Orell.*; sed frustra, opinor. Non solum enim illud languidum *eius* indignum est Horatio, sed tota haec Cerberi descriptio infringit potius quam auget vim loci, cum *ianitor aulae* satis iam designatus sit uno epitheto *immanis.* Si conferimus Od. II. 19. 29 sqq. et Od. II. 13. 33 sqq., ubi in simili re Cerberi mentio fit, nihil videmus ornatus causa adiectum, nisi altero loco epitheton *centiceps*, altero verba *ore trilingui.* Sed hunc ipsum utriusque loci ornatum etiam hic addere studuit librarius aliquis solo epitheto *immanis* nondum satis contentus; *centiceps* autem eodem modo intellexit, ut *Porphyr.*, qui explicat: Cerberum dixit, propter multitudinem anguium, qui in capite eius eminebant." Verbum *spiritus* desumtum videtur ex Od. II. 17. 13: *Chimaerae spiritus igneae;* verba *sanies manet* ex simil. Ov. descriptionibus. — *R.*

v. 13—20. *Tu potes tigres*, cantus tui dulcedine comites ducere potes tigres silvasque; de cantus vi similiter Cicero pro Arch. 8: *bestiae saepe immanes cantu flectuntur et consistunt.* Respicit autem poeta, ut quivis ipse videt, ea, quae Orpheus lyrae cantu effecisse traditur; hinc quod lyra *silvas comites ducere* (h. e. arbores adducere, ut lyra canentem tanquam comites sequantur), et *morari celeres rivos* dicitur, egregie respondet iis, quae supr. I. 12. 9—12. de Orpheo narrantur. Cf. Ep. ad Pis. 393. — *Cess. imm. tibi bland. Ian. aul. Cerb.* horrendum illum Orci ianitorem, Cerberum, vicerunt blanda tua carmina, h. e. ita ceperunt et deleniverunt, ut Orpheo libere Orcum adeundi faceret copiam. — De Orphei in Orcum ad Eurydicen suam inde reducendam descensu et admirabili, quam eius carmina ibi habuere, vi, locus classicus est apud Virg. Georg. IV. 467 sqq. — *Ianitor aulae*, ut Virg. Aen. VIII. 296: *ianitor Orci.* — *immanis*, *Mitsch.* cum *Lambino* ad *aulae* referendum esse putat; sed ut nihil dicam, *Cerberi* iam magis, quam *aulae*, immanitatem favere rei, de qua sermo est, Virgilius quoque Aen. VI. 418. de Cerbero: *Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat, adverso recubans immanis in antro.* — *furiale*, Furiarum more angues pro crinibus habens; sic *Furialis incessus* de tali, quali Furiae se inferre solent, apud Liv. VII. 17.

Quin et Ixion Tityosque voltu
Risit invito, stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo
Seraque fata,
Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae, nam quid potuere maius?
Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis face nuptiali
Digna periurum fuit in parentem
Splendide mendax et in omne virgo

v. 21—24. *Ixion*, de Ixione ab Iove, quod Iunonis pudicitiam tentare ausus fuerat, ad Tartara detruso ibique ad sceleris poenam luendam rotae implicito cf. Virg. Georg. l. l. v. 484. *Tityosque*, cf. supr. ad II. 14. 8. — *voltu risit invito*, en vim carminum eos quoque, qui alias a voluptatis sensu alienissimi sunt, suaviter afficientium! Ixion enim et Tityus auditis Orphei carminibus non poterant facere, quin frontem sollicitam exporrigerent et excitatum voluptatis sensum vultu praeferrent. — *urna*, non dolium, ut putat *Iani*, cuius v. 27. fit mentio, sed vas, quo aqua hausta in dolium infunditur; itaque haec ipsa *urna Danaidum* apud Propert. IV. 11. 28: *humeros premere dicitur.* — *Danai puellas*, fabula de quinquaginta Danai filiabus, quae praeter Hypermnestram sponsos suos nocte nuptiali patris iussu occidisse feruntur, in vulgus nota; vid. Apollodor. II. 1. 5.

v. 25—32. *notas*, famosas, infames, ut supr. III. 4. 7: *notus Orion.* — *et*, particula explicativa: nempe, scilicet. — *inan. lymph. Dol. fund. per. im.* elegantissima dolii perforati designatio; dolium enim perforatum semper inane est aquae, quod illa infusa non in eo continetur, sed imo fundo perit, h. e. transfluit. Ad hoc pertusum Danaidum dolium spectat proverbium: εἰς τετρημένον (vel τετρυπημένον Lucian. Dial. Mort. XI. 4.) πίθον ἀντλεῖν. — *fata*, poenas, *sera*, ipse explicat: *quae manent culpas sub Orco* — *etiam*, sc. post mortem. *maius*, scelestius. — *duro*, saevo.

v. 33—44. *Una*, Hypermnestra. Aeschyl. Prom. 865. — *periurum patrem*, quod fidei et pietatis, quam ut socer generis suis debebat, sanctitatem contaminavit. *splendide*, cum insigni honestioris animi gloria;

Nobilis aevum,
Surge, quae dixit iuveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur: socerum et scelestas
Falle sorores,
Quae, velut nactae vitulos leaenae,
Singulos eheu lacerant: ego illis
Mollior nec te feriam neque intra
Claustra tenebo.
Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci;
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.
I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus; i secundo
Omine et nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

v. 52. *Scalpe*, plerique Codd. *Sculpe*, quod alii praebent libri, praetulerunt *Fea* et *Vanderb.* — *R.*

causa enim, ex qua fidem periuro patri datam, se sponsum occisuram esse, fefellerat Hypermnestra, fuit honestissima, sponsi nempe innocentis salus. Hinc Pindarus quoque Nem. X. 6. hanc Hypermnestrae fraudem probat. *Mitsch.* in hanc rem profert, quod de mendacii in bonae rei finem adhibiti honestate praecipit Sophocl. Philoct. 110. Cum suavi loquendi genere autem *splendide mendax* (ubi adiectum rei repugnat, oxymoron appellant), comparant huic simillimum: *gloriose mentiri* apud Cicer. p. Mil. 27. et *gloriosum scelus* apud Senec. Ep. 95. — *Surge, quae dixit* cett. vide, quantam gravitatem toti huic carmini conciliat Hypermnestrae oratio! De qua quidem poetae nostri lectores suos in mediam rem abripiendi arte cf. supr. argum. III. 3. — *iuveni marito*, Lynceo. *longus somnus*, quo, ut Virgil. Aen. X. 746. canit, in *aeternam clauduntur lumina noctem* pro: morte, ut supr. I. 24. 5: *perpetuus sopor.* — *unde*, a quibus. — *vitulos* apposite ad comparationem iuvenum, quos ipse Venusinus Horatius *iuvencorum* nomine et imagine supr. II. 8. 21. designat. In rei comparationem passim apud Homerum et alios obviam inter alia laudant Eurip. Iphig. in Taur. 297. Senec. Thyest. 735. — *intra claustra tenebo*, intra thalamum retinebo, ut alius te necet.

v. 45—52. *Me pater saev. oner. cat.* et vere Danaus, uti narrat Apollodor. II. 1. 4: *καθείρξας αὐτὴν ἐφρούρει.* — *clemens*, humanitatis sensu tacta. — *i, pedes quo te rap. et aurae*, similiter infr. Epod. XVI. 21: *Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas Notus vocabit aut protervus Africus.* — *rapiunt*, celeriter hinc te auferunt; gravius igitur quam: ferunt. *Venus*, amantium patrona. — *et nostr. mem. sepulc. scalp. querelam*, quam eleganter! pro vulgari: et sepulcri mei monumento tristem in memoriam meam insculpe titulum. Cf. Ov. Heroid. XIV. 128.

CARMEN XII.

AD NEOBULEN.

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
Mala vino lavere aut exanimari metuentes
Patruae verbera linguae.
Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas

CARMEN XII.

Neobules, cui patrui minae et obiurgationes, quod formosum quendam iuvenem amabat, extimescendae erant, miseram sortem dolet. Sententiarum nexus huius brevioris carminis, super cuius consilio mira commenti sunt interpretes, hic est: miserae profecto sunt puellae, quibus neque amare neque vino curas abigere licet aut, si hoc vel illud tentant, metuenda statim est patrui severitas. Eiusmodi puella misera tu quoque es, Neobule, dum Hebrum, tam pulchritudine quam iuvenilibus artibus insignem, perdite amas. — [Imitatus videtur Horatius Alcaei carmen, cuius initium servavit Hephaestio p. 67. Gaisf.: Ἐμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν. Neque tamen propter hunc ipsum Alcaei versum crediderim, nostrum quoque carmen Neobules esse *μονόλογον*, ut praeter alios statuit *Orellius.* — Metricam huius carminis rationem exposuit *Hermannus*, Elem. Doctr. Metr. p. 472. — *R.*].

v. 1—3. *Miserarum est*, sc. puellarum conditio. *amori ludum dare*, amare, amori indulgere; Cic. pro Cael. 12: *datur concessu omnium huic aliquis ludus aetati.* — *mala vino lavere* (antique pro *lavare*, ut supr. III. 4. 61.), curas vino diluere; *Siccis omnia nam* (ut Hor. supr. I. 18. 3—4 loquitur) *dura deus proposuit neque Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.* — *aut. exanim. metu. Patr. verb. ling.*, h. e. aut, si amori et vitae hilaritati indulgent, dum patrui obiurgationes iis metuendae sunt, angi et sollicitari. — *Patruae verb. ling.* convicia et opprobria patrui. Similiter Cicer. ad Div. XV. 16: *convicio verberare* dixit. Patruorum autem, ut hominum querulorum et fratrum liberos inprimis assiduis obiurgationibus increpantium et castigantium, passim fit mentio; cf. *Torrent.* ad h. l. et quos laudat *Ernestius* in Clav. Cic. s. v. *patruus;* hinc proverbiali locutione severus morum censor et castigator *patruus* dictus est; infr. Sat. II. 3. 88: *Ne sis patruus mihi.*

v. 3—10. *Tibi qual. Cyther.* cett. vide, quam egregie poeta vulgarem sententiam: „*tu amas Hebrum*“ exornat, dum Neobulen, quae Hebro conspecto opus statim, quod

Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus;
Catus idem per apertum fugientes agitato
Grege cervos iaculari et celer arto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

v. 7. Hunc versum post nonum posuit *Aldus*, Codicem Vindobon., ut ait, secutus. Sic ediderunt *Lamb.* et alii. Sed omnes, qui nunc exstant, Codd. hunc ordinem non agnoscunt. — v. 11. *arto*, quod multi Codd. praebent, *Lamb.*, *Bentl.*, *Fea*, *Iahn*, *Mein.* coll. recte praetulerunt alteri lectioni *alto*. Odyss. XIX. 439: *ἐν λόχμῃ πυκινῇ κατέκειτο μέγας σῦς*. Vide *Obbar.* in Iahnii Annal. Philol. et Paed. VIII. 4. p. 374. *R.*

tractat, intermittere et oculis animoque in eo solo morari fingitur, viva imagine ut perdite amantem nobis repraesentat! Comparant dulcissimos in hanc rem versus Sapphus. (Fr. 32.): *Γλυκεῖα μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκην τὸν ἱστὸν, Πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς βραδινὰν δι' Ἀφροδίταν*, et Incerti Epigr. LIX. 3. 4. Anth. Graec. T. IV. p. 129. — *qualum*, calathum sive canistrum vimineum, in quo mulieres pensa sua reponere solent. — *ales* pro: alatus; ut infr. IV. 11. 26: *Pegasus ales.* — *Minervae studium*, artes muliebres, quibus praeest earum inventrix et magistra, Minerva, unde illa *operosa*, h. e. gnava, industria, Graecis *Ἐργάνη* dicitur. — *nitor Hebri*, pulcher Hebrus, ut supr. I. 19. 5: *Glycerae nitor.* — *Liparaei*, e Lipara, Aeoliarum insula una, oriundi. — *unctos*, sc. oleo, quo quidem in natationis quoque exercitatione inungi solebant iuvenes; hinc infr. Sat. II. 1. 7: *ter uncti Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto.* — Caeterum de gymnicis iuvenum Romanorum exercitationibus cf. supr. I. 8. 5 sqq. et ibi not. — *Bellerophonte*, Pegasi domitore. *catus*, doctus, sciens; ut supr. I. 10. 3. — *agitato*, a canibus puta, *grege*; similiter Virg. Aen. I. 185. congregatorum cervorum agmen *armenta* vocat; nos: *Rudel*. — *arto lat. fruticeto*, Ov. Metam. XV. 488: *densis latet abdita silvis.* ibid. I. 122: *densi frutices.* — *excipere*, ut Graecorum *ἐκδέχεσθαι*, de venatoribus, qui in insidiis collocati feras inopinatas opprimunt; vid. *Burm.* ad Phaedr. Fab. I. 11. 6. et ad Val. Flac. VI. 422.

CARMEN XIII.

AD FONTEM BANDUSIAE.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus,
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus
Primis et Venerem et proelia destinat.

v. 1. Codd. nonnulli *Blandusiae* (et sic *Lamb.*). *R.*

CARMEN XIII.

Ut fontem limpidum et umbrosis arboribus consitum, Bandusiae, non procul a Venusia scaturientem, aeternitati consecret, sollemne, quod vinum libando, flores spargendo et haedum mactando in eius honorem crastino die instituturus est, indicit sacrificium. — Poetas Graecos exemplo suo in celebrandis et consecrandis fontibus amoenis Horatio praeivisse, vel ex versu 13, *Fies nobilium tu quoque fontium*, manifestum est.

v. 1—8. *Bandusia*, „Acron ad h. l. observat, Bandusiam fuisse agri Sabinensis regionem, in qua Horatii ager Sabinus fuerit. Inde vulgo statuunt, *fontem Bandusinum* aqua sua *Digentiam rivum* effecisse, quem Hor. Ep. I. 16. 12. et 18. 104. in vicinia villae suae fluere commemoravit. Sed praeter quod Hor. ipse vv. *fons rivo dare nomen idoneus* indicavit, et fonti et rivo *Digentiae* nomen fuisse; dudum etiam Capmartin de Chaupy docuit, *fontem Bandusinum* in Apulia, sexto circiter milliario Venusia, situm fuisse.“ *Iahn.* — *splendidior vitro*, limpidissimus. Ovid. Heroid. XV. 157: *Est nitidus vitreoque magis perlucidus amni;* ubi plura in hanc rem dedit *N. Heinsius;* passim autem, quae perlucida sunt, cum vitro comparantur; hinc supr. I. 18. 16. *fides — vitro perlucidior;* unde *vitreus* (Graecis *ὑάλινος*, *ὑαλόεις*), pro: splendidus, perlucidus; cf. supr. I. 17. 20. et infr. IV. 2. 3: *vitreo daturus Nomina ponto.* — *dulci digne mero*, digne, cui dulce vinum libetur; *non sine floribus*, flores aeque ac vinum libatum,. ut rem sacram, fontis aquae inspersos esse puta. Varro de L. L. VI. 22: *Fontanalia a fonte, quod is dies feriae eius; ab eo tum et in fontes coronas iaciunt et puteos coronant.* — Haud ipsi quidem fontis aquae, sed Nymphae, quae domum suam in hoc fonte habere putabatur, hos divinos honores factos esse, vix monere attinet; hinc supr. I. 7. 12. fons Albunea *domus Albuneae*, sc. Nymphae, vocatur. Nymphae igitur fontis Bandusii iam munera spondet, quae alias diis agrestibus offerri solebant; de *vino Mitsch.* laudat Leonid. Tar. Carm. XXXV. Anth. Gr. T. I. p. 163. et de *floribus* eundem Carm. XXX. l. l. p. 161. — *Cui frons turgida corn. pr. et Ven. et proel. dest.*, suavissima haedi annui vel anniculi circumscriptio; id aetatis enim haedus, cum prima cornua in eius

Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere, tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

v. 16. Lectio nonnullorum Codd. *Nymphae*, quam probat *Gesnerus*, prorsus est inepta; deae ipsae enim per saxa non desiliunt. *R.*

fronte turgescere incipiunt, ad proelia et Venerem proclivis fit; pro vulgari autem: *Quem fr. turg. corn. pr. et Veneri et proeliis destinat*, h. e. ad Venerem et proelia proclivem reddit, inversa loquendi ratione dixit: *Cui f. t. c. p. Venerem et proelia destinat.* — Caeterum simili suavitate Hor. infr. III. 22. 7: *annuum verrem*, et IV. 2. 57: *vitulum* describit. — *Frustra*, sc. aetas eum Veneri et proeliis destinat; *nam gelidos infic. t. rubr. sang.* cett. expende ornatum vulgaris sententiae: nam in tui honorem ille immolabitur. — Aram igitur prope fontem exstructurus erat poeta. De eiusmodi arae inscriptionibus, *v. c. Fontis Genio*, vel: *Fonti Divino. Aram. Posuit.* vide quos laudat *Boettig. Gruter.* p. XCIV. 3. 6. *Fabretti* c. VI. p. 432. 4. 5. 7. — *inficiet*, h. e. imbuet; hostiae sanguinem fonti immissum esse puta. — *tibi*, in tui honorem.

v. 9—16. *atrox hora flagrantis Caniculae*, aestus sub Caniculae ortu saeviens. *Canicula* tam de *Sirio*, quam de *Procyone*, *Antecane*, intelligi potest; vid. *Salmas.* ad Solin. p. 305. cf. infr. III. 29. 18. — *hora*, de quovis anni tempore; *horae Septembres* infr. Epist. I. 16. 17. *horae brumales* apud Ovid. Met. IV. 299. cf. supr. I. 12. 16. — *nescit tangere* pro: non tangit; *nescire* saepius apud poetas inservit periphrasi part. negat.: *non.* — *fies nobilium fontium*, Graece pro: unus nobilium fontium; exempla de hoc loquendi genere dedit *Iani* in Art. Poet. p. 187. — Per *nobiles fontes* intellige v. c. Hippocrenen, Dircen, Arethusam cett. — *me dicente cav. impos. il.* cett. dum ego carminibus meis te celebro; pro tenui *te* suaviter poeta ipsius fontis e saxis cavis, quae superimpendens ilex inumbrat, prosilientis situm et speciem adumbrat; comparant Theocrit. VII. 137: *τὸ δ' ἐγγύθεν ἱερὸν ὕδωρ Νυμφᾶν ἐξ ἄντροιο κατειβόμενον κελάρυσδε.* — *loquac. lymph. desil.* similiter Hor. infr. Epod. XVI. 48: *montibus altis Levis crepante lympha desilit pede.*

CARMEN XIV.

AD POPULUM ROMANUM.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum
Caesar Hispana repetit Penates
Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata divis,

v. 6. *divis*, vulgata lectio, quam Codd. permulti ac veteres Scholiastae tuentur. Lectionem alteram *sacris* praetulerunt *Mein.* et *Or.* — *castis* — *sacris*, coni. *Bentl.* — *R.*

CARMEN XIV.

Cum Augustus Cantabris perdomitis ex Hispania victor in urbem rediret (U. C. DCCXXX. vid. Dio LIII. 28.), diem festum poeta tam publice Augusti coniugi, sorori et aliis matronis nuptisque puellis, quam sibi privatim celebrandum, hoc carmine indicit. Laetitiam autem suam de felici Augusti reditu expressurus est ita, ut, dum illae sollemni pompa ad supplicationem prodeant, ipse privatim inter vini vetustioris pocula et inter amoris lusus (ad quos arcessi iubetur Neaera, psaltria,), summa hilaritate hunc diem transigat.

v. 1—4. *Herculis ritu* cett. Sententia: Augustus, o plebs, qui modo ad Herculis exemplum forti animo pro victoria ab hostibus reportanda vitae discrimen adiisse dicebatur, iam victor ex Hispania in urbem redit. — *Herculis ritu*, Augustus ut remotissimorum populorum victor apposite cum Hercule, tam victoriis quam erroribus suis per totum terrarum orbem insigni, comparatur; hinc Virgilius quoque in Anchisae de futuris Augusti super populis remotissimis victoriis vaticinio Aen. VI. 802: *Nec vero Alcides tantum telluris obivit.* Haec Augusti autem cum Hercule comparatio iam multo magis quadrat, quod Hercules quoque Geryone in Hispania occiso, iter suum in Italiam flectebat. — *modo*, paulo ante; refer ad expeditionis celeritatem; vix Augustus bellum incepisse putabatur, cum iam inde victor rediret. — *mort. venal. petiisse laurum*, quam praeclare pro vulgari: hostium vincendorum causa vitae periculum subiisse. *laurus morte venalis*, victoria, quae vita emi debet, h. e. victoria, cuius impetrandae causa vitam aliquis contemnere debet; simili elegantia *honorem vita emere* dixit Virgilius Aen. IX. 206.

v. 5—12. *mulier*, Livia. *unico*, praestantissimo, egregio; qui in re nota exempla desiderat, adeat *Heins.* ad Ovid. Met. III. 454. — *prodeat*, sollemni pompa, de qua *prodire* proprie. — *operata divis*, diis operans, h. e. vota pro salute mariti suscepta nunc sacro faciendo exsolvens; *operata*, *ἀορίστως* pro praesente, ut passim; Tibull. II. 1.

Et soror clari ducis, et decorae
Supplice vitta
Virginum matres iuvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri et puellae
Iam virum expertae, male ominatis
Parcite verbis.

v. 11. *Iam virum expertae.* Codd. omnes. — *et iam virum expertae*, coni. *Torr.* — *non virum expertae*, suspic. *Bentl.* — *iam virum expertes*, coni. *Cuning.*, quem secuti sunt *Iani*, *Mitsch.*, *Fea*, *Iahn.* Recte vulgatam retinuerunt *Doer.*, *Mein.*, *Or.* — ibid. Codd. exhibent partim *male ominatis*, partim *male nominatis* (δυςωνύμοις). Illud recte plerique praetulerunt, cum hiatus excusari possit; hoc ipsius hiatus evitandi causa a librariis inventum videtur. *Bentl.* coni. *male inominatis.* *R.*

9: *Omnia sint operata deo* pro: operentur; et sic apud Virgil. Georg. I. 339. Ovid. Art. Am. III. 411. et 635. Am. II. 7. 23. et saepe alibi. — *iustis*, „qui Caesari victoriam et reditum merenti dederint.“ *Porphyr.* — *soror clari ducis:* Octavia. *matres supplice vitta decorae*, h. e. vitta, ut decet supplicatum euntes, redimitae; sic infr. Epod. II. 17: *cum decorum* (h. e. pulchre redimitum) *mitibus pomis caput Autumnus arvis extulit:* et apud Ovid. Fast. II. 503: *Romulus — trabea decorus*, h. e. ornatus. — *supplice* ad personam, quae vittam gerit, referendum. — *virginum*, nuptarum nempe, quarum mariti salvi ex bello redierant; sic supr. II. 8. 23. novae coniuges *virgines nuper nuptae*, et apud Virg. Eclog. II. 6. 47. Pasiphae Minoi nupta *virgo infelix* dicitur; *nuper*, ex bello recentissimo Cantabrico. — *Vos, o puer. et puell. iam virum expertae, mal. omin. parcit. verb.* Sensus: Vos ipsi, o iuvenes mariti et nuptae puellae, ne amplius iacite male ominata ista verba, quibus ruptum iri tristi bello vestrum coniugium augurabamini; immo (hoc enim inde elici debet) in pristinam amoris mutui felicitatem nunc restituti bona verba facite. — Haec quidem ratio, qua hunc locum vexatissimum expedire studui, facillima et tam rei, quam verbis accommodatissima mihi visa est. Recepi autem antiquam lectionem: *et puellae Iam virum expertae*, h. e. nuptae. Poeta scilicet, ut eo magis appareret, iam de puellis nuptis sermonem esse, consulto addidit: *Iam virum expertae*, quamvis alias ipsae nuptae vel coniuges simpliciter *puellae* appellari solent; sic v. c. Penelope in Epistola ad maritum suum Ulyssem apud Ovid. Her. I. 115. *se puellam vocat*, et infr. III. 22. 2: *puellae utero laborantes.* — At longe aliter de hoc loco sentiunt interpretes recentiores, qui lectione: *Vos o pueri et puellae Iam virum expertes*, quae *Cuningamii* debetur ingenio, in textum recepta de pueris, qui patribus, et de puellis, quae maritis suis in bello privatae sint, agi autumant. Sed, ut nihil dicam, quod recte iam monuit *Gesnerus*, importuno plane loco sic rei tristissimae iam mentionem fieri, ipse usus loquendi huic explicationi repugnat. *Puella* enim *viri expers* ea demum recte ita dicitur, quae

Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum
Nec mori per vim metuam tenente
Caesare terras.
I, pete unguentum, puer, et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.
Dic et argutae properet Neaerae
Murreum nodo cohibere crinem;

v. 22. *Murreum*, cum plerisque Codd. recte scripserunt *Bentl.*, *Iani*, *Vanderb.*, *Mein.*, *Or.* — *Myrrheum*, alii. — *cohibente*, coni. *Bentl.*, ut sententia sit: „properet venire coma in nodum religata.“ Sed nemo non videt, Neaeram iuberi propere cohibere crinem, ut eo citius veniat. *R.*

cum viro non consuescit, vel, ut cum Virgilio Aen. IV. 550. loquar, *vitam thalami expertem* degit, non ea, quae viro orbata est. Et quis *pueros expertes*, ne voce quidem *patrum* adiecta, de pueris, qui patribus suis in bello privati sint, recte accipiat? Nec melius procedit ratio eorum, qui *puellas iam virùm expertes* de innuptis interpretantur, ita ut *iam* pro: nunc adhuc, positum sit. Profecto si Horatius *iam virùm expertes* scripsisset, haud dubie nuptas, quae consuetudinis cum marito huc usque exsortes vixerint, intellexisset. Donec igitur non meliora afferentur, antiquam lectionem servandam esse existimo.

v. 13—20. *tumultum*, de bello vel domi vel in proximis finibus subito exorto. *mori per vim* pro vulgari: mortem violentam. — *pet. ungu.* — *coron.* cf. supr. II. 7. 23 sqq. — *et cad. Mars. mem. duelli*, exquisite pro: vinum anno, quo bellum Marsicum saeviit, conditum i. e. vetustissimum; *de bello Marsico*, a Marsis, praecipuis eius auctoribus, ita appellato, vel, ut idem vocari solet, *Italico* seu *Sociali*, quod U. C. DCLX. usque ad annum DCLXII. insigni atrocitate de civitatis iure gestum est, vid. Flor. III. 18. Videtur autem vinum bello Sociali natum praestantia sua inprimis nobile fuisse, cum Iuvenalis quoque V. 31: *uvae bellis Socialibus calcatae* cum laude mentionem fecerit; cf. ibi *Rupert.* in *Comment.* ad h. l. — *Spartac. si qua pot. vag. fall. test.* si qua ratione fieri potuit, ut circumvagantem Spartacum lateret vino illo impleta amphora; de *Spartaco*, perniciosissimi illius in Italia belli (U. C. DCLXXIX.), quod *Servile* appellari solet, concitatore, res nota; vid. Vell. II. 20. Flor. III. 20. — *qua*, sc. ratione, pro: forte, ut Virg. Aen. I. 18: *si qua fata sinant.*

v. 21—28. *Dic et argut. prop.* cett. plane uti supr. II. 11. 21 sqq., ubi pariter ad hilare convivium arcessi iubetur psaltria, Lyde, quae ad psaltriarum levitatem et causam simul, ex qua illae advocari solebant, indicandam *scortum* ibi vocatur. — *argutae*, h. e. canorae; notissimum est illud Virgilii: *argutos inter*

Si per invisum mora ianitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae;
Non ego hoc ferrem calidus iuventa
Consule Planco.

CARMEN XV.

IN CHLORIN.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae fige modum tuae
Famosisque laboribus:
Maturo propior desine funeri

v. 2. Pro *fige* plures Codd. praebent *pone*, quod vulgarius verbum est. — *R.*

strepit anser olores; similiter apud Graecos in laudem passim dicitur *λάλιος*; vid. *Ruhnken.* ad Hermesian. Eleg. v. 78. — *properet nodo cohibere*, festinantius in nodum colligat; cf. supr. l. l. v. 24. — *Murreum*, h. e. *myrrha*, ut Virg. Aen. XII. 100. de coma dixit, *madentem*: minus bene alii a myrrhae colore ad fuscum crinis colorem referunt. — *invisum*, difficilem nempe. — *Lenit albescens* cett. quam praeclare! in hanc fere sententiam: iuvenilis enim ille calor, quo eiusmodi moras non tulissem, deferbuit et aetate mitigatus est. — *ferrem* pro: tulissem. *Consule Planco* U. C. DCCXII. collega M. Aemilio Lepido; fuit igitur Horatius sub Planci consulatu iuvenis annorum ferme viginti trium.

CARMEN XV.

Cum Chloris, licet iam anus facta, ambitiose tamen et proterve inter puellas adhuc nitere et iuvenes, ut olim, amoris sui illecebris irretire studeret, poeta ei in hoc carmine, ut modo tandem nequitiae posito et partibus, quas olim egerit, filiae suae Pholoae traditis in lanificio potius, quod magis deceat vetulam, operam suam et studium ponat, non sine amaro risu dat consilium. — Similiter Hor. supr. I. 25. *Lyden*, et infr. IV. 13. *Lycen*, ut vetulas inepte amoribus adhuc deditas, contumeliose traducit. — Caeterum in hoc tractato argumento Graeci cuiusdam poetae vestigiis Horatium institisse, ex totius carminis indole satis certo colligi potest.

v. 1 — 6. *pauperis*, contumeliose ad sortem Chloridis humiliorem indicandam. *famosis laboribus*, infami, quo quaestum corpore adhuc fecisti, libidinis exercitio. — *maturo propior funeri*, morti, cui pro aetate tua matura es, vicinior; hinc infr. in Epist. ad Pis. v. 115. *maturus senex*. Nicarch. Epigr. XII. 4. Anth. Graec. T. III. p. 61 (Anth. Pal. II. p. 342.): *ἀλλ' ὅτι ταύτην Οὐκ ἄνδρα ζητεῖν νῦν ἔδει, ἀλλὰ τάφον.* Aristoph. Vesp. 1355. — *ludere*, delicias facere, amantium more iocari; *candidis stellis nebulam spargere* iam est: libero adspectui nitentium puellarum nebulae instar, quae earum splendorem intercipit, offundi.

Inter ludere virgines
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Pholoën satis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat iuvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivae similem ludere capreae:
Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae, decent
Nec flos purpureus rosae
Nec poti vetulam faece tenus cadi.

v. 16. *vetula*, Codd. non pauci (et sic *Vanderb.*). Sed longe significantior et exquisitior altera lectio *vetulam* (sc. te decent), qua magna cum vi causa adiicitur, cur illi non liceat amplius conviviis interesse. *R.*

v. 7 — 12. *si quid Phol. satis*, sc. ut puellam in aetatis flore constitutam. *Expugn. iuven. dom. Puls. Th. u. conc. tymp.* Chloris igitur lasciviorum puellarum more adhuc comissari et furore Bacchico quasi percita iuvenum domos effringere solebat; — cum Bacchis autem haud raro comparari solent furibundae mulieres, vetulae inprimis, libidinis furore agitatae; vid. *Mitsch.* — *tympano*, eiusmodi *tympani* figuram ex marmore profert *Spohnius Miscell. Erud. Antiqu.* Sec. I. Art. 6. fuse de eius in sacris usu disputat *Perizon.* ad Ael. IX. 8. — *Lasciv. sim. lud. capr.* capreae more se lasciviorem et proterviorem gerere. Comparant Dionys. Per. 843: *παρθενικαὶ νεοθηλέες οἷάτε νεβροὶ Σκαίρουσι.*

v. 13 — 16. *Te lan. prope nobil. Tons. Lucer.* Multum sane fellis et acerbitatis habet haec lanificii, ad quod, tanquam ad proprium vetularum opus, Chloridem amandat, commendatio. Similiter vetulae pristinae levitatis poenam lanificio luere iubentur apud Tibull. I. 6. 77 sqq. Inprimis huc spectat a *Mitsch.* laudatum Epigr. Incert. Auct. LXXXII. Anth. Graec. T. IV. p. 134 (Anth. Pal. I. p. 278.): *Ἡ τὸ πρὶν αὐχήσασα πολυχρύσοις ἐπ' ἐρασταῖς, Ἡ Νέμεσιν δεινὴν οὐχὶ κύσασα θεόν, Μίσθια νῦν σπαθίοις πενιχροῖς πηνίσματα κρούει. Ὀψέ γ' Ἀθηναίῃ Κύπριν ἐληΐσατο.* — *Luceriam*, oppidum Apuliae, lanae praestantia ob egregia, quae ibi erant, pascua nobile. — *flos purpur. rosae*, coronae convivales e rosis nexae; *poti*, pro: epoti, h. e. exhausti, exsiccati; *faece ten. cadi*, psaltrias inprimis, quae interesse solebant comissationibus (cf. carm. anteced. v. 21.), mulieres vinolentas fuisse, operose ad h. l. docet *Mitsch.* — *faece tenus*, *ἐς τρύγα*, cf. supr. I. 35. 27.

CARMEN XVI.

AD MAECENATEM.

Inclusam Danaën turris aënea
Robustaeque fores et vigilum canum

CARMEN XVI.

Quod saepius Horatius probatum ivit, vitae humanae felicitatem non in magnarum opum possessione, sed in animo non plura, quam quibus ad vitam honeste transigendam opus est, appetente positam esse, id semet ipsum exemplo proponens novis sententiarum luminibus in hoc quoque carmine probat. Sententiarum nexus est hic: auro nihil esse potentius, satis quidem constat. Auro enim in turrem aheneam, quae Danaën contra adulteros munire debebat, penetravit Iuppiter; auro in perniciem mariti sui corrupta est Eriphyle; auro urbes expugnavit et vicinos reges de gloria et potestate secum aemulantes suppressit Macedonum rex, Philippus; auro denique navium duces ad perfidiam adducti sunt. Verum enim vero quo quis est opulentior, eo maiore plura habendi cupiditate agitatur. Iure meritoque igitur a divitiarum splendore abhorrui et tranquillo animo in re modica et contemta acquiescere quam curis gravioribus in re lauta macerari malui. Ignorat enim latifundiorum possessor, modicum meum agellum multo maiora mihi praebere gaudia, quam ipsi ingentes suas opes; quamvis enim neque ex melle in Calabria quaestum facio neque in Campania vinum Formianum condo neque greges in praeclaris Galliae Cisalpinae pascuis alo; rerum necessariarum tamen haud ego laboro inopia. Contracta autem plura habendi cupiditate intra exiguos agrorum meorum fines latius mihi regnare videbor, quam si continuos in Asia tractus possideam. Qui multa petunt, nunquam exsatiari possunt. Multo felicius igitur et tranquillius vivunt in re modica constituti.

v. 1—8. Ad vulgarem sententiam exornandam: „nihil tam munitum esse, quod non auro expugnari possit,“ primum utitur exemplo Danaës, quam ne firmissimis quidem munimentis satis tutam ab adulterorum auro praestare potuit Acrisius. Suaviter autem Venerem et Iovem risisse fingit, cum Acrisium vana contra auri potentiam moliri viderent. — Acrisius scilicet, rex Argivorum (ut narrat hanc fabulam Apollod. II. 1 sqq.), de vitae periculo a nepote aliquando sibi timendo divinitus monitus, filiam suam Danaën in aereum thalamum inclusisse et sic sortis eventum eludere voluisse dicitur. Sed Iuppiter cum in aureum imbrem conversus *per tecta* (*διὰ τῆς ὀροφῆς*) sive per *tegulam* (Terent. Eun. III. 5. 35.) in Danaës sinum descendisset, ex illa procreavit Perseum, qui postea avum suum Acrisium inconsulto et temere disci iactu occidisse traditur; cf. Hygin. Fab. LXIII. — *turris aënea*, intellige cubiculum vel thalamum, ubi a potioris sexus aditu secludi apud Graecos virgines solebant, munitissimum, e quo poetae posteriores fecerunt *turrem aëneam* vel *aeratam*, Claud. in Eutrop. I. 82. Apollod. l. l. dixit: *Ἀκρίσιος ὑπὸ γῆν θάλαμον κατασκευάσας χάλκεον, τὴν Δανάην ἐφρούρει*. Paul. Silent. Epigr. XVI. 2. (Anth. Pal. I. p. 147): appellat illum carcerem *χαλκελάτους θαλάμους*. cf. *Mitsch.* et *Boettig.* — *robustae*, e trabibus roboreis contextae, h. e. firmae; hinc *robur* de loco bene munito in carceribus; cf. supr. ad II. 13. 19. — *vigil. can.* de canum gynaeceis additorum custodia laudant Aristoph. Thesmoph. 423. — *tristes*, sc. amatoribus; similiter Ovidio Art. Am. III. 601: *tristis custodia servi* dicitur. — *munierant satis*, eadem structura, ut Cic. ad Fam. XII. 10: *praeclare viceramus, nisi Lepidus recepisset Antonium.* Cf. *Boetticher*, Lexic. Tacit. p. 255 sq. — *munire ab aliquo*, pro: adversus aliquem, ut *defendere ab aliquo* sexcenties; *si non risissent* pro: nisi risissent. — *fore enim*, sc. bene norant, vel: probe gnari; *tutum*, haud interclusum a custodibus, liberum, securum; *pretium* apposite pro: aurum. Hoc vocabulo enim res, quae in fabula latet, adulterum viam sibi ad Danaën custodibus auro vel pretio corruptis aperuisse, simul innuitur. Ovid. Am. III. 8. 30: *Iuppiter admonitus, nihil esse potentius auro, Corruptae pretium virginis ipse fuit;* et hinc apud eundem Met. IV. 610. Danaë Perseum *pluvio auro* concepisse dicitur.

v. 9—16. Locos similes de *auri potentia* vid. apud Interpp. Huc pertinet inprimis sententia, quam de auri munitissima quaeque penetrantis vi eidem Danaes fabulae subnectit Paul. Silent. l. l. 4: *χάλκεα νικᾷ Τείχεα καὶ δεσμοὺς χρυσὸς ὁ πανδαμάτωρ*. — *per medios satellites*, eos scilicet corrumpendo. — *amat*, *φιλεῖ*, non simpliciter pro: solet, ut explicant, sed habet simul adiunctam notionem voluptatis, qua aurum in vi sua ostendenda, tanquam in proprio sibique iucundissimo negotio, versetur. — *saxa*, munitissima quaeque. — *auguris Argivi*, Amphiarai, cuius interitus et omnis, quae eum secuta est, familiae suae clades ab aureo monili, quo se corrumpi passa fuerat eius uxor et Adrasti soror, Eriphyle, repetenda fuit. Nam cum ille fati,

Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium virginis abditae
Custodem pavidum Iuppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium deo.
Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo: concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum

v. 7. *Risisset*, suspic. *Bentl.* Sed cf. v. c. Ep. II. 1. 163: *quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent. R.*

Demersa exitio, diffidit urbium
Portas vir Macedo et subruit aemulos
Reges muneribus; munera navium
Saevos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,

v. 13. *excidio*, pars Codd. (et sic praeter alios *Lamb.*). Praeferendam esse alteram lectionem *exitio* (quam tuetur quoque Priscian. p. 890.) docuit *Bentl.*; „domus enim *demergitur* exitio, sed *evertitur* excidio.“ *R.*

quod, ut vates, sibi in bellum Thebanum profecturo instare animo praeceperat, evitandi causa se occultasset, ab ipsius uxore, quae aureo monili a Polynice corrupta erat, proditus et ad illud bellum protractus est. Quo ubi terrae haustu periisset, eius filius Alcmaeon matris fraudem caede ultus est; ipse autem ob idem monile aureum, cum illud ab uxore, quam repudiaverat, Alphesiboea repeteret, ab eius fratribus occisus est; vid. Apollod. III. 6. 2. Hygin. Fab. LXXIII. — *concidit demersa exitio*, exquisitius pro: demersa est exitio, h. e. corruit et exstirpata est. — *diffid. urb. Port. v. Mac.* Fabulis adiungit res historica fide et experientia confirmatas. — *vir Macedo*, Alexandri M. pater, Philippus, qui, ut Cicero ait ad Attic. I. 16., *omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus auro onustus ascendere posset.* Hinc idem apud Val. Max. VII. 2. ext. 10: *maiore ex parte mercator Graeciae, quam victor* dicitur; cf. Diod. Sic. XVI. 54. — *diffidit*, gravius pro: perrupit, expugnavit. *subruit*, significantius pro vulgari: vicit; *subruere* enim, quod proprie de eo, qui machinis vel operibus muros destruit, dicitur, apposite transfertur ad eum, qui auro et muneribus tanquam machinis alterius potestatem subvertit. — *Mun. nav. s. ill. duc.* refertur ad Menodorum vel Menam, qui muneribus corruptus a Pompeio, cuius classi praefectus fuerat, ad Augustum et ab eo vicissim ad illum defecisse traditur; vid. Dio XLVIII. 45 et XLIX. 1. — *saevos*, h. e. fortes, ut saepe.

v. 17 — 20. *Crescent. sequi. cur. pec.* cf. in hanc sententiam supr. II. 2. 13. Notissimum est illud Iuvenal. XIV. 139: *Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.* Paul. Sil. LXXV. 3. Anth. Gr. T. IV. p. 71: *Πλοῦτον ἔχειν ἐθέλω τὸν ἐπάρκιον· ἡ δὲ περισσὴ θυμὸν ἀεὶ κατέδει χρυσομανὴς μελέτη.* — *maiorum*, sc. bonorum; *maiora*, *τὰ μείζονα, πλείονα*; ut *ἵμερος πλεόνων* apud Theocrit. XVI. 65. — *perhorrui*, gravius pro: nolui; *late conspicuum tollere verticem*, divitiarum gloria exsplendescere. *verticem tollere* (*ὑψαυχενεῖν*) dicuntur, qui vana gloria super alios se efferunt eosque prae se contemnunt; cf. supr. I. 18. 15.

v. 21 — 28. *Quant. quisqu. sib. pl. neg., ab d. pl. fer.* quo minor alicuius est divitiarum cupiditas, eo

Ab dis plura feret: nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemtae dominus splendidior rei,
Quam si, quicquid arat impiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae silvaque iugerum

v. 22. *Ab dis*, Codd. plerique et omnes fere post *Bentl.* editt.; *a dis*, ceteri. — v. 26. *non piger*, pauci Codd. et nonnullae editt., metri scilicet fulciendi causa. Sed posterior vocis *arat* syllaba producitur in arsi. — *R.*

maior a diis ei concedetur felicitas, h. e. qui sorte sua contentus vivit, multo divite avaro est ditior. Nam, ut Cicero ait Paradox. VI. 3: *Non esse cupidum pecunia est; contentum vero suis rebus esse maximae sunt certissimaeque divitiae;* — rebus suis contenti *satis esse putant, quod est; nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt.* — *Nil. cupient. nud. castr. peto*, ego, qui nullas divitias possideo (*nudus*), faciam cum iis, qui pariter a divitiarum possessione abhorrent; — *et transf. div. patr. linq. gest.* et lubens volensque me a divitum partibus seiungo. Usus est Horatius locutionibus, quae similiter alias a militia ad philosophorum sectas vel disciplinas transferri solent. Senec. Epist. 2: *Soleo et in aliena castra transire, nec tanquam transfuga, sed tanquam explorator.* — *Contemtae dom. splend. rei, Quam si, quicquid arat* cett. sententiam in antecedentibus positam amplificat et exornat magis; sententia: multo maiori mihi cedit honori, quod rem tenuem et ab aliis contemtam meo imperio subiicere didici, quam si res ampla me suo subiiceret imperio, h. e. tenuitate mea contentus longe beatior sum divite, qui magnas inter opes multa adhuc desiderat. — Alii verba: *Contemtae dominus splendidior rei* explicant: „divitias contemnendo locupletior sum dominus, quam si“ cett. Sed cum *contemta res* opposita sit amplissimorum latifundiorum messibus nec Horatius divitiarum, quas contemserit, dominus fuerit, *rem contemtam* de ea, quae ab aliis contemnitur, h. e. parva, tenui, explicare praestat; *splendidior*, quod is, qui paucis contentus est, sapientiae gloria magis effulget; *quicquid arat*, quicquid frumentorum ex cultis agris colligit. — *magnas inter opes inops*, similiter Senec. Herc. Fur. 166. avarum divitem *pauperem congesto in auro* dixit; cf. *Mitsch.* et infr. Epist. I. 2. 56: *semper avarus eget.*

v. 29 — 32. [Sententia: Quamvis homo dives se iactet latifundiorum in fertili Africa possessionibus, nescit tamen ille, modicum meum agellum multo maiora mihi praebere gaudia, quam ipse percipit ex ingentibus suis opibus. — Rivus et silva et seges mea (i. e. agellus meus) fulgentem imp. fert. Afr. (i. e. hominem divitem) *fallit sorte beatior λανθάνει εὐδαιμονεστέρα οὖσα* (ut Ep. I. 17. 10: *natus moriensque fefellit*), h. e. agellus meus

Paucorum et segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.
Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis:
Importuna tamen pauperies abest,
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,

v. 31. *fulgente*, coniecit *Bentl.* (receperunt *Baxt.* et *Gesner*); sed non opus est emendatione, ubi aptum sensum praebet Codd. lectio. — v. 32. Verba *sorte beatior* cum sequente sententia iungenda esse statuerunt *Wakef.* et *Doer.* Quae ratio omnino probari nequit, cum solum verbum *fallit* ineptum sit hoc loco, nisi inferas id ipsum, quod in verbis *sorte beatior* inest. Accedit, quod haec verba ne sequentibus quidem commode iungi possunt ac sic nude posita nihil prorsus habent, quo recte referantur. *R.*

diviti ignoratur sorte beatior esse, s. beatiorem sortem mihi praebere; ignorat ille, me in tenui mea fortuna opulentiorem esse, quam ipsum in amplis suis possessionibus. *R.*] — *Pur. riv. aquae*, breviter describit villam suam in Sabinis, ubi fluebat rivus *Digentia.* — *silv. iug. pauc.* infra quoque Hor. Sat. II. 6. 2—3. praeter *vicinum aquae fontem* — *paulum silvae* sibi contigisse ait. — *seg. cert. fid. meae*, ager fertilis, qui certa fide, quod ei creditum est, cum foenore reddit; de loquendi genere e re pecuniaria ad agriculturam translato vid. supr. ad III. 1. 30. — *Fulgent. imper. fert. Afr.* eum, qui divitiarum splendore conspicuus latifundiis suis in fertili Africa imperat; *imperium*, ut *regna* apud Virg. Eclog. I. 70. de agrorum possessionibus, cf. supr. ad II. 2. 9. — *Quamquam nec Cal. mell. fer. ap.* quamquam non agros in Calabria possideo, ubi apum mihi quaestuosum esse possit mellificium; notum inprimis praestantia sua fuit mel Tarentinum; cf. supr. ad II. 6. 14. — *Laestrygonia amphora*, in qua vinum Formianum conditum est, ut supr. I. 9. 7. *diota Sabina*; designatur autem vinum Formianum a *Laestrygonibus*, regionem ad oppidum *Formias* in Campania incolentibus; vid. Hom. Odyss. X. 82. *languescit*, veterascit. *pinguia*, qualia oves *pingues* (ut infr. IV. 12. 9. vocantur,) gerunt, crassiora et melioris notae lana obsita puta. *Gallicis pasc.* Columell. VII. 2. 4: *Gallicae oves pretiosiores habentur earumque praecipue Altinates.* — *importuna pauperies*, molestis et importunis curis hominum animos de rebus, unde vivant, crucians (χαλεπή). — *vectigal* iam, ut passim, de privatorum hominum reditibus; sic infr. Sat. II. 2. 100. et sic *tenue vectigal* de modicis reditibus apud Cic. Paradox. VI. 3. Per *parva vectigalia* igitur desi-

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa: bene est, cui deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

CARMEN XVII.

AD AELIUM LAMIAM.

Aeli vetusto nobilis ab Lamo, —
*Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos;
Auctore ab illo ducis originem,*

v. 41. *Alyattei* (i. e. Alyattis, ut Achillei - Achillis) scribendum esse vidit *Bentl.*, cum ante eum in editt. legeretur *Halyattici s. Alyattici* (i. e. Croesi); Codd. habent partim *Alyattici*, partim *Alyattii* et sim.). — C. XVII. Si versus 2—5 ab ipso profecti sunt Horatio, explicandi omnino videntur ita, ut *Iahnius* proposuit: „Siquidem priores Lamiae eorumque nepotes a Lamo recte denominati sunt, tu ducis originem ab eo, qui cett." Sed vix dubitari potest, quin hi quatuor versus pro spuriis habendi sint, ut visum est *Sanadonio*, *Ianio*, *Buttmanno*, *Webero*, *Meinekio*. Primum enim tota sententia nihil continet nisi languidam et inutilem primi versus explicationem, qua eo facilius supersedere poterat Horatius, quod non tam vetustam Lamiae originem deducere, quam nomen eius poeticis verbis circumscribere volebat, ut v. c. Scipionis Africani nomen Sat. II. 1. 66: *qui duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen* (cf. Od. IV. 8. 18.). Deinde versus quintus admodum incommode interpositus est (scilicet ut interruptus sententiarum ordo quodammodo restitueretur); sive enim Codd. lectionem *ducis* retines, sive ex Dan. Heinsii coni. cum *Bentleio* aliisque scribis *ducit*, intolerabili tamen hic versus laborat tautologia, quam nullo modo removeas. Denique verba ipsa interpolatorem satis produnt; partim enim ex humili et pedestri oratione desumta sunt (*Quando et priores hinc Lamias ferunt Denominatos*), partim ex reliquis Horatii carminibus misere congesta (*nepotum genus* ex Od. I. 2. 35., *per memores fastos* ex Od. IV. 14. 4.). — Ceterum v. 4. cum plerisque Codd. legendum est *fastos*. *R.*

gnat modicum suum in Sabinis agellum; *melius porrigam*, rectius et sapientius extendam; nam qui sorte sua contentus est, ditissimo est ditior; *porrigere* pro: propagare, dilatare, extendere: ut infr. IV. 15. 15. — *Alyattei*, regis Lydiae, Croesi patris. *Mygdoniis*, Phrygiis, cf. supr. ad II. 12. 22. — *continuem*, continuo vel perpetuo tractu possideam; *continuare agros* dicuntur, qui totum tractum ita agris suis occupant, ut omnia eorum rura inter se iuncta sint et uno tenore procurrant; Cic. Agr. III. 4. Liv. XXXIV. 4. — Cum totius loci sententia *Boettigerus* comparat Alph. Mityl. Epigr. IV. Anth. Gr. T. II. p. 116. (Anthol. Pal. II. p. 39), ad quod cf. *Iacobs. Animadv.* Vol. II. P. I. p. 345. — *Bene est*, sc. ei; felix est is, cui cett.

CARMEN XVII.

Horatius, cornicis augurio de procellosa tempestate posterum diem

Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim
Late tyrannus: — cras foliis nemus
Multis et alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquae nisi fallit augur

contristatura monitus, Lamiae suo, ut illum diem laetis epulis transigat, auctor existit. De *Aelio Lamia* cf. argum. ad I. 26.

v. 1—9. *vetusto ab Lamo*, Neptuni filio, antiquissimo Laestrygonum, populi in Campania, rege; Hom. Odyss. X. 81. — *quando*, siquidem, quandoquidem, ut saepe apud Horatium. — *priores*, gentis tuae maiores. *hinc Lamias denominatos*, a Lamo Lamias appellatos; fuit enim apud Romanos hoc nobilitatis studium, ut a nominis, quo quis antiquitus, praecipue in bello Troiano, insignem gloriam consecutus fuisset, similitudine gentis suae originem repeterent; vid. Virg. Aen. V. 117—123. — *per memores fastos*, per tabulas, in quibus gentis Lamiae stemma memoriae est proditum; *memores*, rerum memoriam renovantes et propagantes, ut infr. IV. 14. 4. et sic *memor fama* apud Ovid. Fast. II. 380. et *memores tabellae* apud eundem Met. VIII. 744. cf. supr. I. 13. 12. — *ab illo*, h. e. tam claro; saepius enim aliquis, cuius laus et gloria notissima est, simpliciter *ille* vocari solet. — *Formiarum moenia*, Hom. l. l. *Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον, Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην*. *Formiarum* nomen postea demum a Lacedaemoniis huic urbi (quam Plin. H. N. III. 5. *antiquam Laestrygonum sedem* vocat) inditum esse, docet Strabo IV. p. 161. cf. *Torrent.* — *et inn. Maric. lit. ten. Lir.*, h. e. et praeter Formias agrum Minturnensem sub ditione sua habuisse; *ager Minturnensis* designatur per fluvium *Lirim* (cf. supr. ad I. 31. 7.), qui illum transit et per paludes Minturnenses in mare effunditur. Iam vero cum *Marica*, Nympha, Fauni uxor et Latini mater (Virgil. Aen. VII. 47.) ut dea tutelaris a Minturnensibus magna religione in luco ad ipsum flumen Lirim ei consecrato coleretur; *Liris Maricae litoribus* doctius pro: agro Minturnensi *innare* dicitur. Similiter Minturnensium regio describitur apud Lucan. II. 424. et Martial. XIII. 83. — *late tyrannus*, *εὐρυκρείων*, ut *populus late rex* apud Virg. Aen. I. 21.

v. 9—16. *cras foliis nemus* cett. cras, si fides habenda est cornicis augurio, tam in silvis quam in mari tempestas saeviet. — *Demissa*, in aethere concitata et inde demissa. *sternet*, consternet, sparget, operiet. *alga*, apud Homerum quoque Iliad. IX. 7. in tempestatis descriptione Boreae et Zephyri impetu *alga* e mari in litus eiecta esse dicitur. *inutili*, hinc apud Virg. Eclog. VII. 42: *proiecta vilior alga.* — *cornix augur aquae*, Arat. Diosem. 1022: *χειμῶνος μέγα σῆμα καὶ ἐννεάγηρα κορώνη Νύκτερον*

Annosa cornix. Dum potis, aridum
Compone lignum: cras Genium mero
Curabis et porco bimestri
Cum famulis operum solutis.

CARMEN XVIII.

AD FAUNUM.

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas abeasque parvis
Aequus alumnis,

v. 13. *potis* pro vulgata lectione *potes* e Codd. nonnullis restituit *Bentl.* — *R.*

ἀείδουσα. Ovid. Am. II. 6. 34: *pluviae graculus augur aquae.* — *annosa*, plures enim hominum aetates cornicem vivere tradunt tam veteres quam recentiores historiae naturalis scriptores. — *Dum potis, aridum compone lignum*, para igitur lignum aridum, dum illud aridum adhuc parare licet. — *Genium mero curabis et porc. bimest.* merum libando et hostiam, bimestrem porcum, mactando honorem facies Genio, h. e. laetum instítues convivium; hilaritati enim indulgentes se facere putabant, quod Genio, h. e. peculiari cuiusque vitae addito custodi, gratum esset; unde *Genio libare, Genium placare*, cett. — *curare* igitur *Genium* pro: Genio operari vel sacra facere, et hoc pro: hilaritati indulgere. cf. infr. Ep. ad Pis. v. 210. — *cum famul. oper. solut.* — *Luce sacra* enim, ut canit Tibull. II. 1. 5. *arator requiescere et suspenso vomere grave opus cessare solet.*

CARMEN XVIII.

Hunc hymnum in Faunum ipso Faunalium die inter sacrificandum poeta cecinisse putandus est; in cuius prima quidem parte pie precatur Faunum, ut porro, si sacra eius rite instituat, placidus agris suis adesse et tenero pecudis foetui tutela sua praeesse velit; in altera vero summam, cui homines pecudesque Nonis Decembribus in toto pago vacent, describit laetitiam. — Caeterum bis sacra quotannis Fauno, ut deo, in cuius peculiari tutela esset pecus, Romanos fecisse, primum quidem Idibus Februariis, (Ovid. Fast. II. 193: *Idibus agrestis fumant altaria Fauni*), deinde Nonis Decembribus, ut ex hoc carmine v. 10. discimus, apud eos, qui de festis Romanorum exposuerunt, cognoscere licet. — De Fauno gregibus incolumitatem praestante cf. supr. I. 17.

v. 1—8. *Nymph. fugient. amator*, nota est Fauni, ut caeterorum deorum agrestium, salacitas. — *lenis*, mitis, placidus. — *aequus parvis alumnis*, propitius tenero gregis foetui, agnis et haeduleis; sic

Si tener pleno cadit haedus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae, vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonae redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus;
Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agrestes tibi silva frondes;
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

v. 12. Pro *pagus* in multis Codd. legitur *pardus*, quod monachorum ingenio deberi demonstravit *Bentl.*, coll. Iesaiae cap. XI. v. 6. — *R.*

dulces alumni pariter de tenera gregis subole infr. III. 23. 7. Qui *parvos alumnos* de ruris vernulis explicant, rem, cuius alias nulla fit mentio, Fauno tribuunt. Imo, qui Faunalia celebrabant, Faunum ut gregis servatorem venerari solebant. — *Si tener pl. cadit haedus* cett. addit ex sollemni precantium formula conditionem, sub qua deum preces suas exauditurum esse sperat. — *anno pleno*, integri anni exacto tempore, pro vulgari: quotannis. — *Veneris sodali craterae*, suaviter *cratera*, e qua vinum libatur, *Veneris sodalis* vocatur; Bacchus enim et Venus coniunctim vires suas exserere solent; cf. *Mitsch.* qui inter alia laudat Lucian. Amor. 12. T. II. p. 410. (edit. Gesn.): *τερπνοτέρα γὰρ Ἀφροδίτη μετὰ Διονύσου καὶ τὸ παρ' ἀμφοῖν ἡδὺ σύγκρατον.* — *vetus*, bene ad aram, tanquam pietatis iam longis inde annis Fauno exsolutae monumentum, designandam.

v. 9—16. *Ludit*, prae laetitia exsultat, *παίζει.* — *festus*, diem festum in honorem tuum celebrans. — *vacat*, solutus est operum, ut sub fine carminis antecedentis dicitur. — *Inter audaces lup. errat agnos*, hinc supr. I. 17. 9: *haedu leae* sub Fauni praesidio *Martiales lupos haud metuere* dicuntur; ducta rei imago est ab aurea aetate, qua greges omni a saevis bestiis metu vacui libere et secure circumerrasse finguntur; cf. infr. III. 27. 51. Plures in hanc rem collectos locos dabit *Cerda* ad Virgil. Ecl. IV. 22. — *spargit tibi sil. fron.* silva in adventus tui honorem spargit folia. Quod sub initio mensis Decembris pro anni tempore sponte faciebat silva, id suaviter in Fauni honorem data opera fecisse fingitur. *Folia* enim in vias *spargendi* (*φυλλοβολία*) antiquitus ad externi honoris, diis praestandi, significationem pertinebat; vid. *Cerd.* ad Virg. Eclog. V. 40. — *agrestes*, quales in agris, quos Faunus transit, arbores gerunt. — *ter ped. terr. pepul.* refer ad tripudia et saltationes in agris. — *invisam*, cum delectu ad ingenium fossoris cui terra ob graves, quos ei inter fodiendum parit, labores saepe *invisa* fit.

CARMEN XIX.

AD TELEPHUM.

Quantum distet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori

CARMEN XIX.

Instat poeta maturando, quod in novi auguris Murenae honorem cum sodalibus suis instituturus est, convivio. Pars huius sodalitii est Telephus, doctrinae inprimis, ut videtur, laude conspicuus, et eo ipso forte tempore in ordinanda et enarranda historia Graeca occupatus. Hunc igitur poeta iam mittere rerum doctarum et abstrusarum disquisitionem et id potius, quod ad convivium apparandum spectet, agere iubet. Mox, quasi in medio convivio iam versetur, pocula in lunae, noctis, et auguris Murenae honorem sumenda porrigi sibi iubet, docens, quot cyathis pocula singulis convivis misceantur. Tum morae impatiens, ut tibia statim, fistula et lyra canatur, rosae spargantur, et strepitus, quem non sine invidia morosus quidam senex Lycus cum coniuge sua adhuc adolescentula in vicinia audiat, ab insanientibus convivis excitetur, vehementius imperat. Denique, ut amorum quoque in hilari convivio celebrando fiat mentio, Telephi felicitatem, quod ille sponte a Rhode petatur, praedicat, de suo autem infortunio, quod Glycerae sibi in amore paret asperitas, queritur. — Cum sine dubio felicior rei cuiusdam eventus in causa fuerit, ex qua Horatius laetiora cum amicis suis celebraret convivia, ut supr. I. 36: *Numidae* et II. 7: *Pompeii Vari* faustus in patriam reditus, et I. 37. laetus *de Cleopatrae morte* nuncius; vix dubitari potest, quin poeta convivii, ad quod *Telephum* in hoc carmine vocat, celebratione laetitiam suam Murenae de auguratu nuperrime ei delato declarare voluerit. Quo concitatiore autem affectu ille hoc convivium accelerat, eo magis, quanta eius de novis Murenae honoribus fuerit laetitia, cognoscitur. Caeterum *Mitscherlichius* colores suos Horatium in hoc carmine ex Ionis Chii Epigr. II. Anth. Gr. T. I. p. 94. duxisse existimat; sed similitudo illa, quam Ionis Chii carmen cum hoc carmine habet, in simili tantum ad bibendum, saltandum et canendum exhortatione cernitur, nec, quid inde Horatius expresserit, apparet.

v. 1—8. *Quantum dist. ab In. Codr.* quot annorum numerum tempus illud inde ab antiquissimo Argivorum rege Inacho usque ad Codrum, ultimum Atheniensium regem, praeterlapsum efficiat et quid rerum intra hoc temporis spatium gestum sit. Inachi regnum incidit ferme in annum a. Christ. MDCCCLVI.,

Narras et genus Aeaci
  Et pugnata sacro bella sub Ilio:
Quo Chium pretio cadum
  Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum et quota
  Pelignis caream frigoribus, taces.
Da lunae propere novae,
  Da noctis mediae, da, puer, auguris

Codrus vero vitam pro patria deposuit MLXVIII. cf. *Meurs. de Regn. Attic.* III. 16.; effluxerunt igitur ab Inacho usque ad Codrum circiter DCCC anni. — *pro patria non timid. mori*, Graece *μὴ δειλὸς θανεῖν* vel *μὴ ὀκνῶν θανεῖν*, pro vulgari: non timens, sed sponte suscipiens pro patria mortem; de nobilissimo mortis genere, quo civitati suae victoriam de hostibus paratum ivit Codrus, res in vulgus nota; vid. Iustin. II. 6. Vell. Pat. I. 2. Cic. Tuscul. I. 48. Val. Max. V. 6. — *narras*, enarras, exponis; non quidem, ut *Mitsch.* censet, confabulando cum amicis iam de convivio deliberaturis, sed domi potius historiam Graecam diligentius secundum temporis rationes digerendo et literis consignando; quis enim Telephum tam ineptum hominem fuisse statuat, ut doctrinae suae copias importuno tempore exponendo aliis molestiam crearet? aut quis Horatium hoc carmen vel temere inter loquendum effudisse, vel re transacta demum illud composuisse sibi persuadeat? Imo poeta, qua Telephum appellavit, ratione, id tantum, ut eius animum a severo historiae studio ad hilare convivium avocaret, spectasse videtur. — *genus Aeaci*, gentem ex Aeaco, Oenopiae rege, prognatam, Peleum, Telamonem, Achillem, Teucrum, Aiacem cett. — *sacro*, ad Homerum, cui *Ἴλιος*, cum plurium deorum cultus ibi vigeret, passim *ἱρὴ* dicitur; et hinc apud Virgil. Aen. II. 241. Ilium *divum domus* vocatur. — *Chium cadum*, ad praestantiora enim vina *Chium* quoque a Romanis referebatur; vid. Athen. I. p. 28. — *mercemur*, communi igitur sumtu, sive de symbolis convivari volebant. — *temperet ignibus*, calefaciat; ante coenam enim, ut satis constat, lavatum ire solebant Romani. — *Quo praebente domum* cett. quis domum convivio nostro suppeditet et quota hora ego ad focum, ubi nihil mihi curandum sit acre frigus, conveniam, de hac re ne verbum quidem facis, h. e. id prae historiae, in quo defixus es, studio nihil moraris. — *Pelignis*, qualia in montosa Pelignorum regione saevire solent.

v. 9 — 17. *Da lunae propere* cett. porrige, o puer, festinantius poculum, quod in novae lunae, mediae noctis et auguris Murenae honorem ebibatur. Genitivi *lunae*, *noctis* et *Murenae* pendent ab omisso nomine *poculum*, quod dici solet *eius*, in cuius honorem illud exhauritur; cf. supr. ad III. 8. 13. Poeta scilicet laetitiae, quam praecipit, sensu abreptus iam sibi versari videtur in hoc convivio et in multam iam noctem producto, ubi

Murenae: tribus aut novem
  Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares
  Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates; tres prohibet supra
  Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis iuncta sororibus.
  Insanire iuvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
  Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
  Odi: sparge rosas; audiat invidus

v. 12. *Miscentor* ex coni. Rutgersii (lect. Venus. VII. p. 267.) *Bentl.*, *Sanad.*, *Mitsch.*, *Doer.* At non tam imperat Horat., quam docet, quo diverso modo commode singulis convivis pocula misceantur. *R.*

sane *luna* et *nox*, sponte ut deas convivis venerandas se offerre debebant. — *miscentur* cett. Novem cyathos vini aqua temperati commode infundi dicit iis, qui largius vino se invitare soleant, poetis scilicet, in quibus ipse fuit; tres vero iis, quos Gratiae, quarum cultores sint, modestiae et temperantiae in bibendo fines transilire vetent; de *cyathis* vid. supr. ad III. 8. 13: *misceri pocula* dicuntur, quae vino aqua temperato implentur. — *attonitus*, furore poetico correptus, *ἐμβρόντητος*, *μουσόληπτος*. — *tres supra*, ultra tres. — *rixarum metuens*, verens, ne rixarum causa fiat immodicus vini usus. — *Gratia iuncta sororibus*, Gratiae sororio vinculo inter se iunctae. — *nudis* — *nudus* quidem, ut Graecorum *γυμνός*, passim de eo, qui leviter amictus est, dicitur, sed *Gratiae* in antiquis monumentis vere nudae apparent; cf. *Manso Ueber die Horen und Grazien* p. 80.

v. 18 — 24. *Insanire iuvat*, ut supra II. 7. 28: *dulce mihi est furere.* Notissimum est illud Anacreontis XXXI: *θέλω, θέλω μανῆναι.* *Berecyntiae*, Phrygiae, a monte Berecynto in Phrygia, ubi praecipue in Cybeles sacris *tibiae* usus fuit; uti autem *tibia* graviorem, (vid. *Hemsterhus.* ad Lucian. D. D. XII. T. I. p. 233.), ita *fistula*, cuius statim mentio fit, leniorem et acutiorem sonum edidit. Quid discriminis inter *tibiam* et *fistulam* fuerit, docuerunt *Bulengerus de Theatro.* II. 23. et *Laurentius* in Thesaur. Graev. T. VIII. p. 1466. — *flamina tibiae*, Eurip. Bacch. 127: *ἡδυβόᾳ Φρυγίων Αὐλῶν πνεύματι.* — *Parcentes ego dexteras odi*, non ferre possum, qui cunctantur et moras nectunt; suaviter autem iis, qui operae rei cuidam impendendae parcunt, *parcentes dexterae* tribuuntur; *sparge rosas*, cf. supr. ad I. 36. 15. — *audiat strepit.* Comparant Cic. p. Rosc. Am. 46: *cantu vocum et nervorum et tibiarum nocturnisque conviviis tota vicinitas perstrepit.* —

Dementem strepitum Lycus
Et vicina seni non habilis Lyco.
Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, Vespero,
Tempestiva petit Rhode:
Me lentus Glycerae torret amor meae.

CARMEN XX.

AD PYRRHUM.

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?

v. 27. In multis Codd. legitur *Chloë*, quod a librariis rariori *Rhodes* nomini substitutum esse docuit *Bentl.* — *R.*

dementem, qualem convivarum excitat lascivia et dementia. — *non habilis*, haud apta et congruens; aetate enim adhuc florens cum iuvenibus potius quam cum sene marito consuescere cupiebat; quo magis igitur Lycus de iuvenili coniugis suae levitate erat sollicitus, eo molestior convivarum in vicinia lascivientium strepitus eius auribus accidere debebat.

v. 25—28. Nexus: at te, o Telephe, ut iuvenem formosum, amat Rhode, pariter in flore aetatis constituta. — *nitidum*, exsplendescentem, conspicuum; *similem Vespero*, pulchri iuvenis cum Vesperi vel Luciferi splendore comparatio passim apud poetas obvia; exemplorum copiam vid. apud *Cerd.* ad Virg. VIII. 589. cf. supr. II. 5. 19. et III. 9. 21. — *tempestiva*, ὡραία, πέπειρος. *Iam matura viro* (ut Virgil. Aen. VII. 53. loquitur), *iam plenis nubilis annis;* et sic *matura virgo* supr. III. 6. 22. — *lentus*, h. e. lente me peredens et absumens; simili er supr. I. 13. 8: *lentis ignibus macerari* dicitur; ubi cf. not. Tibull. I. 4. 81: *Heu heu quam lento Marathus me torquet amore.*

CARMEN XX.

Pyrrho iam id agenti, ut puerum, quem amabat, formosissimum, Nearchum, puellae cuidam simul eius amore flagranti praereptum eat, periculum, quod hoc temerario ausu subeat, accommodata rei imagine ante oculos ponit. Puellam enim illam, si Pyrrhus Nearchum ab ea abstraxerit, leaenae instar, cui quis catulos eripere tentet, in raptorem saevituram et amatum sibi puerum feroci animo per obstantes iuvenum catervas ab eo repetituram esse ait; victoriam autem huius certaminis eo magis fore ambiguam, cum ipse puer, pugnae arbiter, Pyrrhusne an puella superior evadat, in nullo plane ponat discrimine. — Ad Graeci cuiusdam poetae exemplum hoc carmen ab Horatio concinnatum esse, unusquisque facile sentiet. Lineas quasdam adumbratae in hoc carmine imaginis animadvertisse sibi visus est in Platonis Charmide T. V. p. 111. Bipont. *Schneiderus* in *Animadv. in*

Dura post paullo fugies inaudax
Proelia raptor,
Cum per obstantes iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum,
Grande certamen, tibi praeda cedat
Maior, an illi.
Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur et leni recreare vento

Anacr. p. 107. a *Mitscherlichio* laudatus.

v. 1—8. *moveas*, h. e. amoveas; ut supr. I. 10. 10: *boves per dolum amovere;* — *leaenae*, Ovid. Met. III. 547: *Utque furit catulo lactente orbata leaena.* — *Gaetulae*, ut supr. I. 23. 10: *Gaetulus leo*, ubi cf. not. — *inaudax*, nove pro: timidus, haud dubie quod apud Graecum poetam, quem Hor. expressit, erat ἄτολμος. — *per obstantes iuv. caterv.* persistit in allegoria et *Nearchum* sequente demum versu pro *catulis* ponit; cogita igitur per *obstantes iuvenum catervas* comites, qui se leaenae raptorem catulorum suorum persequenti opponunt. — *insignem*, sc. forma. — *Grande certam. tib. praed. ced. mai. an illi*, h. e. grandis certaminis, utrum tibi an illi potius praeda contingat, causam futuram. Nearchus *certamen* pro: certaminis causa dicitur.

v. 9—16. *Interim, dum tu celeres sagitt. prom.* Interea, dum vos strenue ad pugnam accingimini, parum ille curat certaminis exitum. — Pyrrhus *sagittas promit*, ut eminus pugnans leaenam incurrentem confodiat; illa contra *dentes acuit*, ut Pyrrhum laceret. Proprie *dentes acuere* apri est (Hom. Il. XI. 416. Hesiod. Scut. 388.); id iam translatum est ad leaenam, ut apud Auct. ad Herenn. IV. 39. — *arbiter pugnae*, Nearchus, βραβευτής, a cuius arbitrio stetit victoria. — *palmam sub pede posuisse*, nihil curasse, utri palmam daret, h. e. utrum puellam Pyrrho, an Pyrrhum puellae praeferret; plane ut illa mulier in poculo caprarii apud Theocrit. I. 33 sqq.: παρ δέ οἱ ἄνδρες Καλὸν ἐθειράζοντες ἀμοιβαδὶς ἄλλοθεν ἄλλος Νεικείονσ' ἐπέεσσι· τὰ δ' οὐ φρενὸς ἅπτεται αὐτᾶς. — *sub pede poni* vel *pedibus subiici* (Virg. Georg. II. 492.) dicitur, quod contemnimus, nihil curamus susque deque habemus; *nudo*, ad morem, quo pueri delicatiores non calceati, sed soleati incedebant, referunt; rectius colligas ex hoc epitheto, puerum fingi nudum adstare. — *sparsum odoratis humerum capillis*, h. e. humerum, super quo capilli unguentis delibuti defluebant. Horatium imitatus est Ovidius Fast. II. 509: *Ibat odoratis humeros perfusa capillis Maeonis.* — *leni recreare vento*, flabello vel tabella adhibita; *flabellum* enim vel *tabella* (vid. *N. Heins.* ad Ovid. Art. A. I. 161.) ad instrumenta pertinebat, quae mollioribus ad corpus

Sparsum odoratis humerum capillis,
Qualis aut Nireus fuit aut aquosa
Raptus ab Ida.

CARMEN XXI.

AD AMPHORAM.

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas sive geris iocos

curandum inservirent; exempla in hanc rem vid. apud *Mitsch.* Iam vero quod Nearchus certamini ipsius causa inter Pyrrhum et puellam exorto ita adesse dicitur, ut corpus suum interea vento per flabellum facto refrigeret, id incuriosum eius de utriusque amore animum egregie declarat. — *Nireus*, Hom. Iliad. II. 673: *Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.* — *Raptus ab Ida*, Ganymedes; *aquosa*, quod multi fontes in monte Ida scatebant. Ovid. Met. II. 218: *celeberrima fontibus Ida. Ἴδη πολυπίδαξ, πιδήεσσα.*

CARMEN XXI.

M. Valerio Messalae Corvino, qui Horatio se die quodam apud eum coenaturum esse promisisse videtur, quale vinum in eius honorem hoc die sibi laetissimo suppeditaturus sit, hoc carmine indicat. Testam enim, quae vinum Massicum uno anno secum natum servet, depromturus et sic, quanti Messalam suum faciat, probaturus est. Quo quidem vino satis commendato in universam vini laudem (cf. supr. I. 18.) digreditur et ipsius Messalae laudes scitissime cum illa coniungit. — De Messala, viro tam rerum gestarum gloria quam doctrinae laude nobilissimo, copiose disputat *Heynius* in *Observ.* ad Tibull. I. 3. 1.

v. 1—8. *O nat. mec. consul. Manl., pia testa*, h. e. o testa, quae vinum contines natum eodem; quo ego natus sum, anno, *L. Manlio Torquato* et *L. Aurelio Cotta* Coss. (U. C. DCLXXXVII.) Cf. Epod. 13. 6. — *nata* non ad *testam*, sed ad vinum, quod testa continet, referendum; *piam* vero hanc testam ideo, puto, vocat, quod uno anno cum poeta nata pietatis quasi vinculo quodam cum illo coniuncta sit: alii *piam testam* benignam, munificam explicant. [*Bentleius* epitheton *pia* ad ultima verba adstringendum esse censens explicat: *pia*, si facilem somnum attuleris. *R.*]. — *Seu tu querelas* cett. sive vino, quod capis, haec vis insita est, ut potores reddat querulos sive ea, ut illos ad iocos et hilaritatem proclives faciat, sive ut apud alios rixarum, apud alios insani amoris incitamentum fiat, sive ea denique, ut facili somno opprimat. Opportune *Mitsch.* cum hoc loco comparat Eveni Parii Carm. XV. Anth. Graec. T. I. p. 99: *Βάκχου μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ, μηδ' ἐλάχιστον· Ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος ἢ μανίης. — Εἰ δὲ πολὺς πνεύσειεν, ἀπέστραπται μὲν Ἔρωτας, Βαπτίζει δ' ὕπνῳ γείτονι τῷ θανάτου.* — *Quocumque lectum nom. Massic. serv. mov. dign. bon. die*, digna es, quae laeto et festo die protraharis, in quemcumque denique finem et usum tu vinum ex uvis in Campaniae monte Massico lectis expressum servas. — *descende*, cella enim vinaria in superiore aedium parte fuit; vid. supr. ad III. 8. 11. — *languidiora*, vetustiora, leniora, mitiora; hinc vinum, quod veterascit, supr. III. 16. 35. *languescere* dicitur. — *Corvino iubente promere*, sc. me. Iocose enim Corvinus Horatium vina languidiora promere iussisse videtur tum, cum ille, ut suspicati sumus in argum., se apud Horatium coenare velle promitteret. Sed fortasse Horatius toto hoc carmine nihil aliud, nisi se die quodam *bono* sive laeto in Corvini honorem depromto vino optimo una cum illo hilaritati indulgere velle, declarare voluit. Et sic *Corvino iubente* erit: dum summus erga Corvinum amor iubet cett.

Seu rixam et insanos amores
Seu facilem, pia testa, somnum,
Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino iubente
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis

v. 10. *negligit*, e paucis Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *Mein.* — *R.*

v. 9—12. *quamquam Socraticis madet sermon.* quamquam Socratica philosophia, cui deditus est, imbutum habet animum; philosophiam Socraticam per *sermones Socraticos* designat, quia Socrates sermones inprimis cum discipulis suis serendo philosophiam docere solebat; — *madet*, cum delectu pro: imbutus est, vini, quo quis *madere* dicitur, respectu habito; *madere* enim et *madidus* de rerum scientia quoque, qua quis largiter instructus est, dici solet. Laudant Martial. I. 40. 3: *Si quis Cecropiae madidus Latiaeque Minervae Artibus.* et VII. 69. 2: *Cuius Cecropia pectora dote madent.* — *te negliget horridus*, tum, cum apud me erit, tetrico philosophorum vultu aspernabitur; *horridus*, difficilis, asper, morosus. — *prisci Catonis virtus*, severus et virtutis laude conspicuus Cato; *priscus* aliquis dicitur, qui priscorum, h. e. severorum morum est observantior; infr. Epist. II. 2. 117: *Quae* (vocabula) *priscis memorata Catonibus atque Cethegis;* sic *priscus parens* apud Catull. LXIV. 159. ubi vid. not. cf. infr. Epist. II. 2. 117: *virtus Catonis* pro ipso virtutis studioso Catone, ut infr. Sat. II. 1. 72: *sapientia Laeli.* — Utrum *Cato Maior* s. *Censorius* an *Uticensis* fuerit, quem paulo liberius nonnun-

Saepe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu sapientium
Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo;
Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque, et addis cornua pauperi

v. 12. *incaluisse* e Mario Victor. p. 2606. *Bentl.*, invitis omnibus Codd.—*R.*

quam vino indulsisse narrant, interpretes inter se discrepant. *Uticensem* intelligendum esse, probatum ivit *Mitsch.* Caeterum praeter alia huc pertinet Mart. II. 89. 1: *Quod nimio gaudes noctem producere vino; Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.*

v. 13—20. *Tu lene torm. ing. adm. plerumqu. dur.* tu haud raro tanquam lene durioribus ingeniis emolliendis adhiberis remedium, h. e. tu facis, ut duriora ingenia mitescant; *lene tormentum admovere duro ingenio*, h. e. leni ratione vim admovere duro ingenio, sc. ut fiat mitius et mollius. Hinc infr. in Epist. ad Pis. v. 435. de vino: *Reges dicuntur multis urgere culullis Et* *t o r q u e r e mero, quem perspexisse laborant*; et Epist. I. 18. 38: *Commissumque teget et vino* *t o r t u s et ira.* V. Cl. *Iacobs* in *Animadv. ad Anthol. Graec.* T. II. p. 29. hunc locum comparat cum Asclepiad. Carm. X. 1. T. I. p. 136. Similiter infr. III. 28. 4: *munitae sapientiae vim adhibere* pro: vino indulgere; et sic apud Sil. Ital. XI. 287. Bacchi munera *duram mentem laxare* dicuntur. Caeterum comparant quoque Bacchylid. Fragm. 26: *Γλυκεῖ' ἀνάγκα σευομένα κυλίκων Θάλπησι θυμόν.* — *tu sapient. cur. et arc. iocos. cons. reteg. Lyaeo*, explicant de philosophis, quos vinum disertos faciat, et *curas* de eorum meditationibus, *consilium* vero de eorum placitis et decretis interpretantur. Sed ut praetermittam, usum loquendi repugnare plane huic explicandi rationi, quis unquam tandem philosophos, ut patefaciant, quae commentati sint quaeve statuant, vini demum haustu impelli dixit? Imo per *sapientes* poeta mihi designare videtur eos, qui alias, quibus curis agitentur, quaeve secum volvant, prudenter et caute animo premunt et tegunt, inter vina vero animum aperiunt et (ut Hor. infr. Epist. I. 5. 16. de ebriis loquitur) *operta recludunt.* — *iocoso*, efficiente, ut quis iocosus et hilaris fiat. — *Tu spem reduc. ment. anx.* hinc infr. IV. 12. 19. vinum *spes novas donare*, et Epist. I. 15. 19: *cum spe divite in venas animumque manare*, et Epist. I. 5. 17: *spes ratas esse iubere* dicitur. Pind. Fragm. 136. ed. Boeckh. — *viresque*, cf. Homer. Iliad. VI. 261. et IX. 702. — *addis cornua pauperi* — *cornua* pro robore, in quo quis fiduciam ponit; hinc *cornua sumere* proverbiali locutione dicuntur, qui nimia in viribus suis fiducia posita ferociores fiunt. Horatium imitatus est Ovid. Art. Am. I. 238. et Amor. III. 11. 5. Ad sententiam facit Macedon. XXI. 1. 2. in Anthol. Graec. T. IV. p. 86:

Post te neque iratos trementi
Regum apices neque militum arma.
Te Liber et, si laeta aderit, Venus
Segnesque nodum solvere Gratiae
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

CARMEN XXII.

AD DIANAM.

Montium custos nemorumque, virgo,
Quae laborantes utero puellas

Ἀνέρες, οἷσι μέμηλεν ἀπήμονος ὄργια Βάκχου, Ἐλπίσιν ἡμερίδων ῥίψατε τὴν πενίην. — *Post te*, munere tuo recreatus; similiter supr. I. 18. 5: *post vina.* — *iratos regum apices*, iratorum regum potentiam. *apex*, qui alias est insigne sacerdotum, iam pro diademate vel insigni regiae dignitatis ponitur; v. *iratos*, quod ad *regum* referri debet, exquisitiore ratione ad *apices* poeta retulit; ut Ovid. Amor. III. 6. 36: *Cornua si tua nunc ubi sunt, Acheloe, requiras, Herculis irata* (pro vulgari: *irati*) *fracta querere manu.*

v. 21—24. *Te — producent*, paulo audacius pro: convivium, quod tuo munere celebrabitur, in multam noctem protrahent. — *Liber*, tanquam *laetitiae dator*, ut Bacchus vocatur apud Virg. Aen. I. 734. — *laeta*, propitia. — *Gratiae*, tanquam decoris et honestatis in conviviis magistrae et custodes; *segnes nodum solvere*, Graece pro: ad nodum solvendum, h. e. quae non facile, quo invicem inter se nexae sunt, solvunt vinculum; hinc iunctis manibus inter se nexae apparent Gratiae in vett. monumentis. — *vivae*, lucentes, *vigiles* dicuntur supr. III. 8. 14. — *dum red. fug. astr. Phoebus*, comparant Propert. IV. 7. 85: *Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec Iniiciat radios in mea vina dies.*

CARMEN XXII.

Laudatis breviter Dianae virtutibus, pinum poeta, ad quam verrem ei quotannis immolaturus est, sollemni more eius cultui consecrat. — Flosculos illos, quos e Graeciae hortulis decerpsit Horatius, hoc carmen redolere, facile, qui nares suavissimo illorum odori adsuetas habent, sentient.

v. 1 — 8. *Mont. cust. nem.* Precata enim Diana fuerat ab Iove patre: *Δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα*, Callimach. Hymn. in Dian. v. 18. unde dicta illa est *οὐρεία*; vid. *Spanhem.* ad Callim. l. l. Supr. I. 21. 5. *laeta nemorum coma* dicitur. Catull. XXXIV. 10: *Montium domina ut fores Silvarumque virentium.* — *virgo* honorifice pro: Diana, ut supr. I. 12. 22. perpetuae enim

Ter vocata audis adimisque leto,
Diva triformis,
Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

CARMEN XXIII.

AD PHIDYLEN.

Caelo supinas si tuleris manus
Nascente luna, rustica Phidyle,

virginitatis honore gaudebat Diana. — *labor. uter.*, h. e. uteri, dum partum edituræ sunt, doloribus laborantes; *puellas*, iuvenes uxores, cf. supr. III. 14. 10. Horatium imitatus est Ovidius Amor. II. 13. 18: *Tuque laborantes utero miserata puellas;* ad munera Dianae autem pertinet quoque obstetricis munus, unde illa: *Diana Lucifera, Lucina* (cf. infr. Carm. Sec. v. 15—16.), *Iuno Lucina* (Catull. carm. laud. v. 13: *Tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis.*), Graecis: *φωσφόρος, εὔλοχος, λοχεία, ὠκυτόκος, μογοστόκος, Εἰλείθυια*, dicta est. — *adimis leto*, mortis periculo eripis. — *triformis* (*τρίμορφος, τριπρόσωπος*), in caelo *Luna*, in terris *Diana*, apud inferos *Hecate;* hinc Virgil. Aen. IV. 511: *tria virginis ora Dianae*, ubi vid. *Cerda.* — *tua*, tibi sacra, ut *tua quercus* apud Virg. Aen. X. 423. — *quam verris sanguine donem*, ad quam verrem immolem. — *per exactos annos* pro vulgari: quotannis, ut supr. III. 18. 5. *pleno anno.* — *obliquum meditantis ictum*, oblique et a latere, ut solent apri, dum transcurrunt, ictum inferre meditantis; apud Homerum quoque Iliad. XII. 148. apri *δοχμὸς ἀΐσσειν* dicitur; simili arte Horatius supr. III. 13. 14. *haedum annuum* et IV. 2. 52. *vitulum* circumscribit.

CARMEN XXIII.

Phidylen, rusticam, de victimarum suarum tenuitate, ut videtur, sollicitam, bono animo esse eamque, modo parva diis pietatem eius et innocentiam potius quam sacrificiorum splendorem et amplitudinem respicientibus obtulerit munera, tam agrorum incolumitatem quam pecudis salubritatem sperare iubet. — En praeclaram de deorum mente sententiam! in cuius quidem tractatione poetam quendam Graecum Horatio praeivisse, vel nomen *Phidyle* docere potest.

v. 1—8. *supinas*, manibus enim sursum expansis antiquitus precari solebant; hinc *ὑπτιάσματα χειρῶν* apud Aeschyl. Prometh. 1004. cf. Interpretes. — *nascente luna*, novilunio vel Calendis cuiusque mensis; cogitandum scilicet de temporibus antiquioribus, ubi annus ad lunae cursum in duodecim adhuc menses descriptus fuit; laudant Caton. de

Si thure placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca;
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Robiginem aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima pontificum secures
Cervice tinget: te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

v. 7. *Rubiginem*, Codd. fere omnes (et sic *Lamb.*, *Torr.*, *Vanderb.*). — v. 12. *securim*, e paucis Codd. *Bentl.*; male. *R.*

R. R. c. 143. — *horna*, hornotina (*ὡραίᾳ*), huius ipsius anni primitiis. *Lares*, Tibull. I. 3. 34: *Redditaque antiquo menstrua thura Lari.* — *avida*, refer ad vorandi aviditatem. — *pestilentem Africum*, vitibus enim inprimis pestifer vel noxius habebatur Africi vel Austri flatus. v. Pallad. II. 13. cf. *Boettig.* — *robiginem*, vitium, quod segeti nimio solis aestu contrahitur; nos: *Brand;* — at *uredo* de eo vitio dicitur, quo seges frigore usta corrumpitur. cf. *Boettig.* — *sterilem*, sterilitatis causam. — *dulces alumni*, haedi, agni; supr. III. 18. 3. dicuntur *parvi alumni.* — *pomifero anno*, autumno. *grave*, valetudini ob aëris gravitatem perniciosum. Liv. III. 6: *Grave tempus et forte annus pestilens* et cap. 8: *seu graviore tempore anni iam circumacto;* et XXV. 26: *tempore autumni et locis natura gravibus;* et hinc infr. Sat. II. 6. 19: *gravis autumnus.*

v. 9—16. Sententia: lautiores enim vel porcos vel boves pontificibus pro publica salute convenit mactare victimas; tu vere non opus habes multis victimis deorum tibi conciliare gratiam, dummodo corollam e rore marino et myrto nexam exiguis Larium simulacris imposueris. — *Algido*, cf. supr. ad I. 21. 6. — *devota*, sc. ad sacrificium; *devoti* autem ad sacrificium *porci*, ut docet Cato de R. R. II. 1. 20., *sacres*, *boves* autem *opimi* appellabantur. — *Albanis in herbis*, h. e. pascuis circa Albam Longam. *cervice*, sanguine ex icta cervice prorumpente. — *tinget*, maculabit, inficiet; Propert. IV. 1. 111: *Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae Tinxit.* Virgil. Georg. III. 492: *Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri.* Ovid. Trist. IV. 6: *Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.* — *nihil attinet*, non opus est, non convenit. — *te tentare*, h. e. lacessere, sollicitare, sc. ut tibi faveant. — *parvos deos*, deorum Larium enim simulacra exigua forma effingi solebant. cf. Ti-

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica.

CARMEN XXIV.

IN AVAROS.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae

v. 19. *mollibit*, plurimi Codd. et omnes fere Editt. ante *Bentleium.* Is recte restituit quod pars Codicum praebet *mollivit.* Perfectum enim ἀορίστως positum perpetui temporis significationem habet, at Od. III. 29. 16. Ep. I. 2. 47. et passim alibi. *R.*

bull. I. 10. 17. Colorem, ut observat *Mitsch.*, ex Horatio duxit Iuvenal. IX. 137: *O parvi nostrique Lares, quos thure minuto Aut farre et tenui soleo exorare corona.*

v. 17 — 20. *Immunis aram si tetigit manus*, cett. iunge: *Si manus immunis* (sc. sceleris, h. e. pura) *tetigit aram*, ea *mollivit* (i. e. mollire s. placare solet) *aversos Penates farre pio et saliente mica* (mola salsa), *non blandior sumtuosa hostia*, non blandior futura per sumtuosam hostiam, i. e. aeque blanda, ac si pro farre pio et saliente mica obtulisset sumtuosam hostiam. Sententia igitur: qui pura et integra mente ad aram accedit, is farre pio et saliente mica aeque ac sumtuosa hostia (parvo munere aeque ac magno) iratos deos placat. (Similiter Ov. ex Pont. IV. 8. 39 — 40: *Nec, quae de parva dis pauper libat acerra, Thura minus grandi quam data lance valent.*) — *immunis*, purus, innoxius, integer sceleris; Ovid. Heroid. XIV. 8: *Non piget immunes caedis habere manus.* Vell. Pat. II. 7: *immunis delictorum paternorum.* — Aliam explicandi huius loci rationem inivit *Bentleius*, qui verba *sumtuosa hostia* non pro ablat., sed nominat. accipiens hanc statuit esse sententiam: *Esto, ut vacua muneris manus aram tetigerit; sumtuosa hostia non mollivit Penates blandior pio farre.* Brevem autem syllabam *sa* productam esse contendit ob sequens *bl*, coll. Martial. V. 69. Recte oblocutus est *Orellius*, quem vide de toto hoc loco disputantem.

CARMEN XXIV.

In effrenatam ditiorum licentiam et luxum tanquam causam omnis morum corruptelae, quae tum Romanos occupaverat, graviter invehitur. Postquam igitur communem moriendi necessitatem opulentioribus ante oculos posuit et Scythas Getasque tam libero ubique agrorum cultu quam morum, qui apud eos vigeant, sanctitate multo felicius vivere docuit, unumquemque, qui aeternam de patria ab interitu servata apud posteros sibi parare velit gloriam, indomitae divitiarum cupiditati inprimis modum ponere iubet. Qua quidem funditus exstirpata popularibus suis auctor existit, ut pueros suos, ignavia et animi mollitie nunc diffluentes, severioribus studiis adsuefaciant.

Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,

v. 4. Librariorum errore ortae sunt multorum Codd. lectiones: *Ponticum, Punicum, publicum, Pukicum.* Veram lectionem *Apulicum* restituit *Lambinus.* — v. 5. *Sic*, susp. *Bentl.* — v. 6. *dura*, susp. *Bentl.* — *R.*

v. 1 — 8. *Intact. opul.* cett. Ornatum vulgaris sententiae: „Licet sis ditissimus, mortem tamen effugere non potes," tirones expendant. Mortis autem commemoratione saepius Hor. divitiarum cupidos a stultitia sua deterrere studuit; cf. supr. I. 4. 13. II. 18. 17 sqq. III. 1. 9 sqq. — *Intactis*, nondum attrectatis, integris adhuc; frustra enim ipsi Romani iam saepius Arabiae Felicis thesauris et rerum pretiosarum copiis manus iniicere tentaverant; cf. supr. I. 29. Propertio quoque II. 10. 16. *intacta* dicitur Arabia. *caementis*, iactis villarum marinarum per caementa fundamentis; cf. supr. III. 1. 35. — *Tyrrhenum*, mare inferum; *Apulicum*, mare superum. — [*Si figit adamantinos* cett. Rectissime videtur hunc locum explanasse *Orellius*, qui per *summos vertices* intelligenda esse demonstravit fastigia s. ἀετώματα aedium, quibus saeva Necessitas clavos suos infigat, domino velut acclamans: Hucusque nec ultra: adest tibi terminus fatalis! Similiter enim in patera Oddiana apud Vermigliolium (Iscriz. Perug. I. p. 43.) Atropos malleo clavum infigit parieti supra caput Meleagri iamiam morti destinati ac summam maestitiam prae se ferentis. Vulgo designari putant per *summos vertices* eos, qui ob ingentes divitiarum copias tollunt verticem, cui dira Necessitas clavos adamantinos infigit, i. e. quem dira Necessitas clavis suis percutit et perfodit. Sed haec admodum ingrata est Necessitatis imago, quam recte vituperavit *C. Kraft*, kl. Schulschr. p. 84. *R.*] — *adamantinos*, res dicuntur *adamantinae*, quae sunt inexpugnabilis firmitatis, ut supr. I. 6. 13. *tunica adamantina.* — *metu*, sc. mortis.

v. 9 — 16. Multo feliciorem in campis vitam vivunt Scythae et Getae, dum communi agrorum cultu contenti haud curis illis et cupiditatibus, quibus divites, agitantur. — *melius*, h. e. sapientius, ut supr. II. 10. 1: *rectius vivere.* — *Quorum plaustra vag. rit. trah. dom.* Iustin. II. 1. de Scythis: *Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis imbrium hiemisque causa tectis, pro domibus utuntur*; unde illi Graecis dicti sunt ἁμάξοικοι; ἁμαξόβιοι. — *rite*, ut fert eorum

Vivunt et rigidi Getae,
  Immetata quibus iugera liberas
Fruges et Cererem ferunt,
  Nec cultura placet longior annua,
Defunctumque laboribus
  Aequali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
  Privignis mulier temperat innocens,
Nec dotata regit virum
  Coniux, nec nitido fidit adultero.

mos et vitae ratio. — *rigidi*, duriori vitae adsueti, ut infr. Epist. II. 1. 25: *rigidi Sabini*. Caeterum de Getarum vitae simplicitate et frugalitate laudant Strab. VII. p. 302. — *immetata iugera*, vivebant igitur Scythae et Getae ut homines aureae aetatis, qua ut Tibull. I. 3. 43. loquitur, nullus adhuc lapis in agris fixus fuit, qui *certis finibus arva regeret*. cf. Virgil. Georg. I. 126. et ibi Interpretes. — *Nec cult. pl. long. ann.* agro enim, quem per unum annum coluerant, relicto vagas domos suas in alium transferebant. — *Defunct. lab. aequ. recr. sort. vicar.* et ut is, qui annuis laboribus perfunctus est, se recreare possit, eius vices aequo iure alius suscipit. *vicarius aequali sorte*, vices alterius, ut sors aequalis postulat, suscipiens. Cum hoc Scytharum Getarumque vivendi more egregie conveniunt, quae Caesar B. G. IV. 1. de Suevis narrat: *Centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa educunt. Reliqui, qui domi manserint, se atque illos alunt. Hi rursus anno post in armis sunt, illi domi remanent. Sic neque agricultura nec ratio atque usus belli intermittitur: sed privati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet.*

v. 17 — 24. Morum sanctitatem et vitae integritatem, quam apud Scythas et Getas vigere ait, iam consulto perversis, quibus Romani corrupti fuerant, opponit moribus. — *Illic matr. car. Privign. mul. temp. innoc.* explicant: apud eas gentes noverca privignis pocula miscet sine noxa, h. e. non veneno inficit pocula; sed *temperare alicui* simpliciter pro: pocula alicui miscere, vix usus loquendi fert nec quisquam ita locutus est; ut nihil de voce *innocens* pro: sine noxa vel damno, dicam. Itaque non dubito, quin *temperare privignis* iam sit: temperanter et leniter tractare privignos, mitem se praebere privignis, iis parcere; et sic fere Cicero pro Balbo 27: *temperare amicis*; Verr. II. 2. *hostibus*; Verr. I. 59. *sociis* dixit. — *Nec dotat. reg. vir.* laudant in hanc sententiam Plaut. Men. V. 2. 16: *Ita istae solent, quae viros subservire sibi postulant, dote fretae*; cf. eundem Asin. I. 1. 74. Aul. III. 5. 60. Notissimum est in hanc sententiam illud Iuvenalis: *Intolerabilius nihil est, quam femina dives.* — *nitido*, h. e. pulchro, nihil amplius; sic ni-

Dos est magna parentium
  Virtus et metuens alterius viri
Certo foedere castitas,
  Et peccare nefas aut pretium est mori.
O quisquis volet impias
  Caedes et rabiem tollere civicam,
Si quaeret pater urbium
  Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
  Clarus postgenitis; quatenus heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
  Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

v. 24. *pretium est mori*, Codd. plerique. In nonnuliis Codd. librariorum lapsu omissum est vocab. *est*; unus Pulmanni Codex praebet lectionem e solito compendio ortam *pretium emori*, quam receperunt *Baxter*, *Gesn.*, *Cun.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* — v. 25. *quis, quis*, *Bentl.* — v. 26. *aut rabiem*, Codd. nonn. (et sic vulgatae editt. pleraeque ante *Lamb.*) — *R.*

tidae virgines supr. Carm. II. 12. 19. — *fidit*, fidenter et temere se committit. — *virtus parentium*, in filiam propagata; ad sententiam plures veterum scriptorum locos comparavit *Mitsch.* — *castitas certo foedere* pro: certi foederis, h. e. coniugii, quod semper certa fide constat. — *Et pecc. nef. a. pret. est mori*, et *peccare* (adulterare, ἁμαρτάνειν) *nefas* ducitur, *aut*, si qua peccat, ei est merces vel poena (*pretium*) ultimum supplicium (*mori*).

v. 25 — 32. Iam cum nobili indignatione ad indomitam aetatis suae licentiam se convertit et quomodo ista a viro aeternam sibi apud posteros de servata patria gloriam paraturo refrenanda sit, ostendit. — Quod suspicatur *Boettigerus*, Horatium hac severioris disciplinae commendatione velificatum esse gratiae Augusti, qui tum forte condendis illis legibus, quas postea tulit, v. c. legi *Iuliae de adulteriis*, legi *Papiae Poppaeae de maritandis ordinibus*, operam dederit, admodum probabile est. — *rabiem civicam*, de bellis civilibus, ut passim *furor civium*. — *Si quaeret pater urbium* cett. si huius gloriae appetens erit, ut nomen suum aliquando sub titulo: *pater urbium* statuis incidatur. — Nondum quidem tum Augustus, quem Hor. innuisse putant, ex publico Senatus consulto *Patris Patriae* nomine insignitus fuit, sed populus, ut docent numismata quaedam, de quibus egit *Raschius* in *Lexic. Numism.* T. III. P. II. p. 621 — 22. iam plures annos ante hunc titulum honorificum ei tribuerat. — *postgenitis*, posteris, τοῖς ὀψιγόνοις. — *quatenus*, quandoquidem, quoniam; infr. Sat. I. 1. 64. *libenter Quatenus id facit.* — *virtutem incolumem*, viros egregios, dum vivunt. — *invidi* tam ad *odimus*, quam ad *quaerimus* referendum. Ad sententiam laudant Vell. II. 92: *Praesentia invidia, praeterita veneratione persequimur; his nos obrui, illis instrui credimus.* — cf. infr. Epist. II. 1. 14.

Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur;
Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt, si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi nec Boreae finitimum latus
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt; horrida callidi
Vincunt aequora navitae;
Magnum pauperies opprobrium iubet
Quidvis et facere et pati,
Virtutisque viam deserit arduae?
Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba faventium,

v. 39. *gelu*, coni. *Bentl.*, nulla necessitate. — v. 44. *deserere*, coni. *Bentl.* (probante *Ianio*). At multo efficacior est omnium Codd. lectio: *deserit*. — *R.*

v. 33 — 44. Vanae sunt nostrae de morum corruptela querelae, si non poenis gravissimis huic malo resistitur; vanae quoque sunt leges, si ad illas non vivitur, si divitiae et luxus instrumenta e remotissimis terrae partibus summa cupiditate conquiruntur, paupertati vero nullus honor tribuitur. — *culpa*, morum perversitas. — *sine moribus vanae*, inutiles, nisi vita ad eas exigitur. — *ferv. pars incl. cal. mund.* zona torrida; cf. supr. I. 22. 21. III. 3. 55. — *Bor. finit. lat.* zona frigida. — *duratae sol. nives*, glacies; e nive enim, quam frigus in solo iacentem durat, fit glacies. — *callidi*, refer ad artem navigandi, quam ad pericula in mari superanda bene nautae callent; alii ad lucri faciendi calliditatem referunt — *Magn. pauper. opprobr.* cett. Quid leges proficiunt, si ii, qui nullas divitias possident, vehementer a divitibus despiciuntur et sic ad quaevis turpia tam facienda quam patienda adacti a virtutis studio deducuntur? — Comparant Lucian. pro merced. Cond. p. 717: *Πενία πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν ἀναπείθουσα, ὡς ἐκφύγοι τις αὐτήν.* — *arduae*, in arce nempe secundum Hesiodum *Ἔργ.* 287 sqq. collocatae, ad quam eius cultor eniti debet.

v. 45 – 54. Quodsi igitur ad frugem et antiquam morum simplicitatem redire volumus, divitiarum tanquam unicae corruptorum morum causae exstirpanda omnino est cupiditas. Exstirpari autem istam posse existimat, si aurum et res pretiosae quaeque vel Iovi Capitolino tanquam *ἀναθήματα* sollemni more offerantur, vel in mare abiiciantur. — *In Capitolium*, ad exemplum Augusti, *qui*, ut narrat Suetonius Aug. 30. *in cellam Capitolini Iovis sedecim millia pondo auri gemmasque et margaritas quingenties HS. una donatione contulerit.* — *Quo clamor voc. et turb. fav.* inter faustam populi praeeuntis acclamatio-

Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Graeco iubeas trocho
Seu malis vetita legibus alea,

v. 54. *Firmandae*, coni. *Bentl.* *R.*

nem. — *in mare proximum*, Tyrrhenum puta; valuit autem iam antiquitus proverbialis illa locutio, qua, qui res quasdam contemnunt et nihil curant, eas se in aquam abiicere velle aiunt. Opportune in hanc rem *Boettigerus* laudat Lucian. Tim. §. 56. p. 173: *Σοῦ δὲ αὐτοῦ χάριν ἐστάλην, ὡς μὴ διαφθείρῃ σε τὸ κάκιστον τοῦτο καὶ ἐπιβουλότατον κτῆμα ὁ πλοῦτος, ὁ πολλοῖς πολλάκις αἴτιος ἀνηκέστων συμφορῶν γεγενημένος· εἰ γάρ μοι πείθοιο, μάλιστα ὅλον εἰς τὴν θάλατταν φέρων ἐμβαλεῖς.* — *lapides*, uniones; cf. ad Catull. LXIX. 4. — *Eradenda cupidinis* cett. Od. III. 2. 1 sqq.: *Angustam amice pauperiem pati Robustus acri militia puer condiscat.* — *mentes nimis tenerae*, quae nunc nimis molli et effeminata ratione tractantur. — *Formandae*, instituendae ad vitam honestiorem.

v. 54 — 64. *Nescit equo rudis haerere* cett. puer Romanus pro molliore, qua nunc educatur, ratione equitandi artis imperitus est. — Pertinebat autem ad disciplinam Romanam ars equitandi et venatio, qua pueri ad labores in bello ferendos obdurarentur; vid. infr. ad Sat. II. 2. 9 — 10. — *Nescit puer ingenuus*, cum *rudis* et inexercitatus sit, *equo haerere*, i. e. firmiter ei insidere; Ovid. Metam. IV. 27: *non fortiter haeret asello.* Cic. p. Deiot. c. 10: *Itaque Deiotarum cum plures in equum sustulissent, quod haerere in eo senex posset, admirari solemus.* — *venari timet*, venationem refugit; ut supr. I. 8. 8: *timet Tiberim tangere.* — *Graeco trocho*, — *trochus* (*τρόχος*), circulus aheneus, rotae similis, quem pueri ludentes virga ferrea circumagebant, dum valde delectabantur eius strepitu, quem annexi annuli inter agendum edebant; vid. Mercurial. de Art. Gymn. III. 8. — *Graeco*, e Graecia enim in Italiam translatum fuerat hoc instrumentum lusorium; *graecabantur* igitur, ut infr. Sat. II. 2. 11. dicitur, pueri Romani. — *vetit. leg. alea*, hinc de alea (h. e. lusu, cuius eventus iactatis talis vel tesseris in fortunae positus fuit arbitrio, nos: *Hazard-Spiel*) *condemnatorum* mentionem

Cum periura patris fides
  Consortem socium fallat et hospitem,
Indignoque pecuniam
  Heredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae; tamen
  Curtae nescio quid semper abest rei.

CARMEN XXV.

AD BACCHUM.

Quo me, Bacche, rapis tui

v. 60. *hospites*, e Codd. *Bentl.*, *Cun.* — *R.*

facit Cicero Philipp. II. 23. — *cum periura patris fides* cett. dum turpi fraude pater corradit pecuniam, quam filius profusius dilapidet. — *socius* dicitur, quocum quis in lucro faciendo societatem iniit. — *fallat*, commode laudant Cic. p. Rosc. Amer. 40: *In rebus minoribus socium fallere turpissimum est. — Recte igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in bonorum virorum numero non putarunt haberi oportere.* — socius dicitur *consors*, qui, quod *sortem* (summam pecuniae, nos: *Capital*) in medium contulit, iure suo aequam lucri partem postulare potest. — *indigno*, prodigo nempe. — *properare pecuniam* eleganter dicuntur, qui diurna nocturnaque opera faciunt tentantque omnia, quibus pecuniam coacervent; hinc *avarus* Iuvenali XIV. 117. *properans* dicitur. — *improbae*, quae improbo inhonestoque studio colliguntur (hinc infr. Epist. I. 10. 40. avarus dicitur *improbus*), vel simpliciter: magnae, ingentes; — *rei curtae*, eiusmodi divitiis, quae, utut amplae, *curtae* tamen et parvae insatiabilibus earum videntur possessoribus; nam ut Hor. supr. III. 16. 42: *Multa petentibus desunt multa.* — *Boettigerus* comparat Euripid. Electr. 943.

CARMEN XXV.

Augusti divinos honores sive *ἀποθέωσιν* carmine quam maxime sublimi celebraturus furorem, quem Bacchus poetis dithyrambicis immittere putabatur, pectore concipit Horatius. Bacchi igitur furore plenus, uti Maenas aliqua, in nemora et specus aufertur, ubi in antro quodam sublime et inauditum ante in Augusti inter deos relati laudes carmen dicturus est. Mox paululum ex animi sui tumultu ad se rediens circumspicit et loca, ad quae furore percitus delatus sit, miratur. Tum Bacchum appellat et, quale carmen cantaturus sit, iterum profitetur. Sensu autem dulcis illius furoris, quo, qui Bacchum sequuntur, perfundantur, delenitus subito carmen finit. — Quid assequi poeta hoc carmine dithyrambico (quale fere est supr. II. 19.) voluerit, facile apparet. Ostendere enim voluit, quo ore Augusti laudes celebraturus ruere debeat. Non canens autem illas laudes novo et sublimiore, quod se meditari ait, carmine, tacite iis canendis et uberius enarrandis se imparem profitetur. Quo quidem nihil ad tentatae rei amplitudinem designandam aptius graviusque a poeta fingi potuit; cf. supr. argum. ad I. 6.

Plenum? Quae nemora aut quos agor in specus
Velox mente nova? Quibus
  Antris egregii Caesaris audiar
Aeternum meditans decus
  Stellis inserere et consilio Iovis?
Dicam insigne recens adhuc
  Indictum ore alio. Non secus in iugis
Exsomnis stupet Euias,

v. 2. *quae in nemora*, Codd. nonnulli (et sic *Lamb.*, *Torr.*, al.). Sed meliores omnes Codd. v. *in* omittunt. — *aut* omiserunt *Cun.* et *Iani*, suffragantibus quatuor tantum Codicibus. Pro *aut* nonnulli Codd. habent *et*, quod recepit *Torr.* — v. 6. In multis Codd. et editt. (*Lamb.*, *Bentl.*, *Vanderb.*) legitur *concilio.* — v. 9. In Codd. nonnullis legitur *ex somnis*, quod ante Stephanum plerasque occupabat editiones. *Bentl.* coni. *Edonis*, ne vox *iugis* epitheto careret! — *R.*

v. 1—6. Cogita, poetam carmen audacius in Augusti laudes molientem invocasse Bacchum, qui numine suo eius pectus impleret; audivit poetae preces Bacchus, adest et eius pectus intrat, cuius vim sentiens: *Quo me, Bacche, rapis tui plenum?* exclamat. — *tui plenum*, Od. II. 19. 6: *Plenoque Bacchi pectore turbidum laetatur.* — *velox mente nova*, novo, quo impellor, impetu velociter ruens. — *Quibus antris egreg. Caes.* cett. pro vulgari: in quibus antris aeternam Augusti inter deos relati gloriam canam? — *audiar meditans*, audiar, dum carmine in caelum efferre Caesarem conor. — *egregii Caesaris aeternum decus*, egregium (cf. supr. I. 6. 11.) et aeternae gloriae decore insignem Caesarem. — *consilio Iovis inserere*, h. e. inter deos maiores, qui ab Iove in consilium vocantur, referre; multo gravius igitur *consilio*, quam *concilio*, quod in quibusdam editt. exhibetur; *concilio* enim adsunt, quibus capta consilia proponuntur, *consilio* vero, qui ipsis consiliis capiendis adhibentur.

v. 7—14. Poeta, tam rei canendae gravitate quam Bacchi numine plenus, iam animum sumit et de insigni carminis, quod cantaturus est, sublimitate cum nobili fiducia loquitur. — *recens* ipse explicat: *adhuc indictum alio ore*; idem autem, ut solent graviter commoti, bis dicit. — *Non secus in iugis* cett. cogita, poetam, cum deferbuisset paululum primus furor, nunc circumspicere et mirari loca, in quae caecus eum rapuerit impetus; comparat igitur se cum Maenade, quae e somno, cui furibunda tandem succubuerat, experrecta et a furore suo per eum recreata oculos circumflectere et loca, in quae ruerit, contemplari incipit. — *Euias*, Baccha, ab orgiorum voce *Euoe.* — *exsomnis*, h. e. somno experrecta, *ἔξυπνος*. Quod *Mitsch.* putat, per Baccham ex-

Hebrum prospiciens et nive candidam
Thracen ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen, ut mihi devio
Ripas et vacuum nemus
Mirari libet. O Naïadum potens
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos,
Nil parvum aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenaee, sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino.

v. 12. *ac mihi*, e tribus Cruquii Codd. *Bentl.* et *Cun.* Sed longe exquisitius est *non secus — ut mihi* (Ov. Metam. IX. 642 sqq.), neque ferri potest *ac mihi* propter praegressa verba *ac pede.* Non recte autem in plerisque editt. (*Lamb.*, *Torr.*, *Baxt.*, *San.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Vanderb.*, *Doer.*) punctum ponitur post *Rhodopen;* qua ratione comparationis membra violentius divelluntur. — v. 13. *Rupes*, e coni. Mureti *Lamb.* aliique; *rivos*, coni. *Bentl.;* utrumque non necessarium est. — v. 18. *est* om. *Iani* cum ed. Ven. 1478 et Cod. Helmst. — v. 19. *Te, Lenaee, sequi ducem*, susp. *Bentl.* — *R.*

somnem intelligendam esse eam, quae somno, audito tympani sono, experrecta, istoque ad novos furores recreata iterum furere incipiat, parum rei accommodatum est. Baccha enim novo furore correpta profecto non loca *prospicit*, nec ea, ut poeta, *miratur.* — *stupet*, cum stupore contemplatur loca, in quae se delatam videt. *Abit* enim *in quiete molli rabidus furor animi*, ut Catullus loquitur in Galliambo v. 38. — *Hebrum*, Thraciae fluvium, nunc *Mariza.* — *pede barbaro*, h. e. pede barbararum, Baccharum Thraciarum; *Thraces* enim, ut *Phryges*, apud poetas Graecos βάρβαροι audiunt. — *Rhodopen*, montem Thraciae, nunc *Despoto.* — *devio*, locis absconditis circumvaganti. — *ripas*, Bacchae Hebrum prospicientis respectu habito. *vacuum*, solum, vastum.

v. 14—20. *O Naïadum potens* cett. causa, cur huc actus fuerit poeta, de integro eius subit animum; iterum igitur appellat Bacchum et in sublimioris, de quo dixit, carminis nisu persistit. — *O Naïadum potens Bacch.* o deus, in cuius potestate Naides et Bacchae sunt; ut supr. I. 3. 1: *Venus Cypri potens*, et infr. Carm. Saec. 1: *Diana silvarum potens.* Orph. H. LIII. 6: *Ναΐσι καὶ Βάκχαις ἡγούμενε κιττοφόροισι.* — *valent. procer. man. vert. frax.* de eiusmodi furibunda Baccharum violentia cf. Euripid. Bacch. 109. 1066. 1093 et 1102. — *dulce peric. est sequi deum*, dulcis est ille furor, quo quis periclitatur deum sequi; sic supr. III. 4. 5: *amabilis insania.* — *sequi deum*, Ov. Met. XV. 143: *Et quoniam deus ora movet, sequar ora moventem Rite deum.* — *cingentem virid. temp. pamp.* similiter infr. IV. 8. 33. Bacchus: *ornatus viridi tempora pampino* depingitur.

CARMEN XXVI.

AD VENEREM.

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria;
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
Funalia et vectes et arcus
Oppositis foribus minaces.

v. 7. *arcus*, Codd. omnes. Cf. annot. — *R.*

CARMEN XXVI.

Poeta se amorum, quibus adhuc indulserit, lusibus nunc defunctum esse profitetur. Comparat autem se cum milite emerito, et quemadmodum miles arma post partam sibi per ea in bello gloriam Marti consecrare solet, ita instrumenta illa, quibus aditum ad puellas sibi aperire tentaverat, tanquam ἀναθήματα sollemni more Veneri dedicat. — Videtur autem huius capti consilii causa inprimis fuisse Chloë, cuius extremo amorum suorum tempore superbiam expertus fuerat; hinc precibus ad illius arrogantiam ulciscendam spectantibus armorum suorum dedicationem peragit. — Caeterum hoc totum carmen ex Graeco quodam factum esse Latinum, nemini facile Graecorum poetarum lectione imbuto dubium erit.

v. 1—8. Cogita, poetam ante templum Veneris stare et inter ipsam armorum suorum dedicationem hoc carmen pronunciare. — *militavi*, nam qui amant, Veneris vel Cupidinis castra sequi dicuntur; in vulgus notum est illud Ovidii Amor. I. 9. 1: *Militat omnis amans et habet sua castra Cupido.* — *arma*, qualia illa fuerint, ipse docet v. 7. — *defunctum bello barbiton*, h. e. munere suo, dum mihi militanti, h. e. amanti sonabat, perfunctum; deduxerat enim ad lyram modos leviores sive carmina amatoria. — *Laevum mar. qui Ven. lat. custodit*, h. e. claudit, ambit, munit; pro vulgari: qui est vel stat a laeva parte templi, in quo Venus *marina* (*ἀναδυομένη*, cf. Musae. v. 284.) colitur. — *laevum lat.* Veneris simulacro hic paries, quo arma sua positurus erat, a laeva, templum vero intrantibus a dextra fuisse videtur. — *Hic, hic ponite* cett. alloquitur administros, quos arma iam dedicanda apportare iusserat; *ponite*, proprie de rebus, quae dedicantur. Sic Ovidius Amor. I. 11. 26. tabellam verbis, quibus optabat, a Corinna scriptam, se media in Veneris aede *ponere* velle ait. — *funalia*, taedas, faces, quas iuvenes comissabundi prae se ferebant. — *vectes*, quibus puellarum fores effringere solebant amatores. — *arc.*

O quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
  Regina, sublimi flagello
    Tange Chloën semel arrogantem.

CARMEN XXVII.

AD GALATEAM.

Implos parrae recinentis omen

oppos. for. minaces, quamvis *arcum* ad clausas puellarum fores diffringendas ab amatoribus adhibitum fuisse aliunde non constat, fieri tamen potuisse, ut amatores summa vi in puellarum aedes irrupturi sagittarum adeo iactu clausas fores diffinderent, negari nequit. Frustra igitur hic locus sollicitatus esse videtur a *Cuningamo* et *Bentleio*, quorum hic pro *et arcus* paulo audacius: *securesque*, ille *harpas* pro: *arcus* tentabat.

v. 9—12. *O quae beat. div. ten. Cypr.* similiter supr. I. 3. 1. Venus *diva potens Cypri* dicitur; *beatam*, divitiis e mercatura, quae vel maxime in hac insula exercebatur, affluentem; hinc infr. III. 29. 60. *merces Cypriae.* Eustathius ad Dionys. Perieg. 508: *Ὀλβιώτατοι δὲ νησιωτῶν οἱ Κύπριοι διὰ τὸ θαλαττοκρατῆσαι.* qua de causa *Cyprus* antiquitus vocata fuit *Macaria*. Plin. H. N. V. 31. — *Memphin*, in hac urbe Aegypti nobilissima *Venus Hospita* templum habuisse traditur; vid. Herodot. II. 112. Strab. XVII. p. 1161. a. — *carent. Sithon. niv.* in regione haud frigida, sed calida sitam. *Sithonia* epitheton ornans, ut apud Ovid. Amor. III. 7. 8: *Brachia Sithonia candidiora nive.* — *Sublimi flagello tange*, pro vulgari: contunde et frange Chloës superbiam. — *Flagello*, quod nunc Veneri tribuitur, saepius dii irati sontibus imminere finguntur. Locis a *Mitsch.* in hanc rem allatis adde Oppian. Hal. II. 14. ubi sapiens diis obtemperare dicitur, *Πρὶν χαλεπῇ μάστιγι καὶ οὐκ ἐθέλων ἐλάηται.* — *sublimi*, in altum elato; quo gravius enim aliquis flagello aliquem caedere cupit, eo altius illud ad caedendum extollere solet.

CARMEN XXVII.

Galateam ab itinere, quod navi in exteras terras susceptura erat, non malorum quidem ominum, sed manifesti, cui iniquiore nunc navigationi anni tempore se exponat, periculi commemoratione deterrere studet. Sententiarum nexus est fere hic: non malis equidem ominibus te ab itinere, quod meditaris, deterrebo, imo deos venerabor, ut bonis avibus te proficisci iubeant; sed licet aves itineri tuo addicant, cogita, quaeso, quam graves hoc ipso, quod instat, anni tempore tempestates in mari oriri soleant. Cave igitur, ne tibi fraudi sit, quam nunc caelum ostendit, serenitas. Sic Europa quoque olim per externam bovis ei adblandientis speciem in fraudem inducta est. — Quod supra in argu-

Ducat et praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino
    Fetaque volpes;
Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos. Ego cui timebo
    Providus auspex,
Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,

v. 5. *Rumpit*, ex uno Cod. Graevii (cui accedit unus item Vanderburgii) *Bentl.*, *Cun.*, *Sanad.*, *Mein.* — v. 7. Pro *cui* in multis Codd. legitur *quid*, in nonnullis *cur* (*quid* receperunt *Cruq.* et *Baxt.*); post v. *auspex* multi posuerunt interrogationis signum. Male. *R.*

mento ad huius libri carmen tertium de longiore illa, qua Iuno loquens inducitur, digressione monuimus, id quoque de Europae fabula, scite huius carminis argumento accommodata, valet. Scilicet poeta in Europae fabula nunc unice temeritatem, qua illa tauro se credidisse fertur, spectavit, quam cum Galateae hiemali tempore navi se commissurae temeritate comparat. Quantam suavitatem autem, sublimitatem et dignitatem Horatius huic carmini conciliaverit eo, quod Europam tam agentem quam loquentem induxit, lectores ipsi sentient. — Cum argumento huius carminis comparant Propert. I. 8.

v. 1—12. Sententia: omina illa, quae infausta esse solent iter aliquod instituturis, impiis eveniant; et faustis, quae a diis expetam, ominibus proficiscetur ea, de cuius vita ego sum sollicitus. — *Parrae*, qualis avis per *parram* intelligenda sit, non satis liquet. Relatam illam ad eas aves fuisse, quae voce sua tempestatem portenderent, ex hoc ipso loco intelligitur; — *recinentis*, vocem inauspicatam iterum iterumque repetentis. — *rava*, ad luporum colorem, qui inter caesium et flavum medius fere est, referendum; nos: *fahl*, *grau*. Similiter *lupus* apud Ovid. Met. VI. 528. *canus*, et Met. XI. 772. *fulvus* dicitur. Minus bene alii ad oculorum colorem referunt, ut sit pro: truculenta. — *Lanuvium*, Latii oppidum, prope viam Appiam in loco acclivi situm; hinc *lupa* inde *decurrere* dicitur, cuius per viam Appiam transcursus Campaniam et Brundusium versus profecturis male suspicatus fuit. — *rumpat iter institutum*, malo omine suo ab instituto itinere deterreat. — *mannos*, equos parvulos, velocitate sua inprimis insignes (*Zelter*). — *providus auspex*, dum prudenter laeta auguria praecipio; *cui timebo*, cuius saluti timebo. — *Oscin. corv. pr. suscit. Sol. ab ort.* deos precabor, ut oscinem corvum ab oriente suscitatum laetum omen canere iubeant. — *Oscines*, ut satis notum, cantu vel clamore *praepetes* volatu augurium dabant. — *Solis ab ortu*, ab oriente enim laetioris ominis aves advolare debebant; cf. Sueton. Vespas. Vit. c. 5. sub fine. — *antequ. stant. repet. palud. imbr. divin. av. immin.* antequam avis imminentes

Oscinem corvum prece suscitabo
　　　Solis ab ortu.
Sis licet felix, ubicumque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas,
Teque nec laevus vetet ire picus
　　　Nec vaga cornix.
Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus
　　　Peccet Iäpyx.
Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Austri et
Aequoris nigri fremitum et trementes
　　　Verbere ripas.

v. 15. *vetat*, e Cod. Vatic. (cui accedunt quatuor alii Codd.) *Lamb.*, *Bentl.*, *Cun.*, *Sanad.*, *Mein.* — v. 22. *Haedi* pro *Austri* coni. *Muret.*, quem secutus est *Lamb.* — v. 23. Pro *trementes* legendum suspicatur *Bentl.*: *gementes*. *R.*

imbres divinitus praedicens stantes paludes repetat, h. e. tempestate nondum per cornicem praedicta; lavando enim et aqua se in paludibus perfundendo cornices inprimis pluviosum tempus praedicere putabantur; vid. Arat. Dios. 217 sqq. Plin. XVIII. 35.

v. 13—24. *Sis licet felix* cett. Sensus et nexus: per me igitur vel per auguria, quae ego pro te capio, *licet* sane, ut, ubicumque tibi, Galatea, placet, felicem et memorem mei vitam agas laetisque inde proficiscaris ominibus cett. — *quanto trepidet tumultu Pronus Orion*, quanto tumultu ad occasum ruat Orion, h. e. quanta post Orionis occasum, qui instat, exortura sit tempestas. — *trepidet*, h. e. festinet, cf. supr. II. 4. 23. — *pronus* ad occasum vergens. ut supr. I. 28. 21: *Orion devexus*, ubi cf. not. — *Ego, quid sit ater Hadr. nov. sin.* ipse ego expertus sum, quam periculosum sit navigare in mari Hadriatico, quando atri eius fluctus aestuant; mare enim, dum aestuat, in *sinus* reducitur. Nisi forte poeta certum quendam maris Hadriatici in *sinum* exeuntem locum respexerit, qui navigantibus inprimis atrae tempestatis tempore infestus esset. — *Iäpyx*, vid. ad I. 3. 4. — *albus*, caelum album sive serenum reddens; ut supr. I. 7. 15: *albus Notus*, et III. 7. 1: *candidi Favonii*. — *quid peccet*, in quantam fraudem inducat, quid fraudis committat. — *Host. uxor. puerique*, quod molliores eorum animi impensius in eiusmodi discrimine consternari solent. — *caecos*, h. e. atros, turbidos. — *trementes verbere*, contremiscentes fluctuum allisu; apud Virgil. Aen. III. 423. Charybdis *unda sidera verberare* dicitur.

Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus et scatentem
Belluis pontum mediasque fraudes
　　　Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum et
Debitae Nymphis opifex coronae
Nocte sublustri nihil astra praeter
　　　Vidit et undas.
Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, Pater, o relictum
Filiae nomen pietasque, dixit,
　　　Victa furore!
Unde quo veni? Levis una mors est

v. 26. *at scatentem*, coni. *Bentl.*; sed sine ulla oppositione adiicitur, quod necessario ex hac temeritate consequebatur. — *R.*

v. 25—36. *Sic*, pari temeritate et inconsiderantia, vid. argum. — *scatent. bellu. pontum*, μεγακήτεα πόντον, Hom. Odyss. III. 158. — *medias*, in medio demum mari vel periculo cognitas. — *audax* refer ad Europae temeritatem et inconsiderantiam. — *nuper*, paulo ante, dudum. — *debitae Nymphis*, quam ex voto suscepto Nymphis offerre debebat; — *sublustri*, paululum obscura, quippe qua non luna, sed stellae tantum micant. — *nihil astr. pr. vid. et und.* comparant Mosch. Europ. v. 129. — *centum potent. oppid. Creten*, ἑκατόμπολιν, infr. Epod. IX. 29: *centum nobilem Cretam urbibus.* Ovid. Her. X. 67: *Crete centum digesta per urbes.* vid. *Meurs. de Creta* I. 5. et *Schoenem.* de Geograph. Hom. p. 91. — *o relict. fil. nom.* quam turpiter mihi filiae patris nomen relictum est! h. e. patris nomen quam turpiter neglexi et parum curavi ego filia! Comparant Euripid. Med. 166: Ὦ πάτερ, ὦ πόλις, ὧν ἀπενάσθην. Ov. Heroid. X. 69: *Nam pater et tellus iusto regnata parenti Prodita sunt facto nomina cara meo.* — *pietasque victa furore*, quam turpiter furibundo illo, quo tauro me credebam, consilio suppressa est, quam patri debebam, pietas! Ov. Met. I. 149: *Victa iacet pietas.*

v. 37—48. Europa magis magisque nunc fraudem, in quam temeritate sua se induci passa sit, sentiens querelas et minas iacit, quales suppeditare solet dolor et affectus vehementior; egregie igitur ad ingenium humanum composita est Europae oratio. — [*Unde quo veni?* Duae interrogationes Graecorum more una coniunctae sunt, ut Soph. Trach. 420: τίς πόθεν μολὼν σοὶ μαρτυρήσει —; contra seiunctae sunt Sat. II. 4. 1: *Unde et quo Catius?* — *R.*] — *levis*, nimis levis poena; *culpae*, casus tertius, ad eiusmodi virginum culpam expiandam, quasi eiusmodi virginum flagitium plures mortes vel graviorem quam unius mortis poenam meruerit. Comparant Propert. IV. 4. 17. de Tarpeia: *Et satis una malae po-*

Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum, an vitiis carentem
Ludit imago
Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc iuvencum
Dedat iratae, lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri!
Impudens liqui patrios Penates,
Impudens Orcum moror! O deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!

v. 39. *vitio*, coni. *Bentl.* — v. 41. *quam*, coni. *Sanadon.* Sed imago ipsa tanquam deus somnium secum ducere dicitur. — v. 48. *tauri*, multi Codd. et editt. Orta sine dubio est haec lectio ex alterius interpretamento. *R.*

tuit mors esse puellae, Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas? — *imago vana*, falsa species (εἴδωλον), sic Venus apud Virgil. Aen. I. 408. quae falsa specie Aeneae se obtulerat, *falsis imaginibus eum lusisse* dicitur. — *quae port. fug. ebur. somn. duc.* somnia scilicet, ut finxit antiquitas, per duas portas, *falsa* quidem per *eburneam*, *vera* autem per portam *corneam* ex locis inferis emittuntur; vid. Hom. Odyss. XIX. 562. et *Heyn.* Excurs XV. ad Virg. Aen. VI. 894. — *fugiens*, evolans. — *Meliusne fluctus* cett. fierine potuit, ut, quid melius esset, utrum tauro, qui me per longum mare veheret, me committere, an recentes in prato flores carpere, ego non intelligerem? — *infamem*, detestandum; paulo mollius infr. v. 71. Venus, ubi suaviter Europae iram ridet, eundem *invisum* vocat; — *multum amati monstri*, huius exsecrandi, quem paulo ante in prato blande et amanter attrectabam (Mosch. 93 sqq. Ovid. Fast. 861 sqq.), iuvenci. Scilicet uti homines, quos ob nova et inaudita scelera abominamur, *monstra* appellari solent, v. c. *Cleopatra* supr. I. 37. 21. et *Catilina* apud Cic. Cat. II. 1. ita nunc *taurus* ob scelestissimum, quo ille Europam violenter per mare abstulerat, facinus *monstrum* (nos: *Ungeheuer*) vocatur.

v. 49—66. *Orcum moror*, diutius in vita morans non statim ad Orcum descendo; sic *vitam*, *annos mortem*, *fata morari* vel *demorari* pro: diutius in vita morari, passim dicitur; exempla de hoc loquendi genere collegit *Burmann.* ad Virg. Aen. II. 648. — *nuda* potest quidem pro: destituta, derelicta ab omni auxilio, accipi, sed significationis proprietati multo magis favent sequentia. Europa enim, si vestibus

Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneraeque succus
Defluat praedae, speciosa quaero
Pascere tigres.
Vilis Europe, pater urget absens:
Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
Laedere collum.
Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age te procellae
Crede veloci, nisi herile mavis
Carpere pensum,
Regius sanguis dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus et remisso
Filius arcu.

v. 57. *Europae*, e Codd. nonnullis *Lamb.*, al.; sed valde durum hoc et languidum. — v. 59. 60. *secuta e* — *Lidere collum*, e Codd. nonnullis *Muretus*, *Bentl.*, *Gesner*, *Cun.*, *Sanad.* Sed procul dubio *elidere* ortum est e glossa. — *R.*

denudata conspecta fuisset a leonibus, eos multo avidius ipsius corpus tenerum adhuc et succis plenum devoraturos esse existimabat. — *tenerae praedae*, significantius pro tenui: mihi. — *speciosa*, ego, iuvenili corpore adhuc conspicua, pulchra, pinguis, carnosa; *speciosa* opponitur *turpi maciei.* Infr. Epist. I. 16. 45: *Introrsus turpem, speciosum pelle decora.* — [Iam Europe recordatione patris a se relicti perculsa semet ipsam hortatur, ut morte statim poenas luat, quas pater exigere videatur. *R.*] — *vilis*, pudendo flagitio contaminata, nos: *Verworfene.* — *pater urget absens*, pater, quem reliqui, absens mihi instare et ad mortem me adigere videtur. — *bene*, nisi in proprium, *bene* certe in hunc usum; de *zonarum* virginalium in suspendium usu vid. *Mitsch.* et *Stanl.* ad Aeschyl. Suppl. 456. — *laedere* pro: frangere, elidere. — *Sive te rup. et acut. let. sax. del.* aut si praeferendum tibi videtur illud mortis genus, quo quis per rupes et saxa se praecipitem dat. — *saxa acuta leto*, h. e. saxa, quorum pars acutior opportune ei, qui mortem sibi consciscere vult, prominet. — *te procellae crede veloci*, h. e. praeceps inde rue; *procellae veloci se credere*, significanter pro vulgari: ex loco alto se praecipitem dare. — *nis. her. mav. carp. pens. Reg. sang.* nihil enim feminae nobiliori tristius accidere poterat, quam servilis conditio; hinc Ariadne apud Ovid. Heroid. X. 89 sqq.: *Tantum ne religer dura captiva catena, Neve traham serva grandia pensa manu.* — *dom. trad. barbar. pellex*, serva enim, quae simul pellex est domini, multo magis extimescere debet saevitiam dominae.

v. 67—76. *Perfidum ridens Ve-*

Mox, ubi lusit satis, Abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae,
Cum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Iovis esse nescis:
Mitte singultus, bene ferre magnam
Disce fortunam; tua sectus orbis
Nomina ducet.

CARMEN XXVIII.

AD LYDEN.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum

v. 71. *Iam tibi iniussus*, susp. *Bentl.* Alii aliter hunc locum correxerunt, sed frustra. — Carm. XXVIII. v. 2. *facias*, coni. *Bentl.* ob sequens *prome.* Sed sententia est: quid potius faciam, quam ut tecum bibam; prome igitur cett. *R.*

nus, Venus, cui res in Iovis gratiam suscepta bene cesserat, nunc ridet et quidem *perfidum* (pro: perfide), h. e. uti illi, qui per dolum et fraudem votorum suorum compotes facti sunt, ridere solent. In risu autem *perfido* egregie expressum est ingenium Veneris, quae, ut dea χαιρέκακος, e doloribus, quos parat, voluptatem capere solet. Hinc supr. I. 33. 12. *iocus*, qui Veneri placet, *saevus* dicitur. — *remiss. fil. arcu*, suaviter Cupido, qui simul adest, nunc arcum laxatum gestare fingitur; nam, quod ille per arcum adductum et intentum efficere solet, iam effecerat. — *ubi lusit satis*, ubi satis puellam irrisit. — *Abstineto irarum*, cf. Od. II. 9. 17. — *Cum tibi invisus* cett. cum taurus ille tibi nunc invisus laceranda, quae te laceraturam esse minata es, suppeditabit cornua; iocose pro: cum deus, qui sub tauro latet, se tibi conspiciendum et amplectendum praebebit. — *uxor*, h. e. pellex, ut passim *coniux.* — *sectus orbis*, separata orbis terrarum pars.

CARMEN XXVIII.

Diem Neptuno sacrum poeta se hilariter apud amicam suam, Lyden, bibendo canendoque ad multam usque noctem transigere velle declarat. Ut igitur lectorem in mediam rem statim abripiat, Lyden, in cuius domo se iam adesse fingit, festinantius vinum Caecubum depromere, alterno carmine Neptunum et Nereïdes secum celebrare, ipsam solam Latonae et Dianae laudes ad lyram dicere, et postremo mutuo iterum carmine Venerem et Noctem secum canere iubet. — Per Lyden haud dubie est intelligenda eadem, cuius supra quoque II. 11. 22. ut fidicinae et meretricis mentio fit. — Argumentum huius carminis debetur fortasse poetae cuidam Graeco, quem Horatius imitatus est.

v. 1—8. *Festo die Neptuni*, Ne-

Lyde strenua Caecubum
Munitaeque adhibe vim sapientiae.
Inclinare meridiem
Sentis ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli Consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum et virides Nereïdum comas:
Tu curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae:

ptunalia mense Iulio et quidem a. d. X. Calend. Aug. a Romanis celebrabantur. — *strenua*, Graece pro: strenue, h. e. promto paratoque animo, προθύμως. — *Caecubum*, vid. supr. ad I. 20. 9: *reconditum*, vinum enim generosius, quale fuit Caecubum, in interiore quadam cellae vinariae parte seponi atque reponi, nec nisi diebus festis et laetioribus inde depromi solebat; hinc idem *Caecubum* infr. Epod. IX. 1: *repostum ad festas dapes*, et *Falernum* supr. II. 3. 8: *interioris notae* vinum appellatur. — *Munit. adh. vim sap.* et sapientiam illam, qua tu munita alias vini potu abstines, hodie vinci patere, pro vulgari: et mecum vino indulge. Facete poeta de Lyde, tanquam de Catone, loquitur, qui vere nonnunquam per vinum sapientiae suae vim adhibuisse, h. e. vino indulsisse dicitur; hinc Horat. supr. III. 21. 11—12. de eo: *Narratur et prisci Catonis Saepe mero incaluisse virtus;* ubi statim accommodate ad nostrum locum additur: *Tu lene tormentum ingenio admoves Plerumque duro.* In eandem sententiam apud Plin. XXIII. 1. s. 23. quem laudavit *Boettig.*, proverbiali locutione *sapientia vino obumbrari* dicitur. *Porphyrion* autem ad h. l. observat: *Graeci aiunt vim sapientiae adhiberi per vinum.* — *Inclinare*, sc. in vesperam. — *stet*, moretur; laudant Tibull. I. 4. 28: *Haud segnis stat remeatque dies.* — *Parcis deripere*, cunctaris deripere, non deripis; sic passim *parcere*, ut Graecorum φείδεσθαι, eleganter pro: non vel nolle ponitur; ut supr. III. 8. 26: *parce nimium cavere* pro: ne nimium caveas, vel: noli nimium cavere. Ovid. Art. Am. III. 457: *parcite credere*, nolite credere. — *horreo*, de apotheca vinaria sive vini veterario, quod in superiore aedium parte fuit; vid. supr. ad III. 8. 11. — *cessantem* suaviter voci *parce* respondet; cessante enim Lyde amphora simul, quae festinantius ab illa afferri debebat, cessabat. — *Bibul. Cons. amphoram*, vinum, quod Bibulo consule natum et in ea conditum fuit, continentem; fuit autem M. Calpurnius Bibulus consul an. U. C. DCXCIV.

v. 9—16. *invicem*, carmine amoebaeo. — *virides*, h. e. caeruleas; a maris colore, qui diis marinis tribuitur; *caeruleos crines* gerit quoque apud Ovid. Met. V. 432. Nympha Cyane. — *celer. spicul. Cynth.* Diana enim cum eius matre Latona a puellis inprimis coli et hymnis celebrari solebat; cf. supr. I. 21. 11.

Summo carmine, quae Gnidon
Fulgentesque tenet Cycladas et Paphon
Iunctis visit oloribus:
Dicetur merita Nox quoque nenia.

CARMEN XXIX.

AD MAECENATEM.

Tyrrhena regum progenies, tibi

v. 14. *Paphum*, e Codd. *Bentl.*, *Cun.;* male iidem v. *Dicetur* iungunt cum antecedentibus. *R.*

et Euripid. Hec. 462. — *Summo carmine*, quo carmine a te decantato vicissim nos ambo cantabimus, *quae Gnidon* cett. Venerem. De *Venere Gnidia* vid. supr. ad I. 30. 1. — *fulgentes*, ut supr. I. 14. 19: *nitentes*, ubi vid. not. — *Paphon*, cf. supr. ad I. 30. 1. — *iunctis oloribus*, Venus enim, ut in vulgus notum, ab oloribus eius currui iunctis, vehitur. Ovid. Met. X. 717. *Nox* — *Nocti*, ut deae, in nocturnis conviviis inprimis et comissationibus divini honores fiebant; cf. supr. III. 19. 10. ubi *mediae nocti* vinum libatur. — *nenia*, equidem de carmine molliore explicaverim, quale esse solet, in quo quis animi sui dolorem exprimit; de carmine, quod somni adducendi causa canitur, explicat *Boettig.*, quem vide. — *nenia* de carmine laetiore infr. Epist. I. 1. 63.

CARMEN XXIX.

Maecenatem, ut ad animum ab urbis strepitu et curis gravioribus reficiendum ad se in villam suam venire laetoque ibi, quod ei apparaverit, convivio interesse velit, blandis pariter ac gravibus permovere studet rationibus. — Ipsis divitibus, ait, iucundum saepe vitae urbanae cum rustica commutationem esse nec raro eos ibi in parva domo animum suum exhilarare; — anni autem, quod nunc adsit, tempus, ubi sol vehementius saeviat, rusticationi inprimis opportunum esse; Maecenatem igitur semet ipsum laetiore vitae fructu defraudare, quod in urbe, cui nunc praefectus sit, maneat et de eius salute nimium sollicitus frustra, quae exteri hostes contra rempublicam moliantur, extimescat; de futuri enim temporis exitu, quem prudenter deus occultet, stulte saepe trepidare homines, quos in recto potius usu eius, quod adest, acquiescere deceat; cum rerum humanarum vicissitudo similis fere sit fluminis, modo leniter et placide profluentis, modo magno cum impetu exsurgentis et quaeque sibi obvia violenter secum abripientis cursui; illum solum, cui libero ab omni cupiditate se iis, quae quisque dies tulit, fruitum esse, dicere liceat, vere felicem esse nec ipsum Iovem semel percepta ei eripere posse; Fortunam quidem mutabilem esse et modo huic, modo alii se benignam praebere, sed, si forte illa sibi appareat iniquior, virtutem tutum sibi contra eam praestare prae-

Non ante verso lene merum cado
Cum flore, Maecenas, rosarum et
Pressa tuis balanus capillis
Iamdudum apud me est. Eripe te morae;
Ne semper udum Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvum et
Telegoni iuga parricidae.

v. 6. Codd. aliquot pro *ne* habent *nec* et *non* (*nec* praebet etiam antiquissimus Cod. Bern.); *neu* coni. *Cun.* Probatur *nec* ab *Obbario*, in Iahnii Ann. Phil. et Paed. 1838. VIII. 4. p. 375. — *R.*

sidium nec pertinere ad se illum timorem, quo naufragii tempore de bonorum suorum iactura mercator expallescere soleat. — Cum argumentum huius carminis, quod in honestissimi vitae fructus commendatione versatur, iam per se ita comparatum sit, ut facile cuiusque lectoris animum delectet et suaviter deleniat, quid mirum, si tantum illud ab omnibus plausum tulerit, ut in praestantissimis cum Horatii tum omnis antiquitatis haberetur carminibus! Caeterum observa, quam scite Horatius tam Stoicae quam Epicureae philosophiae vitae praecepta inter se coniunxerit et sic neutri utriusque disciplinae se unice addictum esse in hoc quoque carmine ostenderit.

v. 1—8. *Tyrrh. reg. prog.* cf. supr. ad I. 1. 1. — *tibi*, in tuum honorem, h. e. ad te honorificentius in villa mea excipiendum. — *lene*, ut supr. I. 7. 19: *molle*, quale est vinum vetustius. — *non ante verso cado*, quod condidi in cado, qui nunquam antea ad vinum inde effundendum *versus* h. e. inclinatus et deinde, ut fieri solebat, *inversus* fuit (cf. infra Sat. II. 8. 39.); vult igitur significare cadum illum, quem nunc primum ad vinum inde hauriendum *vertere*, h. e. inclinare, velit, ad singularem usum repositum fuisse. — *balanus*, e glande enim *balano* (sive *myrobalano*, Gr.: *μυροβάλανος*, nos: *Behennuss*), in Arabia inprimis ad avellanae nucis fere magnitudinem nata, suavissimi odoris unguentum exprimebatur. — *morae*, omnibus iis, quae in urbe te morantur, festina; cogitandum autem non tantum de iis, quibus Maecenas in urbe delectabatur, sed etiam de curis civilibus, quibus ille nunc cum maxime, ut infr. v. 26. dicitur, *urbi sollicitus timebat*. — *Ne semper udum Tibur* cett. ne in easdem semper terras adiacentes e domo tua prospicias. Fuit enim domus, quam Maecenas habuit in Esquiliis, tam alte exstructa (unde illa v. 10: *moles propinqua nubibus arduis* vocatur), ut ei inde prospicienti non solum tota urbs, sed vicina quoque oppida, *Tibur*, *Aesula* et *Tusculum*, obversarentur; iuncti ei fuere horti splendidissimi, *hortorum Esquilinorum* nomine celebrati. — *udum*, ob rivorum, quibus rigabatur Tiburtina regio, copiam; cf. supr. I. 7. 14. Ov. Fast. IV. 71. — *Aesul. decliv. arv.* Aesulam, in colle deorsum se vergente sitam. — *Telegon. iug. parricid.* Tusculum, nunc *Frascati*, cuius condito-

Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis;
   Omitte mirari beatae
      Fumum et opes strepitumque Romae.
Plerumque gratae divitibus vices
Mundaeque parvo sub lare pauperum
   Coenae sine aulaeis et ostro
      Sollicitam explicuere frontem.
Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem, iam Procyon furit

rem faciunt Telegonum, Ulyssis ex Circe filium, qui, quod patrem, cuius ipsius quaerendi causa in Ithacam venerat, inscius trygonis, piscis marini, radio sagittae praefixo occidisse dicitur, *parricida* audit; vid. *Boettigerus.*

v. 9–16. *Fastidiosam*, egregie ad ingenium hominum, quos rerum, quibus abundant, saepe capere solet fastidium et satietas. — *mol. propinqu. nub. ard.* infr. Hor. Maecenatis domum simpliciter *altam* vocat, et Sueton. Ner. Vit. c. 38: *Maecenatianam turrem;* alta scilicet palatia, qualia reges vel beatiores incolunt, *turres* appellari solent; cf. *Ernest.* ad locum Sueton. et supr. I. 4. 14. — *beatae*, omni rerum copia affluentis. — *fumum*, Maecenati enim ex alta domo sua super caetera urbis tecta prospicienti iucundum sane *fumus* inde in altum surgens praebere debebat spectaculum. — *opes*, opulentiam, luxus instrumenta. — *strepitum*, nos: *Gewühl.* — *Plerumque gratae divit. vic.* cett. Lubenter saepe divites vitae vicissitudinis causa ex urbe in agrum secedere ibique in humili pauperum domo ad coenam simplicem, non in triclinio quodam magnifice adornato, sed in munda mensa appositam, omnes animi curas deponere solent. — *plerumque*, haud raro, ut infr. Sat. I. 10. 15. in Epist. ad Pis. v. 14 et 95. — *sine aulaeis et ostro*, refer ad externam tricliniorum magnificentiam; per *aulaea*, ut docet Scholiast. infra ad Sat. II. 8. 54., intelligenda sunt pretiosa vela, quae sub cameras in triclinio tendebantur, ut, si quid pulveris deciderit, ab iis exciperetur (Voss.: *Baldachin*, vertit); per *ostrum* autem, purpurea vel conchyliata peristromata sive peripetasmata, quibus lecti tricliniares insternebantur; Virg. Aen. I. 700: *stratoque super discumbitur ostro.* — *explicuere* pro: explicare solent, ut saepe.

v. 17—24. *Iam clarus occult.* cett. Iam illud anni tempus agitur, quo solis ardor est vehementissimus, pro vulgari: iam est aestas, quam rure transigere solent beatiores; — aestatem autem et nominatim mensem Iulium a siderum, quae hoc mense oriuntur, cursu designat. — *Andromedae pater*, Cepheus, sidus sub cauda Ursae minoris, cuius ortus in a. d. VII. Id. Iul. incidit. — *occultum ignem ostendit*, exquisite pro vulgari: oritur. Catull. LXII. 7: *Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.* — *Procyon*, Antecanis, Id. Iul. ex-

Et stella vesani Leonis,
   Sole dies referente siccos;
Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit et horridi
   Dumeta Silvani, caretque
      Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, civitatem quis deceat status,
Curas et urbi sollicitus times,
   Quid Seres et regnata Cyro
      Bactra parent Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus,

v. 28. *dissors*, legendum suspic. *Bentl.;* perperam. *R.*

oriens. — *furit*, aestu saevit. — *stella vesani Leonis*, in pectore Leonis, *tuber Leonis* vocata, quae, postquam Sol a. d. XIII. Cal. Aug. in sidus Leonis transiit, a. d. IX. Cal. Aug. oritur. — *vesani*, eodem sensu infr. Epist. I. 10. 17. *Leo* dicitur *furibundus.* — *Iam pastor umbras* cett. Virg. Eclog. II. 8: *Nunc etenim pecudes umbras et frigora captant.* Epigr. Ἀδεσπ. CCLX. 5. 6. Anth. Graec. T. IV. p. 171: Χὠ ποιμὰν ἐν ὄρεσσι μεσαμβρινὸν ἀγχόθι παγᾶς Συρίσδων, λασίας θάμνῳ ὑπὸ πλατάνου Καύματ' ὀπωρινοῖο φυγὼν κυνός. — *horrid. dumeta Silvani*, virgulta et dumeta, quibus praeest Silvanus; *horridi* refer ad incultam et horridiorem *Silvani*, ut dei agrestis, formam. — *caretque Ripa v. tac. vent.* nec ad ripam, ubi omnia tacent, aurae spirant, scilicet, ut fessum solis aestu pastorem recreent.

v. 25—28. *Tu, civit. quis dec. stat.* cett. At tu, Maecenas, ad civitatem prudenter regundam in urbe manes, dum animum tuum de iis, quae exteri hostes agitent, nequidquam crucias. — Maecenati quidem, qui hoc anno urbi praefectus fuit, curae cordique esse debebat reipublicae salus et incolumitas, sed nimium ille de exterorum hostium minis sollicitus fuisse videtur, unde Hor. supr. III. 8. 17. eundem monet: *Mitte civiles super urbe curas* cett. ubi cf. not. — *Seres*, gens Indica, pro Indis universis; cf. supra ad I. 12. 56. — *Bactra*, urbs primaria in Bactriana Persarum provincia, pro universo Parthorum imperio; *regnata Cyro*, cf. supr. II. 2. 17. — *Tanais*, fluvius (nunc: *Don*) Europam et Asiam dividens, pro eius accolis Scythis, Parthorum sociis. — *discors*, hic populus igitur, qui ipse inter se dissidebat, multo minus timendus fuit Maecenati; iam supra Hor., ut vanum Maecenatis timorem esse ostenderet, de Parthis III. 8. 19: *Medus infestus sibi luctuosis Dissidet armis.*

v. 29—41. *Prudens*, sapiente consilio, ut supr. I. 3. 22. — *exitum futuri temporis*, fata futura. — *caligin. noct. prem. d.* in sententiam vel gnomen comparant Theogn. 1075 sqq. Pind. Ol. XII. 9. Eurip.

Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere aequus: cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos
Stirpesque raptas et pecus et domos
Volventis una non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem

v. 34. Pro vulgata lectione *alveo*, quam plurimi Codd. tuentur, e nonnullis Codd. *Cuningh.* et *Orellius* receperunt *aequore*, coll. Virg. Aen. VIII. 89 et 96. *R.*

Iphig. Taur. 476. Incert. apud Stob. Flor. p. 409. Iuvenal. VI. 556. — *ultra fas*, de rebus futuris, quas scire velle nefas est. — *Quod adest, memento componere*, imo, quae adsunt, recte adhibere et in usum convertere decet; Cicero de Senect. c. 9: *Quod adest, eo decet uti*; ad praeceptum Graecorum τὸ παρὸν εὖ θέσθαι, εὖ ποιεῖν. de quo vid. *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 544. — *aequus*, quicquid illud sit, eo contentus; aequo placidoque animo in eo acquiescens. — *cetera fluminis ritu feruntur* cett. quod ad caetera, quae nos manent, fata attinet, ea, sive laetiora sive tristiora futura sint, non magis curis nostris mutari possunt quam cursus fluvii, qui modo placide et leniter delabitur, modo graviter intumescens et omnia secum rapiens magno cum tumultu devolvitur. — De imagine, qua sortis humanae vicissitudo cum mutabili fluminis cursu comparatur, vide, quae attulit *Mitsch.*; exempla autem in rapidi et omnia inundantis fluminis descriptione versantia plena manu ex utraque lingua dabit *Cerda* ad Virg. Aen. II. 305. — *fluminis*, Tiberis, Romanorum oculis obversantis; *cum pace*, quiete, placide. — *lapides adesos*, οὓς τε κυλίνδων χειμάῤῥους ποταμὸς μεγάλαις περιέξεσε δίναις, Theocr. XXII. 50. — *clamore* sublimius pro vulgari: sonitu, fragore. — *amnes*, intellige flumina illa minora, Anienem, Clanium, Narem cett. quae Tiberi se immiscent. Commode in hanc rem laudant Plin. Epist. VIII. 17: *Tiberis alveum excessit. — Inde quae solet flumina accipere et permixta devehere velut obvius sistere cogit atque ita alienis aquis operit agros, quos ipse non tangit.* — *quietos irritat*, brevi elegantia pro: facit, ut intumescant aestuentque, qui modo quiete fluebant.

v. 41—48. *Ille potens sui*, ille demum *potens sui* (ἐγκρατὴς ἑαυτοῦ) habebitur, h. e. cupiditatibus suis, ut virum sapientem decet, imperabit; — *laetusque deget*, et omnium de sorte futura curarum expers vitam laetam et iucundam

Dixisse, Vixi: cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro; non tamen irritum,
Quodcumque retro est, efficiet neque
Diffinget infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax

aget. — *in diem*, unoquoque, qui ei contigit, die, quotidie. — *Vixi*, percepi oblata mihi hoc die vitae munera; sic passim *vivere*, ut Graecorum ζῆν, pro: vita frui, dicitur; cf. Interpret. Apposite inprimis ad Horat. Seneca Epist. 12: *Ille beatissimus et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat; quisquis dixit: v i x i, quotidie ad lucrum surgit.* et Epist. 101: *Propera vivere et singulos dies singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota, securus est.* cf. de Benef. V. 17. — *cras vel atra Nub. pol. pat. occup. v. sol. pur.* de crastino die haud equidem laboro, sive enim illum tristem sive laetum mihi induxerit Iuppiter, haud tamen immutare vel infecta reddere valebit ea, quae semel percepi. — In sententiam, ne ipsum deum quidem mutare posse praeterita, vel, quod Plinius II. 7. s. 5. ait: *deum nullum in praeteritum ius habere*, comparant Agathon. Fragm. apud Aristot. Ethic. VI. 2. Pind. Ol. II. 15. Lucian. de Conscrib. Hist. 38. Senec. de Vit. Brev. 10. — *quodcumque retro est*, praeteritum. — *Quod fug. semel hor. vexit*, imitatus est Horatium, observante *Mitscherlichio*, incertus Poeta in Anthol. Lat. III. 62. 7. (*Burmann.*) *Pervixi, neque enim Fortuna malignior unquam Eripiet nobis, q u o d p r i o r h o r a d e d i t.*

v. 49—56. *Fortuna saev. laeta negot.* cett. Sententia: Fortuna enim, voluptatem adeo capiens e saevo illo, quo homines ludit, negotio, nunc alios extollere, nunc alios deprimere solet. Mihi quidem uti grata atque accepta illa erit, si ei apud me manere placuerit, ita ego eidem terga mihi forte vertenti prompto paratoque animo, quod dedit, reddam, virtutis meae atque probitatis praesidio in paupertate quoque securus. — *laeta*, gaudens, χαίρουσα, sic supr. I. 21. 5. Diana *l a e t a fluviis et nemorum coma* dicitur. De Fortunae autem χαιρεκακίᾳ *Mitsch.* laudat Menand. apud Stob. Flor. p. 443. et Agath. LXVI. 4. Anth. Graec. T. IV. p. 26. (Anth. Pal. II. 304). — *saevo negot.* Claudian. XVIII. 24: *Hoc regni, Fortuna, tenes? Quaenam ista iocandi Saevitia? Humanis quantum bacchabere rebus?* — *ludere pertinax* pro vulgari: pertinaciter ludens. Pertinacia autem ista, qua in negotio suo persistere dicitur Fortuna, bene eam, ut deam, quae nulla hominum miseratione tangatur, designat. In sententiam: Fortunam ludum ludere cum hominibus vel homines Fortunae esse ludibrio, praeter *Mitsch.* ad h. l. et ad I. 34. 12. vid. inprimis *Muret. Var. Lect.* XVI. 15. —

Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit, et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces
Addant avaro divitias mari.

v. 60. *Syriaeque*, Codd. nonnulli, et sic *Cun.*, *San.* *R.*

transmut. incert. hon., *N. m.*, *nunc al. benign.* ut supr. I. 34. 14: *Hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto Sustulit, hic posuisse gaudet.* — *Laudo manentem*, venerabor quidem eam, dum illa mihi propitia adest, h. e. grata mihi quidem erunt eius munera. — In eandem sententiam vetus poeta apud Plutarch. de Tranquill. T. VII. p. 855. edit. Reisk.: *Ἡδὺ μὲν ἄν τι φέρῃς, ὀλίγον δ' ἄχος, ἢν ἀπολείπῃς.* *Mitsch.* comparat Senec. de Vit. B. X. 20 et 21. — *si celeres quatit pennas*, si avolat (quatiunt enim pennas avolantes), h. e. si a me recedit. — De Fortuna, dea alata, vid. *Comment. de alat. imagg.* (Gothae, 1786.) p. 30. — *resigno*, reddo; infr. Epist. I. 7. 34: *cuncta resigno.* — *resignare*, translatum e re pecuniaria, ubi est pro: solvere, nempe per attributionem vel perscriptionem, quod ad mensas argentariorum in tabernis fieri solebat. Ad sententiam comparant Senec. de Tranquill. 11. — *mea virtute me involvo*, suaviter de viro sapiente, qui pro pallio, quo philosophi se involvere solebant, virtute sua se involvit. — *prob. Paup. s. d. quaero*, vulgarem sententiam: „paupertati me adiungo, paupertatem sector," suavissima imagine expressit. Fingit enim, se petere et ambire velle pauperiem, tanquam puellam, cuius dos (uti supr. III. 24. 21. apud Scytharum campestrium puellas) sola virtus et probitas sit. — Cum toto hoc loco comparat *Boettig.* Lucian. Tim. 36.

v. 57—64. *Non est meum*, divitiarum autem ego expers non opus habeo, *ad miseras preces decurrere*, ad preces perfugere, quibus deorum moveatur miseratio. — *si mug. Afr. mal. proc.* si tempestatis ab Africo concitatae tempore malus stridorem edat, pro: imminente naufragii periculo; supr. I. 14. 4: *Et malus celeri saucius Africo Antennaeque gemant.* — *votis pacisci*, sub ea conditione vota suscipere et promittere, *ne* cett. hinc *preces emaces* apud Pers. II. 3. — *Addant avaro divitias mari*, h. e. divitiis, quas mare insatiabile devorare solet, novum additamentum accedant; pro vulgari: in mari pereant. — *avaro*, insatiabili, ut supr. I. 28. 18: *mare avidum.* —

Tum me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret geminusque Pollux.

CARMEN XXX.

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius,

v. 62. *Tunc*, pars Codd. et pleraeque ante *Bentl.* editt. Revocavit hanc lectionem *Orellius.* — v. 64. *ferat*, ex aliquot Codd. *Bentl.* „At futurum *feret* longe melius summam sui fiduciam exprimit quam optativus *ferat.*" *Or.* — *R.*

biremis scaphae, cymbae minoris, quae duobus remis ab uno regitur. Eiusmodi autem cymbae, ut naufragis essent praesidio, navibus onerariis, ut adhuc fieri solet, annexae fuere. — *per Aegaeos tumultus*, h. e. per motos in mari Aegaeo fluctus; erat autem mare Aegaeum, per quod Romam advehi debebant merces Tyriae et Cypriae, navigantibus ob crebras tempestates infestissimum. *Boettigero* Horatius eundem in hoc loco poetam Graecum, e quo apud Lucian. Hermot. c. 28. proverbium: *ἐπὶ ῥιπὸς τὸ Αἰγαῖον διαπλεῦσαι* haustum sit, ante oculos habuisse videtur. — *geminus Pollux*, Castor et Pollux, navigantibus propitii; cf. supr. I. 3. 2.

CARMEN XXX.

Quod ante Horatium iam alii magni nominis poetae de gloriae suae immortalitate senserunt et professi sunt, id Horatius quoque sentit et profitetur in hoc epilogo, iis carminibus, quae tum primum evulgavit, addito, „*partam sibi lyricorum poetarum inter Romanos principi gloriam aeternam fore*," vaticinans. — Qui Horatium in iis, quae de nominis sui immortalitate in hoc carmine gloriatur, modestiae leges migrasse autumant, ii sane magnum antiquitatis poetam ad nostrae aetatis ingenium et mores, ne dicam, ad nostrorum poetarum pretium diiudicant, nec eum, alias modestissimum, (ut vel carmen sextum libri primi et carmen secundum libri quarti satis docent), in hoc vaticinio quoque Graecorum poetarum vestigia pressisse secum reputant. Nobilissimam autem, quam Horatius sumit, superbiam excitasse inprimis videtur exemplum Pindari, similiter fere de carminum suorum aeternitate gloriantis in Pyth. VI. 7 sqq. — Caeterum cum Horatius idem fere de nominis sui immortalitate vaticinium iam in ultimo carmine libri secundi ediderit illudque pariter atque hoc pro epilogo haberi possit, non temere aliquis, Horatium primum duos Carminum libros priores et deinde hunc librum tertium separatim publicasse, inde colligat. — Comparant Propert. III. 2. et, qui Horatium imitatus est, Ovid. sub fine Metam. XV. 871 sqq.

v. 1—5. *Exegi*, perfeci. — *regal. sit. pyr.* pro: pyramidibus regio sumtu exstructis: vox *situs* (h.

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar multaque pars mei
Vitabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium

e. structura, positus,) rerum exstructarum et in loco aliquo collocatarum periphrasi inservit. — *imber edax*, nam, ut Tibull. I. 4. 18. canit: *Longa dies molli saxa peredit aqua.* et sic carm. praeced. v. 36: *lapides adesi.* — *impotens*, praeter modum furens atque saeviens; sic apud Catull. IV. 18: *freta impotentia*, procellosa et ventorum furore concitata.

v. 6—9. *Non omnis moriar*, supr. II. 20. 6: *Non ego, quem vocas, Dilecte Maecenas, obibo Nec Stygia cohibebor unda.* — *Vitabit Libitinam*, haud sepelietur, haud obnoxia erit morti; — habuit enim *Venus Libitina*, quae praeerat funeribus, templum, in quo tam vendebantur quam locabantur, quae ad sepulturam vel funerum apparatum pertinebant. Hinc infr. Sat. II. 6. 19. autumnus gravis *quaestus Libitinae* vocatur. — *multa pars mei*, Ovid. l. l. 875: *Parte tamen meliore mei super alta perennis Astra ferar.* — *usque eg. post. cresc. laud.* nova semper apud posteros laude vigebo atque celebrabor. — *recens*, Ep. II. 1. 53 sq.: *Naevius in manibus non est et mentibus haeret Paene recens.* — *dum Capitol. Sc. cum tacit. virg. Pontifex*, donec stabit Capitolium, h. e. in aeternum; Capitolii enim aeternitatem cuncta portenderant; cf. Liv. I. 55. Pro vulgari: *stabit*, posuit rem, quae in Capitolio, dum illud stabat, fieri solebat; unoquoque nempe mense, (vid. Varr. L. L. V. 47.) sacra publica ibi administrabat Pontifex Maximus, sollemni pompa a virginibus Vestalibus eo deductus. — *tacita*, refer ad religiosam verecundiam, qua linguis inter sacra favere debebant piae virgines.

v. 10—16. *Dicar, qua violens* cett. Sententia: ego oriundus ex ea regione, qua violento impetu devolvitur Aufidus et ubi in terris illis aridis Dauni olim regno paruerunt agrestes populi, h. e. ego Apulus, ex humili loco ad summum gloriae fastigium evectus, extollar apud posteros ut Romanorum poetarum is, qui primus carmina lyrica, qualia Sappho et Alcaeus cecinere, modis Latinis aptaverim. — *Aufidus*, Apuliae fluvius nunc *Ofanto;* cf. infr. IV. 14. 25. — *obstrepit*, significanter de sonoro violentioris fluvii cursu; hinc Aufidus *longe sonans* dicitur infr. IV. 9. 2. — *Daunus*, antiquus rex Apuliae, qui a terra, cuius imperium tenebat, *aquae paupere*, h. e. arida, sicca, *siticulosa* (ut infr. Epod. III. 16. Apulia dicitur) lyrica audacia ipse *pauper aquae* dicitur.

Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

v. 12. Pro *regnavit* in plerisque Codd. legitur *regnator*, quod glossema est. — Verba *ex humili potens Bentl.* et *Mein.* ad Daunum referunt; melius tamen conveniunt ipsi Horatio, qui gloriatur se humili loco natum „maiores pennas nido extendisse (ut infra ait Ep. I. 20. 21.)“ et ad summam nominis claritatem pervenisse. Daunus satis iam designatus est uno epitheto *pauper aquae*. *R.*

— *regnavit populorum agrestium*, Graeca structura (ἦρξε λαῶν) pro: regnum agrestium populorum tenuit. — *ex humili potens*, ex ignobili factus nobilis; libertino quippe patre natus fuit Horatius, ut ipse profitetur infr. Sat. I. 6. 6. cf. supr. II. 20. 5. — *Aeolium carmen*, proprie quidem de iis carminibus, quae Sappho et Alcaeus, ex insula Lesbo, praecipua gentis Aeoliae sede, oriundi cecinere; sed iam in universum de Graecorum poetarum carminibus lyricis. — *Delphica lauro*, idem poetarum praemium et insigne, *lauream* scilicet *Apollinarem* Pindaro vindicat infr. IV. 2. 9. — *volens* (θέλων), propitia; hinc saepe *volens propitius* in precationum formulis iungi solent. Liv. I. 16. de Romulo: *pacem precibus exposcunt, uti volens propitius suam semper sospitet progeniem*, cf. Liv. XXIV. 21 et 38.

Q. HORATII FLACCI
C A R M I N U M
LIBER QUARTUS.

CARMEN I.
AD VENEREM.

Intermissa, Venus, diu
  Rursus bella moves? Parce, precor, precor!

v. 1—2. Interrogantis haec potius verba esse quam exclamantis, docuit *Iahnius* ad h. l. *R.*

CARMEN I.

Quemadmodum ultimum libri tertii carmen pro *epilogo* eorum carminum, quae primum poeta in dias luminis auras emiserat, ita hoc primum libri quarti recte pro eius haberi potest *prologo*. Valedixerat quidem Horatius iam poesi lyricae et barbiton suum, *bello*, ut ipse supr. III. 26. 3. dicit, *defunctum*, in Veneris templo suspenderat; sed bona fortuna, ut denuo illi temperando tractandoque manus imponeret, cum amicorum suorum, tum Augusti inprimis rogatu atque auctoritate permotus fuit. Cum igitur tam ea, quae in Augusti gratiam, ut Carm. II. IV. V. XIV. XV. seriore aetate cecinerat, quam alia, quae vel tum vel iam olim composuerat carmina, nunc in unum fasciculum collecta hoc libro quarto, *ex longo intervallo*, ut Suetonius in poetae nostri vita testatur, *tribus carminum libris Augusti iussu addito*, publici iuris faceret; iis facete hoc carmine praelusit et qualem se semper poetam leviorem et amoribus tantum aptum (cf. supr. Carm. I. 6. et II. 12.), talem hic quoque se professus est. Itaque lyram, quae diu tacita pependerat, nunc increpans ingeniose se pristinis amoribus incalescere fingit. Hinc se convertit ad Venerem eamque, ut in iuniores potius quam in se iam quinquaginta ferme annos natum potentiam suam exerceat, obnixe rogat atque obtestatur. Inter iuniores autem deae inprimis adeundum commendat *Paullum Maximum*, iuvenem nobilem, formosum, eruditum et divitem, qui non solum magna cum gloria eius militiam secuturus, sed eandem etiam quovis honorum munerumque genere ornaturus atque cumulaturus sit. Verum enim vero, dum Veneris vim et potentiam deprecatur, ecce iam novo Ligurini amore se percussum sentit nec iniecto illi furori resistere valet. — Quae quidem tota de novis amoribus fictio si unice ad ornatum et amplificationem simplicis sententiae: „*Ego poesin lyricam iam diu a me intermissam retractare iussus sum, nec his iussibus resistere potui*,“ referenda esse videtur; facile apparet, quam iniquum et sinistrum eorum de hoc carmine sit iudicium, qui, quod in eo ad magni poetae artem et ingenium transferre debebant, ad turpem eius libidinem transferunt.

Non sum qualis eram bonae
  Sub regno Cinarae. Desine, dulcium
Mater saeva Cupidinum,
  Circa lustra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis; abi,
  Quo blandae iuvenum te revocant preces,
Tempestivius in domum

v. 9. *in domo*, Codd. non pauci; eaque vulgata lectio fuit ante *Bentleium*. Sed manifestum est, *in domo* potius a librariis profectum esse, quam *in domum*, quae doctior est et exquisitior structura. *R.*

v. 1—8. *Interm. V. d. rurs. bell. mov.?* rursus, o Venus, amore, quo diu animus meus vacuus fuit, me exagitas? Qui amant, suaviter militiam Veneris *bella moventis* sequi finguntur; de qua quidem a re militari ad rem amatoriam translata imagine vid. supr. ad III. 26. 2. cf. infr. v. 16. Prop. IV. 1. 137. — *Parce, precor, precor!* quasi iam vim numinis in pectus se immittentis sentiat, ut supr. II. 19. 7. de Baccho: *parce, Liber, parce, Gravi metuende thyrso.* — *Non sum, qualis eram*, infr. Epist. I. 1. 4: *Non eadem est mens, non aetas.* — *sub regno Cinarae*, cum me regeret Cinara (ut supr. III. 9. 9: *Me nunc Thressa Chloë r e g i t*) pro vulgari: cum amarem Cinaram; de nota loquendi ratione, qua *regno* puellarum subiecti esse dicuntur earum amatores, vid. *Burm.* ad Propert. III. 18. 8. — *bonae*, observa vim huius epitheti; mollissimo enim animi sensu simpliciter *bonam* vocat, cui olim *immunis* placuerat, cf. infr. Epist. I. 14. 33. et cui, ut Hor. infr. IV. 13. 21. ait, *breves annos fata dederant.* — *flect. moll. iam dur. imp.* novis amoribus me emollire velle iam duriorem contra eos factum; *flectere* ab equis durioris oris, qui *flectendo* (supr. III. 7. 25: *flectere equum sciens*) domantur, translatum. *Mitsch.* comparat Hermesian. Eleg. v. 35. — Quam suaviter contraria *mollibus* et *durum*, ut paulo ante *saeva* et *dulcium*, sibi respondeant, unusquisque facile sentiet. — *revocant*, pro simplice: vocant, ut apud Liv. V. 35: *in partem revocare* pro: vocare.

v. 9—20. *Tempestivius*, opportunius; *tempestive* enim, h. e. iusto tempore vel opportune veniunt, qui desiderati veniunt; sic *tempestivus* passim de rebus, quae opportuno vel suo tempore fiunt; infr. Epist.

Paulli purpureis ales oloribus
Comissabere Maximi,
Si torrere iecur quaeris idoneum:
Namque et nobilis et decens
Et pro sollicitis non tacitus reis
Et centum puer artium
Late signa feret militiae tuae,
Et quandoque potentior
Largis muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
Ponet marmoream sub trabe citrea.

v. 18. *Largis*, vulg. lectio. Nonnulli libri (et inter eos Orellii Cod. antiquissimus Bern.) praebent *largi*, quod praetulerunt *Bentl.*, *Cuning.*, *Mein.*, *Or.*, probante *Obbario* (in Iahnii Annall. Phil. et Paed. 1838. VIII. 4. p. 377). Mihi tamen magis placet vulgata lectio, cum non opponatur avaro largus, sed minus locuples aemulo *diviti*, qui largis muneribus puellam capere studet. — v. 20. Pro *citrea*, quod multi Codd. tuentur, cum aliis libris *Fea*, *Iahn.*, *Mein.* receperunt *Cypria*, de qua lectione *Orellius* recte ita iudicat: „Vereor, ne *Cypria* orta sit ex illa longe diversa *trabe Cypria*. Od. I. 1. 13. nec magnopere placet *deam Cypri* locari sub *trabe Cypria*. Iis autem, qui hoc praeferunt, ante omnia probandum erit *Cypriam* trabem sic nude dici pro *cedrina*, maxime cum Libanus, Syria, Creta magis etiam quam Cyprus cedris abundarint." *R.*

II. 2. 142: *tempestivum pueris concedere ludum.* — *Paulli*, intelligendus fortasse est, ut nonnulli suspicantur, *Paullus Fabius Maximus*, quem quidem, quamvis postea demum an. U. C. DCCXLIII. cum *Q. Aelio Tuberone* consul fuit, variis tamen nominibus iam tum inter nobiliores iuvenes conspicuum fuisse, e laudibus, quas breviter et παρόδικῶς quasi, sed admodum dextre huic carmini Hor. intexuit, luculenter apparet. — *purpur. al. oloribus*, quae, tanquam ales, curru nitidis oloribus iuncto per aërem veheris; cf. supr. ad III. 28. 15. *purpureus* passim de coloribus fulgidis et pulchre nitentibus. — *comissabere in domum* — *comissari* pro: se transferre, ut Graecorum εἰςκωμάζειν, de quo multa exempla collegit V. Cl. *Iacobs.* in Animadv. ad Anthol. Vol. II. T. II. p. 205. Comissationes autem et laeta convivia inprimis Veneri et eius comitibus grata et iucunda sunt; cf. Anacr. VI. 12. — *iecur*, ut aliarum cupiditatum, ita amoris quoque sedem; vid. *Toup.* ad Longin. p. 302. et cf. supr. ad I. 13. 4. — *idoneum*, sc. quod torreatur amoribus. — *decens*, pulcher, amabilis, ut supr. I. 18. 6: *Venus decens;* et passim alibi. — *non tacitus*, litotes pro: disertus. — *centum puer artium*, complurium artium scientia imbutus, pluribus artibus simul excellens, nihil amplius. — *Et quandoque potent. larg. mun. ris. aemul.* et quando se a puella sua iis rivalibus, qui largis muneribus viam ad eam affectaverant, non sine iucunda animi voluptate praelatum esse intellexerit; *quandoque* pro simplice: quando, ut carmine sequente v. 34. — *riserit*, sc. aemulum. — *lacus Albanus* (nunc: *Lago di Castel*

Illic plurima naribus
Duces thura, lyraeque et Berecyntiae
Delectabere tibiae
Mixtis carminibus non sine fistula;
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes pede candido
In morem Salium ter quatient humum.
Me nec femina nec puer
Iam nec spes animi credula mutui,
Nec certare iuvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.

v. 22. 23. *lyraque et Berecyntia — tibia*, e paucis Codd. *Cruq.*, *Bentl.*, *Cun.* Male. — *R.*

Gandolfo) fuit in nemore sive luco Albano, de quo vid. Strab. V. p. 240. Liv. V. 15. Virg. Aen. IX. 387., in qua quidem regione amoenissima Paullus villam suam, ut bene observat Scholiastes, habuisse videtur. — *te ponet marmoream*, simulacrum tuum in templo, quod tibi consecraturus est, e marmore exsculptum collocabit. — *sub trabe*, contignatione, tholo; cf. supr. ad II. 18. 3. — *citrea*, lignum *citreum*, quod ex Africa advehebatur, in magno apud Romanos pretio fuisse constat; vid. Plin. XIII. 15. et quos laudat *Mitsch.*, *Salmas.* ad *Tertull. de Pall.* p. 432. *Ciacon. de Triclin.* p. 20.

v. 21—32. *Illic* cett. in illo templo, quaecumque te delectant, in honorem tuum instaurabit Maximus. — *plur. nar. duc. thur.* significantius pro vulgari: plurima thura tibi adolebit. — *lyraeq. et Berecynt.* gratus inprimis Veneri in eius templo permixtus lyrae, tibiae, fistulae cantus esse debebat, cum idem in laetioribus conviviis, quibus et ipsa delectabatur, audiri soleret; cf. supr. III. 19. 18 sqq. Caeterum tam *lyrae*, (quae inde supr. III. 11. 6. *amica templis* dicitur,) quam *tibiae* et *fistulae* in sacris usus fuit; de *tibiae* et *fistulae* discrepantia vid. supr. ad III. 19. 20. — *Berecyntiae*, h. e. Phrygiae, cf. supr. l. l. — *mixtis carminibus*, h. e. concentu, quem mixti inter se lyrae, tibiae, fistulae modi efficiunt; infr. Epod. IX. 5: *Sonante mixtum tibiis carmen lyra.* — *Illic bis pueri die* cett. in templo illo puerorum puellarumque chorus hymnos vel alterna carmina in laudes tuas inter saltandum cantabit. — *bis die*, matutino et vespertino tempore, ut in sacris Isiacis apud Tibull. I. 3. 31. — *pede candido*, pulchro, nihil amplius. — *in morem Salium*, cf. supr. I. 36. 12. *quatient humum*, cf. supr. I. 4. 10. — *spes animi credula mutui*, spes, quam creduli amantes de mutuo amore fovere solent. — *certare mero*, ubi in compotationibus alter alterum largiore vini haustu vincere studet, ut infr. Epist. I. 19. 11. — *novis floribus*, corollis convivalibus e recentibus floribus nexis.

Sed cur heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?
Nocturnis ego somniis
Iam captum teneo, iam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

v. 37. *te ego somniis, Lambin., Torr.* al. e Cod. Sed rectius a plerisque Codd. abest hoc *te*, quod e glossa in textum illatum videtur. *R.*

v. 33 — 40. Dum alienum nunc animum ab amoris lusibus se habere ait, subito signa vim novi amoris declarantia in se animadvertit nec Ligurinum, mollem puerum, esse, qui veteres flammas resuscitaverit, dissimulat. — Similis fere locus est apud Tibull. I. 4. 81., ubi poeta medela illa, qua modo aliis in amore succurrere studuerat, se ipsum, novo vulnere saucium indigere sentit. — *rara lacrima*, quae *furtim* (ut Hor. supr. I. 13. 7. loquitur) *in genas labitur.* Meleag. LIII. 1. Anth. Graec. T. I. p. 17: *Αἰεί μοι δύνει μὲν ἐν οὔασιν ἦχος Ἔρωτος, Ὄμμα δὲ σῖγα πόθοις τὸ γλυκὺ δάκρυ φέρει.* Apud Dioscorid. Epigr. XXIV. 4. Anth. Graec. T. I. p. 250. eiusmodi lacrima, quam mollior amor exprimit, *χλωρὸν δάκρυ* vocatur. — *cadit*, h. e. cessat, torpet, deficit, vel, ut Plaut. Mil. Glor. IV. 6. 56. de lingua obmutescente loquitur, *praeciditur.* — *inter verba*, sic Dido (Virg. Aen. IV. 76.), Aeneae amore perversa: *Incipit effari mediaque in voce resistit:* et sic in veteris carminis fragmento Aeditui, quod servavit Gellius Noct. Attic. XIX. 9. *verba labris abire* dicuntur. — *silent.* nam, ut infr. Hor. Epod. XI. 9: *amantem et languor et silentium Arguit.* cf. ad Catull. LI. 9. — *volucrem*, celerrime currentem; *volubiles*, aquarum natantis corpore dimotarum fluctus pulchre hoc epitheton exprimit.

CARMEN II.

AD IULUM ANTONIUM.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea

v. 1 et 2. *I — Ule*, in duo versus distraxit *Lambinus*, quem secuti sunt plures alii; sed est hoc loco nomen bisyllabum. *R.*

CARMEN II.

Poeta ab *Iulo Antonio* rogatus, ut gloriosum et felicem Augusti e bello Germanico in urbem reditum, qui magno desiderio et communi omnium laetitia tum Romae exspectabatur, carmine quodam Pindarico celebraret, recusat quidem in hoc carmine, quod sibi ab illo demandatum fuerat, sed hac ipsa recusatione, quod se explere posse negat, egregie, ut supr. I. 6. II. 12. et infr. IV. 15., explet. Quid enim paucis illis, quibus a versu 35 usque ad v. 40. omnes Augusti laudes breviter complexus est, gravius, sublimius, magnificentius de illo dici potuit? Totius autem huius carminis splendor in hac pulcherrime collustrata et amplificata conspicitur sententia: „*Si hoc mihi sumam, ut te auctore, Antoni, Pindaricum quoddam carmen in felicem Augusti reditum componam, rem periculosissimam aggrediar; Pindarus enim in quovis carminum genere est poeta princeps et summus nec ulli imitabilis; at ego sum tenuis tantum et humilis poeta. Tu igitur ipse, Antoni, quando Augustus, in cuius praesidio summa Romanorum salus atque felicitas nititur, triumphans in urbem ingredietur, grandiore spiritu eius laudes celebrabis [cantabis laetos dies et urbis publicum ludum forumque litibus orbum. Tum in communi omnium laetitia mea quoque audietur vox, triumphoque procedente nos omnes laeti acclamabimus diisque sacra faciemus]; tu decem tauros et totidem vaccas, ego pro rerum mearum modulo vitulum immolabo.*“ Scriptum fortasse est hoc carmen eo ipso anno, quo Augustus U. C. DCCXXXVIII. inter alios trans Rhenum Germaniae populos, nomini Romano infestos, Sygambros inprimis, quorum mentio in hoc carmine fit, perdomuisse traditur; vid. Dio LIV. 19 sqq. Quamvis enim Augustus non statim post Sygambros victos, sed U. C. DCCXLI. demum Romam redierit, curis quippe ad res in Gallia et Hispania componendas retentus; eius reditus tamen iam longe ante tam publicis quam privatis votis exspectatus fuerat, vid. Dio l. l. [Alii tamen scriptum esse censent hoc carmen anno demum 740 vel 741 U. C. *R.*] — De *Iulo Antonio*, Marci Triumviri e Fulvia filio, praeter Dionem LIV. 26. et Vell. II. 100. vide *Gentis Octavianae Stemma* diligenter a *Wetzelio* contextum in *Vit. Hor.* III. p. 57.

v. 1 — 8. *Pindar. quisquis* cett. Quicumque ad Pindari exemplum se carmen aliquod sublimius componere posse temere sibi persuadet, is temeritatis suae, ut olim Icarus, poenas dabit; [volatus eius altior non

Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari,

v. 6. Ineptum est, quod nonnulli Codd. praebent: *Cum super notas saluere (s. salire) ripas. R.*

tutior erit quam Icari. — Cum volatus tribui soleat poetis, accommodatissima imagine is, qui frustra ad maiestatem alitis Dircaei assurgere studet, ceratis Icari pennis niti dicitur]. — *cer. ope Daedalea pennis*, alis Daedali arte cera coniunctis. Ov. Metam. VIII. 190 sqq. — *pennis niti*, significanter pro vulgari: volare, ut apud Virgil. Aen. IV. 252. — *vitreo*, caeruleo, viridi, ὑαλίνῳ. cf. supr. ad I. 17. 20. — *datur. nom. pont.* notissimum illud Ovidii: *Icarus Icariis nomina fecit aquis*, vel: *Icarus immensas nomine signat aquas.* — v. 5—8. *Monte decurrens velut amnis* cett. Ingeniorum ubertas vel orationis copia et abundantia passim quidem cum *flumine* comparari solet (exempla tam ex ipso Pindaro, quam ex aliis poetis depromta vid. apud *Mitsch.*), sed Horatius haud acquiescens in hac vulgari comparatione impetum illum, quo Pindarus ruit, vel verborum illorum ex profundo eius ore prorumpentium vim et copiam *rapido torrenti* aequiparat. — Iunge: *Pindarus fervet immensusque ore profundo ruit*, *velut amnis monte decurrens, quem* cett. — *fervet*, h. e. fervore illo et aestu, quo poetae corripi et agitari solent, concitatur; accommodate ad *amnem*, qui vehementius commotus proprie *fervere* vel *aestuare* dicitur; hinc infr. Sat. I. 10. 62: *rapido ferventius amni Ingenium.* — *immens. prof. ore ruit*, Pindarus, cui *os profundum*, *στόμα βαθύ*, h. e. os, e quo, tamquam e fonte uberrimo, *immensa* verborum sententiarumque profluit copia, tribuitur, ipse exquisitiore ratione: *immensus profundo ore ruere* dicitur; *ruit*, exuberat, prorumpit; — cum Pindari *ore profundo Mitsch.* comparat Cratini Fragm. apud Suid. v. *Δωδεκάκρουνον στόμα.* cf. Callimach. H. Apoll. 106. — *imbres quem sup. not. alu. rip.* elegante brevitate pro: qui non capiens, quibus per imbres auctus est, aquas super alveum vel iustas ripas effunditur; sive quem imbres tanta aquarum copia impleverunt, ut super solitas ripas effunderetur; *notas*, quibus adhuc amnis continebatur.

v. 9—20. *Laur. don. Apoll.* cett. Pindarus, poeta in quovis carminum genere summus. — Ex ipso autem hoc loco, quae fuerint illa carminum genera, in quorum quoque Pindarus excelluerit, cognoscere licet; scripsisse nempe illum refert 1) *Dithyrambos*, 2) *Paeanas* s. Hymnos et Encomia, 3) *Epinicia* s. laudes Hieronicarum, 4) *Epicedia* s. *θρήνους*, e quibus omnibus *Epinicia* tantum aetatem tulisse saepe iam

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis;
Seu deos regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae;
Sive quos Elea domum reducit

v. 13. *regesve*, e Codd. nonnullis reposuit *Bentl.*, cum antea secundum plurimorum Codd. fidem in omnibus editionibus legeretur: *regesque.* Rectius est illud; „neque enim uno carminis genere et deos et reges cecinit Pindarus, sed illos in *ὕμνοις*, hos in aliis.“ R.

doluerunt semperque dolebunt veterum literarum aestimatores. — *laurea Apollinari*, (pro: *Apollinea*) ipse Hor. supr. III. 30. 11. *Delphica lauro* a Melpomene cingi cupit. — *dithyrambos* in sacris Bacchicis primum ab hominibus furore percitis fero quodam cantu iactatos et deinde a Laso, Pindari praeceptore, cultiore, ut videtur, forma, in scenam introductos esse satis quidem constat; sed cum perfecta dithyramborum exempla tempus nobis inviderit, de peculiari eorum natura et forma nihil certi statui potest. Regnasse in hoc carminum genere eam inprimis licentiam et audaciam, ut eorum auctores liberius furori suo indulgentes haud ad praecepta illa, quae alias poetarum impetum coercent, se componerent, sed numeros pro arbitrio mutarent (hinc *numeris fertur lege solutis*) et ab uno ad aliud versuum genus transilirent; id ex hoc ipso loco Horatiano colligere licet. Ipse Hor. in duobus illis carminibus ad *Bacchum* supr. II. 19. III. 25. concipere quidem dithyrambici poetae spiritum tentat, sed ambo illa carmina ab externa dithyrambici carminis forma longe recedere videntur. Caeterum de *dithyrambis Pindaricis* vid. *Schneider Versuch über Pindars Leben und Schriften* p. 20. — *nova verba*, intellige nova sententiarum lumina, nove effictas grandisonorum verborum formulas, vel, ut supr. III. 25. 7. Hor. loquitur: *recentia indicta adhuc ore alio.* — *devolvit*, apposite ad torrentis cum impetu fluctus suos *devolventis* imaginem. — *Seu deos regesve canit*, — h. e. *Paeanas.* Hinc Serv. ad Virgil. Aen. X. 732: *Pindarus opus suum, quod et hominum et deorum laudes continet, Paeanas vocavit.* Sub *Paeanum* igitur titulo tam *hymnos* quam *encomia* complexus esse videtur Pindarus. — *reges, deorum sanguinem*, heroas. — *per quos* cett. *Theseum*, *Pirithoum*, *Bellerophontem* puta, quorum priores cum caeteris Lapithis Eurytum et alios Centauros, ob vim libidinosam, *Pirithoi* sponsae, *Hippodamiae*, in coena nuptiali intentatam (cf. supr. ad I. 18. 8.), *Bellerophon* vero *Chimaeram* (cf. supr. ad II. 17. 13.) occidisse feruntur. — *tremend. flamma Chimaer.*, Chimaera ignivoma (*πυρίπνοος*); simillime supr. l. l. *Chimaerae spiritus igneae.* — *Sive quos Elea dom. reduc. pal.*

Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari,

v. 6. Ineptum est, quod nonnulli Codd. pracbent: *Cum super notas saluere* (s. *salire*) *ripas. R.*

tutior erit quam Icari. — Cum volatus tribui soleat poetis, accommodatissima imagine is, qui frustra ad maiestatem alitis Dircaei assurgere studet, ceratis Icari pennis niti dicitur]. — *cer. ope Daedalea pennis*, alis Daedali arte cera coniunctis. Ov. Metam. VIII. 190 sqq. — *pennis niti*, significanter pro vulgari: volare, ut apud Virgil. Aen. IV. 252. — *vitreo*, caeruleo, viridi, ὑαλίνῳ. cf. supr. ad I. 17. 20. — *datur. nom. pont.* notissimum illud Ovidii: *Icarus Icariis nomina fecit aquis*, vel: *Icarus immensas nomine signat aquas.* — v. 5—8. *Monte decurrens velut amnis* cett. Ingeniorum ubertas vel orationis copia et abundantia passim quidem cum *flumine* comparari solet (exempla tam ex ipso Pindaro, quam ex aliis poetis depromta vid. apud *Mitsch.*), sed Horatius haud acquiescens in hac vulgari comparatione impetum illum, quo Pindarus ruit, vel verborum illorum ex profundo eius ore prorumpentium vim et copiam *rapido torrenti* aequiparat. — Iunge: *Pindarus fervet immensusque ore profundo ruit*, *velut amnis monte decurrens, quem* cett. — *fervet*, h. e. fervore illo et aestu, quo poetae corripi et agitari solent, concitatur; accommodate ad *amnem*, qui vehementius commotus proprie *fervere* vel *aestuare* dicitur; hinc infr. Sat. I. 10. 62: *rapido ferventius amni Ingenium.* — *immens. prof. ore ruit*, Pindarus, cui *os profundum*, στόμα βαθύ, h. e. os, e quo, tamquam e fonte uberrimo, *immensa* verborum sententiarumque profluit copia, tribuitur, ipse exquisitiore ratione: *immensus profundo ore ruere* dicitur; *ruit*, exuberat, prorumpit; — cum Pindari *ore profundo Mitsch.* comparat Cratini Fragm. apud Suid. v. Δωδεκάκρουνον στόμα. cf. Callimach. H. Apoll. 106. — *imbres quem sup. not. alu. rip.* elegante brevitate pro: qui non capiens, quibus per imbres auctus est, aquas super alveum vel iustas ripas effunditur; sive quem imbres tanta aquarum copia impleverunt, ut super solitas ripas effunderetur; *notas*, quibus adhuc amnis continebatur.

v. 9—20. *Laur. don. Apoll.* cett. Pindarus, poeta in quovis carminum genere summus. — Ex ipso autem hoc loco, quae fuerint illa carminum genera, in quorum quoque Pindarus excelluerit, cognoscere licet; scripsisse nempe illum refert 1) *Dithyrambos*, 2) *Paeanas* s. Hymnos et Encomia, 3) *Epinicia* s. laudes Hieronicarum, 4) *Epicedia* s. θρήνους, e quibus omnibus *Epinicia* tantum aetatem tulisse saepe iam

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis;
Seu deos regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae;
Sive quos Elea domum reducit

v. 13. *regesve*, e Codd. nonnullis reposuit *Bentl.*, cum antea secundum plurimorum Codd. fidem in omnibus editionibus legeretur: *regesque.* Rectius est illud; „neque enim uno carminis genere et deos et reges cecinit Pindarus, sed illos in ὕμνοις, hos in aliis.“ R.

doluerunt semperque dolebunt veterum literarum aestimatores. — *laurea Apollinari*, (pro: *Apollinea*) ipse Hor. supr. III. 30. 11. *Delphica lauro* a Melpomene cingi cupit. — *dithyrambos* in sacris Bacchicis primum ab hominibus furore percitis fero quodam cantu iactatos et deinde a Laso, Pindari praeceptore, cultiore, ut videtur, forma, in scenam introductos esse satis quidem constat; sed cum perfecta dithyramborum exempla tempus nobis inviderit, de peculiari eorum natura et forma nihil certi statui potest. Regnasse in hoc carminum genere eam inprimis licentiam et audaciam, ut eorum auctores liberius furori suo indulgentes haud ad praecepta illa, quae alias poetarum impetum coercent, se componerent, sed numeros pro arbitrio mutarent (hinc *numeris fertur lege solutis*) et ab uno ad aliud versuum genus transilirent; id ex hoc ipso loco Horatiano colligere licet. Ipse Hor. in duobus illis carminibus ad *Bacchum* supr. II. 19. III. 25. concipere quidem dithyrambici poetae spiritum tentat, sed ambo illa carmina ab externa dithyrambici carminis forma longe recedere videntur. Caeterum de *dithyrambis Pindaricis* vid. *Schneider Versuch über Pindars Leben und Schriften* p. 20. — *nova verba*, intellige nova sententiarum lumina, nove effictas grandisonorum verborum formulas, vel, ut supr. III. 25. 7. Hor. loquitur: *recentia indicta adhuc ore alio.* — *devolvit*, apposite ad torrentis cum impetu fluctus suos *devolventis* imaginem. — *Seu deos regesve canit*, — h. e. *Paeanas.* Hinc Serv. ad Virgil. Aen. X. 732: *Pindarus opus suum, quod et hominum et deorum laudes continet, Paeanas vocavit.* Sub *Paeanum* igitur titulo tam *hymnos* quam *encomia* complexus esse videtur Pindarus. — *reges, deorum sanguinem*, heroas. — *per quos* cett. *Theseum*, *Pirithoum*, *Bellerophontem* puta, quorum priores cum caeteris Lapithis Eurytum et alios Centauros, ob vim libidinosam, *Pirithoi* sponsae, *Hippodamiae*, in coena nuptiali intentatam (cf. supr. ad I. 18. 8.), *Bellerophon* vero *Chimaeram* (cf. supr. ad II. 17. 13.) occidisse feruntur. — *tremend. flamma Chimaer.*, Chimaera ignivoma (πυρίπνοος); simillime supr. l. l. *Chimaerae spiritus igneae.* — *Sive quos Elea dom. reduc. pal.*

Palma caelestes pugilemve equumve
Dicit et centum potiore signis
Munere donat,
Flebili sponsae iuvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos educit in astra nigroque
Invidet Orco.
Multa Dircaeum levat aura cycnum,

v. 23. *deducit*, Codd. plures et aliquot veteres editt.; *reducit*, al. *R.*

caelest. cett. sive *Epinicia*, quibus eos, qui victoriam e ludis Olympicis reportant, aeternitati commendavit. *Elea*, ab urbe Elide in Peloponneso, ubi agebantur ludi Olympici. — *caelestes*, ad deos quasi hoc insigni honore evectos, cf. supr. I. 1. 6. Commode laudant Vitr. IX. Praefat.: *Graecorum maiores hieronicis ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam, cum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* — *pugilemve equumve*, aut virum, cui in pugilatu, aut *equum* (*κέλητα*), cui in certamine equestri victoria contigit; *equus* enim, cum quo quis in certamine equestri victor evaserat, pariter cum victore publicis laudibus celebrari (Theocrit. XVI. 46.) et statuis adeo, inscriptionibus cett. (cf. *Boettig.* ad h. l.) nobilitari solebat; iam vero cum *equi* laus cum eius moderatoris laude fere coniuncta fuerit, *equus* nunc in universum pro: *victore in certamine equestri* positus est. — *munere potiore centum signis*, carmine centum statuis praeferendo; carmen enim, ut Hor. supr. III. 30. 1. ait, *aere perennius* est.

v. 21 — 24. *Flebili spons. iuv. rapt.* cett. sive sortem miserae puellae, cui amabilis sponsus praematura morte ereptus est, carmine miserabili deplorat, h. e. sive *Nenias*, vel *Epicedia*, *θρήνους*, canit. Posuit autem ex eius *θρήνοις*, quibus tristem nobilium aetatis suae hominum mortem deflesse videtur, unum tantum exemplum insignitius. Caeterum de Pindari *θρήνοις* vid. Dionys. Hal. T. II. p. 128. et *Schneider.* ad Pindar. Fragm. p. 30 sqq. — *vires animumque*, virtutes masculas, tam in corporis robore, quam in forti animo positas, *ἀνδρείαν*. — *mores aureos*, amabiles, decentes, honestos; cf. supr. ad I. 5. 9. — *educit in astra*, immortalitate donat, ut supr. III. 25. 6: *stellis inserere.* — *nigr. invid. Orco*, pro vulgari: oblivioni eripit, ut infr. IV. 8. 25: *fluctibus Stygiis eripere.* cf. Pind. Ol. VIII. 77. Theocrit. XVI. 42 sqq.

v. 25—32. Ut eo magis se longe Pindaro poetam inferiorem ostendat, aptissima imagine Pindari sublimitatem cum cycno in altos nubium tractus se levante, suam vero, quam humiliori tantum carminum generi det, operam cum sedulo et operoso apis succi flores per humum delibantis studio comparat. — *Multa levat aura*, vulgo explicant: multum levat, sed hoc latet iam in: *tendit quoties in altos tractus nubium;* imo tam apis, cui levis et exigua tantum ad volandum aura opus est, quam poetae sublimioris, qui *multo* spiritu agitari debet, respectu habito *aura* illa, per quam volitando se agitat cycni corpus grandius, proprie et egregie ad rem *multa* dicitur. — *Dircaeum cycnum*, Pindarum Thebanum, a notissimo in Boeotia fonte *Dirce.* Sic Anacreon apud Antip. Sidon. Ep. 80. *κύκνος Τήϊος* appellatur. — Poetarum autem cum cycnis *canoris* (qui a *mutis* distinguendi sunt) comparatio notissima; vid. supr. ad II. 20., ubi ipse Horatius in *album alitem*, h. e. cycnum, se mutari fingit. — *apis Matinae*, a monte *Matino*, Horatii patriae, Venusiae, vicino; apposite igitur apem in eius vicinia volantem designat. — *more modoque*, gnava, qua illa solet, industria. — *Grata carp. thyma p. lab. Pl.* infr. Hor. Epist. I. 3. 21. de Iulio Floro, ut poeta: *Ipse quid audes? Quae circum volitas agilis thyma?* — De poetis cum apum, flores decerpentium, sedulitate comparatis opportune *Boettig.* laudat locum Platonis in Ione p. 534. A.: *λέγουσι γὰρ πρὸς ἡμᾶς οἱ ποιηταὶ, ὅτι ἀπὸ κρηνῶν μελιῤῥύτων ἐκ Μουσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσιν, ὥςπερ αἱ μέλιτται, καὶ αὐτοὶ οὕτω πετόμενοι.* Plura in hanc rem dabunt *Muretus* in Var. Lect. VIII. 1. et *Mitsch.* ad h. l. — *circa nemus uvidique Tibur. rip.* ibi enim Musis operari solebat Horatius; hinc carmine sequente v. 10. *aquas, quae fertile Tibur praefluunt, et spissas nemorum comas*, se nobilem Aeolio carmine poetam facturas esse canit. — *uvidi*, cf. supr. ad III. 29. 6. — *ripas*, *Anienis* nempe, *Albulae* cett. — *operosa parvus*, accommodate ad apis, quacum se comparat, ingenium et naturam; *fingo*, uti apis, quae proprie *mel fingere* (*πλάττειν*) dicitur. Observent tirones insigne poetae in verborum scite ad rei imaginem accommodatorum delectu studium.

v. 33—44. *Concines* pro simplice: canes, ut passim; *poeta*, — *Antonius* enim, ut ad h. l. testatur Acron, poetam se nobilitavit carmine epi-

Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.
Concines maiore poeta plectro

v. 30. Non recte *Bentleius* v. *plurimum* iungit cum v. *nemus*, cum necessario referendum sit ad v. *laborem.* „Nam *labor* hic epitheto definiendus erat, non *nemus*, quod h. l. utrum densum sit necne, nihil refert“ *Or.* — v. 31. *rivos*, coni. *Bentl.*, quasi ripae sine fluvii mentione absolute dici non possint. *R.*

Caesarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sygambros;
Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique divi
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines laetosque dies et urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu forumque
Litibus orbum.
Tum meae, si quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars, et, O sol

v. 36. *Sugambros*, *Or.*, *Sicambros*, al. — v. 45. *loquor*, e Codd. nonnullis *Bentl.*, *Mein.*, al. *R.*

co, duodecim libris composito et ad exemplum Virgilianae Aeneidos *Diomedeis* inscripto. — *maiore plectro*, grandioris spiritus carmine. — *quandoque* pro: quando, ut carm. anteced. v. 17. — *trahet*, captivi enim vincti trahebantur ante triumphantis currum; sic reges in triumpho *retortis manibus trahi* dicuntur infr. Epist. II. 1. 191. cf. supr. II. 12. 11. — *per sacrum clivum*, qui ducebat in Capitolium. *fronde*, lauro. — *Sygambros*, gentem Germaniae, eas fere trans Rhenum inter Luppiam et Sigiam (*Lippe* et *Sieg*) tum incolentem terras, quas nunc Ducatus Montensis, Comitatus Marchiae et pars Cliviae obtinent. — *feroces*, bellicosos, barbaros; infr. IV. 14. 51: *caede gaudentes* dicuntur. — *Quo nihil mai. meliusve terr. fat. don.* idem fere Horatius de Augusto infr. Epist. II. 1. 17. praedicat: *Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.* et Ovid. ex Pont. I. 2. 100: *Alma nihil maius Caesare terra ferat.* — *in aurum priscum*, in priscam aureae aetatis felicitatem. — *urbis publicum ludum*, vere editos esse illos ludos publicos, quos inter alia pro felice Augusti reditu Senatus populusque Romanus voverat, testatur Dio LIV. 27. nimirum, postquam Augustus, qui *nimium diu*, ut Hor. infr. IV. 5. 2. ait, *abfuerat*, U. C. DCCXLI. Romam rediit. — *forum litibus orbum*, ergo non in rebus trepidis tantum et tumultu causarum actiones in foro cessabant (quod dicebatur *iustitium*), sed in publica etiam, uti ex hoc loco apparet, laetitia.

v. 45—52. *Tum*, sc. quando Augustus feroces Sygambros per sacrum clivum trahet, h. e. quando triumphans urbem ingredietur. — [*meae, si quid loquar audiendum, Vocis acc. bona p.*, quamquam ego non par sum Augusti rebus gestis digne cantandis, illo tamen laetissimo die non silebo, sed, si quid omnino quod audiatur dignum proferre potero, in communi omnium laetitia mei quoque animi sensus aperiam, pulchrum illum et laudandum diem carmine celebraturus. —

Pulcher, o laudande! canam, recepto
Caesare felix.
Teque, dum procedis, Io Triumphe,
Non semel dicemus, Io Triumphe,
Civitas omnis, dabimusque divis
Thura benignis.

v. 49. *Teque, dum procedis*, Codd. prope omnes et sic *Lamb.*, *Cruq.*, *Vanderb.* — *Teque, dum procedit*, e Cod. antiquissimo Bernensi *Orellius*, explicans: „dum procedit Caesar triumphans, nos te, Triumphe, non semel, sed continuo dicemus.“ *Tuque dum procedis*, nonnulli recentiores Codd., Porphyr. ac pleraeque editiones [etiam *Doer.*]. Dan. Heinsius denique emendavit: *Duxque dum procedit*; Bentleius: *Isque dum procedit.* Vide annot. *R.*

bona, i. e. magna, ut infr. Ep. ad Pis. v. 297. Sat. I. 1. 61. — *Teque, dum procedis* etc. Persuasum mihi est, orationem non ad Antonium, sed, id quod recte monuerunt Scholiastae, ad ipsum potius Triumphum conversam esse. Adducor ad eam sententiam non tantum verbo *procedendi*, quod mire dictum esset h. l. de homine currum triumphantis sequente, non ipso triumphante, sed inprimis iis, quae statim sequuntur, verbis: *dabimusque divis thura benignis.* Aperte enim in eorum numero, qui thura diis dent, refertur etiam Antonius, cum eiusdem hominis sit victimas caedere et thura dare divis (cf. Od. I. 36. 1 sq.: *Et thure et fidibus iuvat Placare et vituli sanguine debito — deos*). Iam nemo non videt, eum non eodem simul tempore in pompa triumphali procedere posse et sacra facere cum reliquis; manifestum est igitur, verba *dum procedis* ad Antonium referenda non esse. Si hoc autem certum est, dubitari non potest, quin unice vera sit optimorum Codd. lectio *Teque;* nam recte demonstravit *Bentleius*, *Tuque* si ad triumphum referatur, prius *Io Triumphe* iungendum esse cum vv. *Tuque dum procedis*, posterius cum v. *dicemus*, quod admodum esset inficetum. Facile est autem intellectu, cur mutaverint librarii *Teque* in *Tuque;* scilicet putabant, v. *dicemus* iungendum esse necessario cum v. *Io Triumphe*, ut apud Ov. Art. Am. II. 1: *Dicite*, *Io Paean et Io*, *bis dicite*, *Paean.* Sed neutiquam hoc opus esse, docet locus ex ipso Horatio petitus Epod. 9. 21: *Io Triumphe, tu moraris aureos Currus et intactas boves? Io Triumphe*, ubi non solum tamquam deus Triumphus invocatur, sed pariter ut nostro loco bis nomen eius ponitur, ut in hac allocutione soni quaedam insit similitudo cum eorum vocibus, qui triumphanti acclamant: *Io triumphe*, *Io triumphe.* Triumphum igitur recte alloqui poterat Horatius; verba autem *te non semel dicemus* tum non significant, quod *Bentl.* inferre studet: „nos omnes, pueri patresque, carmina in Triumphum non semel scribemus“ sed potius: „non semel sacra acclamatione te celebrabimus, non semel nomine te laeti appellabimus.“ Quod multi denique putaverunt, orationis nexum atque concinnitatem hac interposita allocutione turbari, minime verum est;

Te decem tauri totidemque vaccae,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre qui largis iuvenescit herbis
In mea vota,
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
Cetera fulvus.

v. 58. *orbem*, Codd. non pauci; sed *orbis* significat aut mensem aut plenilunium, de quo nostro loco minime agitur. Codd. optimi et vetustissimi recte praebent *ortum*. *R.*

poeta enim iam praesentiens festi diei laetitiam ita abripitur hoc *ἐνθουσιασμῷ*, ut procedentem Triumphum oculis quasi cernat ipsum iam cum amico nomine ciere sibi videatur. — Ita non opus est Bentleii emendatione *Isque dum procedit*, aut Dan. Heinsii *Duxque dum procedit.* Nec probanda est *Orellii* lectio *Teque, dum procedit*, utpote quae minus poetica videatur et idonea auctoritate destituta sit. *R.*]

v. 53—60. *solvet*, sc. voto, cui solvendo, si Augustus felix faustusque rediisset in urbem, Antonius et Horatius diis se *obstrinxerant* vel *obligaverant*, pro vulgari: tu decem tauros et totidem vaccas, ego vitulum immolabo. — *relicta matre*, a lacte depulsus; *in mea vota*, sc. solvenda. — *Front. curvat. imitat. ign. Tert. lun. refer. ort.* ostendens in fronte prima cornuum germina, lunae fere die tertio a novilunio orientis formam falcatam imitantia; comparant *Mosch.* II. 88. et *Claud.* de Rapt. Proserp. I. 128. de vitula: *pedibus quae nondum proterit arva Nec nova lunatae curvavit germina frontis.* — *qua notam duxit*, ea corporis parte (haud dubie *fronte*), qua diversi coloris macula notatus est. — *niveus videri*, *λευκὸς ἰδέσθαι* vel *ὁρᾶσθαι*. *videri* Graeco more abundat. Sic apud Virgil. Aen. VI. 49: *maiorque videri.* — *cetera* (*τὰ δ' ἄλλα*), quod ad reliquum corporis colorem attinet. Similis fere tauri illius, cuius formam Iuppiter Europae causa induisse fingitur, descriptio apud Mosch. II. 85: *Τοῦ δ' ἤτοι τὸ μὲν ἄλλο δέμας ξανθόχροον ἔσκε, Κύκλος δ' ἀργύφεος μέσσῳ μάρμαιρε μετώπῳ.* Caeterum victimarum tam formam quam naturam singulari studio Hor. adumbrare solet; cf. supr. III. 13. 4 sqq. et III. 22. 7.

CARMEN III.

AD MELPOMENEN.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico

v. 5. *Achaio*, Codd. nonnulli et sic *Cun.*, *San.*, *Fea.* *R.*

CARMEN III.

Poetae gloriam, qua nulla hominibus contingere possit maior et insignior, in hoc carmine pariter ac supr. III. 30. II. 20. et I. 1. sibi vindicat Horatius, sed ita, ut generosus ille, quo verticem extollit, animus a stolida superbia sit alienissimus. Omnem enim illum honorem, quo poetarum choro insertus multo maiore a populo Romano veneratione suspiciatur, quam si victoriam vel e ludis sacris vel e bello retulerit, non sibi, sed Musarum, quae sibi nascenti arriserint, acceptum refert beneficio. Melpomenen igitur ex illis, ut lyricae poeseos praesidem, in hoc carmine appellat eique, dum *quod spiret et placeat, si placeat, id totum eius muneris esse* profitetur, gratissimum animi sensum declarat. — Si quaeras, quid illud sit, quod tantam laudem et admirationem huic carmini apud omnes conciliaverit, id a generoso, qui in toto hoc carmine regnat, spiritu et amabili poetae modestia inprimis repetendum esse, ipse facile senties. Demto enim sententiae involucro, naturae, cuius benignitati ingenii sui facultatem adeoque omnem suam felicitatem debeat, poeta in hoc carmine gratias agit.

v. 1—12. *Quem tu, Melpom., semel* cett. Sententia: quicumque, uti ego, dextris Musis natus fuerit, h. e. cuicumque, ut mihi, nascenti largioris ingenii concessa fuerit facultas, is in amoeno quodam secessu, uti ego in agro Tiburtino, poetae nobilitatem consecutus facile victorum vel e sacris ludis vel e bello redeuntium supersedebit gloria. — *Nascentem placido lum. videris*, dignum, in quem nascentem dona tua conferres, habueris. Praeivit in hac suavissima imagine Hesiod. Theog. 82: *Ὅντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο, Γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι. — Τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἀοιδήν* cett. cf. Callimach. Epigr. II. 4. et Theocrit. IX. 35. — *labor Isthmius* (*πόνος*, *ἄεθλος* vel *ἄεθλον*), certamen in ludis Isthmicis, quos ad Isthmum Corinthium in Neptuni et Melicertae honorem institutos esse satis constat. Similiter *Elei labores* apud Stat. Silv. IV. 4. 31. de certaminibus in ludis Olympicis. — *clarabit pugilem*, clarum victorem in pugilatu faciet; *clarare* iam in prima et propria significatione, vulgo alias pro: declarare, ostendere, poni solet. — *non equus imp. curr. duc. Achaic. victor.* non in certamine curuli victoriae laudem

Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
Et spissae nemorum comae
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae principis urbium
Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros,
Et iam dente minus mordeor invido.
O testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,

v. 10. *perfluunt*, Codd. nonnulli et sic *Fea. R.*

ei parabit equorum virtus et velocitas. — *Achaico*, Graeco, adeoque de eo, quo certatur in ludis Olympicis. — *res bellica*, rerum praeclare in bello gestarum gloria. — *ornat. Deliis foliis*, h. e. ut carm. anteced. v. 35. dicitur, *merita fronde* (lauro) *decorum.* — *regum tumidas minas*, regum superbiam; cum delectu autem *regum* pro *hostium* posuit, quia nihil *rege* vel *regis* nomine Romanis fuit infestius. — *ostendet*, sc. triumphum agentem. — *Capitolio*, eo enim per *sacrum clivum* (cf. carm. antec. v. 35.) cum pompa sollemni pergebat triumphans. — *Sed quae Tibur aqu. fert. praefl.* cett. cf. ad carm. antec. v. 31 — 32. — *praefluunt* pro: praeterfluunt, ut infr. IV. 14. 26. Sic *praefluere* pro: praeterfluere, apud Liv. XLIV. 31. — *Fing. Aeol. carm. nob.* venusta brevitate in hanc fere sententiam: tam suave et iucundum mihi suppeditabunt otium, ut in poesi lyrica ibi me exercens poeta evadam nobilissimus. — *Aeolio*, lyrico, cf. ad III. 30. 13.

v. 13 — 24. *Soboles Romae principis urb.* gens Romana urbem nobilissimam in toto terrarum orbe incolens, pro vulgari: Romani vel populus Romanus. — *principis urbium*, similiter infr. IV. 14. 44: *Roma domina*, et Epist. I. 7. 44: *regia Roma.* Mart. XII. 8. 1: *Terrarum dea gentiumque Roma, Cui par est nihil et nihil secundum.* — *dente min. mord. invido*, malevolorum istorum hominum, qui primum carminibus meis obtrectabant, iam paene vici invidiam; *maior* nunc paene sum (ut supr. II. 20. 4. dicit,) *invidia.* Hominibus invidis vel *Livori* (ut Ovid. Am. I. 15. 1. eum appellat) *edaci*, notissima imagine *dens*, quo infestos sibi petat et mordeat, tribuitur; cf. infr. Epod. VI. 15. Epist. I. 18. 82. Ovid. Trist. IV. 10. 123: *Nec, qui detrectat praesentia Livor iniquo Ullum de nostris dente momordit opus.* — *Pieri*, o Musa, Melpomene. — *quae strepit. dulc. testud. aur. temperas*, h. e. quae ex aurea testudine pro arte, qua illam moderaris et tractas, dulcem sonorum concentum elicis; de elegante usu verbi: *temperare*,

O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum,
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

CARMEN IV.

DRUSI LAUDES.

Qualem ministrum fulminis alitem,

apposite *Mitsch.* laudat Propert. II. 34. 80: *Tale facis carmen, docta testudine quale Cynthius impositis temperat articulis.* — *mut. quoq. pisc. donat. cyc. son.* Aptissimae ad Musae potentiam designandam imagines! De proverbiali locutione, qua quis, qui nihil in medium proferre potest, apud Graecos ἰχθύων ἀφωνότερος, dulcissime canens autem: κύκνου ἀοιδότερος vel ᾠδικώτερος dicitur, vid. Interpretes ad h. l. — *donatura*, quae donare vales. — *monstror digito praetereuntium*, notus est locus Persii I. 28: *At pulchrum est digito monstrari et dicier: hic est:* οὗτος ἐκεῖνος. cf. *Mitsch.* et *Boettig.* — *Roman. fidic. lyrae*, ut nobilis ille Romanorum poeta, qui princeps Aeolium carmen ad modos Italos deduxerim. — *quod spiro*, quod lyrici poetae me agit spiritus.

CARMEN IV.

Insigni illi iuvenilis fortitudinis documento, quod *Drusum Neronem*, Augusti privignum, vix viginti tres annos natum, in bello contra Raetos et Vindelicos edidisse narrant, aeque insigne Horatius in hoc carmine monumentum posuit. Res scilicet fuit haec: Raeti et Vindelici (quorum illi terras ad Alpium radices, ab oriente meridiem versus, a monte Adula ad Iulias usque Alpes vel ad Veronae et Comi usque fines, eas igitur terras, quas nunc Grisones et Tirolenses tenent, vid. Strab. IV. p. 315. C. hi vero, proximi Raetorum accolae, ea sub Alpibus septentrionem versus loca, quae a lacu Bodamico per meridionalem Bavariae et septentrionalem comitatus Tirolensis partem ad fluvium Oenum usque porriguntur, incolebant, vid. Strab. VII. 449. A. et *Mannerti German.* p. 610.) cum crebras in Galliae Italiaeque agros incursiones facerent et populationibus suis in dies Romanis infestiores fierent; Augustus modum tandem eorum ferociae et insolentiae ponendum esse ratus U. C. DCCXXXIX. exercitum contra eos mittendi eique privignum suum *Drusum Neronem* praeficiendi cepit consilium. Cui quidem consilio eventus respondebat optatissimus. Drusus enim non solum Raetos in primo statim proelio ad Alpes Tridentinas cum iis commisso fudit fugavitque, vid. Dio LIV. 22. sed pari quoque fortuna Vindelicos deinde coniunctim cum fratre suo Tiberio, quem adiutorem et Augustus addiderat, perdomuit; vid. Vell. II. 98. Huius geminae igitur Neronum de

Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo,

Raetis et Vindelicis victoriae gloriam Horatius, uti ab ipso Augusto, Suetonio in Vit. Horat. teste, iussus fuerat, duobus carminibus celebravit, altero, de quo nunc agimus, in *Drusi*, altero (infra IV. 14.) in *Tiberii* laudes composito. — Tria autem potissimum hoc carmen', in quorum tractatione omnis eius ars et splendor cernitur, continet: 1) egregiae illius fortitudinis et iuvenilis vigoris, quo Drusus in pugna contra Raetos se conspiciendum praebuerat, descriptionem, sive in qua omnis haec descriptio versatur, Drusi cum iuvene aquila et leone comparationem; 2) Augusti, tamquam unici earum virtutum, quibus Drusus nunc exsplendescebat, auctoris laudationem; laudat enim vere paternum Augusti animum, quem ille in privignis suis Neronibus rite educandis probaverat simulque, quantam vim in omnem animi cultum educatio habeat, breviter ostendit; 3) veteris C. Claudii Neronis, unde originem suam repetebant Nerones, memoriam; quem quidem, cum ex eo inde tempore, quo Hasdrubal, Hannibalis frater, in bello Punico secundo ab eo devictus fuerat, sereno semper vultu Fortuna Romanis affulgere coeperit et ipse Hannibal, (cuius sub fine huius carminis de Romanorum virtute, vinci omnino nescia, oratione nihil sublimius et Romanis honorificentius cogitari potest,) spem omnem, Romanos vinci posse, abiecerit, ut virum egregie de republica meritum multis extollit laudibus.

v. 1—18. *Qualem ministrum* cett. Nexus et sensus huius loci, quo Drusi, admodum adhuc iuvenis, contra Raetos pugnantis vigor atque impetus cum iuvenis aquilae et leonis vigore et impetu comparatur, est hic: Vindelici Drusum iuvenem tali impetu et vigore contra Raetos pugnantem viderunt, quali iuvenis aquila, cum nido relicto in altum evolavit, mox in ovilia inde et dracones ruit atque demittitur, vel quali timendus iuvenis leo capreae in pascuis conspicitur. — Uti in plurimis comparationibus ea tantum rei comparatae pars, quam solam respexit quisque poeta, spectanda et ab iis, quae ad ornatum pertinent, diligenter discernenda est, ita in his duabus comparationibus unice *iuvenilis aquilae et leonis vigor atque impetus* spectari et caetera omnia ad ornatum referri debent. — *Qual. ministr. fulm. alit. ol. iuvent. et patr. vig. nid. lab. propul. insc.* pro vulgari: qualis esse solet iuvenilis et patrius vigor aquilae, quam (*olim*) forte aliquando primum volatum in aëre tentare vidimus. — *ministr. fulm. alit.* causam, ex qua aquila fulmina Iovi ministrare ficta sit, inter alia inde repetunt, quod nulla unquam aquila fulmine tacta fuerit; vid. Plin. X. 3. s. 4. sed rectius fortasse in altissimo, quo ad nubila tendit aquila, volatu huius commenti causam quaeras. — *cui rex deor. regn. in av. vag. permis.* Iuppiter enim, ut tradunt, regium aquilae inter aves datum honorem operae illius, quam Iovi in Ganymedis raptu praestitisse fertur aquila, praemium esse voluit. Sequitur

Olim iuventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium,
Vernique iam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus
Venti paventem, mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnae;
Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit:

v. 6. *protulit*, Codices non pauci; sed vim maiorem habet altera lectio *propulit*. — v. 13. *vernisque*, pars Codicum. Cf. *Ianium* ad h. l. — v. 15. *iam mane* vel *iam sponte*, suspicatur *Bentl*. Alii aliter. *R.*

nempe Hor. eos, qui Iovem in Ganymede rapiendo aquilae ministerio usum esse narrant; vid. Apollodor. III. 12. 2. et ibi *Heyn*. Secundum alios ipse Iuppiter in aquilam mutatus est; vide, quem laudat Boettig., *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 210—15. — *flavo*, pulchro, ut supr. II. 4. 14. et III. 9. 19. et sexcenties alibi. — Particulam *olim* alii pro: primum, explicant, ut particulas *mox* v. 9. pro: deinde, et nunc v. 11. pro denique, respondeat; sed, ut hanc explicationem usus loquendi ferat, valde equidem vereor; imo particula *olim* de rebus, quas ita fieri et factas esse constat, saepissime in comparationibus obvia. cf. infr. ad Sat. I. 1. 25. — *laborum*, nisuum illorum, quibus in altum se extollere laborant aquilae; hinc statim *venti insolitos nisus docere* dicuntur; *venti* enim *nisus docent*, dum volatu se tollere conantem levant. — *verni*, nam aquilarum aeque ac milviorum et accipitrum pulli sub veris certe fine nidum relinquere solent; non audienda igitur sunt, quae vano studio contra h. l. disputat *Iul. Scalig.* Poet. VI. c. 7. — *paventem*, observa artem poetae, qua pro tenui: eum, egregie alitis non sine pavore primum volatum in aëre molientis naturam designat. — *dracones*, de aquilis hostiliter serpentes petentibus et cum iis conflictantibus res nota; vid. Plin. H. N. X. 4. s. 5. et quae in hanc rem congessit *Cerda* ad Virg. XI. 751. — *reluctantes* (ut *luctans draco* apud Virg. l. l.), dum serpentes scilicet (ut Cic. de Div. I. 47. locum Homeri Il. XII. 201. de *aquilae cum serpente pugna* imitatione exprimens loquitur,) *se intorquent*, vel, ut Plin. l. l. ait, *multiplici nexu alas aquilae ligant et ita implicant*, *ut simul decidat.* — *caprea*, nos: *Gemse.* — [*matr. ab uber. iam lact. depuls. leon.* h. e. iuvenem leonem, qui matris ab ubere remotus lacte iam non amplius nutritur novumque cibum petere cogitur. — Cum mater iuvenem leonem ab ubere depellat, ut lacte eum prohibeat, sine ulla verborum

Videre Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quaerere distuli;
Nec scire fas est omnia; sed diu
Lateque victrices catervae

v. 17. *Raeti* (s. *Rhaeti*), Codd. propemodum omnes et veteres editiones, adeo ut gens illa a Druso victa uno nomine appellata fuerit *Raeti Vindelici* (vel *Alpes Raeti* sint veteris illius herois, quem commemorat Plin. III. 20; quae *Vanderburgii* est sententia). Alii e Codd. nonnullis receperunt *Raeti — et Vindelici*, quae lectio procul dubio ab interpolatore profecta est. Omnes fere recentiores editores auctore et suasore *Bentleio* scripserunt *Rhaetis* s. *Raetis*, quod cum paucis aliis habet Cod. Sangall. a pr. m. — v. 18 — 22. Cum verba *quibus — sed* admodum incommode hic interposita sint, multi viri docti (inter quos *Ianius*, *Mein.*, *Weberus*) spuria ea esse non sine magna probabilitate iudicaverunt. *R.*

abundantia leo dici potest *ab ubere matris lacte depulsus;* additum enim *lacte* significat id, a cuius usu prohibetur, qui a matris ubere depellitur. Itaque neque emendationibus opus est, neque confugiendum ad ineptam *Wadii* explicationem: „a copioso lacte.“] — *novo dente*, significanter de iuvene leone, qui primum dentes suos sanguine imbuit. — *Raetis* pro: Raeticis; — *videre Vindelici*, ab initio enim, cum solos Raetos aggrederetur Drusus, qualis ille dux esset, Vindelici *viderunt*, sed deinde eius virtutem quoque *senserunt*, vid. argumentum.

v. 18—28. *quibus mos unde deduct. — nec scire fas est omnia*, h. e. qui cur ad Amazonum exemplum secures semper in bello gestare soleant, nec perscrutari placuit, nec scire omnia licet. — Turbat sane et deprimit haec historica quasi observatio poetae sublimioris spiritum et impetum; sed haud dubie, cur eam adspergeret, graviores causas poeta habuit; sive quod disputari tum multum solebat Romae de prima moris illius, quo Vindelici securibus in bello uterentur, origine; sive quod Vindelicorum, qui vulgo *securigeri* appellati esse videntur, addere et circumscribere omnino debebat cognomen; sive quod ab Augusto huius rei in hoc carmine mentionem facere iussus fuerat, sive quod ex alia, quam nunc ignoramus, causa huius rei commemorationem non facile praetermittere poterat. Ne multa! vix dubitari potest, quin hi versus, quos *Iani* in peculiari ad h. l. Excursu ut spurios et e margine temere in textum importatos damnat, ab ipso Horatio profecti sint. Extitisse enim aliquem, qui ingenii sui ostentandi causa eiusmodi sententiam numeris adstrictam textus Horatiani margini allineret, Iudaeus Apella, non ego, credat. — *sed*, h. e. ut missa igitur faciam, quae hic commemorare nihil attinet, vel: ne igitur extra oleas vager, sed ad propositum redeam; hac enim fere vi particula *sed* eleganter ponitur ab iis, qui a digressione aliqua ad propositum se revocant; — *victrices catervae*, impune certe primum Italiae et deinde Galliae fines late et

Consiliis iuvenis revictae
Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus et bonis;
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam;
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcumque defecere mores,

v. 24. *repressae*, e Codd. aliquot *Bentl.; reiectae*, coni. *Wadius.* Longe tamen exquisitior et fortior est plurimorum Codd. lectio *revictae.* — v. 26. *sanctis*, coni. *Bentl.*; sed frustra. — v. 29. In nonnullis editionibus distinguitur: *fortibus; et bonis Est in iuvencis.* At verba *fortis et bonus* sollenni formula inter se iunguntur (ut Ep. I. 9. 13. Cic. ad Fam. V. 19. Verr. III. 69.); neque opus est, ut v. *iuvencis* epitheto *bonis* definiatur, cum insita patrum virtute satis significetur iuvencorum generositas. Magna denique cum vi repetitum est *ἀσυνδέτως* initio positum est sententiae. *R.*

satis diu depopulatae fuerant. — *revictae*, invicem vel vicissim victae, nisi pro simplice: *victae*, ut supr. IV. 1. 8. *revocare*, pro: vocare, et saepius alia verba cum *re* composita, accipere malis. — *Sensere*, cf. supr. ad II. 7. 10. — *nutrita faust. sub. penetral.* exculta sub faustis in Augusti domo auspiciis.

v. 28. *In pueros — Nerones*, — *puer* passim respondet patrii sermonis voci: *iung.* supr. Carm. IV. 1. 15. *Maximus* dicitur *p u e r centum artium.*

v. 29 — 36. *Fortes creant. fort. et bon.* cett. Sententia: insita quidem fuit Neronibus generosior gentis suae indoles, quae apud animalia adeo propagari solet; sed rectum, qui accedere omnino debebat, generosioris illius indolis cultum paternis Augusti curis illi debent. — In sententiam, patrum indolem ingenerari filiis, cfr. Eurip. Fragm. Alcm. 7. Dind.: ὡς ἀληθὲς — Ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθαι τέκνα, Κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τῇ τοῦ πατρός. Plura vid. apud *Mitsch.* et *Boettig.* — *Est in iuvencis* cett. animalia quoque indolis suae generositatem propagant. Martial. VI. 38. 7: *Acris equi suboles magno sic pulvere gaudet: Sic vitulus molli proelia fronte cupit.* — *Doctrina sed v. promov. insit.* sed insitas animi vires (τὸ ἐγγενές) elicit et exercere docet institutio. Commode in hanc sententiam laudat *Boettig.* Cic. pro Arch. Poet. 7: *Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque d o c t r i n a e, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere.* cf. Quint. Inst. Or. XII. 2. et Eurip. Hec. 600. — *utcumque*, quandocumque; *mores defecere*, ubi insitae animo vires

Indecorant bene nata culpae.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

v. 36. Vulgatae lectioni *dedecorant* recte praetulerunt plerique recentiores editores (*Iani*, *Fea*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Iahn*, *Or.*) inusitatius verbum *indecorant*, quod praeter Acr. et Porphyr. non pauci tuentur Codd. Usus est hoc verbo Accius ap. Non. p. 125. Merc. — v. 42. *durus*, Codd. nonnulli, sollemni varietate. *R.*

(*bene nata*, ut statim Horatius ipse explicat,) non exercentur, ibi studium animi excolendi friget. — *indecor. ben. nat. culpae*, bona indoles (τὸ εὐφυές) vitiis corrumpitur.

v. 37—48. *Quid deb., o Rom., Neron., testis Metaur. flum.* cett. Quomodo salus vestra, o Romani, in antiquae Neronum gentis virtute reposita fuerit, nobilissima illa pugna, qua Hasdrubal ad flumen Metaurum a C. Claudio Nerone devictus est, testatur; a cuius eventu, uti omnis, quae Romanis deinceps contigit, secunda, ita omnis, quam Poeni post illam experti sunt, adversa fortuna repetenda fuit. — Rem illam improvisam et inopinatam, quam C. Claudius Nero, consul, in bello Punico secundo A. U. DXLVII. felicissimo eventu ausus est, narrat Liv. XXVII. 43 sqq. Clam enim castris, in quibus ille Hannibali oppositus se adhuc tenuerat, cum delecta manu relictis, cum e Lucania in Umbriam celeri itinere delatus esset, tanta fortuna ibi ad flumen *Metaurum* (nunc: *Metaro*, vel: *Metro*,) adortus est exercitum, quem Hasdrubal fratri suo Hannibali auxilio ducturus erat, ut occidione eum cum ipsius duce occideret; quae quidem victoria splendidissima cum sola futurarum victoriarum Romanis causa extitisset, *ille pulcher dies*, *qui primus fugatis tenebris* (propulso, quod imminebat Romanis, periculo) *alma adorea risit* (*alma victoriae luce exsplenduit*), eorum, quae *Roma debeat Neronibus*, testis laudatur. — *adorea*, Plin. XVIII. 3. *gloriam a farris honore adoream* appellabant; *adorea* scilicet, *ador* vel *far adoreum* (nos: *Dinkel*) post partam victoriam praemii loco militibus distribui solebat; unde *adorea* pro ipsa victoria ponitur. — *ut*, postquam; ab eo inde tempore, quo. — *Afer*, Hannibal, *dirus*, Livius quoque XXI. 4. ad Hannibalis vitia *inhumanam* eius *crudelitatem* refert; cf. supr. ad III. 6. 36. — *ceu flamma per taedas*, sc. furere solet, quod ad notam zeugmatis figuram ex *equitavit* eliciendum est. — *per Siculas equit. und.* per mare Siculum concitatissimo impetu ferri solet. — *Eurus* iam *equitare*, ut Zephyrus apud Euripidem Phoeniss. 210. *ἱππεύειν*, ad celerem eius impetum de-

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere rectos,
Dixitque tandem perfidus Hannibal:

signandum dicitur. Eadem de causa Zephyrus apud Catull. LXVI. 54. *Chloridis ales equus* vocatur, ubi vide not. Nec alio consilio Euro *equi Eoi* apud Virg. Aen. II. 417. et Aquiloni *equi Thraces* apud Val. Flacc. I. 610. tribuuntur. Huc accedit, quod *ἱππεύειν* apud Graecos passim de omnibus, qui concitatiore impetu ruunt, dicitur; exempla ad h. l. dedit *Mitsch.* uti fere supr. III. 1. 40. *eques* de quovis, qui celeri cursu aufertur. Iam vero cum apud Graecos *καθιππεύειν*, *καθιππάζεσθαι χώραν*, de eo quoque hoste dici soleat (vide, quem *Boettig.* laudat, *Wesseling.* ad Diodor. Sic. T. I. p. 631.), qui feroce impetu populabundus terram aliquam pervagatur, facile apparet, quam apte *equitare* Hannibali simul ferociter per Italas urbes ruenti accommodatum sit; et sic infr. Epod. XVI. 12. et XVII. 74. is, qui insolentius hosti insultat, *equitis* imagine adumbratur. — *post hoc*, *ἐπὶ τοῦτο*, post hanc Claudii victoriam. — *secundis laboribus*, significanter de victoriis in prospero laborum, quos milites in bello sustinent, successu positis. — *tumultu*, de eo graviore bello, quo salus publica subito hostium adventu et impetu in summum discrimen adducitur. — *rectos*, erectos, *ἀνωρθωμένους*, in pristinum honorem restitutos.

v. 49—60. *perfidus Hannibal*, in Hannibale enim, ut severus eius vitiorum censor Livius XXI. 4. ait, animadvertebatur: *perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deorum metus, nullum iusiurandum, nulla religio.* Poeta autem iam primas potissimum belli Punici secundi causas, *perfide* ruptum ab Hannibale Sagunti oppugnatione foedus respexisse videtur. Hinc apud Livium quoque XXI. 40. Hannibal *dux foederum ruptor* appellatur. — *tandem dixit*, Hannibalis, quae sequitur, oratione nihil profecto ad hoc carmen tam in Neronum, quam in totius gentis Romanae laudem et gloriam aptius, gravius et sublimius accedere potuit. Eo magis autem Hannibalem sic loquentem inducere poterat poeta, cum vere ille accepto de funesta Hasdrubalis clade nuncio *agnoscere se fortunam Carthaginis* dixisse feratur; vid. Liv. XXVII. 51. Caeterum in hac oratione, quae vim suam praecipue eo accipit, quod is ipse, qui Romano nomini infestissimus erat, Romanarum virtutum nunc laudator existit, acriter pro se quisque intendat animum ad summum illum verborum ornatum et splendidissima sententiarum lumina, quibus simplex sententia: „Vana et irrita est omnis opera nostra, quam in bello contra Romanos, fugiendos nobis potius, quam persequendos, ponimus; quo gravius enim eos impugnamus, eo magis eorum efflorescit gloria; imo Romanos, quos ab omni periculo tutos semper praestabit Neronum virtus, a nobis

Cervi, luporum praeda rapacium,
  Sectamur ultro, quos opimus
    Fallere et effugere est triumphus.
Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus sacra
  Natosque maturosque patres
    Pertulit Ausonias ad urbes,
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
  Per damna, per caedes ab ipso
    Ducit opes animumque ferro.
Non Hydra secto corpore firmior

v. 60. *animosque*, duo *Bentleii* Codd., unus *Vanderb.* Cf. *Bentl.* ad h. l. *R.*

vinci posse, omnis plane Hasdrubale interemto spes evanuit!" egregie expressa et amplificata est. — *Cervi lup. praed. rapac. sectam. ultr.* nos stulti ultro sectamur Romanos, ut sicut cervi fere istis tanquam lupis rapacibus praedae simus; cf. Epigr. Posidipp. XIV. Anth. Gr. T. II. p. 50. — *opimus est triumphus*, in gloriosi triumphi loco ponendum est; pro tenui: praestat; *triumphum* iam insignivit epitheto, quo proprie *gloriosa* illa *spolia*, a duce caeso duci derepta, insigniri solent. — *cremat. fort. ab Ilio, iactat. Tusc. aeq. sacr.* Opportune comparant Virgil. Aen. I. 71: *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor, Ilium in Italiam portans victosque Penates.* — *sacra*, Penates, vid. *Heyn.* Excurs. IX. ad Virg. Aen. II. v. 293 sqq. p. 304. — *maturos*, sc. funeri, ut infr. Ep. ad Pis. v. 115: *maturus senex*, et supr. III. 15. 4: *Chloris maturo propior funeri.* — *Ausonias*, Italas, ab Ausonibus, antiquis Italiae incolis; vid. *Heyn.* Excurs. IV. ad Virg. Aen. VII. 37. p. 129. — *Duris ut ilex tonsa bipenn.* cett. Quemadmodum ilex, cuius frondes vel rami per bipennem detondentur, laetius deinde efflorescere solet, ita gens Romana, dum cladibus in bello afficitur, ab ipso ferro, quo caeditur, novum vigorem et animum accipit. — *Algido*, vid. supr. ad I. 21. 6. — *feraci frond. nigr.* qui profert multas arbores, ilices nempe, quarum frondes subnigri fere coloris sunt. — *per damn. p. caed. ab ip. duc. op. anim. ferr.* observa delectum verborum tam genti Romanae, quam tonsae ilici cum illa comparatae egregie simul accommodatorum.

v. 61—76. *Non Hydr. sect. corp. firm.* cett. Sententia: gens Romana, quotiescumque ab hoste victa est, toties nova contra eum firmitate surgit, veluti olim hydra Lernaea, quae quotiescumque ab eius corpore unum caput desecuerat Hercules, toties eo firmior subnatis statim duobus aliis (vel pluribus) capitibus contra eum non sine dolore se ab ea vinci sentientem, exsurrexit; vel uti olim ex satis dentibus draconis

Vinci dolentem crevit in Herculem,
  Monstrumve summisere Colchi
    Maius Echioniaeve Thebae.
Merses profundo, pulchrior evenit;
Luctere, multa proruet integrum

v. 65. *Mersus*, Codd. permulti; „sed esse deberet *mersa* ob v. 53." — Pro vulgata lectione *evenit* nonnulli Codd. praebent *exiet*, quam antiquiorem futuri formam accommodatiorem putantes sequentibus futuris *proruet* — *geretque* — *perficient* receperunt *Mein.* et *Or.* Sed magnopere vereor, ne haec praesentis ad sequentia futura accommodatio tribuenda sit librariis; nam futura quoque in nonnullis Codd. mutata sunt in praesentia, ut accommodatiora redderentur praegresso praesenti, nec magis probanda est *Bentleii* ratio, qui haec praesentia praetulit futuris, quam *Meinekii* et *Orellii*, qui receperunt futurum illud *exiet* (quod legitur etiam apud Tertull. adv. Iud. 13.). *R.*

illius, quem Cadmus occiderat, nova monstra in Colchide et Boeotia edita sunt. — Fabulam de *hydra Lernaea* tractat Ovid. Met. IX. 69 sqq. cf. Apollodor. II. 5. 2. Cum hydra Lernaea Romanos quoque comparat Pyrrhus apud Flor. I. 18. — *secto corpore*, hinc proverbiali locutione ὕδραν τέμνειν dicuntur, quibus ex uno, quod vicerunt, malo plura et maiora subnascuntur; vid. *Torrent.* ad h. l. — *vinci dolent.* nam, ut satis constat, Iolai demum ope victa est ista hydra ab Hercule. — *crevit*, significante brevitate et elegantia pro: fuit, cum nova ei crevissent capita. — *Monstrumve summis. Colch. m. Echion. Theb.* nec terra Colchica et Thebana e satis draconis dentibus maius monstrum emisit. Fabulam de dracone, quem Cadmus in Boeotia, postquam ille huius socios aquatum ad fontem missos necaverat, interfecisse perhibetur, suaviter enarrat Ovid. Met. III. 25 sqq. E dentibus huius serpentis, quorum partem Minerva subito e caelo allapsa Cadmum serere iusserat, viri armati, *sparti*, γηγενεῖς, vid. *Heyn.* ad Apollodor. p. 454. (quos apposite Horatius *monstra* appellat,) prognati esse, sed mox, cum hostiliter statim invicem se petiissent, mutuis vulneribus, quinque tantum superstitibus, e quibus fuit *Echion* (unde *Echioniae Thebae*), periisse traduntur. Similia monstra terra Colchica *submisisse* fertur, et quidem per Iasonem, quem donatam sibi a Minerva alteram serpentis illius a Cadmo occisi dentium partem serere iusserat Aeetes; vid. Apollon. Rhod. III. 1175. et Ovid. Met. VII. 122 sqq. — *summittere*, quod eleganter apud Lucret. I. 8. et alibi, (uti apud Graecos ἀναπέμπειν) de floribus dicitur, quos terra sensim sensimque sursum mittit, apposite ad illos viros armatos, qui non subito e terra prosiluerint, sed, ut Ovidius l. c. narrat, sensim sensimque e terra succreverint, transtulit. — *Merses profundo, pulchrior evenit*, nota imago, qua quis malis, quibus laborabat, feliciter superatis comparatur cum eo, qui e profundo mari, ad quod demersus fuerat, bona fortuna emergit; *pulchrior*, virtutis honore insignior. Horatium imitatus est Rutilius Itiner. I. 129: *Flevit successus Hannibal ipse suos. Quae mergi nequeunt, nisu maiore resurgunt Exsiliuntque imis altius icta*

Cum laude victorem geretque
  Proelia coniugibus loquenda.
Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
  Spes omnis et fortuna nostri
    Nominis Hasdrubale interemto.
Nil Claudiae non perficient manus,
Quas et benigno numine Iuppiter
  Defendit et curae sagaces
    Expediunt per acuta belli.

vadis. — *Luctere, mult. pror. integr. cum laud. vict.* finge tibi par gladiatorum, quorum alter iam paene victus alterum iam paene victorem et integris adhuc viribus, magna cum laude prosternit. — *proelia coniugibus loquenda*, h. e. caesorum maritorum coniugibus cum luctu memoranda; minus bene huc advocant Ovid. Heroid. I. 29. et *coniugibus* de uxoribus eorum accipiunt, qui, cum victores e bello domum redierint, proelia sua iis enarrent. — *superbos*, cum superbia, Romanos victos esse, referentes; eiusmodi nuntius post cladem Cannensem fuit Mago, Hamilcaris filius; vid. Liv. XXIII. 11. — *nostri nominis*, gentis nostrae. — *Nil Claud. non perf. man.* h. e. a C. Claudii Neronis gente sperare Roma potest omnia; per *manus Claudias* intelligit simul C. Claudii Neronis posteros. Itaque iam Hannibal, Nerones tales fore, qualem Drusus in bello contra Raetos se praebuerat, vaticinatus esse fingitur, quo nihil sane in Drusi laudem fingi a poeta potuit splendidius atque magnificentius. — *curae sagaces*, ingenii in capiendis consiliis sagacitas. — *per acuta belli*, per ea, quae in bello periculum intendunt; *acuta* iam omnia, quae nobis perniciosa fieri possunt, designare videntur. Sic fere pugna anceps et dubia Graecis ὀξὺς ἀγὼν dicitur. *Mitsch.* ad hanc loquendi rationem refert δι' ὀξείας δραμεῖν, ἐπὶ τῶν διακινδυνευόντων, quod proverbium est apud Zenob. Cent. III. 13. et ἐπὶ ξυροῦ εἶναι, apud Theocritum XXII. 6.

CARMEN V.

AD AUGUSTUM.

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes iam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus patrum
    Sancto concilio redi.
Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Instar veris enim voltus ubi tuus

v. 4. *consilio*, e paucis Codd. *Fea. R.*

CARMEN V.

Cum Augusti reditus post longam eius absentiam (vid. supr. argum. ad huius libri carm. secund.) cupidissime ab omnibus Romae exspectaretur, Horatius in hoc carmine pium illud, quo Augustum suum efflagitaret populus Romanus, tam molli animi affectu expressit desiderium, ut haud sciam, an ullum carmen cecinerit, quod Augusto suavius, dulcius et exoptatius accidere posset. Non enim in desiderii suavissimis imaginibus adumbrati descriptione acquievit, sed eius causas quoque honestissimas scite aperuit. Romanos enim bene sentire ait, Augustum esse, cui summam, qua nunc fruantur, felicitatem debeant, ideoque tanta erga illum pietate impletos esse, ut eum tanquam deum tutelarem divino honore prosequantur et in eius incolumitate felicitatis suae incolumitatem ponant. — Est autem hoc carmen ita comparatum, ut neminem facile reperias, qui mollissimis eius sententiis et numeris, placidi rivi instar dulcissimo sono decurrentibus, sensu non perfundatur atque deleniatur suavissimo!

v. 1—4. *Divis orte bonis*, o tu, qui propitiis diis natus es, quem deorum benevolentia nobis principem dedit; ut supr. IV. 2. 37: *Quo nihil maius meliusve terris Fata donavere b o n i q u e d i v i.* — *custos*, deus tutelaris, ut supr. I. 28. 29. Neptunus: *custos Tarenti.* — *Romulae*, pro: Romuleae, ut infra Carm. Secul. 47. et Virg. Aen. VI. 877. — *iam nimium diu*, Augustus enim cum Sygambris debellatis rebus quoque in Hispania et Gallia componendis operam daret, tres ferme integros annos iam Roma abfuit; vid. supr. argum. ad IV. 2. — *pollicit. Patr. sanct. conc.* in Senatu igitur, antequam ab urbe proficisceretur, convocato spem maturioris reditus fecisse videtur; *sancto* refer ad venerabilem senatorum dignitatem. — *redi*, in una hac voce cardo quasi totius huius carminis vertitur.

v. 5—8. *Lucem redde tuae patriae*, h. e. civium tuorum de absentia tua tristitiam reditus tuus, velut sol tenebras, dispellat, pro vulgari: veni et cives tuos de absentia tua tristes exhilara; — *lucis* imagine de statu tristi in laetiorem mutato nihil frequentius. — *Instar ver. en. volt. ub. tu. affuls.* nam ubi vultus tui splendor, qui veris instar serenat omnia, conspicitur, cett. —

Affulsit populo, gratior it dies
Et soles melius nitent.
Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,
Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore dimovet;
Sic desideriis icta fidelibus
Quaerit patria Caesarem.

v. 7. Non recte a multis (etiam *Doer.*) distinguitur: *Affulsit*, *populo gratior it dies.* — v. 12. *detinet*, Codd. aliquot et multae veteres editiones. In nonnullis Codd. genuina lectio *distinet* mutata est in *destinet* vel *destinat.* — v. 14. *demovet*, ex paucis Codd. *Lambinus* aliique multi (inter quos *Doer.*). Praestat tamen quod plerique Codd. tuentur et recentiores fere omnes receperunt editores: *dimovet.* *R.*

veris imaginem referre dicuntur, qui omnia, ubi apparent, exhilarant atque serena reddunt; Theocrit. VIII. 41: *παντᾶ ἔαρ*, — *Ἔνθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται.* cf. *Mitsch.* ad h. l. et *Iacobs. Animadv.* ad Anth. Gr. Vol. I. p. 310. Augusti igitur vultus talem fere iam splendorem prae se ferre dicitur, quali dii praesentiam suam manifestare finguntur; cf. Hom. Hymn. in Cer. v. 277 sqq. — *soles melius* (h. e. pulchrius) *nitent*; in hanc sententiam *Boettig.* comparat Aeschyl. Pers. 298.

v. 9—16. *Ut mater iuvenem* cett. en imaginem dulcissimam! Romani Augusti reditum eodem desiderio et eadem animi sollicitudine exspectant, qua pia mater filii sui, iam anno longius in itinere maritimo morantis, exspectare solet. In eadem adumbranda imagine operam posuit Oppian. Hal. IV. 335 sqq. quem tirones cum Horatio comparent. — *Notus*, adversus enim ille flat nautis e Bithynia per mare Carpathium in Italiam redeuntibus; quamvis alias *Notus* pro quovis vento procelloso ponitur; — *invido*, matri filii reditum invidente, adverso; sic res, quae votis aliorum obstant, passim *invidae* dicuntur, ut *paries invidus* apud Ovid. Metam. IV. 73. *invida vestis* apud eundem Amor. III. 2. 27. — *dulci domo*, ex longo itinere enim redeunti nihil domo sua dulcius; hinc Catull. XXXI. 7 sqq.: *O quid solutis est beatius curis! Cum mens onus reponit ac peregrino Labore fessi venimus Larem ad nostrum Desideratoque acquiescimus lecto.* — *votis*, quae mater pro filii reditu nuncupat et suscipit. — *ominibus*, verbis bene ominatis. *icta*, ad vehementiorem desiderii affectum designandum. De locutione, qua quis graviore quodam animi affectu, *dolore*, *malis*, *furore* cett. *ictus* dicitur, vid. *N. Heins.* ad Ovid. Trist. II. 818. et *Burm. Sec.* ad Anthol. Lat. T. II. p. 66. — *fidelibus*, retulit hoc epitheton poeta ad *desideriis*, quod ex vulgari ratione ad *patria* referendum erat. — *quaerit*, adesse cupit, reddi sibi optat, cf. supr. III. 24. 32.

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
Culpari metuit Fides,
Nullis polluitur casta domus stupris,

v. 17. 18. Ne verbum *rura* bis positum in duobus his versibus legeretur, versu priore T. Faber coni. *prata*, Both. *tuta*; posteriore Bentl. *farra*, Cuningh. et Wakef. *culta*, Wadius denique *arva.* Sed consulto Horatius verbum illud repetiit; utroque enim versu laudantur commoda *ruri* parta, altero securitas, altero fertilitas, atque huic *ruris* felicitati adiiciuntur in sequentibus *maris* securitas, *domorum* castitas etc. Utroque igitur versu omnis vis sententiae in v. *rura* posita est, quasi dixerit poeta: *Rura* tuta et secura sunt, *rura* Cereris beneficio largas messes praebent. *R.*

v. 17—24. *Tut. bos etenim* cett. Nexus et sententia: nec mirum patriam tanto tui teneri desiderio; nam sub tuo imperio rediit in illam securitas, fertilitas, faustitas, opulentia, fides, castitas, coniugiorum sanctitas et legum auctoritas. — In eandem fere de Romanorum sub Augusti imperio felicitate sententiam iam ab aliis laudatus Vellei. II. 89: *Nihil deinde optare a diis homines, nihil dii hominibus praestare possunt, — quod non Augustus — populo Romano repraesentaverit. Finita bella civilia, sepulta externa, revocata pax, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas; — rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio; leges emendatae utiliter, latae salubriter* cett. — *Tutus bos rura peramb.* pacis, quae per Augustum nobis contigit, beneficio secure in pascuis boves circumvagantur, h. e. non amplius expositi sumus hostium incursionibus; parta nobis per Augustum est securitas; cf. Theocr. XVI. 90 sqq. Minus bene alii de bove arationis opus perficiente cogitant; prior enim explicatio felicitati temporum *in priscum aurum* fere sub Augusto *redeuntium* magis convenit. — *nutrit*, sc. per fecundas pluvias, secundam aëris temperiem, cett. Sil. XII. 375: *arva — Cereris nutrita favore.* *Faustitas*, infra Carm. Sec. v. 59: *beata pleno Copia cornu.* — *pacat. volit. per mar. navit.* non amplius, ut olim, mare infestant piratae, viget nunc mercatura; *volitant*, non cum *Mitsch.* ad lasciviam et audaciam nautarum trahendum, sed ad cursus, quem illi nunc tuti ab omnibus insidiis in mari facere possunt, celeritatem; hinc naves quoque celeriter currentes *volare* (ut Graecis *πετᾶσθαι*) dicuntur; Virgil. Aen. III. 124. Catull. IV. 5. de Phaselo: *sive palmulis Opus foret volare sive linteo*, ubi vide, quae notavimus. — *pacatum per mare*, hinc Augusto sinum Puteolanum praetervecto nautae, ut tradit Sueton. Aug. 98., *per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui*, acclamasse dicuntur. — *culpari metuit*, h. e. non culpatur, de quo elegante verbi *metuere* usu vid. supr. ad II. 2. 7. — *Fides*, cf. infr. Carm. Sec. v. 57. — *Null. poll. cast. dom. stupr.* Romani enim, in quorum corruptos mores Hor. supr. III. 6. graviter

Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperae,
Culpam poena premit comes.
Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis Germania quos horrida parturit
Fetus incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Hiberiae?
Condit quisque diem collibus in suis,

invehitur, libidinis licentia et adulteriis *inquinaverant* huc usque, ut ibi v. 18. ait, *et genus et domos.* Itaque Augustus, *cum hoc fonte*, ut Hor. ibi addit, *derivata clades in patriam populumque fluxerit*, pristinum virtutis Romanae honorem revocasse dicitur eo, quod per *morem* (veterem disciplinam) et *legem* (legem Iuliam de adulteriis) *maculorum nefas* (foeda, quibus coniugiorum contaminabatur sanctitas, adulteria) *edomuit* (exstirpare studuit). Similiter Horatius de Augusto infr. Epist. II. 1. ab initio: *Cum tot sustineas et tanta negotia solus, Res Italas armis tuteris, moribus ornes, Legibus emendes* cett. — *Laudant. simil. prol. puerp.* matres pariunt liberos patri suo similes; prolis enim cum patre similitudo matris castitatem probare putabatur; vid. Interprett. ad h. l. et quos laudavimus ad Catull. LXI. 221. — *Culp. poen. prem. com.* qui in flagitio deprehenduntur, ab iis statim poena in legibus constituta expetitur.

v. 25 — 28. *Quis Parth. pav.?* cett. Parthis, Scythis, Germanis, Cantabris ab Augusto perdomitis nulla amplius foras nobis timenda sunt pericula, h. e. pace, otio et securitate per Augustum fruimur. — *Quis Parth. paveat?* de victis ab Augusto Parthis vid. supr. III. 3. hinc infr. Carm. Sec. v. 53: *Iam mari terraque manus potentes Medus Albanaque timet secures.* — *quis gelid. Scythen?* cf. supr. III. 8. 23. ubi: *Iam Scythae laxo meditantur arcu Cedere campis:* et Carm. Sec. v. 55: *Iam Scythae responsa petunt.* — *Quis Germ. quos horrid. partur. fet.* pro vulgari: quis paveat horridos Germanos? De victis per Drusum Germanis vid. carm. anteced. — *Germania*, (ut supr. II. 6. 3: *Syrtes barbarae*) ab eius incolarum natura et externo corporum habitu dicitur *horrida*; Tacit. M. Germ. IV: *Habitus corporum — idem omnibus; truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora;* hinc infr. Epod. XVI. 7: *Nec fera caerulea domuit Germania pube.* Qui *horrida* ad ipsam terrarum in Germania naturam referunt, laudant Tacit. Mor. Germ. c. II: *informem terris, asperam caelo, tristem cultu adspectuque.* c. V. *silvis horridam, paludibus foedam.* — *quos parturit fetus*, contemtim pro iis, qui ibi nascuntur, quasi horum quoque prodigiosae formae hominum terra mater sit. — *bellum Hiberiae*, h. e. bellum Cantabricum; vid. supr. ad II. 6. 2.

v. 29—36. *Condit diem*, pro vulgari: finit vel exigit diem; similiter Menalcas apud Virg. Eclog. IX. 52. *soles cantando condidisse*, h. e. exe-

Et vitem viduas ducit ad arbores;
Hinc ad vina redit laetus et alteris
Te mensis adhibet deum;
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.
Longas o utinam, dux bone, ferias

v. 31. *venit*, e Codd. aliquot *Bentl.*, *Cun.*, *San.* — v. 34. *diffuso*, e Codd. *Fea*, *Iahn*, *Mein.* Recte contra *Orellius:* „In multis Codd. substitutum est notius verbum *diffuso*, quod est *ex dolio s. cupa vinum in amphoras vel lagenas transfundere.*“ — v. 37. *rex bone*, Codd. aliqu. *R.*

gisse, dicitur; laudant quoque de hac loquendi ratione exemplum Callimachi Epigr. II. 3: *Ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν.* Scilicet *diem condit*, qui eum condi et occidere videt; nam proprie dies conditur vel sol, qui, dum *in undas se condit*, (ut Virgil. Georg. I. 437. loquitur,) diem simul inductis tenebris condit; uti fere apud Virg. Aen. I. 374. *Vesper diem componere*, h. e. absolvere diem et finem ei imponere dicitur. — *vitem ducit ad arbores*, h. e. vitem arboris trunco applicat et annectit; — *viduas*, ut supr. II. 15. 4: *platanus caelebs:* hinc vitis arbores, nominatim *ulmos*, (Columell. V. 6.) et *populos*, (infr. Epod. II. 10.) quibus adiungi praecipue solebant vites, *maritare*, dicitur. — *ad vina*, ad compotationem. — *et alt. te mens. adhib. deum; Te mult.* cett. Sententia: et tibi, ut deo tutelari, cultum divinum praestat, dum inter precandum vina tibi libat, et sicut Graeci Dioscuros et Herculem, ita te patriis suis numinibus accenset. — Scilicet Romani Augustum, cui, ut tradit Dio LI. 19. iam U. C. DCCXXIV. a Senatu tam publicae quam privatae libationes decretae fuerant, ad exemplum Graecorum, (qui vel bono Genio vel Iovi Salutifero, *Διῒ Σωτῆρι*, vid. *Boettig.* ad h. l. et *Iacobs.* ad Anthol. Vol. I. p. 314. vel Herculi, vel aliis diis tutelaribus, pocula post coenam miscere solebant), mensa secunda pariter ut deum tutelarem, dum *merum inter preces pateris defundebant*, divino honore prosequebantur. — *mensis adhibere deum*, ut apud Virgil. Aen. V. 62: *Penates epulis adhibere.* — *Te multa prece*, apposite in hanc ipsam rem Ovid. Fast. II. 635 sqq.: *Iamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos, Larga precaturi sumite vina manu Et, bene nos, patriae, bene te, pater, optime Caesar, Dicite suffuso per sacra verba mero.* — *mer. defus. pater.* similiter supr. I. 31. 2. *liquorem de patera fundere*, de libatione dicitur. *Laribus*, iam pro: Penatibus, diis patriis. — *uti Graecia* cett. uti Graecia Dioscuros et Herculem in virtutum, quas illi designarunt, memoriam inter deos suos patrios refert. —

v. 37 — 40. *Longas o utinam, d. b., fer. praestes Hesp.* cett. utinam diu Romanis hac vitae securitate atque tranquillitate sub faustis tui imperii, Auguste, auspiciis frui

Praestes Hesperiae: dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano subest.

CARMEN VI.

AD APOLLINEM.

Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae Tityosque raptor

liceat! hae sunt preces, quas mane et vespere fundimus. — *integro mane die*, mane enim dies adhuc est *integer* et solidus. — *sicci*, adhuc sobrii, cum nondum ora vino proluimus; infr. Sat. II. 3. 281: *Libertinus erat, qui circum compita siccus Lautis mane senex manibus currebat* cett. — *uvidi*, vino madidi, *βεβρεγμένοι*. — *Cum Sol Oc. sub.* nocturnis compotationibus.

CARMEN VI.

Carmini Seculari, quod ludis secularibus instantibus Augusti auctoritate canere iussus fuerat Horatius, suaviter hoc carmine praeludit. Ostensurus enim, se canendo illi gravioris argumenti carmini imparem plane esse, nisi divino Apollinis agitetur numine, hoc hymno praemisso dei illius favorem sibi conciliare studet. Ad hymnorum igitur morem et indolem versatur in celebrandis Apollinis laudibus, ab ea praecipue potentia, cui Achilles, Graecorum fortissimus, succumbere debuerit, petitis; ita quidem, ut ab hac ipsa Phoebi potentia fundati imperii Romani causam atque hanc ipsam, qua nunc Romanis ludos seculares celebrare liceat, fortunam repetat. Nisi enim Achilles, vult dicere, Apollinis sagittis confossus fuisset, totam ille gentem Troianam exstirpaturus nec Aeneas, qui novum imperium in Italia conderet, superstes futurus fuisset. His dei laudibus et de gente Romana meritis opportune ad eius benevolentiam captandam expositis precibusque, ut ille dexter atque propitius sibi Carmen Seculare cantaturo adspirare velit, adiectis ecce! poeta iam quati sua pectora divino numine sentit, ad canendum se parat, lyram capit et *χοροῦ διδασκάλου* persona indutus puerorum puellarumque adstantium chorum diligenter ad Sapphici carminis modos, tam voce quam gestu scite exprimendos, animum advertere iubet.

v. 1—8. *quem prol. Niob. magn. vind. ling. sens.* — Niobe, Tantali filia et Amphionis coniux, cum se ut sex filiorum et totidem filiarum matrem paulo insolentius de prolis suae numero et pulchritudine iactasset, imo Latonam, geminorum tantum matrem, prae se contemsisset; huius magniloquentiae (*magnae linguae*) Apollo ultor extitisse et *prolem Niobeam* sagittis suis confixisse traditur; — res vel ex Homero Iliad. XXIV. 602. Ovid. Met. VI. 146 sqq. satis nota. — *Tityos raptor*, sc. pudicitiae, quam Latonae eripere tentaverat; vid. supr. ad II. 14. 9. —

Sensit et Troiae prope victor altae
Phthius Achilles,
Ceteris maior, tibi miles impar,
Filius quamvis Thetidis marinae
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non inclusus equo Minervae

v. 6. *quamvis Thetidis*, Codd. fere omnes et pleraeque editiones; *quamquam Thetidos*, praeter alios *Iani*, *Fea*, *Mitsch.*, *Doer.* Cf. quae *Iahnius* ad h. l. annotavit. — v. 11. *in* deest in nonnullis Codd. *R.*

sensit, significantius pro vulgari: expertus est; vid. supr. ad II. 7. 10. — *Troiae prop. vict. alt. Phthi. Achill.* sc. sensit te ut divum, fortissimum quemque sagittis suis domare valentem. Achilles enim, uti Hector apud Hom. Iliad. XXII. 359. praedixerat, Phoebi sagittis interemtus esse dicitur, sive Phoebus ipse sagittas iecerit, vid. Quint. Smyrn. Paralip. III. 61 sqq. sive, ut alii volunt, tela Paridis direxerit; vid. *Interprett.* ad Hygin. Fab. 107. — *Phthius*, Myrmidones enim, quos in bellum Troianum duxit Achilles, *Phthiotidis*, regionis in Thessalia, incolae fuere. — *ceteris maior*, caeteris quidem Graecis fortior, *ἄριστος Ἀχαιῶν* (Il. I. 412). — *Filius quamvis Thet.* cett. quamquam ut deae filius insigni corporis sui robore et animi fortitudine vel maxime Troiae muris ruinam minaretur. — *turres*, murorum scilicet, pinnas et propugnacula, *πύργους, στεφάνας, κρόσσας*. — *turr. quater. cuspid.* turres cuspide quatere dicitur, qui tam graviter hastae ictu eas impellit, ut de sede sua moveri incipiant; cogita, agi de temporibus heroicis, ubi non machinis et operibus muri oppugnabantur, sed hastarum ictibus, magnorum lapidum iactu et manibus adeo convellebantur. — *tremenda*, Homer. Il. XIX. 388. Achilli tribuit *ἔγχος Βριθὺ, μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν Πάλλειν.*

v. 9—12. Sequens comparatio, qua Achilles in pugna cadens celsae cuiusdam arboris casui aequiparatur, ab Homero inde saepe a poetis frequentata est; exempla collegit *Cerda* ad Virgil. Aen. V. 448. Respondet autem haec comparatio vastae illi corporis moli, quam heroibus suis affinxit prisca antiquitas. — *mordaci ferro*, intellige securim, quae paulo audacius ab eius effectu iam dicitur *mordax*, quasi vulnera per aciem suam arboribus infligat. — *procidit late*, expressisse videtur Hom. Odyss. XXIV. 39. ubi Agamemnon ad Achillis animam: *σὺ δ' ἐν στροφάλιγγι κονίης Κεῖσο μέγας μεγαλωστί.* — *posuitque coll. in pulvere*, pro tenui: procubuit; Homericum: *κάππεσεν ἐν κονίῃσι.*

v. 13—24. *Ille non* cett. Sententia: Achilles, nisi eum Iuppiter tuis

Sacra mentito male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
Falleret aulam;
Sed palam captis gravis, heu nefas heu,
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo,
Ni tuis victus Venerisque gratae
Vocibus divom pater annuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutae fidicen Thaliae,

v. 17. Pro vulgata lectione *captis* nonnulli praebent Codd. *captos*, alii *victor*, unus *raptor;* aliquot denique vocem omittunt. Hinc verbum, quo Horatius usus sit, excidisse cum *Bentl.* colligit *Orellius.* — v. 19. *latentes*, e Codd. nonnullis *Lamb.* et *Cruq.* Contra vide *Bentl.* — v. 21. *flexus*, e Cod. Bland. recepit *Bentl.;* sed procul dubio est glossema. — v. 25. *argutae*, Codd. plerique et permultae tam veteres quam recentiores editiones. Alteram, quam nonnulli praebent Codd., lectionem *Argivae* praeferendam duxerunt *Iani*, *Fea*, *Mitsch.*, *Vanderb.*, *Iahn*, *Doer.* Sed multo verisimilius est, librarios exquisitiori epitheto *argutae* substituisse vulgarius *Argivae*, quam contra. *R.*

et Veneris precibus gratificatus occidendum, Aeneam vero ad novos muros melioribus auspiciis exstruendos servandum esse constituisset, neutiquam, ut deinde factum est, per dolum et fraudem, sed aperte Troiam expugnaturus et totam gentem Troianam radicitus exstirpaturus fuisset. — *inclus. equ. Minerv. sacr. mentit.* De equo illo ligneo, quem viris armatis gravidum Graeci, cum reditum in patriam simulassent, dolose tanquam donum vel *ἀνάθημα* Minervae reliquisse dicuntur, nota sunt omnia ex Virg. Aen. II. cf. Quint. Cal. XII. 66 sqq. — *male feriatos*, stulte et inauspicato dies festos de Graecorum discessu celebrantes; cf. Virg. Aen. II. 248 sqq. — *falleret* — *ureret* pro: fefellisset, ussisset; ut supr. III. 14. 27. *ferrem* pro: tulissem; ut saepe alibi. Pro *captis Buttmannus* in Miscell. Vol. II. l. I. p. 45. tentat: *captor;* sed cum sensus nostrae lectionis eodem redeat, equidem vocem idonea auctoritate destitutam Horatio obtrudere nolim. — *gravis*, atrox, timendus, *βαρύς*. — *nescios fari pueros*, infantes, *τέκνα νήπια*. — *etiam lat. matr. in alv.* eiusmodi minas iacit Agamemnon apud Hom. Il. VI. 57: *τῶν μήτις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον, Χεῖράς θ' ἡμετέρας· μηδ' ὅντινα γαστέρι μήτηρ Κοῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὃς φύγοι.* — *gratae*, amabilis, dulcis. — *rebus Aeneae*, pro simplice: Aeneae; vox *res*, ubi singulorum hominum periphrasi inservit, notionem sortis et status, in quo vel sunt vel qui eos manet, simul complectitur. — *potior. duct. alit. muros*, urbem melioribus auspiciis exstruendam; *muros ducere*, ut apud Virg. Aen. I. 423. pro: exstruere, educere.

v. 25—28. Iam ipsas preces, quas ad Apollinem in hoc carmine facturus est poeta, subiicit. Iterum igitur Apollinem appellat, sed nunc magis in rem suam ut talem, qualem iam experiri volebat, h. e. ut poetarum patronum et Musarum praesidem. — [*Doctor argutae Thaliae*, h. e. canorae (*λιγείας*) Musae, artis lyricae magister, *διδάσκαλος*]. — *qui Xantho lav. amn. crines*, qui sedem tuam habes in Lycia et ibi in fluvio Xantho crines lavare soles. Designatur *Apollo Patareus*, de quo vid. supr. ad III. 4. 64. ubi paulo ante v. 61. pariter de Apolline: *Qui rore puro Castaliae lavit Crines solutos.* — *Daun. defend. dec. Camenae*, fac, ut ego in Carmine Seculari canendo lyrici poetae gloriam et honorem inter Romanos quoque tuear. — *Daunia Camena* de Horatii carminibus lyricis, quae primus ille inter Romanos ad exemplum Graecorum cecinit. — *Lēvis*, imberbis, ad aeternam Phoebi iuventam designandam. Callimach. Hymn. Apoll. v. 36. 37: *Καί κεν ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος οὔ ποτε Φοίβου Θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.* — *Agyieu*, sic appellabatur Apollo a cultu, quem Athenienses ei, ut deo patrio, sacellis per vias, *ἀγυιάς*, et ante aedium fores positis praestabant; vide quem *Boettigerus* laudavit, *Stanleium* ad Aeschyl. Agam. 1090. Cumulat autem poeta Apollinis cognomina, ut fieri in hymnis solet.

v. 29—40. *Spiritum Phoebus mihi* cett. sequentia poeta iam preces suas a deo exauditas esse sentiens pronuntiat; vid. argum. — *spiritum*, canendi facultatem et impetum; *artem carminis*, carminis ad lyrae modos concinnandi scientiam et rationem. — *Virg. prim. puerique* cett. ad chorum puellarum puerorumque se convertit, quos, ut modos carminis, ad quod publice in ludis secularibus decantandum e nobilissimis gentibus electi fuerant, se praecinentem audiant, iam praesto adesse fingit: *χοροῦ διδασκάλου* igitur nunc partes agit et, quae choro praecipue observanda sint, praecipit. — *Deliae tutela deae*, vos, qui estis pueri puellaeque, quos Diana Sospita tutela sua fovet atque custodit. — *cohibentis*, facientis, ne amplius fugiant, h. e. figentis et prosternentis. Eodem plane modo apud Livium I. 4. *feras subsistere*, h. e. facere, ut subsistant, pro: figere dicitur. — *Lesbium servate pedem*, ad carminis Sapphici numeros bene

Phoebe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis nomenque dedit poetae.
Virginum primae puerique claris
Patribus orti,
Deliae tutela deae fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum,

Rite Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta iam dices: ego dis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen docilis modorum
Vatis Horati.

CARMEN VII.

AD TORQUATUM.

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
Arboribusque comae;

exprimendos attendite; est enim Carmen Seculare Sapphicis numeris compositum; *meique pollicis ictum*, et ad modos, quos ego vobis ad lyram pollice meo pulsatam praeeo. — *Rit. Laton. puer. can. Rite crescent. fac. Noctiluc.* in Apollinis enim et Dianae laudibus versatur maxime Carminis Secularis argumentum. — *crescentem face*, h. e. lumine; hinc *Diana Lucifera* facem in manu tenens exhibetur in vett. Monumentt. — *Noctilucam*, hoc proprium *Dianae Palatinae* cognomen fuisse videtur; laudant in hanc rem Varron. L. L. V. 68: *Luna — dicta Noctiluca in Palatio; nam ibi noctu lucet templum.* Graecis quoque *Luna* sive *Diana Lucifera* dicitur: *Νυκτιφαής, Νυκτιλαμπής.* — *prosperam frugum*, quod attinet ad fruges, h. e. agros frugum fertilitate prosperantem, *φερέκαρπον.* Catull. XXXIV. 19. de Diana: *Rustica agricolae bonis Tecta frugibus exples.* — *Celeremque pron. volv. mens.* Graece, pro: celerem in volvendis mensibus; ut supr. I. 16. 18: *et celerem sequi Aiacem*, III. 12. 12: *celer excipere aprum.* — *pronos*, prono s. praecipite cursu labentes.

v. 41—44. *Nupta iam dices* cett. Quod addit Horatius, puellas, si quando coniuges et matres futurae sint, de honore illo, quo olim in ludis secularibus carmen Horatianum publice decantaverint, iucundissima animi recordatione narraturas esse, id iisdem, ut partes suas nunc bene explerent, haud exiguum incitamentum esse debuit. — *reddidi carmen*, apposite pro: decantavi; *χοροῦ διδάσκαλος* enim choro carmen, dum illud docet, *tradit*, chorus autem carmen, dum illud canit, *reddit.*

CARMEN VII.

Est hoc carmen carmini quarto libri primi simillimum. In utroque enim carmine poeta amicos suos, in hoc quidem *Torquatum*, in illo *Sestium*, dum veris reditum iis ante oculos ponit, ad vitae brevitatem et moriendi necessitatem animum advertere et hinc sapienter, dum li-

Mutat terra vices, et decrescentia ripas
Flumina praetereunt;
Gratia cum Nymphis geminisque Sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus et almum
Quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris; ver proterit aestas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
Bruma recurrit iners.

v. 12. *recurret*, e Codd. nonnullis *Lamb. R.*

ceat, vitae bonis et iucunditate perfrui iubet. — Per *Torquatum* sine dubio intelligendus est idem, ad quem infra Epistola quinta libri primi scripta est, *L. Manlius Torquatus*, consulis, sub quo Horatius natus est, nepos. [Quamquam nuper *Weichertus* (de Cassio Parm. p. 300 — 319) *C. Nonium Asprenatem*, cognomine *Torquatum*, intelligendum esse demonstrare studuit. Cf. Suet. Aug. c. 43. *R.*]. Caeterum in sententiam huius carminis vid. supr. argum. ad II. 9 et 14. cf. quoque de veris descriptione infra carmen duodecimum.

v. 1 — 6. *mutat terra vices*, pro vulgari: terra mutatur anni vicissitudine, h. e. terra, dum ver pro anni vicissitudine redit, formam hiemalem cum verna mutat. Supr. Carm. I. 4. 1: *Solvitur acris hiems grata vice veris.* — *decrescent. rip. flumina praetereunt*, flumina, quae nivibus liquefactis in tantam altitudinem excreverant, ut supra ripas effunderentur, iam decrèscunt et intra iustas, ut ante, ripas fluunt. Flumen intra alveum suum se continens *ripas praeterire*, pro: ripas praeterlabi, vel inter utramque ripam quiete labi, dicitur. — *Gratia cum Nymphis* cett. supr. c. I. v. 6: *Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes Alterno terram quatiunt pede.* — *nuda*, supr. III. 19. 17: *Gratia nudis iuncta sororibus*, ubi vid. not.

v. 7 — 12. *Immortal. ne speres, mon. ann.* cett. Sententia: annus et singulae quaeque horae celeriter diem auferentes de celeri vitae cursu atque de morte tua te ita monere debent, ut prudenter fruaris, quibus nunc tibi frui licet. — *Immortal. ne sper.*, Simonid. Fr. 60. Schneidew.: *Θνητῶν δ' ὄφρα τὶς ἄνθος ἔχῃ πολυήρατον ἥβης, κοῦφον ἔχων θυμὸν πόλλ' ἀτέλεστα νοεῖ. Οὔτε γὰρ ἐλπίδ' ἔχει γηρασέμεν οὔτε θανεῖσθαι.* — *Frigora mitesc. Zephyr.* cett. quatuor anni vicissitudines celeriter invicem se excipiunt; annus celeriter circumagitur, pro tenui: vitae nostrae cursus est celerrimus; expendant tirones verborum ornatum. — *proterit*, trudit, pellit; *proterere aliquem*, significanter dicitur is, cui cedere omnino alter debet. — *Interitura, simul* cett. quae ipsa quoque e terris statim excessura est, simulac autumnus *fruges effuderit*, vel, ut infr. Epod. II. 17. dicitur: *decorum mitibus pomis caput arvis extulerit*, pro vulgari: venerit, redierit; *effuderit*, sc.

Damna tamen celeres reparant caelestia lunae;
  Nos, ubi decidimus,
Quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
  Pulvis et umbra sumus.
Quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae
  Tempora di superi?

v. 15. *pater Aeneas*, e Codd. *Bentl.*, *Iahn*, *Mein.*, *Or.* Recte, opinor, quamquam plerique libri tuentur vulgatam: *pius Aeneas.* — In eodem versu multi praetulerunt alteram Codd. lectionem: *Tullus dives et Ancus*, etiam *Bentl.*, qui distinxit: *Tullus, dives et A.* (quamvis idem legendum esse suspicetur: *pauper et Ancus*, coll. Claud. de Bell. Gildon. 110.) — v. 17. *vitae*, Codd. non pauci e gloss. *R.*

e cornu pleno, quod autumno pariter ac Copiae supr. I. 17. 16. et infr. Carm. Sec. v. 60. tribuitur. — *bruma iners*, ubi et terra quiescit et opus rusticum friget. Ovid. Pont. I. 2. 26: *Et quod iners hiemi continuatur hiems:* hinc *χεῖμα δύςεργον* apud Bion. VI. 5. In sententiam huius loci *Boettig.* laudat Senec. Epist. 24. sub fin.: *In orbem nexa sunt universa. Fugiunt ac sequuntur. — Aestas in autumnum desinit. Autumno hiems instat, quae vere compescitur. Omnia transeunt et revertuntur.*

v. 13—16. *Damna tamen celeres* cett. anni quidem tempora, quae nunc interire videmus, exactis certis mensibus redeunt; at nos, ubi semel ad Orcum descendimus, nunquam in vitam restituimur. Simillime Catull. V. 5: *Soles occidere et redire possunt; Nobis, cum semel occidit brevis lux, Nox est perpetua una dormienda.* — *lunae reparant*, celer mensium decursus restituit *damna caelestia*, anni tempora, quae secundum siderum in *caelo* cursum decesserant. — *ubi decidimus*, *quo* cett. ubi semel delati sumus eo, quo cett. pro vulgari: ubi semel mortui sumus. — *pater Aeneas*, *div. Tull. et Anc.* infr. Epist. I. 6. 27: *Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus;* scilicet ut ostendat, nullum omnino a fatali moriendi necessitate liberum esse, nomina quaedam apud Romanos celebratissima ponit; uti fere supr. I. 28. 7. *Archytas* [Hor.] in hanc rem *Tantalum*, *Tithonum*, *Minoa* et *Pythagoram* laudat. — *Tullus* et *Ancus* dicuntur *divites*, ut reges, quorum felicitas in divitiarum possessione simul poni solet. Obversatus autem Horatio est Lucretius III. 1038: *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit, Qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus: Inde alii multi reges rerumque potentes Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.* — *Pulvis et umbra sumus*, notissimum est illud Anacreontis (IV. 9.) *ὀλίγη κόνις κεισόμεσθα.* Soph. Electr. 1137: *ἀντὶ φιλτάτης Μορφῆς σποδόν τε καὶ σκιὰν ἀνωφελῆ.* Ovid. Met. VIII. 496: *Vos cinis exiguus gelidaeque iacebitis umbrae.*

v. 17 — 20. *crastina tempora*, diem crastinum; *hodiernae summae*, dierum, quos hodie exegimus, numero; *vitae summa brevis* supr. I. 4. 15. Anacr. XV. 9 sqq.: *Τὸ σήμερον μέλει μοι, Τὸ δ' αὔριον τίς οἶδεν;* *Mitsch.* in hanc sententiam

Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
  Quae dederis animo.
Cum semel occideris et de te splendida Minos
  Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
  Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
  Liberat Hippolytum,

v. 19. *avidi*, susp. *Bentl.* *R.*

laudat Pallad. XXIX. 1. Anthol. Graec. T. III. p. 121. Theocrit. XVI. 24. Callimach. Ep. XV. 1. — *Cunct. man. avid. fug. hered.*, *amico qu. ded. animo.* Hodie igitur vita tua fruere, heredi enim tolles ea omnia, in quibus percipiendis ipse animo tuo morem gesseris; cf. supr. II. 3. 20. II. 14. 25. *animo aliquid dare* (*ψυχῇ τι δοῦναι*, *χαρίζεσθαι*) in rei cuiusdam fructu sibi indulgere, destinare sibi aliquid percipiendum; *amico*, Graece, *φίλῳ*, pro vulgari: tuo. In sententiam totius loci facit inprimis Epigramma Incerti LXXXI. in Anth. Graec. T. IV. p. 134. quod totum in tironum gratiam apponere iuvat: *Πῖνε καὶ εὐφραίνου. τί γὰρ αὔριον ἢ τί τὸ μέλλον; οὐδεὶς γινώσκει. μὴ τρέχε, μὴ κοπία. ὡς δύνασαι, χάρισαι, μετάδος, φάγε, θνητὰ λογίζου. τὸ ζῆν τοῦ μὴ ζῆν οὐδὲν ὅλως ἀπέχει. πᾶς ὁ βίος τοιόςδε, ῥοπὴ μόνον. ἂν προλάβῃς, σοῦ· ἂν δὲ θάνῃς, ἑτέρου πάντα, σὺ δ' οὐδὲν ἔχεις.*

v. 21 — 28. *Cum semel occideris* cett. Te semel mortuum nihil omnino, ne divina quidem numinis cuiusdam potentia, in vitam revocare potest. — *et de te splendida Min. fec. arbitr.* et Minos in splendido iudicum consessu et tribunali suo ius de te dixerit; *arbitria facere*, pro: sententiam in iudicio pronunciare; *splendida* refer ad externum splendorem, quo Minos in tribunali suo sedens iudicium habere fingitur; uti apud Propert. IV. 11. 19 sqq. cf. Virgil. Aen. VI. 432. Hom. Odyss. XI. 568. — *genus*, hinc Hor. supr. II. 3. 21: *Divesne prisco natus ab Inacho, Nil interest.* cf. II. 14. 11. et II. 18. 34. Repetebat enim *Torquatus* originem suam a *Manlio Torquato*, viro in historia Romana celebratissimo; vid. Liv. VII. 10. — *pietas*, *Non*, ut supr. Hor. II. 14. 5. dicit: *si trecenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris.* — *Infern. neq. en. tenebr. Dian. pudic. Lib. Hippolyt.* nam ne ipsa Diana quidem pudicum Hippolytum in vitam revocare potuit. De *Hippolyto*, Thesei, Atheniensium regis, filio, frustra a noverca Phaedra ad incestum amorem pellecto, vid. Hygin. Fab. XLVII. et ibi Interprett. Devotus Hippolytus a patre, apud quem falso a Phaedra intentati stupri insimulatus fuerat, cum ad litus maris currum ageret, equis subito marini monstri incursu consternatis raptatus ac discerptus esse dicitur. Sequitur autem Horatius vetustiorem narrationem eorum, qui Dianam dilecti sibi pueri mortem luxisse quidem, sed neutiquam, quod recentiorum commentum est,

Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

CARMEN VIII.

AD CENSORINUM.

Donarem pateras grataque commodus,

v. 1. *commodis*, Codd. non pauci. *R.*

ex inferis eum reduxisse, vel ab Aesculapio resuscitatum sub Virbii nomine in nemore Aricino abscondidisse tradunt. — *pudicum*, hinc apud Propert. IV. 5. 5. de lena aliqua: *Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem.* — *Nec Lethae. val. Thes.* cett. Nec Theseus amicum suum Pirithoum a vinculis, quibus a Plutone saxis alligatus in Orco cohibetur, liberare valet. De *Pirithoo* cf. supr. ad III. 4. 80. Vulgo quidem Theseus una cum Pirithoo, quocum ad Proserpinam rapiendam descenderit in Orcum, a Plutone ibi retentus esse traditur; sed fuerunt quoque haud dubie, quos Hor. secutus est, alii, qui Theseum non statim cum Pirithoo, sed serius ad illum ex Orco liberandum eo descendisse et tum demum a Plutone ibi vinculis constrictum esse fingerent. Nam quod alii putant, cogitandum nunc de eo tempore esse, quo iam Theseus ab Hercule ex Orco reductus fuerit, id rei, de qua agitur, parum accommodatum est. Poeta enim, nullum omnino ex Orco reduci posse, nunc probare vult.

CARMEN VIII.

Saturnalibus hoc carmen Censorino misisse Horatium vix dubites. Ad munera enim, quibus amici invicem se excipere solebant Saturnalibus, pertinebant quoque libri et carmina, quae pauperes inprimis divitibus vel clientes patronis suis obtulisse constat; vid. Lucian. in *Chronosolon. s. Legislat. Saturnal.* c. 16. p. 398. T. III. cf. Catull. XIV. 15. et ibi not. — Sententia huius carminis est haec: equidem lubenter hodie pretiosissima et rarissima quaeque donarem meis sodalibus, et tibi, Censorine, praecipue; sed ego talia non possideo nec tu iis indiges. Carmina tantum, quibus delectaris, tibi donare possum nec exiguum illa habent pretium! Ennii enim carminibus Scipioni Africano Maiori multo luculentior quam marmoreis monumentis et victoriarum ab Hannibale reportatarum titulis parta est nobilitas nec nisi carminibus res praeclare gestae ad posteritatem propagantur. Aeternam suam gloriam Romulus quoque et Aeacus, imo divinitatem suam Hercules, Dioscuri, Bacchus poetarum debent carminibus. — De pretio poetarum carminibus statuendo cf. inprim. carm. sequ. Pindar. Nem. VIII. 10 sqq. Theocrit. XVI. 29 sqq. Ovid. Pont. IV. 8. 43 sqq. Cic. pro Arch. c. 9 sqq. et passim. — Quod ad *Censorinum*, ad quem hoc carmen scriptum est, attinet, haud dubie intelligendus est *C. Marcius Censorinus*, L. Marcii Censo-

Censorine, meis aera sodalibus,
Donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum, neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.
Sed non haec mihi vis, non tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.

v. 9. *non tibi*, Codd. plerique; eamque lectionem alteri *nec tibi* recentiores fere omnes praetulerunt. *R.*

rini filius, U. C. DCCXLVI. cum C. Asinio Gallo consul, qui potius quam eius pater Horatii aequalis fuisse videtur; et hic est, quem *virum demerendis hominibus genitum* vocat Vell. II. 102.

v. 1—8. *commodus*, officiosa voluntate amicorum commodis inserviens, officiosus, liberalis; infr. Epist. II. 1. 227: *commodus ultro Arcessas.* Epist. ad Pis. v. 257: *Commodus et patiens.* — *pateras, aera, tripodas*, cum Romani tum rariorum et antiquiorum vasorum et artis operum essent appetentissimi et in eorum possessione magnificentiae partem ponerent, *paterae* autem, *aera* et *tripodes* disertis verbis *praemia fortium Graiorum* ab Horatio appellentur; non dubitari potest, quin ea ipsa, quae olim in Graecorum ludis gymnicis victoribus data fuerunt, intelligenda sint; per *pateras* igitur intelligo capaciora pocula vel phialas, quas ad victorum praemia sive *βραβεῖα* pertinuisse vel ex Homero disci potest, Iliad. XXIII. 270. cf. Pind. Ol. IX. 90. Nem. X. 43. — per *aera* lebetes, vid. Hom. libr. laud. v. 259. — *grata*, quod eiusmodi *κειμήλια* in maximis habebantur deliciis; per *tripodas* varia supellectilis et vasorum tribus pedibus innitentium genera; Hom. l. c. — *neque tu pessima ferres*, neque tu ultima, sed optima et rarissima acciperes. — *divite me scilicet artium*, h. e. si mihi suppeterent artis opera, celeberrimorum scilicet artificum pictae tabulae et statuae: *artes* pro *artis operibus* passim, ut infr. Epist. I. 6. 17. Virgil. Aen. V. 359. — *Parrhasius*, Ephesius, Zeuxis in arte pictoria aemulus. — *Scopas*, nobilis statuarius; de utroque vid. *Iunii Catal.* de *Parrhasio* quidem p. 141. de *Scopa* p. 195. — *sollers ponere hominem*, Graece pro in ponendo homine, vel, hominem ponendi; *ponere* (ut Graecis *ἱστάναι*), passim de pictoribus; Ovid. Art. Am. III. 401: *Si Venerem Cous nunquam posuisset Apelles;* cf. *Burmann.* ad Ovid. Met. X. 516. et infr. Ep. ad Pis. v. 34.

v. 9 — 12. *Sed non haec mihi vis*, sed penes me eiusmodi rariorum artis operum non est copia, sive: at ego in censum beatiorum illorum, qui illa possident, non venio; — *non res tibi est egens talium deliciarum*, nec tu pro beatiore, qua gaudes, rerum conditione cares eiusmodi deliciis; — *aut animus eg. tal. delic.* nec appetens es eiusmodi deliciarum; *deliciae*, de

Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare et pretium dicere muneri.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus; non celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae;

v. 12. *muneris*, e Codd. *Fea*, *Iahn*, *Mein.* At praestat difficilior, quam plurimi atque optimi Codd. praebent, lectio *muneri*. *R.*

rebus pretiosis et raris, in quarum possessione mirifice aliquis sibi placet. — *gaudes carminibus*, ad animi tui delicias refers potius carmina. — *pretium dicere muneri*, carmini pretium, quod habeat, constituere, h. e. carmen, quod tibi mitto, de pretio suo commendare. Quantum pretii autem tribuendum sit carminibus, sequentibus declarat.

v. 13 — 22. Sensus et nexus: carminibus scilicet aeterna magnorum virorum virtutibus apud posteros paratur gloria. Scipionis enim gloriam non signa marmorea, quibus rerum ab eo gestarum summa incisa sit, (quippe quae externam tantum defunctorum ducum speciem referunt) non incisus titulus: „*Hannibalem per Scipionem celerrime ex Italia fugere coactum esse*,“ non incisa laus: „*Perfidam Carthaginem per Scipionem Romanis vectigalem et stipendiariam factam esse*,“ magis, quam Ennii carmina celebrant! — *incisa notis*, pro vulgari: quibus notae, (h. e. tituli) incisae sunt. Ad eandem loquendi formam Livius VI. 29: *tabulam literis incisam* dixit; *publicis*, refer ad statuas publice, h. e. impensis publicis et communi suffragio exstructas. De statuis Scipioni post eius mortem positis vid. Liv. XXXVIII. 56. — *per quae spirit. et vit. red. bon. p. mort. duc.* nam per signa externa tantum mortuorum species et vultus exprimitur; hinc infr. Epist. II. 1. 248: *Nec magis expressi voltus per ahenea signa, Quam per vatis opus mores animique virorum Clarorum apparent.* — Hinc Cicero quoque in Catil. III. cap. 11. de statuis: *nihil mutum me potest delectare, nihil tacitum, nihil denique huiusmodi, quod etiam minus digni assequi possunt.* — *non celeres fug. Reiect. retrors. Hannib. min.* non laus egregii illius facti, quo Scipio exercitu in Africam traiecto Hannibalem ad celerem ex Italia in patriam reditum compulit; vid. Liv. XXX. 20. Flor. II. 6. 57. — *Reiectaeque retror. Han. min.* post celerem Hannibalis ex Italia fugam eius minae, quas de Romae excidio iecerat, retrorsum in ipsius caput reiectae sunt; non solum enim a Scipione ad Zamam victus est, sed Carthago adeo post illam victoriam Romanis stipendiaria facta est; hinc additur: *Non stipendia Carthaginis impiae*, nam quod vectigalem Carthaginem fecerat Romanis Scipio, id praecipue in summis eius laudibus memorari solebat. Liv. XXXVIII. 53. de Scipione Maiore: *Ideo Hannibalem devicit, Carthaginem vectigalem nobis fecit?* Ennius apud Varr. de L. L. V. sub fine: *Poeni stipendia pendunt.*

Non stipendia Carthaginis impiae,
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes quam Calabrae Pierides, neque,
Si chartae sileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae

v. 17. Locus, ut videtur, corruptus. Neque enim ingeniosa *Doeringii* coniectura omnes difficultates remotae sunt, cum et neglecta versus caesura et contortus sententiarum nexus vel maxime offendere nos debeant. Huc accedit, quod, cum reliqua omnia Asclepiadea carmina τετράστροφα sint, hoc unum lege illa metrica non adstrictum est. Hinc versus aliquot excidisse collegerunt *Mein.* et *Orell.* *R.*

— *Stipendium*, ut constat, saepius de vectigali, quod victor victis imponit, dicitur. Iul. Caes. de Bell. Gall. I. 36: *Aeduos sibi — stipendiarios esse factos — si in eo manerent quod convenisset stipendiumque quotannis penderent;* et c. 44: *stipendium capere iure belli, quod victores victis imponere consuerint;* et hinc vectigal illud, quod victi a Scipione Carthaginienses secundum pacis conditiones Romanis quotannis pendere debebant, a Livio quoque saepius *stipendium* vocatur. — Sic quidem versum decimum septimum, qui *Bentleio* ut versus ab aliena manu importatus eiiciendus omnino videbatur, ab interpretibus vero recentioribus ut versus suspectus vel uncis inclusus vel asterisco notatus fuit, recte locum suum occupare posse puto. Importunam nempe vocem *incendia*, quae sponte lectorem ad cogitationem de excidio Carthaginis (quam Scipionis Africani Maioris, de quo sermo est, adoptatum nepotem, P. Scipionem Africanum Minorem, diu post illius mortem demum delevisse constat,) ducere debebat, in *stipendia* mutavi, facile huius audaciae in re desperata me veniam apud aequos iudices impetraturum esse ratus. Vox *incendia* haud dubie debetur indocto cuidam Grammatico, qui, cum notionem vocis *stipendia* non satis caperet, et duorum Scipionum res gestas turpiter inter se permisceret, correctione sua hunc locum corrumpere non erubuit. — *qui domit. ab Afric.* qui ab Africa perdomita honorifico *Africani* nomine ornatus rediit; *domita Afric.* hinc apud Liv. XXXVIII. 53. *domitor Africae* vocatur. — *Calabrae Pierides*, carmina Ennii, Rudiis in Calabria nati; ob id ipsum autem, quod ille tam egregius Scipionis laudum praeco exstitit, eius statua iuxta duas Scipionum statuas Romae extra portam Capenam posita esse dicitur; Liv. LVIII. 56. hinc Ovidius Art. Am. III. 409: *Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus, Contiguus poni, Scipio magne, tibi.* — *si chartae sileant*, Cic. pro Arch. Poet. c. 10: *Nisi Ilias illa extitisset, tumulus, qui corpus eius* (Achillis) *contexerat, nomen etiam obruisset.* — *quod ben. fec., Merced. tul.* imitatus est Horatius, ut observat *Mitsch.*, Pindar. Ol. XI. 91. *Boettig.* comparat Pind. Nem. VII. 14.

v. 22—27. *Quid for. Il. Mavort. puer* cett. Quae, quaeso, Romuli esset gloria, nisi divinam eius ori-

Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus et favor et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori;
Caelo Musa beat. Sic Iovis interest
Optatis epulis impiger Hercules;
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates;
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

ginem carminibus suis ab oblivione vindicasset Ennius? Ennium enim in Annalium libro primo furta Martis cum Rhea Silvia sive Ilia, Romuli et Remi matre, enarrasse, cum ex Ennii Fragm. Annal. I. p. 123—24. edit. *Hessel.* tum ex loco Ovidii Trist. II. 259. satis apparet. Horatio obversatum esse Pindarum Pyth. III. 198. notavit *Mitsch.* — *Erept. Styg. fluct. Aeacum*, cett. quod Aeacus non solum *Stygiis fluctibus* (h. e. oblivioni vel morti, cf. supr. IV. 2. 24. et III. 3. 16.) ereptus est, sed etiam in campis Elysiis collocatus iudicis honore ibi fruitur, id magnorum poetarum ingenio, favori et eorum carminibus debet; breviter: per poetas quoque immortalitatem nactus est Aeacus; — per *insulas divites* iam intellige *insulas* sive *sedes beatas*, *μακάρων νήσους*, sub terra, de quibus vid. Virg. Aen. VI. 638. et ibi *Heynius.*

v. 28—34. *Dign. laud. vir.* — *Cael. Mus. b.*, *Mitsch.* comparat Aristotelis Paean. v. 20. in Anthol. Graec. T. I. p. 111. — *Sic Iov. inter. Opt. epul. imp. Hercul.* hinc inter deos relatus est Hercules; de prisco loquendi genere: *deorum mensae* vel *epulis adhiberi*, pro: inter deos ut deum versari, vid. supr. ad III. 3. 11. — *Clar. Tyndar. sid. ab inf.* cett. per poetarum carmina Dioscuri in caelo lucent ut dii *σωτῆρες*, naufragii inprimis pericula avertentes; Theocrit. XXII. 17: *Ἀλλ' ἔμπας ὑμεῖς γε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας Αὐτοῖσι ναύταισιν ὀιομένοις θανέεσθαι.* cf. *Hemsterh.* ad Luc. T. I. p. 285. — *Liber vot. bon. duc. ad exit.* Bacchus divinitatis honore a poetis mactatus agricolarum preces exaudit. De Baccho, deo agresti, cf. supr. ad III. 8. 6. Observent tirones in triplice divinitatis circumscriptione poetae artem et ingenium.

CARMEN IX.

AD LOLLIUM.

Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante volgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.

CARMEN IX.

Quod *Censorino* in carmine praecedente probatum ivit Horatius, „non poetarum tantum, sed eorum quoque, qui ab illis celebrentur, immortalitati consecrari nomina," id *Lollio* quoque, eius laudes aeternitati traditurus, in hoc carmine probat. Mea, ait, carmina lyrica non interitura sunt. Quamquam enim Homerus primum locum inter poetas occupat, tamen eorum quoque poetarum, qui post eum vixerunt, ut Pindarus, Simonides, Stesichorus, Anacreon, Sappho, haud deleta est memoria; quapropter nec meam ego, qui ad illorum exemplum me composui, deletum iri spero. Per poetarum carmina autem ii simul, qui in illis laudantur, aetatem ferunt. Fuerunt enim sine dubio plures olim non solum mulieres Helenae in amoribus simillimae, sed viri fortes quoque Teucro, Idomeneo, Sthenelo, Hectore, Deiphobo, Agamemnone haud inferiores; sed cum ii non a poeta aliquo, ut illi ab Homero, carminibus ad posteritatem propagati sint, aeterna oblivione sepulti iacent. Itaque, cum ego poeta sim, virtutes tuas, o Lolli, oblivione obliterari non patiar, immo, ut carminum meorum, ita *prudentiae* tuae, *constantiae*, *iustitiae*, *abstinentiae*, *honestatis* et *verae sapientiae* aeterna apud posteros vigebit memoria. Horatius igitur, quod scripsit in carmine praecedente ad Censorinum v. 10. 11: *carmina possumus Donare et pretium dicere muneri*, id in hoc carmine ad Lollium insigni arte repetiit. — Eo ipso anno, quo *M. Lollius Palicanus* cum Q. Aemilio Lepido consul fuit, U. C. DCCXXXIII., hoc carmen scriptum esse, eo magis ut credam adducor, quod ille ad hoc usque tempus se dignum omnino iis laudibus, quibus in hoc carmine a poeta ornatur, praestitisse videtur. Ignominiosa enim illa, quae de eius ingenio et moribus feruntur, indicia (vid. Vell. II. 97. et 102. Plin. IX. 35. s. 58.), si qua fides iis habenda sit, ad vitam, quam post consulatum gessit, pertinent.

v. 1—12. *Longe sonant. nat. ad Aufidum*, ego Appulus, cf. supr. ad III. 30. 10. — *verba loqu. soc. chordis*, carmina ad citharam temperata et accommodata, vel ut supr. II. 12. 4. loquitur, *modis aptata* cano. Ovid. Met. XI. 5: *Orphea percussis sociantem carmina nervis.* Similiter fere, ut observat *Mitsch.*, hymnum per *εὐλογίαν φόρμιγγι συνάορον* designat Pindarus Nem. IV. 5. — *non ante volgatas per artes*, per lyricae poesis artem primum a me inter Romanos vulgatam: sive per *fides novas*, ut dixit Hor. supr. I.

Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae;
Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas; spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.
Non sola comtos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus illitum

26. 10. cf. III. 30. 13. et infr. Epist. I. 19. 27. — *Non, si prior. Maeon. ten. Sed. Hom., Pindar.* cett. notus in hanc sententiam est locus Ciceronis Orat. I. 4: *Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam in poetis non Homero soli locus est, (ut de Graecis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos.* Antip. XXIV. 6 sqq. Anth. Gr. T. II. p. 101: *εἰ δ' ὕμνων σκᾶπτρον Ὅμηρος ἔχει καὶ Ζεύς τοι κρείσσων Ἐνοσίχθονος· ἀλλ' Ἐνοσίχθων τοῦ μὲν ἔφυ μείων, ἀθανάτων δ' ὕπατος. Καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ, ἁγεῖται δ' ἄλλων πλάθεος ὑμνοπόλων.* [*ἡμιθέων in Edit. Mitsch.*] — *Maeonius*, cf. supr. ad I. 6. 2. — *priores sedes*, primum locum, *προεδρίαν.* — *Ceae Camenae*, Simonides; vid. ad II. 1. 38. *Alcaei minaces*, respicit Alcaei carmina, irae et acerbitatis in tyrannos, Myrsilum et Pittacum, a quibus e patria expulsus fuerat, plenissima; cf. supr. ad II. 13. 27. — *Stesich. graves Camenae*, magna enim eius carminibus gravitas et dignitas, *μεγαλοπρέπεια*, tribuitur, vid. Quintil. Or. X. 1. 62. — *spirat adhuc amor*, cett. in Sapphus carminibus adhuc fervent eius amores, nec tempus exstinxit animi calores, quos illa cum lyra sua communicavit, h. e. ad lyram suam expressit; praeclare pro vulgari: Sapphus carmina amatoria, *ᾄσματα*, vigent adhuc et in suo apud posteros manent pretio. — *vivuntque*, et semper ardent, nunquam exstinguuntur, egregie ad rem; eleganter enim non tantum ignes semper ardentes, sed carmina quoque semper durantia, *vivere* dicuntur; cf. supra ad I. 32. 3.

v. 13—24. De sententiarum nexu vid. argum. — *Non sola comtos arsit* cett. non dubitari potest, ait, quin praeter Helenam plures feminae formosi cuiusdam et externo splendore conspicui iuvenis amore captae fuerint; cf. infr. Sat. I. 3. 107: *arsit comtos crines adulteri*, formosum Paridem deperiit. — *comti crines*, pars pulchritudinis pro omni pulchritudine; ad pulchritudinis, qua Paris insignis fuit, partem Homerus quoque Iliad. III. 55. eius *crines* refert; cf. supr. I. 15. 13. De locutione *ardere aliquem* (Virg. Eclog. II. 1: *Corydon ardebat Alexin.*) et *ardere aliquo* vel *aliqua*, pro: ardere ob aliquem vel aliquam, vid. supr. ad II. 4. 7. — *aurum vestibus illitum* exquisitius pro: vestes auro illitas, h. e. aureis filis vel bracteis

Mirata regalesque cultus
Et comites Helene Lacaena;
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu; non semel Ilios
Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus
Dicenda Musis proelia; non ferox
Hector vel acer Deïphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

v. 17. *Primusque*, et v. 20. *Sthenelusque*, Codd. aliqu. *R.*

discretas; *aurum vestibus illinere* vel *linere*, Graecis *πάσσειν*, *βρέχειν*, dicuntur, qui earum stamini subtemen aureum, fila aurea vel aureas bracteas intexunt; vid. *Boettig.* Expressisse autem Horatius videtur Euripid. Troad. 991: *Ὃν εἰσιδοῦσα βαρβάροις ἐσθήμασι Χρυσῷ τε λαμπρὸν ἐξεμαργώθης φρένας.* cf. Iphig. Aul. 73. et Cycl. 180 sqq. — *regalesque cultus*, regium splendorem, opes Phrygias. — *et comites*, apposite ad rem Ovid. Heroid. XIII. 57—60: *Venerat, ut fama est, multo spectabilis auro, Quique suo Phrygias corpore ferret opes; Classe virisque potens, per quae fera bella geruntur, Et sequitur regni pars quotacumque virum.* — *Primusve*, nec primus; *ve* et *vel* post non, pro: nec, ut in vulgus notum. — *Teucer*, frater Aiacis Telamonii (cf. supr. ad I. 7. 21.) sagittandi inprimis arte inter Graecorum fortissimos excellens. Hom. Il. XIII. 313: *ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν τοξοσύνῃ.* — *arcu Cydonio*, h. e. Cretico, a Cydone, nobili Cretae urbe; cf. supr. ad I. 15. 17. Virg. Eclog. X. 59: *torquere Cydonia cornu Spicula.* — *Non semel Ilios vexata*, explicant de Troia, quae non semel tantum a Graecis, sed iam antea ab Hercule et Amazonibus capta fuerit; equidem malim: non semel urbs aliqua, qualis Troia fuit, oppugnata et expugnata fuit ab hostibus. — *Idomeneus*, dux Cretensium, *ingens*, vir fortissimus; deo cuidem eum aequiparat Hom. Iliad. III. 230. *Sthenelus*, cf. supr. I. 15. 24. *Deïphobus*, Priami filius, fortitudinis gloria post Hectorem inter Troianos nobilissimus. — *graves excepit ictus*, gravem hostium impetum sustinuit, pro vulgari: pugnavit.

v. 25—30. *sed omnes illacrimab. Urg. ignot. long. Noct., car. qu. vat. sacr.* Sed cum poetarum carmina de iis sileant, omnes aeterna nocte et oblivione premuntur, nemine eos ut ignotos plane sibi deflente. Pindar. Nem. VII. 12 sqq.: *αἱ μεγάλαι γὰρ ἀλκαὶ Σκότον πολὺν ὕμνων ἔχοντι δεόμεναι.* et simi-

Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus;
Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae,
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus

v. 29. *inertia*, susp. *Bentl.*, explicans: *Virtus inertia* scriptorum *celata paullum distat* virtuti *sepultae*. — v. 31. *sileri*, pars Codicum et sic Ed. Ald. 1519. *Cruq.*, *Torr.* al. *R.*

liter fere Theocrit. XVI. 42: *Ἄμναστοι δὲ, τὰ πολλὰ καὶ ὄλβια τῆνα λιπόντες, Δειλοῖς ἐν νεκύεσσι μακροὺς αἰῶνας ἔκειντο.* — *Paull. sepul. distat inert. celat. virt.* viri enim egregii, quorum memoria non celebrata carminibus oblivioni traditur, similiter fere, ut homines inertes, sepulti iacent. Comparant Pind. Nem. IX. 6: *Τετελεσμένον ἐσλὸν Μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι.* — *inertiae*, casus tertius pro: ab inertia, ut infr. Sat. I. 4. 48. de comoedia: *nisi quod pede certo Differt sermoni, sermo merus.*

v. 30—44. *Non ego te me. chart. inorn. silebo*, cett. non ego laudes tuas in carminibus meis silentio praetermittam, nec committam, ut meritorum tuorum memoriam libere intercipiat invidiosa oblivio; — *chartis meis*; carminibus meis; ut carm. praeced. v. 21. *neque*, *Si chartae sileant.* — *labores tuos*, res praeclare a te gestas, cogita inprimis de laude, quam ex Galatia, cui U. C. DCCXXIX. Propraetor ab Augusto praepositus fuit, reportavit Lollius. — *impune*, pulchre et significanter pro tenui: libere; nam qui virtutes alicuius ab oblivione vindicat, iniuriam quasi, quam facere volebat oblivio, punit et ulciscitur. — *Est animus tibi rerumque prudens* cett. digna est enim, quae carmine celebretur, tua in rebus gerendis prudentia et in utraque fortuna constantia. — *rectus*, erectus, firmus, constans; Ennius apud Cic. de Senect. c. 6: *Quo vobis mentes, r e c t a e quae stare solebant Antehac, dementes sese flexere?* — *Vindex* (sc. animus) *avarae fraudis et abstin. duc. ad se cunct. pecun.* tibi est animus iustus et continens, h. e. in te tam iustitiae quam continentiae laus cadit; iustitiam enim exercet, qui fraudem et malas artes hominum avarorum supprimit, continentiam vero, qui pecunia, quae capit et vincit omnia, se non capi et vinci patitur. — *Consulque non unius anni, sed quoties* cett. est tibi animus, qui non per unum tantum annum dignitatem consularem tuetur,

Iudex honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium
Voltu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti
Duramque callet pauperiem pati
Peiusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

v. 41—43. Quod in plerisque editionibus legitur: *utili et Reiecit — Voltu et per*, debetur Editioni Aldinae 1501. Utrumque *et* ab omnibus prope Codd. abest; omiserunt igitur *Iani*, *Fea*, *Vanderb.*, *Iahn*, *Orelli*, coll. Od. III. 24. 40 sqq. Od. IV. 8. 29 sqq. Alii prius tantum *et* omiserunt, alterum retinuerunt. *R.*

sed quotiescumque ille boni et fidi iudicis officium explens honestatem utilitati praeferre, dona flagitiosorum nobili cum contemtu repudiare et virtutis suae, qua armatus est, praesidio, quicquid verae gloriae obstat, fortiter vincere solet. — *Consul non unius anni*, Lollium, qui procul dubio, ut in argumento monuimus, hoc anno consul fuit, post consulatum quoque consularem dignitatem tuiturum esse ait, quod is, qui post gestos honores in virtutis exercitio sibi constat, in eadem semper dignitate manet. — *honestum praetulit utili*, commode in hanc sententiam laudant Cic. Offic. III. 4: *Qui autem omnia metiuntur emolumentis et commodis, neque ea volunt praeponderari honestate, hi solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non solent. Etenim non modo pluris putare, quod utile videatur, quam quod honestum; sed haec etiam inter se comparare et in his addubitare, turpissimum est.* — *per obstantes caterv. explic. s. vict. arma*, animus, qui virtute sua tanquam clipeo bene munitus fortiter se opponit turpitudini, suaviter fortis militis, vi sibi viam per obstantes catervas facientis, more omnia, quae eius virtutem impugnant, vincere dicitur.

v. 45—52. *Non possident. mult. voc. rect. beat.* cf. supr. II. 2. 1 sqq. *non ille timidus perire*, pro: ille non timet perire, h. e. volens lubensque mortem suscipit; supr. III. 19. 2: *Codrus pro patria non t i m i d u s m o r i.*

CARMEN X.

AD LIGURINUM.

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae cum veniet pluma superbiae,
Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae;
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam:
Dices, heu, quoties te speculo videris alterum,

v. 2. Cum *pluma* recte dicatur pro lanugine, neque *Bentleii* opus est emendatione *bruma*, neque aliorum conieccturis: *umbra*, *poena*, *ruga*. — v. 5. *Ligurine*, e duobus Torrentii Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Mein.* At multo exquisitior et elegantior est accusativi structura. — v. 6. In multis Codd. legitur: *te in speculo*, atque hoc receperunt *Lamb.*, *Bentl.*, *Baxt.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.* al. Sed rectius plerique sequuntur auctoritatem eorum librorum, in quibus *in* omissum est; facile enim hoc ex glossem. in textum irrepere poterat. *R.*

CARMEN X.

Ligurinum, puerum mollem et delicatum, superbe et fastidiose nunc amatores tractantem, de formae sortisque, quae eum maneat, mutatione et conditione cogitare et proinde vanam illam, qua insolenter de forma sua se efferat, deponere iubet superbiam. — Poetam Graecum, quem Hor. imitatus est, tam carminis argumentum quam dictionis forma et elocutio satis luculenter produnt.

v. 1—8. *O crudelis adhuc*, o tu, qui nunc quidem te durum et asperum mihi praebes, insolenter amores meos reiicis; — *et Veneris muneribus potens*, et corporis tui pulchritudine plurimum polles, sive: et pro corporis tui pulchritudine magnam in eos, qui tibi serviunt, exerces potentiam. — *Insp. tu. c. ven. pl. superb.* cum praeter opinionem leves genas tuas, quibus nunc superbis, lanugo inumbrabit; *pluma*, lanugo, *χνοῦς*, *πτίλα*; hinc Graeci pueros levibus genis adhuc nitentes vocabant *ἀπτίλους*, *λείους*, vid. *Iacobs.* in *Animadv.* ad Anth. Gr. Vol. II. P. III. p. 69. pueri autem molliores sive cinaedi, quibus barba succrescere incipiebat, descrebantur ab amatoribus; hinc apud Martial. I. 32. 5: *teneri vultus lanugine sordere* dicuntur; cf. Catull. LXI. 136. — *tuae superbiae*, tibi superbo. — *quae nunc humer. invol. comae*, promissus enim crinis, *cervice*, ut Tibullus III. 4. 27. loquitur, *fluens*, vel, ut Hor. supr. III. 20. 14., *humeris capillis sparsus*, ad formosi pueri veneres pertinet; cf. infr. Epod. XI. 28. — *Nunc et qui color* cett. iunge: et mutatus color, qui nunc est prior flore rosae puniceae, Ligurinum verterit in faciem hispidam, h. e. purpureae tuae genae pilis obductae et deformes factae fuerint; *Ligurinum*, pro: te, suaviter nomen, quod tum in ore omnium erat, ponit. — *color*, notissimum est illud Virgilii (Eclog. II. 17.): *O formose puer nimium ne crede colori; Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.* — *te alterum*, te mutatum et ab eo, qui nunc es, diversum, vel speciem tuam a pristina plane diversam. — *Quae mens est hodie* cett. ante oculos Hor. habuit, ut iam Scholiast. Cruqu. observavit, Terent. Hec. I. 1. 17: *Eheu me miseram! cur non aut istaec mihi Aetas et forma est, aut tibi haec sententia?* — *his animis*, nunc mihi longe aliter ac olim sentienti, h. e. nunc mihi sapientiori. — *incolumes*, integrae, quales olim erant, roseae et adhuc leves.

Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

CARMEN XI.

AD PHYLLIDEM.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis,
Est hederae vis

CARMEN XI.

Phyllidem ad diem festum in domo sua tam sacris epulis quam hilari potatione secum peragendum invitat. Quae quidem ut eo magis locum relinquat eius precibus, primum iam parata et adornata esse apud se omnia, quae iusta diei festi requirat celebratio, enarrat; deinde, ne Phyllis sit nescia, quantis laetitiis advocetur, se Maecenatis diem natalem, proprio paene sibi sanctiorem, celebrare velle palam facit; tum, ne Telephi forte amore se retineri patiatur ab hoc laeto convivio, illum, quem stulte, ut sorte sibi disparem, petat, ditioris puellae amoribus nunc vinctum teneri, docet; denique, quo nihil ad capiendum Phyllidis animum gravius addere poterat, se in solo eius amore nunc acquiescere affirmat. — Phyllidem, quam sub fine carminis canendi peritam facit, psaltriam neque honestioris conditionis puellam fuisse, quam qualis *Lyde* describitur supr. II. 11. 21 sqq. cf. III. 14. 21. III. 28. vix dubitari potest. Sed qui statuit, quod recte statui posse existimo, non proprie Phyllidi, sed Maecenati, ut ei diem natalem gratularetur, hoc carmen dicasse Horatium et proinde, quae ad summam laetitiam exprimendam spectant, ingeniose finxisse; profecto ea, quae tribuenda sunt poetae ingenio, haud tribuet eius moribus.

v. 1—12. *Albani*, in vinis generosioribus haberi solebat *vinum Albanum*, in agro Albano natum, cf. infr. Sat. II. 8. 16. et vid. Plin. XIV. 6. — *apium nectendis coronis*, elegantius pro: ad nectendas coronas; caeterum supra quoque II. 7. 24. diem festum in felicem Pompeii reditum celebraturus *coronas ex apio deproperari* iubet; cf. Theocrit. III. 23. et supr. I. 36. 16. — *vis multa*, magna copia. — *qua crines religata fulges*, explicant: qua coronata enitescis, nitidior et venustior appares, vel simpliciter:

Multa, qua crines religata fulges;
Ridet argento domus; ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno;
Cuncta festinat manus, huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae;
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris, quibus advoceris
Gaudiis, Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem,

v. 9. *festinant*, quod coni. *Nic. Heinsius*, in Codd. invenit atque in textum recepit *Cuningh.* Sed durissimum hoc et prorsus contra morem Horatii, v. 11. *crepitant*, susp. *Bentl.* — v. 13 *advocere*, e Codd. *Cuningh. R.*

qua coronari soles; sed hederam accipere demum debebat Phyllis apud Horatium; malim igitur explicare pro: qua coronaberis apud me; et sic *fulges* est futurum ab antiquo verbo Lucretiano *fulgĕre.* — *ridet argento domus*, depromtis vasis argenteis domus resplendet; *ridere* dicuntur, quorum adspectus suaviter afficit. Notissimum est illud Virgilii (Eclog. VII. 55.): *Omnia nunc rident.* Magis ad rem Catull. LXIV. 285: *Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis, Queis permulsa domus iucundo r i s i t odore.* Similiter *renidere* supr. II. 18. 2. et sic *γελᾶν* apud Graecos, vid. *Wesseling. Dissert. Herodot.* p. 153. De splendido festarum epularum apparatu cf. Carm. laud. Catulli v. 44 sqq. — *ara castis vincta verbenis*, iam ad hostiam immolandam stat mihi ara verbenis coronata; intellige aram ex cespite constructam. Supr. I. 19. 13: *Hic vivum mihi c e s p i t e m, hic V e r b e n a s, pueri, ponite*, ubi cf. not. Iuvenal. XII. 1: *Natali, Corvine, die mihi dulcior haec lux, Qua festus promissa deis animalia c e s p e s Exspectat.* — *avet immol. sparg. agn.* iam exspectat, ut immolati agni sanguine imbuatur. Similiter *agnus aram imbuere* dicitur apud Virgil. Eclog. I. 8. — *huc et illuc Curs. mixt. puer. puell.* sic apud Virgil. Aen. I. 705. in splendido illo, quod Aeneae apparabat Dido, convivio: *Centum aliae totidemque pares aetate ministri, Qui dapibus mensas onerant et pocula ponunt.* — *flammae trepidant*, flammae tremulo motu agitantur, (Virg. Eclog. VIII. 105: *Adspice, corripuit t r e m u l i s altaria f l a m m i s*) *rotantes sordidum fumum vertice*, ex aedis culmine nigrum eiaculantes; exquisite pro tenui: flammae lucent et fumum sursus agunt; *rotantes*, circumagentes; sic apud Lucret. VI. 201. venti *flammam cavis fornacibus r o t a r e* dicuntur.

v. 14—20. *Idus tibi sunt agend. Qui dies* cett. Idus Apriles scilicet una mecum tibi celebrandae adsunt. Iam cum dies, qui per *Idus* designatur, inter cuiusque mensis dies

Iure sollemnis mihi sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus affluentes
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuae sortis iuvenem puella
Dives et lasciva tenetque grata
Compede vinctum.
Terret ambustus Phaëthon avaras
Spes, et exemplum grave praebet ales
Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,

ferme sit medius, eleganter *Idus* mensem *findere*, h. e. dividere, dicuntur. Ipsa vox *Idus* apud Macrob. Sat. I. 15. ab antiquo verbo *iduare* (quod Etrusca lingua *dividere* est,) deducitur. — *Vener. mar.*, Venus enim *ἀναδυομένη*, cui sacer est Aprilis, hoc ipso mense e spuma maris et ex sanguine genitalium Caeli orta esse dicitur. — *quod ex hac luce Maecen. me. afflu. ord. annos*, quod ab hoc die fautor meus ac patronus Maecenas vitae, quos sors benignior ei affluere sinit, annos numerat, pro tenui: quod hoc die Maecenas natus est. In sententiam totius loci commode afferunt locum Censorini de Die Natal. c. 3: *Cum singuli homines suos tantummodo proprios colant natales; ego tamen duplici quotannis officio huiusce religionis adstringor. Nam cum ex te tuaque amicitia honorem, dignitatem, decus atque praesidium, cuncta denique vitae praemia recipiam; nefas arbitrer, si diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebravero. Ille enim mihi vitam, hic fructum vitae atque ornamentum peperit.*

v. 21—36. *occupavit*, tibi praeripuit; *non tuae sortis iuvenem*, non tui loci iuvenem, sed genere et fortuna longe a te distantem. — *grat. comped. vinct.* similiter supr. I. 33. 14: *Myrtale* poetam *grata compede detinere* dicitur, ubi vid. not. — *Terret ambust. Phaëth. avar. spes*, a rerum ultra sortem nostram positarum cupiditate misera Phaëthontis fulmine Iovis combusti sors nos deterrere debet. *Phaëthontis* fabula vel ex Ovidio Met. II. 1 sqq. satis nota; *alεs*, alatus, ut supr. III. 12. 4: *Cythereae puer ales*, de Amore alato. — *terren. equit. grav. Belleroph.* qui non tulit, sed excussit, quo gravabatur, mortalis conditionis equitem, Bellerophontem. — Bellerophon scilicet cum in usu illo, ad quem traditus ei a Minerva fuerat Pegasus (vid. supr. ad I. 27. 24.), haud acquiesceret, sed per eundem caelum adeo stulte petiisset; excussus et deiectus ab illo in campos Aleios graves temeritatis suae poenas dedit. vid. Interpret. ad Hygin. Fab. LVII. Bellerophontis exemplo ad homines a votorum temeritate deterrendos usus quoque est. Pindar. Isthm. VI.

Semper ut te digna sequare et ultra
Quam licet sperare nefas putando
Disparem vites. Age iam meorum
Finis amorum,
Non enim posthac alia calebo
Femina; condisce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atrae
Carmine curae.

CARMEN XII.

AD VIRGILIUM.

Iam veris comites, quae mare temperant,

v. 35. *minuuntur*, e Codd. aliquot *Cuningh.*, *Wakef.* al. „Sed aptius est futurum, ut ad solam Phyllida sententia pertineat." *R.*

44 sqq. cf. Pallad. LXII. 5. 6. Anth. Gr. T. III. p. 127. — *disparem*, idem, quod v. 22. dixit: *non tuae sortis iuvenem.* In sententiam, qua homines ab amore dispari, h. e. inter homines loco et fortuna sibi dispares iuncto, cavere sibi iubentur, vid. Aeschyl. Prometh. Vinct. 892 sqq. et Callimach. Epigr. XXXVII. Anth. Gr. T. I. p. 221. Ovid. Her. IX. 32: *Si qua voles apte nubere, nube pari.* — *meorum finis amorum*, o tu, quam unam et solam in posterum amabo; cuius amor solus me irrupta semper in posterum tenebit copula; notum est illud Propertii I. 12. 19: *Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est: Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.* — *condisce modos, amand. voce quos reddas*, veni et disce, quos ad lyram tibi praeibo, modos, ut eosdem amabili voce decantes; *redde*, cf. supr. ad IV. 6. 43.

CARMEN XII.

Veris, quod ibat, amoenitate fruiturus iocose et familiariter Virgilium suum ad hilarem compotationem advocat. Dulcissima igitur amoenioris anni temporis, quod sponte ad bibendum invitet, descriptione praemissa vinum Calenum venturo ad se amico promittit, hac tamen lege et conditione, ut nardum secum afferat et hac merce redimat quasi promissi vini munera. Ne forte autem hunc laetioris vitae fructum intercipi sibi patiatur negotiorum curis et administratione, de vitae, dum licet, fruendae brevitate eum cogitare et sic sapienter dulcia interdum seriis miscere iubet. — Admodum familiarem poetae fuisse eum, quocum tam libere, ut in hoc carmine factum est, iocari posset, nemo non intelligit. Quis autem Horatium cum magno poeta Virgilio in eiusmodi familiaritate vixisse dubitet, vel, si carminis supr. I. 3. ad Virgilium scripti meminerit, dubitare potest? Iam vero quod v. 25. *lucri studium* ponere iubetur Virgilius, inde eum non poetam illum, sed, si diis placet, mercatorem quendam vel myropoiam adeo sive unguentarium

Impellunt animae lintea Thraciae;
Iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.
Nidum ponit Ityn flebiliter gemens
Infelix avis et Cecropiae domus

fuisse, qui serio contenderent, fuere plures. Sed boni illi si cogitassent, non ad mercatores tantum, sed ad omnes, qui diligentem rerum suarum curam gerunt, honestiore sensu *lucri studium* pertinere; Horatium autem, nisi per iocum potius, qui per totum carmen regnat, amico suo *lucri studium* exprobravit, sine dubio honestius quoddam, cui cum maxime intentus esset, *lucri studium* respexisse; profecto neque ex magno poeta mercatorem fecissent neque tam humiliter de Horatii cum mercatore Romano amicitia sensissent! vid. not. ad v. 25. — Caeterum quod veris descriptionem attinet, compara I. 4. et IV. 7. — Quo anno hoc carmen scriptum sit, non certo satis constitui potest, sed, si tenemus, quod supra in argum. ad huius libri carm. prim. monuimus, Horatium in hoc libro quarto nonnulla carmina, quae iam diu ante scripserat, cum aliis, quae seriore aetate scripsit, carminibus demum publicasse; recte illud ad tempus, quo Virgilius adhuc superstes fuit, referri posse videtur. [Vide contra *C. Schillerum*, Comment. zu ein. Oden d. Hor., p. 39—42. *R.*].

v. 1—12. *animae Thraciae*, venti septentrionales, qui ab Homero inde et aliis antiquis poetis Ioniis, quibus septentrionem versus sita fuit Thracia, appellati sunt *Thracii*; dicuntur autem *veris comites*, quia sub vere spirare solent Aquilones sive venti septentrionales; Columell. XI. 2. 21: *X. Cal. Mart. venti septentrionales, qui vocantur Ornithiae, per dies XXX esse solent; tum et hirundo advenit.* cf. Aristot. de Mund. c. IV. et ibi *Kapp.* p. 118. Mentionem igitur fecit eius potissimum venti, cuius flatus veris tempore solet esse creberrimus; Zephyrus enim sive Favonius, quem alias poetae in veris descriptione celebrant, multo illo est mutabilior et inconstantior. Caeterum, ut hic *animae Thraciae veris comites* dicuntur, ita supr. I. 25. 19: *Eurus hiemis sodalis* vocatur. — *Impellunt lintea*, navigationi repetendae secundo flatu suo favent, reddunt mare *πλώϊμον*; navigationis autem, cui de integro sub vere dari solet opera, frequens apud poetas in veris descriptione mentio; cf. supr. I. 4. 2. et quos comparat *Mitsch.* Meleag. CX. 9. Anth. Gr. T. I. p. 32. Marc. Argentar. XXIV. 3. T. II. p. 248. — *nec fluv. strep. hib. niv. turgid.* supr. IV. 7. 3: *Decrescentia ripas flumina praetereunt.* — *Nidum ponit Ityn flebil. gemens, Infel. av.* per *infelicem avem* intellige *Procnen*, quam alii in hirundinem, alii in lusciniam mutatam esse tradunt; vide, quae de huius fabulae dissensu notavimus ad Catull. LXV. 14. Iam vero cum ad ea, quae veris reditu oculis subiiciuntur, hirundinis quoque adventum referre soleant poetae (ipse Hor. infr. Epist. I. 7. 13: *cum Zephyris et hirundine prima*; et hinc *veris praenuntiam* illam vocat Ovidius Fast. II. 853. cf. Antip. Sidon. XXXVII. 3. Anthol. Gr. T. II. p. 16. ubi veris tempore pariter

Aeternum opprobrium, quod male barbaras
    Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula
Delectantque deum, cui pecus et nigri
    Colles Arcadiae placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, iuvenum nobilium cliens,
    Nardo vina merebere.

v. 11. *Delectante*, pars Codicum et sic *Gesn.*, *Wakef.* al. — *nigrae*, ex varia lectione Cod. Battel. *Bentl.*, *Cun.*, *Sanad.* — v. 16. Pro *merebere* non pauci Codd. praebent *mereberis*, quod praetulerunt *Bentl.* et *Mein.* *R.*

fere hirundo *πλάσσειν ὑπώροφα οἰκία* dicitur; cf. Satyr. Thyill. v. 1. sqq. Anth. Gr. T. II. p. 253.), *infelicem avem, Ityn flebiliter gementem*, interpretes ad unum omnes de hirundine accipiunt. Sed cum *flebiliter gemere Ityn*, ut apud Catullum l. l. *fata absumti Ityli gemere*, non hirundinis, sed lusciniae tantum flebilibus modis constanter a poetis tribuatur, luscinia vero ab ipso Homero Odyss. XIX. 522., ubi eam sub veris initio pulchre canentem describit, *παῖδ᾽ ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον* dicatur; cf. ante omnia Sophocl. Electr. 147. et ibi Scholiast.; dulcissimus denique lusciniae cantus vel maxime ad ea, quae suaviter sub vere nos deleniunt, pertineat: equidem *infelicem avem* de luscinia accipere malim. Fabulam de Procne et Philomela felicissime tractavit Ovid. Met. VI. 425. sqq. — *Cecrop. dom. aetern. opprobr.* quae semper exstitura est familiae suae opprobrium, dedecus, *ἔλεγχος*, *ὄνειδος*, h. e. quae nunquam eluere et abstergere poterit maculam, quam genti suae Cecropiae crudelissimo facinore adspersit; — de voce *opprobrium* cf. supr. ad II. 13. 4. — *Cecropiae*, Atticae, fuit enim *Procne* Pandionis, regis Atheniensium, filia. — *male*, tam crudeliter; Procne enim, ut incestam mariti sui Terei libidinem ulcisceretur, mactatum parvum filiolum Ityn isti epulandum apposuisse dicitur. — *regum*, Terei. — *Dicunt in tenero gramine* cett. Dulcissima, quae sequitur, e vita pastoritia adumbrata imago eo magis capere et delectare debebat Virgilium, quo magis ea ad indolem fere eorum carminum, in quibus ille princeps inter Romanos poetas est, data opera, ut videtur, composita et concinnata est. — *deum*, *cui pecus* cett. Pana. — *nigri*, piniferi; cf. supr. I. 21. 7. — *colles*, ut Maenalus, Lycaeus.

v. 13—24. *Adduxere sitim tempora*, nunc anni amoenitas et solis calor sitim adducere, h. e. bibendi cupiditatem excitare solent. — *Liberum Calibus pressum*, vinum Calenum, ab urbe *Cales* in Campania; supr. I, 20. 9: *uva Caleno prelo domita.* — *ducere*, largius bibere, cf. supr. ad I. 17. 22. — *iuvenum nobil. cliens*, o tu, qui iuvenum no-

Nardi parvus onyx eliciet cadum
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus amaraque
    Curarum eluere efficax.
Ad quae si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
    Plena dives ut in domo.

bilium gratia ac favore frueris, qui nobilibus iuvenibus es in deliciis; *cliens*, nos: *Günstling*. Per *iuvenes nobiles* haud dubie innuit Nerones, Augusti privignos, Drusum et Tiberium; non sine causa autem Horatius Virgilium suum nunc *iuvenum nobilium clientem* appellasse videtur; latet enim, nisi fallor, in hac appellatione iocus hic: dummodo a te impetrare poteris hoc, ut e fastigio tuo descendas et iuvenum nobilium consortium cum pauperis Horatii societate permutes. — *nardo vina merebere*, pro unguento nardino, quod tecum attuleris, gratis apud me vinum Calenum bibes, sive: affer tecum unguentum nardinum, quod ego vino Caleno remunerabor. — De *nardi* frutice, e cuius foliis et spicis unguentum exprimebatur, vid. Plin. XII. 12. XIII. 2. — Simili fere ioco Fabullum ad coenam vocat Catullus XIII. ab Horatio tantum discrepans eo, quod Fabullum, quicquid ad bonam et lautam coenam pertineat, secum afferre iubet, se autem nil nisi unguentum pretiosum dare posse ait. — *Nardi parv. onyx eliciet cad. Qui nunc Sulpic. accub. horr.*, h. e. allato enim a te vasculo unguentario, nardi pleno, vicissim ego vini Caleni cadum ex Sulpicii apotheca vinaria depromtum afferri iubebo. — *onyx*, tam de gemma, (quae ob similitudinem, quam cum digitorum unguibus habet, Graecis *ὄνυξ* vocata est,) quam de marmore, externam onychis speciem referente, sive *alabastrite*, dicitur. Iam cum vascula unguentaria primum quidem ex *onyche*, gemma, deinde ex *onyche*, marmore, conficerentur, factum est, ut quodque vasculum unguentarium, sive ex gemma sive ex marmore sive ex quocumque alio lapide excavatum, *onyx* appellaretur; vid. *Boettig.* — *accubat*, servatur, repositus est. — *horreum* de apotheca vinaria, ut supr. III. 28. 7. Porphyrion ad h. l.: *Sulpicii Galbae horrea dicit; hodieque etiam Galbae horrea vino et oleo similibusque aliis referta sunt;* vinum igitur Calenum vendebatur apud Sulpicium. — *Spes donare novas largus*, Graece pro: largus novae, quam donat, spei; supr. III. 21. 13. de amphora: *Tu spem reducis mentibus anxiis;* et hinc infr. Epist. I. 15. 19. *vinum cum spe divite in venas et animum manare* dicitur. — *amara curarum*, Graece, *τὰ πικρὰ τῶν μεριμνῶν*, pro: amaras curas. — *non ego meditor*, facete pro: non mihi est animus, nos: *ich bin nicht Willens, ich habe gar nicht Lust.* — *immunem*, nihil muneris afferentem, nihil ad compotationem conferentem. — *te tingere meis poculis*, te vino meo madefacere, irrigare, *τέγγειν*, pro

Verum pone moras et studium lucri,
Nigrorumque memor, dum licet, ignium
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

vulgari: excipere. — *Plena dives ut in domo*, quasi apud me, sicuti in beatiorum domo aliqua, magna rerum omnium vinique sit abundantia.

v. 25—28. *Verum pone moras et studium lucri*, sed posito, cui in commodum tuum intentus es, studio noli morari, vid. argum. Praetermissis, quas plures ad h. l. effutire sustinuerunt, nugis et argutiis, eorum tantum breviter attingam sententias, qui *studium lucri*, quod Horatius Virgilio tribuit, explicatione emollire studuerunt. Sunt igitur, qui *lucri studium*, ad doctos Virgilii labores sive ad eius carmina, quibus multum lucri fecerit, referant. Sed qui ex lucri studio Virgilium in scribendis versibus desudasse sibi persuadent, nae illi poetas veteres nostrae aetatis poetis mercenariis aequiparant! Alii, ut *Boettigerus* et *Mitscherlichius*, Horatium monere voluisse Virgilium arbitrantur, ne ex *lucri* forte *studio* antea computet, quanti constitura sit haec compotatio, vel, ne diu expendat, uter in hac collatione aliquid lucelli faciat; sed sic Horatius Virgilium, quem ditissimum fuisse constat (vid. Vit. Virgil. in Edit. Heynii VI. p. CLX.), ut hominem sordidissimum notasset. Alii aliter. Equidem per *lucri studium* diligentiorem, quam Virgilius in rebus suis gerendis collocabat, operam et curas designari existimo, praecipue cum eiusmodi diligentia in sensu honestiore semper cum lucro aliquo coniuncta sit, ita ut iam *pone studium lucri* nihil aliud sit, quam quod supr. III. 8. 20. Hor. ad Maecenatem scribit: *linque severa;* vel quod scribit infr. Epist. I. 5. 30. ad Torquatum, quem ad coenandum apud se invitat: *rebus omissis;* erat Torquatus iuris consultus, quem Hor. apud se coenandi causa clientibus deesse et perinde *lucri studium* deponere iubet. Quis enim verborum proprietatem urgeat in iis, quae familiares per iocum invicem sibi exprobrant? — *memor nigrorum ignium*, rogi, h. e. mortis. Sic *ignes atros* de rogis, quos caesis struit Aeneas, dixit Virgil. Aen. XI. 186: *Huc corpora quisque suorum More tulere patrum: subiectisque i g n i b u s a t r i s Conditur in tenebras altum caligine caelum.* — *Misce stultit. consil. brevem*, positis nonnunquam studiis gravioribus hilaritati indulge, s. studiorum severitatem hilaritate nonnunquam tempera; aperte igitur haec sententia respondet verbis *lucri studium ponere.* — *desipere*, liberius et licentius Genio suo indulgere, ut *furere* supr. II. 7. 28. et *μανῆναι* apud Anacreontem XIII. 12. — *in loco*, h. e. in tempore, *ἐν καιρῷ*, ut apud Terent. Adelph. II. 4. 8: *pecuniam in loco negligere.* Infr. Epist. I. 7. 57: *Et properare loco* (iusto tempore) *et cessare et quaerere et uti.*

CARMEN XIII.

AD LYCEN.

Audivere, Lyce, di mea vota, di
Audivere, Lyce: fis anus, et tamen
Vis formosa videri,
Ludisque et bibis impudens,
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. Ille virentis et

CARMEN XIII.

Quemadmodum Horatius supra I. 25. *Lydiam*, et III. 15. *Chlorin*, ita in hoc carmine *Lycen*, ut vetulam et turpiter adhuc iuveniles amores sectantem, tanquam in tabula depictam, omnium exponit derisui. — Tempus tandem, quo meritas pristinae superbiae poenas exsolvat Lyce, venisse ait; fieri enim illam, quod iam diu a diis efflagitaverit, nunc anum et, quamvis deperditae formae pigmentis et artibus meretriciis succurrere studeat, quamvis, ut ante, delicias faciat, immodice bibat et quovis modo ad libidinem exstimulare tentet iuvenes, deseri tamen et contemni ab omnibus; puellas enim pulchras tantum et adhuc floridas, qualis Chloë sit, peti ab amatoribus, vetulas et deformes, qualis nunc Lyce sit, susque deque haberi; periisse illius formae, qua ipse olim captus sit, venustatem nec eam Cois vestibus et margaritis ab illa reparari posse; imo fata Lycen servasse videri eo, ut anile eius placendi studium publico iuvenibus esset ludibrio. — Exstitere sine dubio plura apud poetas Graecos eiusmodi contumeliosorum in vetulas carminum exempla, quae colores Horatio ad adumbratas tam in hoc quam in duobus superioribus carminibus imagines suppeditasse videntur. — *Mitsch.* cum hoc carmine comparat Meleag. LXXVII. Anth. Gr. T. I. p. 23.

v. 1—12. *Audivere, di audivere*, magna cum vi ab initio statim ponit sententiam, laetitiae, qua fruitur poeta *χαιρέκακος*, causam continentem, nec minore cum vi eandem de re laeta triumphantium more repetit. — *ludis*, amantium more iocaris, delicias facis. supr. III. 15. 5: *Maturo propior desine funeri Inter l u d e r e virgines.* — *bibis impudens*, qualem fere supr. I. 36. 13. *multi Damalin meri* describit. — *tremulo*, epitheto ad vocis anilis, deficere incipientis, naturam designandam accommodatissimo. Similiter vox anilis apud Ovid. Fast. VI. 400. *tremens* dicitur. cf. Tibull. I. 2. 91. — *Cupidinem lentum sollicitas*, Cupidinem minus et minus iam preces tuas audientem advocas; frustra durum Cupidinem precibus tuis frangere et tibi propitium reddere tentas. — *Ille virentis* cett. ille propitius potius adest formosae et in flore aetatis constitutae psaltriae Chiae. — Cupido autem Chiae propitius dicitur in eius *pulchris genis excubare*, excubias quasi agere (nos:

Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim transvolat aridas
Quercus et refugit te, quia luridi
Dentes te, quia rugae
Turpant et capitis nives.
Nec Coae referunt iam tibi purpurae
Nec clari lapides tempora, quae semel

v. 10. 11. Alii distinguunt: *refugit*, *te quia* — *Dentes*, *te quia*. Minus recte. — v. 14. *cari*, Codd. non pauci, Acron, *Cruq.*, *Bentl. Cun.*, *San.*, *Wakef.* Sed non tam pretium quam claritas lapidum momentum affert ad externam corporis pulchritudinem; praeferenda est igitur altera lectio *clari*. *R.*

auf der Lauer sitzen), h. e. vim suam inde, ubi ille sedet, ita exserere, ut, quicumque in Chiae conspectum veniant, statim eius venustatis lenociniis et illecebris capiantur. Comparant Sophocl. Antig. 776: *Ἔρως — ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις*. cf. Pindar. Nem. VIII. 2, et plura in hanc rem apud *Mitsch.* — *Importunus*, facete Cupido, quod difficilem et parum commodum se praebet vetularum precibus, *importunus* vocatur, quasi ii quoque, qui vocati non veniunt, *importuni* sint. — *aridas quercus*, vetulas, ex nota imagine. Similiter supr. I. 25. 17. *vetulae* cum *aridis frondibus*, *puellae tenerae* vero cum virente *myrto* et *hedera* comparantur. cf. *Mitsch.* — *capitis nives*, lyrica audacia pro: caput canis conspersum. Antip. Thessal. XXI. 5. Anth. Gr. T. II. p. 100. (Anth. Pal. I. p. 248.): *τίθει δέ μιν, ὡς πρό γε τοῖον, Ὡς αὖτις πολιῷ γήραϊ νιφόμενον.* Epigr. Diogen. Laert. I. 85. p. 53: *Τῇδε Βίαντα κέκευθα, τὸν ἀτρέμας ἤγαγεν Ἑρμῆς Εἰς Ἀΐδην πολιῷ γήραϊ νιφόμενον.* Quintil. VIII. 6. 17.

v. 13—16. *Nec Coae referunt* cett. frustra tenerae aetatis annos semel praeterlapsos restituere tentas tam Coarum vestium quam unionum splendore, h. e. frustra puellari ornatu anilem aetatem dissimulare studes. In sententiam *Mitsch.* comparat Epigr. Lucian. VI. 1. sqq. Anth. Gr. T. III. p. 22. Eiusdem argumenti Epigr. Antiphili ex membranis primum protulit V. *Cl. Iacobs.* in *Animadv.* ad Anthol. Graec. Vol. II. P. II. p. 412. — *Coae purpurae*, vestes Coae purpura tinctae. Erant autem vestes Coae tenuitate sua praecipue in puellarum cultu spectabiles; hinc Tibullus II. 3. 53. de Nemesi, quam luxuria fluere cupit: *Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitque vias.* Dictae sunt *Coae*, quod *Cos* vel *Coos*, maris Aegaei insula, bombycum, e quorum tenuissima ianugine illae conficiebantur, mater fuit; vid. Plin. XI. 23. s. 27. VI. 27. s. 20. et ibi *Harduin.* — *clari lapides*, uniones, margaritae. cf. supr. ad III. 24. 48. — *tempora, quae semel not. condit. fast. incl. volucr. dies*, h. e. tempora, quae semel, postquam volucri dierum cursu praeterierunt, ut transacta in fastis notata et memoriae prodita

Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.
Quo fugit Venus, heu, quove color? decens
Quo motus? Quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi,
Felix post Cinaram, notaque et artium
Gratarum facies? Sed Cinarae breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulae temporibus Lycen,

v. 17. *decens* iungendum esse cum v. *motus*, non cum v. *color*, primus vidit *Bentl.* *R.*

sunt; ornate pro vulgari: iuvenilem aetatem semel transactam; — *fastis*, tabulis, in quibus praeteriti cuiusque anni dies consignati sunt; dicuntur *noti*, quia ob vulgarem ad dies vitae inde cognoscendos usum cuique satis noti erant.

v. 17—28. *Quo fugit Venus?* cett. cum Horatio contendit *Mitsch.* Rufin. Epigr. XXXVII. 1. T. III. p. 107: *Ποῦ σοι κεῖνα, Μέλισσα, τὰ χρύσεα καὶ περίοπτα Τῆς πολυθρυλλήτου κάλλεα φαντασίης;* cett. — *Venus*, amabilis gratia. — *color*, scilicet roseus; cf. supr. IV. 10. 4. — *decens quo motus?* intellige corporis gestus, quibus multum decoris et gratiae inest. Eiusmodi in corporis motu et incessu decentiam et *εὐπρέπειαν* Sulpiciae tribuit Tibull. IV. 2. 8: *Illam, quicquid agit, quoquo vestigia movit, Componit furtim subsequiturque decor.* — *quid habes illius, illius* cett. sententia: quid reliquum tibi est venustissimae illius speciei, quae cuique, qui in eius conspectum venerat, amorem statim inspirabat; quae meum quoque mihi eripuerat animum et quae, si a Cinara discesseris, praeclara, nobilis et omnibus, quae placent in puellis et deleniunt, instructa et ornata fuit? — *spirabat amores*, pro vulgari: ad amorem pelliciebat; suavissima enim imagine Lyces forma amores, qui in iuvenum pectora descenderunt, exspirasse et emisisse fingitur. Sic fere *πνέειν* et *προσπνέειν Ἔρωτας* apud Graecos, vid. *Mitsch.* — *Quae me surpuerat mihi*, Catull. LI. 5: *misero quod omnes Eripit sensus mihi*; similia ex poetis Graecis adduxit *Mitsch.* Horatium imitatus est auctor Epigr. CCLXVI. L. III. Anthol. Latin. *Burmann.* T. I. p. 687: *Me mihi surripuit contraria flamma sororum, Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.* — *artium gratarum*, variae sunt illae artes et lenociniorum genera, quibus puellae gratiam quandam formae suae conciliare student; ipsa earum *protervitas* supr. I. 19. 7. *grata* esse et *urere* dicitur. — *Cinaram*, vid. supr. IV. 1. 4. — *parem cornicis vetulae temporibus*, aequaevam grandaevae s. *annosae* (ut supr. III. 17. 13. *cornix* dicitur) cornici. Martialis quoque X. 67. 5. de vetula: *Iam*

Possent ut iuvenes visere fervidi
  Multo non sine risu
    Dilapsam in cineres facem.

CARMEN XIV.

AD AUGUSTUM.

Quae cura patrum quaeve Quiritium

v. 28. *Delapsam*, pars Codd. R.

cornicibus omnibus superstes. Similiter observante *Mitscherlichio*, Agath. VII. 1. Anth. Gr. T. IV. p. 5. plane γραῦν τρικόρωνον dixit. Plura in hanc rem vid. apud *Rittershusium* ad Oppian. Cyneg. II. 292. et *Ruhnken* Epist. Critic. p. 113. *fervidi*, qui iuvenili ardore adhuc fervent et amore aestuant; sic suaviter opponuntur vetulae, quae fervere desiit. — *Dilaps. in ciner. facem*, apta imagine pro: Lycen e puella olim fervida et formosa mutatam nunc in frigidam et deformem vetulam; Meleag. XLIX. 2. Anth. Gr. T. I. p. 16. — *in cineres*, hinc Martial. III. 93. 19. *Vetustillam*, postquam eam ut mulierem aetate plane confectam satis lepide descripsit, *dementem cineribus suis* (h. e. foeda effoeti corporis forma,) *virum prurire* adhuc *quaerere* ait; cf. Mart. X. 90. 2.

CARMEN XIV.

Arcto hoc carmen cum huius libri carmine quarto cognationis vinculo coniunctum est. Utrumque enim ad celebrandas victorias, quas duo Augusti privigni, Nerones, Drusus et Tiberius a Raetis et Vindelicis reportarunt, Augusti iussu ab Horatio compositum est. Superius quidem Drusi, natu minoris, hoc Tiberii, natu maioris, laudes complectitur. (Vide, quae de omni re ad utrumque Neronem spectante supr. in argum. ad carm. IV. breviter exposuimus.) In utroque autem carmine poeta consulto ita versatur, ut Drusi et Tiberii laudes ab Augusti laudibus, tanquam unico illarum fonte, derivet et sic Augustum utriusque carminis momentum maximum faciat. Supra scilicet Drusi laudes repetit ab Augusti cura vere paterna, quam is in illo educando et eius animo rite excolendo posuerit; Tiberii vero laudes a benignioris sortis felicitate, qua ei sub Augusti auspiciis egregia virtutis bellicae rudimenta deponere contigerit. — Sententiarum nexus est hic: „quomodo unquam fieri potest, ut Senatus Populusque Romanus dignos tuis, Auguste, virtutibus honores decernat? Tu enim es per totum terrarum orbem princeps longe maximus! Tuam in bello potentiam nuper experti sunt Vindelici! Nam primum Drusus exercitu, quem ei commiseras, Genaunorum et Breunorum graviter ultus est insolentiam. Mox bellum contra Raetos confecit, quem Druso adiutorem addideras, Tiberius. Is enim in hostes, velut Auster in indomitas undas, ruens et omnia, vel-

Plenis honorum muneribus tuas,
  Auguste, virtutes in aevum
    Per titulos memoresque fastos
Aeternet, o, qua sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum?
  Quem legis expertes Latinae
    Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. Milite nam tuo

v. 4. *fastos*, vulg.; *fastus*, e Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *Iani*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Mein.* *R.*

uti rapidus fluvius, prosternens, insigne in hoc bello fortitudinis specimen edidit. Sed haec omnia tuis copiis, tuo consilio, tuis denique auspiciis facta sunt! Ex quo tempore autem Alexandria capta bella civilia per te finita sunt, novis semper per quindecim nunc annos imperium Romanum auxisti victoriis; imo totus terrarum orbis tibi subiectus est et victi populi tuam admirantur potentiam!“ — Scriptum hoc carmen esse eo anno, quo Augusti post trium annorum absentiam magno omnium desiderio exspectabatur reditus, ex eius initio colligi potest.

v. 1—9. *Quae cur. patr. quaeve Quirit. — aeternet?* Qui unquam Senatus Populusque Romanus tantos honores animo concipere et decernere poterit, quantis virtutes tuae, Auguste, tam per publica monumenta quam per annua sollemnia, aeternitati tradendae sunt? — *plen. honor. muner.* h. e. satis amplis honorum ornamentis; *plenis*, iustis, nihil amplius; *honorum* enim *munera* dicuntur iam *plena*, quae viri magni amplitudinem, quam complecti et celebrare debent, plene complectuntur et celebrant; — *per titulos*, intellige statuas cum inscriptionibus, cf. IV. 8. 13. sqq. — *fastos*, h. e. tabulas publicas, in quibus, ut Ovid. Fast. I. 8. loquitur, *quaeque dies merito suo notata* est; in *fastis* igitur non solum res praeclare ab Augusto gestae, sed etiam dies festi, in memoriam eius quotannis celebrandi, notari debebant; hinc dicuntur *memores*, cf. supr. III. 17. 4. — Ovid. Fast. l. l. 9. ad *Germanicum*, Augusti per adoptionem nepotem: *Invenies illic et festa domestica vobis*; *Saepe tibi pater* (Tiberius) *est*, *saepe legendus avus* (Augustus.) — *o, qua sol hab. illustr. or., max. princip.* o princeps, cuius potentiam omnes per totum terrarum orbem suspiciunt! Similiter fere Cicero Catilin. IV. 10. de Pompeio: *Anteponatur omnibus Pompeius, cuius res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur.* — *Quem leg. expert. Lat. Vind. didic. nuper*, quantus ille esset in bello, id experti sunt nuper Vindelici, nondum antea a victore Romano leges sibi praescribi passi. — *didicere*, plane ut *sensere* supr. IV. 4. 25. de Druso: *diu lateque victrices catervae — sensere, quid — posset.*

v. 9—13. *Milite nam tuo*, Drusi igitur laudem cum egregii exercitus, quem ei Augustus commise-

Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces et arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.
Maior Neronum mox grave proelium
Commisit immanesque Raetos
Auspiciis pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis,
Indomitas prope qualis undas

v. 10. 11. In multis Codd. corrupta sunt *Genaunorum Breunorum que* nomina. Cf. *Feam* ad h. l. — v. 19. *fatigarat*, Codd. aliquot. — v. 20. *Indomitus*, coni. *Bentl.;* quae coniectura nunc firmatur ab Orellii Cod. Turic. Sed *Auster* epitheto non eget, cum per se sit ventus violentior; *undae* contra, quibuscum *saevi* illi Germaniae populi comparantur, bene definiuntur epitheto, quo saeva earum vis significatur. *R.*

rat, laude communicat. — *Genaunos, Breunos*, pro Raetis et Vindelicis ponit duos populos, tam regionis, quam incolebant, vicinitate, quam armorum societate cum illis coniunctos; vide de iis *Mannerti German.* p. 669. — *implacidum genus*, litotes, pro populo in bello saevissimo; *Genauni* enim, ut tradit Strabo IV. p. 142., non tantum mares quosque inter captivos trucidasse, sed ne potioris sexus foetui quidem, quem matres in utero gestare eorum vates praedixerant, pepercisse dicuntur. — *Breunosque veloces*, velocitas enim, qua praestant montani, multum in bello militibus campestribus et statariis negotii facessere solet.— *arc. Alpib. imposit. tremend.* castella Alpium iugis horrendae magnitudinis imposita; *deiecit*, h. e. deturbavit; apposite tam de montium incolis, quam de castellis in montium iugis exstructis. — *plus vice simplici*, h. e. gravi ultionis genere; in plurimis enim pugnis illatas ab illis iniurias gravi vice, h. e. iusta et merita poena ultus est Tiberius; de voce *vice* (cui respondet fere, quod Francogalli dicunt: *revanche*) cf. supr. I. 28. 32.

v. 14—24. *Maior Neronum*, Tiberius. *mox*, vid. argum. ad huius libri carmen quartum. *Raetos*, sc. cum Vindelicis et caeteris, qui foedere illis iuncti fuerunt; — *auspiciis secundis*, Augusto *deos suos*, ut v. 33. dicitur, *praebente;* sub felici Augusti imperio. — *Spectandus*, περίβλεπτος, non sine admiratione contemplandus, admirandus. — *Devot. mort. pect. lib. Quant. fatig. ruinis*, quantis cladibus conficeret populos liberam mortem servitio praeferentes, h. e. pertinaci consilio ad mortem usque pugnantes; — *devota pectora*, morti enim pro libertate suscipiendae ita se devovere solebant Germani et populi Celtici, ut, se vitam potius pro libertate posituros quam se hosti dedituros esse, sacramentum darent. — *Indomit. prope qual. und. Exerc. Aust., Plei. chor. scind. nub.* ruens in ho-

Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas et frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Appuli,
Cum saevit horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris,
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu
Primosque et extremos metendo
Stravit humum sine clade victor,

v. 24. *enses*, susp. *Bentl.* Idem v. 26 coni. *qua*, quod minime opus est. — *perfluit*, e Codd. nonnullis *Lamb.* — v. 28. *minitatur*, multi et satis boni Codd. ac Non. Marc. p. 203. Merc. Praetulit hanc lectionem praeter alios *Bentl.*, sed iniuria, nam vulgata *meditatur* longe audacior ac dignior est poeta lyrico. — v. 32. *humi*, e nonnullis Codd. Ed. Ven. 1492. al. *R.*

stes eosque reprimens, uti Auster sub Pleiadum ortu in mare procellosum ruere et assurgentes fluctus reprimere solet: *exercet*, agitat, retundit, comprimit. — *Pleïadum choro, Pleiades*, septem Atlantis filiae, inter stellas relatae, cum in humeris Tauri ita inter se iunctae apparerent, ut chori fere speciem referrent, ab earum positu et inter se iunctione *chorus* appellatae sunt; — *scindente nubes*, per scissas nubes prodeunte, h. e. oriente. Incidit autem Pleiadum ortus in a.d. X. Cal. Mai. igiturque in tempus, quo ventorum flatu serenitas reduci solet. Praeclare igitur Tiberius, populos indomitos compescens, cum Austro mare indomitum compescente et serenitatem reducente comparatur; — *medios per ignes*, ubi pugnantis vita in summum discrimen adducitur; Sil. Ital. XV. 41: *Per medias volitare acies mediosque per ignes;* sic διὰ πυρὸς apud Graecos, vid. Euripid. Electr. v. 1182. et ibi *Barnes.*

v. 25—34. *Sic tauriformis volv. Auf.* cett. Ducis fortis, in medios hostes se inferentis et magnam stragem inter eos edentis, cum rapido concitati fluminis impetu comparatio iam apud Hom. Il. V. 86 et 87. obvia; cf. Virg. Aen. X. 603. — *Aufid. qui regn. Daun. praefl. Appuli*, Apuliam praeterfluens, cf. III. 30. 10. De voce *praefluere* cf. supr. IV. 3. 10. Dicitur Aufidus *tauriformis*, quia tauri cornua vel a similitudine, quam fluctuum sonitus cum tauri mugitu habet (Hom. Iliad. XXI. 237: μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος de Scamandro), vel ab inexpugnabili robore, quod passim cornuum imagine designatur, fluviorum diis tribui solent; cf. *Boettig.* et *Mitsch.* — *saevit*, θύει, aestuat, extumescit; — *horrend. cult. Diluv. medit. agr.* et horrendo diluvio cultis agris vastationem minatur, — *meditatur diluviem*, ad diluviem immittendam se parat, diluviem immissum it; similiter supr. III. 22. 7. *verres*, ad ictus infligendos paratus, *ictus meditari*

Te copias, te consilium et tuos
Praebente divos. Nam tibi quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

dicitur; — *ferrata*, ferro munita, sublimius pro: armata; — *primosque et extrem. metendo*, Virgil. Aen. X. 513. de Aenea: *Proxima quaeque metit gladio;* ubi de locutione a messe ad caedem translata multa exempla ex utraque lingua collegit *Cerda;* cf. *Drakenb.* ad Sil. Ital. X. 147. Iam Homero Il. XI. 67. Graeci et Troiani magnam stragem ab utraque parte edentes *ἀμητῆρες* dicti sunt. — *sine clade victor*, ita ut in nullo proelio unquam cladem experiretur, sed semper hostes vinceret. Hinc Vell. II. 95: *Uterque Raetos Vindelicosque — maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum eorum sanguine, perdomuerunt.* Horatium imitatus est Ovid. Trist. II. 173: *Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas, Auspicium cui das grande deosque tuos.* Scilicet cum penes Augustum summum esset imperium, ea quoque bella, quibus ipse nec adesset nec praeesset, eius auspiciis gerebantur.

v. 34—40. *Nam tibi quo die* cett. Nam ab eo inde die, quo victor Alexandream ingressus es, per quindecim abhinc annos prosperrimus omnium, quae gessisti, bellorum eventus novum semper gloriae tuae splendorem addidit. — *Alexandrea supplex*, finge tibi Alexandreae patronam, eiusdem nominis deam, oleae ramis velatam Augusto se obviam tulisse et ad victoris genua prostratam urbem ei tradidisse. Sic passim in nummis antiquis *Urbium Patronae* conspiciuntur; vide, quem laudat *Boettig.*, *Rasch.* in Lexic. Numism. T. I. p. 319. — *portus*, de portu Alexandreae antiquitus nobilissimo vid. Strab. XVII. p. 1142. — *vacuam aulam*, Augusto enim Alexandream ingredienti Antonius et Cleopatra aulam, e qua in Mausoleum confugerant, vacuefecerant; — *lustro tertio*, nam cum bellum cum Antonio et Cleopatra U. C. DCCXXIV. (vid. Dio LI. 19.) cum Vindelicis vero et Raetis U. C. DCCXXXIX. finitum sit, interiectum tempus tria lustra sive quindecim annorum numerum efficit. Caeterum cum *quo die* recte, ut puto, explicari possit: „ab eo inde tempore, quo," non opus est cum interpretibus statuere, Horatium, eodem die, quo olim Alexandrea capta sit, bellum cum Vindelicis quoque confectum esse, designare voluisse, praecipue cum res praeclare et feliciter ab Augusto gestae, quas in versibus sequentibus enumerat poeta, pariter ad illud quindecim annorum intervallum referendae sint. — *optatum decus*, splendorem ex omnium votis tibi paratum; — *peract. imper. arrog.* pristinis rebus praeclare sub tuo imperio peractis adiecit.

Te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae:
Te fontium qui celat origines
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,
Te non paventis funera Galliae
Duraeque tellus audit Hiberiae,
Te caede gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.

v. 45. *qua*, susp. *Bentl.* — v. 49. *paventes — Galliae*, e duobus Codd. *Bentl. R.*

v. 41—52. *Te Cantab. non ant. dom.* supr. II. 6. 2: *Cantabrum indoctum iuga ferre nostra;* ubi cf. not. — *Medusque*, cf. supr. III. 5. 9. et ibi argum. — *Indus*, cf. supr. I. 12. 56. — *Scythes*, cf. supr. II. 9. 23. et III. 8. 23. *profugus*, cf. supr. I. 35. 9. — *tutela praesens*, pro deo Romani imperii tutelari, qui praesentia sua numen suum declarat, ut supr. III. 5. 2: *divus praesens*, ubi vid. not. — *dominae Rom.* cui, ut dominae, orbis terrarum paret. Similiter *Roma* infr. Epist. I. 7. 44. vocatur *regia.* — *Te font. qui celat orig.* Iam remotissimas devictorum ab Augusto populorum terras per fluvios eas alluentes sollemni poetarum more designat; per *Nilum* quidem Aegyptum, per *Istrum* Daciam, per *Tigrim* Armeniam. — *font. qui cel. orig.* Nili fontes, quos veteres ignorasse constat, unde Hor. Nilum *fontium origines celare*, Tibull. I. 7. 24: *caput suum occulere*, Ovid. Amor. III. 6. 40: *patriam tantae aquae celare*, ait (cf. Ovid. Metam. II. 255. Lucan. X. 190. Plin. V. 9.), nostrae demum aetatis hominibus, ut investigatos detegerent, contigit; vid. *Boettig.* — *rapidus Tigris*, hic Armeniae fluvius, a cursu eius rapidissimo, cum *sagittae* velocitate comparato, ipsum nomen suum *Tigris*, quo Medi *sagittam* insigniverint, accepisse traditur; vid. Plin. VI. 27. Varr. L. L. V. 20. — Respicere autem Hor. videtur annum U. C. DCCXXXIV., quo rex Tigranes Armeniis ab Augusto datus est; vid. Dio LIV. 9. — *belluosus*, belluis sive balaenis scatens, *μεγακήτης*, vid. Plin. IX. 5. De victis *Britannis* vid. supr. III. 5. 3. — *Galliae non paventis funera*, de forti Gallorum mortem haud in bellis expavescentium animo cf. Caes. B. G. VI. 14. Lucan. I. 460 sqq. Aelian. V. H. XII. 23. — *audit*, tibi dicto audiens est, tibi paret. — *Sygambri*, cf. supr. IV. 2. 36. — *compositis armis*, bello, armis depositis et repositis, composito, pro tenui: victi.

CARMEN XV.

AUGUSTI LAUDES.

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbes increpuit lyra,

v. 2. Non recte iungunt nonnulli *loqui* — *lyra. R.*

CARMEN XV.

Felicitatem Romano imperio per Augusti victorias partam celebraturus suaviter poeta fingit, se primum quidem Augusti proeliis et victoriis canendis vacare voluisse, sed, postquam ab Apolline de hoc temerario poetae tenuis ausu monitus fuerit, se inde aversum ad bona potius, quibus nunc Romani victis ab Augusto externis populis fruantur, advertisse animum. — Canit igitur, templo Iani nunc clauso pacata esse omnia; cum cultu agrorum rediisse fertilitatem et rerum abundantiam, pristinoque legibus restituto honore vigere iterum coepisse veterem illam disciplinam, qua imperii Romani maiestas, fama et nomen per totum terrarum orbem dilatum et propagatum sit; nec dubium esse, quin Augusto rerum custode domi forisque in posterum bella compressa et sepulta iaceant; proinde Augustum dignum esse, quem quisque cum uxore sua et liberis ut deum tutelarem pie colat et quovis die tam libationibus quam hymnis rite veneretur. — Comparent tirones hoc carmen cum huius libri carmine quinto et poetae in eadem fere sententia pertractata ingenium et ubertatem cognoscant. — Caeterum hoc carmen U. C. DCCXLIV. scriptum esse, ex versu 9 colligi potest, ubi vid. not.

v. 1—4. *Phoeb. vol. proel. me loqui* cett. Sententia: cum iam in eo essem, ut carmine sublimiore Augusti proelia et victorias canerem, ecce mihi Apollo adfuit et, ne temere ego poeta tenuis molirer grandia, graviore lyrae sono me increpando ab hoc conatu revocavit. — Varias mirasque, quas locutio: — *lyra increpuit*, protulit, explicationes vide apud Interpretes. Me quidem non poenitet eorum sententiae esse, qui Apollinem cum χοροῦ διδασκάλῳ comparatum esse existimant. Quemadmodum enim χοροῦ διδάσκαλος chorum, quem ad lyram moderatur, vel cantum aliquem perperam incipientem, vel a cantus modis aberrantem, graviore quodam lyrae sono increpat et sic rectius ei canendum esse significat, ita Apollo Horatium, qui male carmen, cui impar esset, canere inciperet, graviore quodam lyrae sono increpuisse et sic a temerario ausu revocasse fingitur. Multo igitur suaviore et Apollini accommodatiore imagine expressit Horatius, quod in re simillima apud Virgil. Eclog. VI. 3. de Apolline: *vellere aures* dicitur: *cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem Vellit et admonuit: pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.* — Novam in hoc loco explicando rationem iniit *Mitscherlichius.* Is enim fingendum nobis esse putat, Apollinem audito quasi poetae cantu bellico subito poetae adstitisse audientiamque sibi facturum lyram tetigisse atque tum demum oratione commonefecisse poetam. — Sed paucis, puto, haec explicatio probabitur.

Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas
Fruges et agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Iovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus et vacuum duellis

v. 7. *Direpta*, Codd. plerique et sic *Vanderb. R.*

— *Ne parv. Tyrrh. per aequor vel dar.* ne cum parva, qua ego uterer, cymba alto mari me committerem, h. e. ne tenui, quod mihi esset, ingenio audacter tentarem, quae magna tantum tentare possunt ingenia, sive: ne tentarem, cui impar essem, carmen epicum. Magni scilicet poetae, qui in re gravi et ampla versantur, in alto mari navigare, sive, ut Virgilius Georg. II. 41. ait, *vela patenti pelago dare* finguntur; at iis, qui res tenues tractant, cymba tantum, haud alto mari committenda, tribuitur. Propert. III. 7. 3: *Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor? Non sunt apta meae grandia vela rati.* Ovid. Trist. II. 329: *Non ideo debet pelago se credere, si qua Audet in exiguo ludere cymba lacu.* — *Tyrrhenum*, pro mari quovis.

v. 4—16. *Tua, Caesar, aetas,* cett. Observa poetae artem, qua lectorem in mediam rem abripit. Non ait enim: „ab Apolline igitur a re temere incepta deterritus, felicitatem potius per Augusti victorias nobis partam canam," sed eam statim canit. — *tua aetas*, aetas, quae sub tuo imperio nobis contigit, h. e. pax per te nobis data. — *fruges uberes*, ubertatem; supr. IV. 5. 8: *Nutrit rura Ceres almaque Faustitas.* — *signa nostr. rest. Iov. Derep. Parth. superb. post.* — De signis Romanorum militaribus a Parthis receptis, vid. supr. in argum. ad III. 5. Mentionem autem nunc facit horum signorum, quod non solum eorum recuperatio ad Augusti res gloriosissimas referebatur et certatim poetarum carminibus tum celebrabatur, vid. *Cerd.* ad Virg. Aen. VII. 607. sed etiam quod in illorum recuperatione, h. e. in victis Parthis, Romano nomini infestissimis, vel maxime nitebatur pacis, de qua sermo est, securitas; — *derepta*, cf. infr. Epist. I. 8. ubi Augustus *signa templorum* Parthorum *refixisse* dicitur. — *nostro Iovi*, Marti quidem ultori Augustus recuperata a Parthis signa consecrasse traditur, vid. Dio LIV. 8. sed cum poeta in universum nunc indicare vellet, signa illa populo Romano restituta esse, posuit deum, sub cuius peculiari tutela custodiri putabatur Romanum imperium; pro vulgari igitur *nobis* multo gravius dixit *nostro Iovi.* — *postibus*, sc. templorum; supr. III. 5. 18. in oratione Reguli: *Signa ego Punicis Affixa delubris et arma Militibus sine caede, dixit, Derepta vidi.* — *superbis*, magnifice ornatis; Virg. Aen. II. 504: *Barbarico postes auro spoliisque superbi.* — *duellum* antique pro: bellum. Cum *templum Iani* ter, ut Suetonius testatur Aug. Vit. c. 22., sub Augusto

Ianum Quirini clausit et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
   Iniecit emovitque culpas
      Et veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires famaque et imperi
   Porrecta maiestas ad ortus
      Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Caesare non furor

v. 9. *Ianum Quirini*, Codd. omnes. Multis placuit *Passeratii* coniectura *Ianum Quirinum* (quam *Doer.* quoque recepit); sed etsi sollemni nomine *Ianus Quirinus* appellatus fuerit (cf. Macrob. I. 9: *In sacris quoque invocamus Ianum Quirinum, quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant.* Suet. Octav. c. 22: *Ianum Quirinum ter clusit*), consulto tamen Horatius ab hac formula recessisse videtur, ut Ianum significaret a Quirino positum (Aur. Vict. 3.). — *clusit*, scripserunt *Cuningh., Iani, Mitsch., Doer.* (ut Od. III. 5. 23); sed omnes Codd. praeter unum Vanderburgii tuentur vulg. lect. *clausit.* — v. 11. Nonnulli Codd. praebent *domuitque* (ut Od. IV. 5. 22.), alii *dimovitque, demovitque, amovitque*, plurimi denique et optimi *emovitque*, quae unice vera est lectio. — v. 15. *ortum*, vulg. lectio; sed in plerisque libris legitur *ortus*, quod praeter alios recte praetulerunt *Vanderb., Iahn, Mein., Or.* Facilius enim pluralis mutari poterat a librariis in sing., quam contra. *R.*

clausum fuerit, primum quidem U. C. DCCXXV. post victoriam Actiacam, vid. Dio LI. 20., secundum DCCXXX. post bellum Cantabricum, vid. Dio LIII. 26., tertium, ut probatum ivit *Masson.* in *Templ. Ian. Reser.* p. 208. U. C. DCCXLIV, recte interpretes hoc carmen ad annum, quo tertium Iani templum clausum fuit, referunt. Iam vero cum totum hoc carmen in describenda reductae pacis felicitate versetur; summa illa de templo Iani clauso laetitia occasionem huic scribendo carmini dedisse videtur. — *vacuum duellis*, quod Iano clauso vacua bello fuit respublica. — *evag. fren. lic. Iniec.* sic supr. III. 24. 29: *indomitam refrenare licentiam.* — *emovit culpas*, recidenda curavit flagitia, exstirpavit. Similiter supr. IV. 5. 22: *Mos et lex maculosum edomuit nefas.* — *veteres artes*, veterem disciplinam, de qua Livius in Prooemio: *Caeterum aut me amor negotii suscepti fallit aut nulla unquam respublica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis ditior fuit.* — *maiestas*, gloria et amplitudo; *ab Hesperio cubili*, ab Oceano, ubi sol conditur, sive, ut prisca sibi fingebat antiquitas, cubitum it, h. e. a solis occasu. Comparant Tibull. II. 5. 57: *Roma tuum nomen terris fatale regendis, — Quaque patent ortus et qua fluitantibus undis Solis anhelantes abluit amnis equos.*

v. 17—24. *Custode rerum Caesare*, sic supr. IV. 5. 2. *Optimus Romulae gentis custos*, et carmine antecedente v. 43. *tutela praesens Italiae dominaeque Romae* vocatur; — *non furor*, seditio; *furor* et *furere* apud Ciceronem quoque passim de bellis civilibus; — *vis*, violentia; supr. III. 14. 14: *ego nec tumul-*

Civilis aut vis exiget otium,
   Non ira, quae procudit enses
      Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia, non Getae,
   Non Seres infidive Persae,
      Non Tanain prope flumen orti.
Nosque et profestis lucibus et sacris
Inter iocosi munera Liberi

v. 18. *eximet*, Codd. plerique et sic *Cruq., Torr., Fea, Vanderb., Iahn.* al. Sed praestat quod Codd. aliquot exhibent et Porphyr. quoque legisse videtur: *exiget*; „*eximere* enim de re molesta plerumque dicitur, ut *eximere curam, metum* etc. Otium vero et pacem et cetera laeta vel quae extra hominum consistunt non tam *eximi* quam *adimi* dicuntur. Rectius igitur legemus *exiget*, i. e. excludet, expellet, exturbabit." *Bentl.* — v. 23. *infidique*, pars Codd. *R.*

tum Nec mori per vim metuam tenente Caesare terras. — *exiget otium*, pacem ex imperio Romano abiget et expellet; — *inimicat*, ad bellum concitat. — *qui profund. Danub. bib.* Istri accolae, Germani, Raeti, Daci cett. ut supr. II. 20. 20. — *Rhodani potores* de Gallis, cf. carm. antec. v. 46. — *edicta Iulia*, quae Augustus in pacis conditionibus observanda praescripsit victis populis. — *Getae*, ultra *Dacos* quidem Orientem et pontum Euxinum versus ad Istrum sedem suam habebant *Getae*, vid. Strab. VII. p. 467. sed promiscue a Romanis pro *Dacis* ponuntur, vid. Plin. IV. 12. Fusi illi sunt primum U. C. DCCXXXIV. a Lentulo, cf. supr. ad III. 8. 18. debellati vero DCCLIII. a Tiberio, vid. Dio LIV. 36. — *Seres*, Seres enim vel Indi, postquam legatos ad Augustum, qui eius amicitiam peterent, Antiochiam miserant (de qua legatione Augusto honorificentissima vid. Sueton. Aug. Vit. c. 21.), pro populis, qui Romano imperio se subiecissent, habebantur. — *Persae*, Parthi. — *Tanain prop. fl. ort.* Tanais accolae, Scythae.

v. 25—32. *Nosque et profest. luc. et sacr.* cett. Sententia: nos vero, quibus tanta sub tanto principe securitate et felicitate frui licet, unoquoque die, tam non festo, quam festo, una cum uxoribus nostris et liberis, deos ante inter vina sollemnibus libationibus venerati egregia bonorum principum facta et Troiam, unde originem nostram ducimus, et Anchisen et almae Veneris propaginem carminibus ad modos Lydios decantatis ex more maiorum celebrabimus! — Molliores sane pii gratique in bonum principem animi sensus ita hic locus spirat, ut eius lectione vel durioris ingenii hominem suaviter affectum iri existimes. — *profestis*, diebus non festis quoque, h. e. quotidie: unusquisque enim civis cum suis privatim Augustum ex mente poetae pie venerari debet; *dies profesti*, nos: *Werkel-Tage;* cf. infr. ad Sat. II. 2. 116. — *Inter iocosi mun. Lib.* libationes enim mensis secun-

Cum prole matronisque nostris
Rite deos prius apprecati,
Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Troiamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.

dis inter vina institui solebant; cf. supr. IV. 5. 33. — *iocosi*, cf. supr. III. 21. 15. ubi vid. not. — *Virtute functos*, virtutis laude, qua muneris sui partibus egregie perfuncti sunt, claros et nobiles, principes egregios. — *more patrum* — *convivas* enim *in epulis* apud veteres Romanos *solitos fuisse canere ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus* Cicero in Quaest. Tusc. I. 2. ex Catonis Originibus refert. — *Lydis remixt. carm. tibiis*, h. e. sollemni more decantato carmine, quod Lydiarum tibiarum modis sociatum est. Noti apud veteres in arte musica sunt *modi Dorii*, *Ionii*, *Lydii*, *Aeolii*, *Phrygii*, in quibus *modi Lydii* laetitiae inprimis exprimendae adhibiti fuisse traduntur; vid. Interpr. ad h. l. — *almae prog. Ven.* itaque Augustum quoque, quem per adoptionem in gentem Iuliam ab Ascanio deductam transiisse constat.

Q. HORATII FLACCI
EPODON LIBER.

CARMEN I.
AD MAECENATEM.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,

CARMEN I.

Cum ad ea, in quibus verae amicitiae fides spectaretur, referri quoque soleret promtus paratusque vel in remotissimas terras amicum comitandi animus (cf. supr. II. 6. et ibi not.); eiusmodi occasionem, qua Maecenati fidem suam in amicitia probaret, cupide amplexus est Horatius. Maecenati enim iam id agenti, ut Augustum in bello contra Antonium et Cleopatram secuturus Brundusium, quo senatores et equestris dignitatis viri evocati fuerant (vid. Dio L. 11.), se conferret, poeta, se, quamvis probe gnarum, exiguam fore, quam praesentia sua ei in bellum proficiscenti praestare possit, operam, tamen, cum nullo loco sine eo iucundam vitam agere possit et suus de eo metus multo minor in eius comitatu futurus sit, forti animo per omnes terras ad ultimum earum usque terminum illum secuturum esse, mollissimo animi sensu declarat. In quo quidem capto consilio ne forte lucri studio ductus esse videatur, *αὐτάρκειαν* suam laudando et se ab omni divitiarum colligendarum studio alienissimum esse profitendo, integerrimae amicitiae laudem sibi vindicat. Caeterum si verum est, quod *Massonus* in Vita Horatii evincere studuit, Maecenatem anno DCCXXII, quo pugna ad Actium commissa est, urbi praefectum fuisse, illum a perficiendo, quod primum ceperat, consilio deinde retentum esse statuendum est. De inscriptione huius libri *Epodon*, sive ab Horatio sive a Grammatico aliquo profecta, unde illa petita fuerit, et quo sensu accipienda sit, non amplius ambigi potest. Scilicet iamborum inventor, Archilochus, eiusmodi quoque Iamborum genus invenisse dicitur (vid Plutarch. de Music. p. 1141.), quos *ἐπῳδούς* appellaret, quia in illis, ut Diomedes p. 482. (edit. *Putsch.*) ait, *versuum partes*

Cum prole matronisque nostris
Rite deos prius apprecati,
Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Troiamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.

dis inter vina instituì solebant; cf. supr. IV. 5. 33. — *iocosi*, cf. supr. III. 21. 15. ubi vid. not. — *Virtute functos*, virtutis laude, qua muneris sui partibus egregie perfuncti sunt, claros et nobiles, principes egregios. — *more patrum* — *convivas* enim *in epulis* apud veteres Romanos *solitos fuisse canere ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus* Cicero in Quaest. Tusc. I. 2. ex Catonis Originibus refert. — *Lydis remixt. carm. tibiis*, h. e. sollemni more decantato carmine, quod Lydiarum tibiarum modis sociatum est. Noti apud veteres in arte musica sunt *modi Dorii*, *Ionii*, *Lydii*, *Aeolii*, *Phrygii*, in quibus *modi Lydii* laetitiae inprimis exprimendae adhibiti fuisse traduntur; vid. Interpr. ad h. l. — *almae prog. Ven.* itaque Augustum quoque, quem per adoptionem in gentem Iuliam ab Ascanio deductam transiisse constat.

Q. HORATII FLACCI
EPODON LIBER.

CARMEN I.
AD MAECENATEM.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,

CARMEN I.

Cum ad ea, in quibus verae amicitiae fides spectaretur, referri quoque soleret promtus paratusque vel in remotissimas terras amicum comitandi animus (cf. supr. II. 6. et ibi not.); eiusmodi occasionem, qua Maecenati fidem suam in amicitia probaret, cupide amplexus est Horatius. Maecenati enim iam id agenti, ut Augustum in bello contra Antonium et Cleopatram secuturus Brundusium, quo senatores et equestris dignitatis viri evocati fuerant (vid. Dio L. 11.), se conferret, poeta, sc, quamvis probe gnarum, exiguam fore, quam praesentia sua ei in bellum proficiscenti praestare possit, operam, tamen, cum nullo loco sine eo iucundam vitam agere possit et suus de eo metus multo minor in eius comitatu futurus sit, forti animo per omnes terras ad ultimum earum usque terminum illum secuturum esse, mollissimo animi sensu declarat. In quo quidem capto consilio ne forte lucri studio ductus esse videatur, *αὐτάρκειαν* suam laudando et se ab omni divitiarum colligendarum studio alienissimum esse profitendo, integerrimae amicitiae laudem sibi vindicat. Caeterum si verum est, quod *Massonus* in Vita Horatii evincere studuit, Maecenatem anno DCCXXII, quo pugna ad Actium commissa est, urbi praefectum fuisse, illum a perficiendo, quod primum ceperat, consilio deinde retentum esse statuendum est. De inscriptione huius libri *Epodon*, sive ab Horatio sive a Grammatico aliquo profecta, unde illa petita fuerit, et quo sensu accipienda sit, non amplius ambigi potest. Scilicet iamborum inventor, Archilochus, eiusmodi quoque Iamborum genus invenisse dicitur (vid Plutarch. de Music. p. 1141.), quos *ἐπῳδοὺς* appellaret, quia in illis, ut Diomedes p. 482. (edit. *Putsch.*) ait, *versuum partes*

Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo.
Quid nos? quibus te vita si superstite
Iucunda, si contra, gravis.
Utrumne iussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul,

v. 1—4. Non recte statuerunt nonnulli, haec interrogantis verba esse; neque enim miratur Horatius, Maecenatem commune cum Augusto periculum subire paratum esse, aut deterrere eum studet ab incepto, sed quid *sibi* faciendum sit, cum amicus in bellum proficiscatur, haesitat. Cf. *Iahnium* ad Od. IV. 1. — v. 4. *tui*, emendavit *Wakef.*; *Caesari — tuo*, proposuit *Bothius*, quia alterius periculum sine suo nemo subire possit. Recte contra *Iahnius*: *Tuo* propter oppositum *Caesaris periculum* necessario additur. — v. 5. *sit*, pleraeque editiones ante *Bentl.*, qui recte reduxit quod praestantissimi quique tuentur Codd.: *si*. *R.*

(h. e. versus breviores) *legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται*, h. e. accinuntur, vel, ut Hephaestion de Metr. p. 70. edit. *Pauw.* docet, ὅταν μεγάλῳ στίχῳ περιττόν τι ἐπιφέρηται. Iam vero cum ipse Horatius Archilochi se imitatorem profiteatur, (Epist. I. 19. 23: *Parios ego primus Iambos Ostendi Latio, numeros animosque secutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.*), hic liber Epodon autem eius iuvenilia inprimis et maledicentiora carmina contineat, profecto eorum sententia, qui ipsum illa ad Archilochi exemplum latiore sensu Epodon inscriptione tam insignivisse quam publicasse existimant, magnam veritatis speciem prae se ferre videtur; confer omnino, quae docte de huius libri inscriptione disputavit *Boettigerus*.

v. 1—4. *Ibis Liburn. inter alta nav.* cett. Sententia: certum quidem est, te, amicissime Maecenas, commune cum Augusto in pugna navali periculum subire paratum, naves Liburnas conscensurum et inter formidabilem hostium classem navigaturum esse. — per *naves Liburnas*, de quibus vide supr. ad I. 37. 30. designatur classis Augusti, per *alta navium propugnacula* autem classis Antonii et Cleopatrae, cuius *naves*, ut tradit Flor. IV. 11: *turribus atque tabulatis allevatae castellorum et urbium species prae se ferebant*; vid. Dio L. 18. Hinc Virgil. de classe Antonii Aen. VIII. 690: *pelago credas innare revolsas Cycladas aut montes concurrere montibus altos; Tanta mole viri turritis puppibus instant.* cf. Plin. XXXII. 1. — Qui *alta navium propugnacula* de maioribus, quae in classe Augusti fuerint, navibus explicant, non solum a fide historica recedunt, sed etiam periculi, de quo poeta maxime sollicitus est, magnitudinem nisi tollunt plane, certe elevant et minuunt.

v. 5—10. *Quid nos? quibus* cett. Quid ego igitur, te in tam periculosum bellum proficiscente, faciam? ego, cui vita, si te superstite vivitur, iucunda, at, si quid tibi acciderit, gravis et tristis est? — *si te superstite*, sc. vita contigerit; plane ut mox versu 8. *ni tecum simul*, sc. otium contigerit. — *Utrumne iuss. perseq. oti. non dulc. ni tec. simul*,

An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus et te vel per Alpium iuga,
Inhospitalem et Caucasum,
Vel occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuvem meo,
Imbellis ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet;
Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet
Magis relictis, non, ut adsit, auxili
Latura plus praesentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae;

v. 15. *laborem*, multi Codd. et veteres editt. — v. 17. *sim*, ex emendatione Nic. Heinsii *Bentl.* Sed accommodatior est indicativus, qui significat certum quod iam cepit poeta cum Maecenate in bellum proficiscendi consilium. — v. 21. In multis Codd. pro: *ut adsit* legitur *ut sit*, e cuius correctione orta videtur nonnullorum Codd. lectio *uti sit*, quam non recipere debebat *Bentl.* *R.*

An hunc laborem cett. utrumne, quod me facere iubes, domi ego vitam otiosam, non nisi in tua societate mihi iucundam, sectabor, an forti potius animo una tecum belli labores perferam? pro vulgari: utrumne ego ex tua voluntate domi manebo, an una tecum in bellum proficiscar?

v. 12—18. *Inhospital. Caucas.* cf. supr. ad I. 22. 6. — *Vel occident. usque ad ult. sinum*, ad extremos usque occidentem versus Oceani terminos; *labore meo*, mea militia, mea, quam in bello sustinere possum, opera. — *Imbellis ac parum firmus*, ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις. — *habet*, ἔχει, occupat, occupare solet.

v. 19—22. *Ut assid. implum. pull.* cett. uti fere avis, pullis implumibus assidens (pro tenui: pullos implumes habens), magis iis relictis (in casu tertio) serpentium allapsus timet, h. e. de iis relictis magis, quam si assideat, ob serpentium allapsus sollicita est; quamquam, licet (*ut*) adsit, iis praesentia sua non plus, quam si absit, auxilii latura est. Sic non opus videtur, ut cum *Bentleio* pro: *non, ut adsit, auxili* cett. rescribatur: *non, uti sit auxili* cett., quod explicat: non quo, vel: non quod, sed an recte *uti* ita explicari possit, valde dubito. — *Serpens* avibus, praecipue pullis, infestum animal, infr. in Epist. ad Pis. v. 13: *non ut Serpentes avibus geminentur*.

v. 23—30. *Libent. hoc et omn. milit.* cett. Libenter ego tam in hoc quam in quovis alio bello militis vicem obibo, modo id tibi gratum

Non ut iuvencis illigata pluribus
    Aratra nitantur mea,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
    Lucana mutet pascuis,
Neque ut superni villa candens Tusculi
    Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua
    Ditavit: haud paravero,
Quod aut avarus ut Chremes terra premam
    Discinctus aut perdam ut nepos.

v. 26. Pro vulgata lectione *meis* e nonnullis libris *Bentl.* dedit *mea;* neque enim in *meis iuvencis pluribus* aut duplex adiectivum aut pravam et luxatam collocationem tolerari posse. Equidem praetulerim *meis*, cum sententia sit: „non ut plures *ego possideam* iuvencos, quibus illigata aratra nitantur.“ Itaque cum vi quadam *meis* in fine sententiae positum videtur. — v. 28. *pascuis*, propter Codd. auctoritatem recte vulgatae lectioni *pascua* praetulerunt *Bentl.*, *Fea*, *Vanderb.*, *Iahn*, *Mein.*, *Or.* „Facilius etiam nomen accommodari poterat ad propinquius adi. *Lucana* quam contra.“ — v. 29. *supini*, coni. *Bentl.* — v. 34. *ut*, cum nonnullis Codd. (etiam antiquiss. Bern.) omiserunt *Mein.* et *Or. R.*

fore sperare potero; alia, quae alii spectant, belli praemia, ampliora latifundia, egregia pascua, villas magnificas, nihil equidem moror. — *Non ut iuvenc. illig. plur. aratr. nit. mea*, exquisitiore loquendi ratione pro: *Non ut plures iuvenci aratris meis illigati nitantur*, h. e. luctentur, vires in terra per aratrum proscindenda intendant, pro tenui: arent. pro *meis*, quod plur. editt. exhibent, cum *Bentleio* dedi: *mea*, quod postulat fere orationis concinnitas. — *Pecusve Calabr. ant. sid. fervid. Lucan. mut. pasc.* in egregiis enim Calabriae et Lucaniae pascuis numerosos beatiores Romani greges et armenta alere solebant, ita quidem, ut ea ante ortum Sirii circa mensem ferme Iunium e Calabria, vehementiori solis aestui exposita (unde *Calabria* supr. I. 31. 5: *aestuosa* dicitur), in saltuosam et frigidiorem Lucaniae regionem agerent et sic pascua Calabra cum Lucanis mutarent. cf. infr. Epist. I. 8. 6. — *Neque ut villa candens*, nec ut villa mea Sabina, ex candente marmore, ut villae ditiorum, exstructa; *tangat*, tam longe extendatur et porrigatur, ut attingat. — — *Circaea moenia Tusculi*, h. e. Tusculum (nunc *Frascati*), cuius conditor, Circes filius, Telegonus, fuisse traditur; cf. supr. ad III. 29. 8. — *superni*, super iugo, ubi illud situm fuit, prominentis: nisi quis pro *superni* cum *Bentleio*: *supini* legere malit; similiter certe supr. III. 4. 23: *Tibur supinum* vocatur.

v. 31 — 34. *Satis superque me benign. tua dit.* Sabinum enim suum Maecenatis liberalitati acceptum referebat Horatius; hinc ille supr. II. 18. 12: *nec largiora flagito*, *satis beatus unicis Sabinis.* — *avarus ut Chremes*, non Chremetem Terentianum, sed senem illum avarum, qui apud Menandrum in *Thesauro* aurum in monumento quodam defodisse

CARMEN II.

Beatus ille, qui procul negotiis,
    Ut prisca gens mortalium,

fingitur, intelligendum esse, iam *Boettigerus* ad h. l. monuit. — *ut nepos discinctus*, ut homo negligens et prodigus, qualis fere *Nomentanus* in Sermonibus describitur; — *discinctus*, proprie de eo, qui male cinctus laxa tunica incedit, quod desidiosae et mollioris fere vitae signum fuit; hinc *discincti* dicti sunt homines negligentes et parum rerum suarum curiosi; — *nepos*, helluo, rem familiarem per luxum et libidinem perdens atque dilapidans; haud dubie inde, quod, qui ab avis educantur, vel mollissimo avorum suorum amore fruuntur, haud raro blanda eorum indulgentia corrumpuntur. Sed Festus sub voce *nepos: luxuriosae vitae homines nepotes appellantur, quod non magis his rei suae familiaris cura est, quam iis, quibus pater avusque vivunt.*

CARMEN II.

Homines divitiarum colligendarum cupiditate praepediri, quo minus felicioris vitae iucunditatibus perfruantur, Alfii, feneratoris cuiusdam, exemplo proposito declarat. Alfium enim, curarum et vitae suae molestioris pertaesum, ita de vitae rusticae, cui se consecraturus erat, felicitate et iucunditate in hoc carmine loquentem inducit, ut illum omni fenore nunc plane solutum reliquam vitam in agris transacturum fuisse putes. Verum enim vero bonus Alfius quoque, qui divitiarum colligendarum cupiditate se transversum agi pateretur, homo fuit. Nam postquam dulcissimam illam voluptatem, quae in agris vel ex vitium et arborum cultu vel ex pascentium gregum adspectu vel ex melle condendo vel ex ovibus tondendis vel ex pomis uvisque carpendis vel ex suavi, quo quis sub arboris umbra ad salientem fontem prostratus fruitur, otio vel ex venatione vel ex aucupio cett. percipi possit, ante oculos posuit; postquam domesticam, qua rusticus cum casta sua coniuge vivere solet, felicitatem suavissime descripsit, hominisque agrestis frugalitatem, longe ditiorum opulentiae praeferendam, praeclare laudavit; ne multa! postquam Alfius feliciorem, quae in agris vivitur, vitam luculentis coloribus adumbratam animo suo repraesentavit, ecce! qui modo futurus erat rusticus, ad quaestum ex fenore faciendum redit! — Egregie plane vitae rusticae felicitatem in hoc carmine descriptam esse, nemo adhuc negavit, sed qui eam ab homine tam sordido, qualis Alfius fuit, commendatam nollent, fuere plures. Hinc quatuor ultimos huius carminis versus posteriore demum aetate ab Horatio adiectos esse nonnullis statuere placuit. Sed ii omnes, ut nihil dicam, iam versu quarto haud obscure vitae suae conditionem designasse Alfium, consilium, cur feneratorem inprimis vitae rusticae nunc laudatorem fecerit poeta, parum perspexisse videntur. Scilicet ut vim

Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fenore,
Neque excitatur classico miles truci,
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine

v. 3. *bubus*, e Codd. *Lamb.*, *Mitsch.*, *Doer.* al. — v. 5. *ut miles*, Codd. aliquot apud *Feam. R.*

illam, qua insatiabilis divitiarum cupiditas pervertere saepe hominum mentes et honestissima ex iis pellere soleat consilia, non verbis tantum et sententiis, quod saepissime Hor. fecit alias, sed etiam vivo quasi exemplo quodam manifestam redderet, aptus, quem intuendum omnibus proponeret, visus ei est dives quidam fenerator Alfius. Is igitur in hoc carmine partes agit hominis, qui, postquam meliora laudavit probavitque, deteriora sequitur. Vix enim Alfius vitae rusticae felicitatis laudes decantaverat, cum statim ad pristinum fenoris exercendi studium rediret. Sublata autem in hoc carmine Alfii persona, tota huius carminis gravitas tollitur. — Feneratoris *Alfii* mentionem quoque facit Columell. I. 7. 2. — Cum nobilissima, quam hoc carmen continet, vitae rusticae descriptione cf. infr. Sat. II. 6. 59 sqq. Virgil. Georg. II. 458. et alios ibi a *Cerda* et *Heynio* laudatos.

v. 1—8. *negotiis*, in quaestu faciendo versantibus et proinde variis curis animum districtum tenentibus; — *rura exercet*, elegantius pro: arat. Sic *solum exercere presso sub vomere* apud Virgil. Georg. II. 356. — *solutus omni fenore*, liber ab omni rei fenebris studio. — *Neque excitat. class. mil. truci* cett. qui neque miles e somno ad pugnam excitatur, neque mercator naufragii periculum expavescit, neque rebus forensibus operam dat, neque molesta illa, quibus potentiorum gratiam et favorem sibi colligat, obit officia. — *excitat. classic. mil.* classica enim noctu quoque, subito ab hostibus facto impetu, ad milites e somno excitandos canebantur; qua quidem re passim militiae curae et molestiae designari solent; Tibull. I. 1. 4: *Martia cui somnos classica pulsa fugent*; — *truci*, refer ad terribilem classici sonum, quo milites ex somno exterreantur. — *superba limina*, intellige magnifica et splendida atria, quae clientes salutatum venientes terebant. *Mitsch.* explicat *superba*, ubi superbe clientes tractentur, comparato loco Columellae Praef. I. 7 sqq. ubi inter alia dicitur: *neque enim roganti, quid agatur intus, respondere servi dignantur.* Caeterum hunc locum Claudianus quoque in rusticae vitae descriptione imitatus est LII. v. 7. 8: *Non freta mercator tremuit, non classica miles, Non rauci lites pertulit ille fori.*

v. 9 — 22. Molestiis illis vel ad quaestum vel ad gloriae et honorum studium spectantibus negotiis opponit ea, quae miram in agris voluptatem creant. Quo magis autem ap-

Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges,
Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores inserit,
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves;
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,

Versus 13 et 14 post G. Fabricium et Henr. Stephanum multi editores, etiam *Mitsch.* et *Doering.*, contra omnium, ut videtur, Codd. fidem transposuerunt, ut post maritationem vitis continuo sequeretur insitio. At cum maritatio fiat mense Octobri, putatio et insitio mense Martio (ut recte monuit *Bentl.*), noluit Horatius has duas res inter se coniungere, sed insitionem iunxit potius cum armentorum prospectu. — v. 13. Male *Bentl.* pro Codd. omnium lectione *Inutilesque* dedit *Inutilesve;* cf. supra Od. II. 12. 6. — v. 18. Pro vulgata lectione *arvis* (quae nata videtur ex Virgil. Georg. II. 541.) recte a *Bentl.* plurimisque recentioribus editoribus recepta est altera, quam vetustissimi quique tuentur Codd. *agris. R.*

pareat, quanta illorum sit copia et varietas, non ordinem quendam in iis recensendis servat, sed ea tantum, quae sponte animo offeruntur, delibat. — *Ergo*, is igitur, — *aut adult. vit. propag. alt. marit. pop.* aut vites novellas (*Senkreben*) annectit populis; vites enim non *ulmis* tantum (vid. supr. ad II. 15. 4.), sed etiam *populis* adiungi solebant; vid. Plin. XIV. 1. — *adult. vit. propag.* suaviter de novellis vitibus, usque eo adultis, vel tantum roboris nactis, ut in arbusta transponi possent, quod fiebat anno tertio; vid. Plin. XVII. 23. et Columell. de Arbor. VII. — *maritat*, vid. supr. ad IV. 5. 30. — *reducta*, sc. in sinus, h. e. curva, ut supra I. 17. 17. Virg. Aen. VII. 703. — *mugientium*, resonans enim in vastis agris boum mugitus ad ea, quae rerum agrestium amantes delectant, referri solet. Virg. Georg. II. 470: *Mugitusque boum mollesque sub arbore somni Non desunt.* — *Inutil. falc. amput. felic. inserit*, et opus insitionis peragit (nos: *er pfropft und veredelt Bäume*); quod fit, si arborum truncis, unde rami *inutiles* (h. e. steriles et ex ignobili stirpe procreati,) resecti sunt, génerosiores et foecundiores inseruntur; Columell. V. 11: *Tria genera porro insitionum antiqui tradiderunt: unum, quo resecta et fissa arbor resectos surculos accipit.* Ovid. Rem. Am. 195: *Venerit insitio, fac ramum ramus adoptet.* cf. Virg. Georg. II. 74 sqq. — *feliciores*, intellige surculos (*Pfropfreise*) e nobiliore stirpe prognatos; hinc *arbores felices*, in quibus melioris notae poma nascuntur (*veredelte Obstbäume*); Liv. V. 24: *nulla felix arbor, nihil frugiferum in agris relictum;* cf. Claud. X. 66. *Aut press. pur. mell. cond. amph.* Columell. IX. 15. 3: *Ubi liquatum mel in subiectum defluxit alveum, transfertur in vasa fi-*

Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hibernus Iovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,

v. 21. *quis*, cum Cuningh. *Fea;* perperam. — v. 25. *rivis*, Fea e Codd. Sed vulgata lectio *ripis* et Codd. auctoritate potior est et multo aptior ad designandam loci amoenitatem. Cf. *Iahnium* et *Orellium* ad h. l. — v. 27. *Frondesque*, coni. *Markland.* Bene tamen praeter rivos celeri cursu labentes fontes quoque leniter murmurantes hic memorantur. Cf. annot. *R.*

ctilia. — *infirmas*, natura enim sua imbecilles sunt oves; hinc illae apud Ovidium quoque ibid. 44. *infirmum pecus* audiunt. — *cum decor. mit. pom. cap. Aut. agris extulit*, suavi imagine pro vulgari: tempore autumni; *decorum*, exquisite pro: *pulchre* vel *rite redimitum*, ut supr. III. 14. 7: *decorae Supplice vitta Virginum matres.* — *Autumnus* vero, uti Bacchus fere, coronam e ramis pomiferis contextam capite gestare fingitur; vid. *Boettig.* — *insitiva*, ipsius manu inserta (*selbst gepfropfte*). — *Priape*, Priapo enim, ut hortorum deo, pomorum primitiae offerebantur; cf. Catull. XX. 6—9. — *Silvan. tutor fin.* cf. supr. III. 29. 23.

v. 23—28. *in tenaci gramine*, in toro gramineo; *tenax*, epitheton ornans, ad naturam graminis, quod tenaciter terrae adhaeret, nec facile inde cum radice evelli potest, referendum. — *Fontesque lymphis* cett. inversa constructio pro: et lymphae manantes fontium obstrepunt. — Iam vero cum lympha ex fonte aliquo desiliens et *crepante pede* (ut loquitur Hor. infr. Epod. XVI. 48.) praeteriens mollissime ad somnum invitet, vetus lectio *Fontesque* lectioni a *Marklando* propositae *Frondesque* praeferenda est.

v. 29—36. *cum tonant. ann. hib. Iov. imbr. niv. comp.* ornate pro tenui: redeunte hieme. *Tonantis*, refer ad Iovis caelum terramque ad certum ordinem moderantis maiestatem; nisi quis malit cum *Boettigero* cogitare de tempestatibus, quae cum tonitru permixtae sub hiemis initio in Italia saevire solent; — *comparat*, in aëre colligens collectasque

Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
Iucunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?
Quodsi pudica mulier in partem iuvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus

v. 35. *Pavidumve*, coni. *Bentl.* — v. 37. *malorum*, Edit. Ald. 1501. et sic *Bothius*, iungens: *curas, quas amor malorum habet. R.*

inde demittens. — *Aut amite lev. rar. tend. ret. turd. edac. dol.* aut turdis struit insidias, vacat aucupio (nos: *oder er geht auf den Vogelheerd*). — Per *amitem levem* intellige furculam sive perticam levigatam, cuius ope rete ex illa suspensum avibus superiniicitur. — *turdis edac. dol.* ut dolose iis turdos escae appetentiores capiat; *dolus* enim turdis paratur esca apposita, cuius cupiditate allecti in insidias incidunt; *turdi* sunt aves, quas nostrates: *Zipp- und Weindrosseln*, vel in universum *Krammets Vögel* appellant. — *advenam gruem*, aves *advenae* vel *peregrinae* (nos: *Zug-Vögel*) opponuntur *vernaculis*, h. e. quae in regione, ubi natae sunt, per hiemem quoque manent; *gruem* ad lautiores Romanorum epulas pertinuisse, apparet infr. Sat. II. 8. 87. cf. Plin. X. 23. s. 30. — *praemia*, saepe pro: praeda; vide in re nota *Broukhus.* ad Tibull. I. 2. 26. et *Burm.* ad Ovid. Fast. V. 204.

v. 37—38. *Quis non mal. quas amor cur. hab.* cett. Cum vocis *amor* latius pateat significatio, in ea explicanda mire fluctuant interpretes. Sed si cogitamus, feneratorem loqui, orationem ita exorsum: *Beatus ille, qui procul negotiis — Solutus omni fenore*, iam *amorem* pro habendi cupiditate et nominatim pro fenoris exercendi studio accipiendum esse, vix dubitari potest. Sensus igitur erit: quis inter haec negotia rustica non malis istis curis, quae cum lucri faciendi studio coniunctae sunt, solvitur? — *amor*, sc. habendi, quod paulo licentius omisit; addidit illud infr. Epist. I. 7. 85. ut Ovid. Art. Am. III. 541. et Rem. 571; et sic passim *auri, argenti, nummi amor.* Sed non raro simpliciter *amor* eam, de qua sermo est, cupiditatem designat. Sic infr. Epist. I. 1. 84. simpliciter *amor* de aedificandi amore: *lacus et mare sentit amorem Festinantis heri.* cf. Epist. I. 2. 37. — [Rectior mihi videtur eorum ratio, qui ipsum feminarum amorem h. l. intelligunt. *R.*]

v. 39—60. *Quodsi pudica* cett. Quodsi ad haec omnia accedat hoc, ut communem rerum domesticarum curam gerat pudica materfamilias, quae marito ab opere diurno redeunti, accenso in foco igne, quo fessus ille recreetur, amanter prospiciat, oves claudat, mulgeat, et vino horno depromto agrestem coenam apparet; tum tenuis, quem rus suppeditat, victus me quidem magis quam epulae conquisitissimae sumtuosissimaeque delectaverit. — *in partem iuvet domum*, comparant Euripid. Electr. v. 71 sqq. — *Sabina qualis*, laudatur passim, quae

Pernicis uxor Appuli,
Sacrum vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus laetum pecus
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemtas apparet;
Non me Lucrina iuverint conchylia
Magisve rhombus aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare;

v. 43. *Sacrumque*, coni. *Lamb.*; *sacrum et*, de Mureti coni. *Zeune*, *Mitsch.*, *Doer.*; e sex Codd., ut ait, *Valart.* Sed ab omnibus, quos novimus, Codicibus abest hoc *et;* et recte quidem, cum non novum quid addatur, sed singillatim nunc exemplis demonstretur, quomodo talis coniux in partem domum iuvet. *R.*

apud veteres Sabinos viguerit, tam morum sanctitas quam domesticae disciplinae severitas; cf. supr. III. 6. 38. et Columell. Praef. ad Lib. XII. 7—10. — *pernicis*, refer ad corporis agilitatem, quae multa exercitatione paratur; sic apud Liv. LXIV. 34: *corpus pernicissimum*, et XXVIII. 20: *corpora multa exercitatione pernicia.* — Horatium imitatus est Statius Silv. V. 1. 122 sqq.: *velut Appula coniux Agricolae parci vel sole infecta Sabino, Quae videt emeriti iam prospectantibus astris Tempus adesse viri, propere mensasque torosque Instruit exspectatque sonum redeuntis aratri.* — *Sacr. vetust. exstr.* — *Lass. sub adv. vir.*, scilicet ut *aquam calidam*, qua *fessus* maritus lavetur, *comparet*, ut Tibull. I. 10. 42. disertius in re simillima loquitur; — *sacrum*, sc. *Laribus; vetustis* pro: aridis. — *pecus laetum*, luxurians saliensque ob bonam corporis habitudinem. — *distenta siccet ubera*, ornatius pro tenui: mulgeat; *horna vina*, hornotina, hoc ipso demum anno nata, adeoque fere adhuc mustum. — *promens dulci dolio*, mustum scilicet servabatur primum in *cupa* sive *dolio* capaciore, unde illud, quando defaecatum fuerat, in amphoras, testas vel cados *defundebatur;* vinum igitur *ex dolio haustum*, vel *doliare*, bibere solebant tenuiores vel pauperiores, *defusum* vero et in apothecis vinariis reconditum beatiores; vid. *Boettig.* et quem *Ernesti* in Clav. Cic. s. v. *dolium* laudat *Abram.* ad Cic. Philipp. II. 27. — *dulci*, in quibus dulce vinum sive mustum conditum est; *conchylia Lucrina*, e lacu Lucrino petita, quae caeteris ostreis a lautiorum epularum aestimatoribus praeferri solebant; cf. infr. Sat. II. 4. 32. et Macrob. II. 11. — *Magisve*, cf. ad Od. I. 3. 16. — *rhombus* (*Schollenfisch*, *Bütte*), passim inter melioris notae pisces laudatur; cf. infr. Sat. I. 2. 116. Columell. VIII. 17. 9. — *scari*, vide, quos de hoc nobiliore pisce laudat *Iacobs.* in *Animadv.* ad Anth. Gr. Vol. III. Pars I. p. 89. — *Si quos Eois in*

Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis et gravi
Malvae salubres corpori,
Vel agna festis caesa Terminalibus,
Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas ut iuvat pastas oves
Videre properantes domum,
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido,
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!

v. 54. *Ionius*, Fea. *R.*

ton. fluct. hiems ad h. v. m. si forte tempestas magno cum tumultu in mari Eoo exorta eorum inde quosdam ad mare vicinum dispulerit; — *Afra avis*, gallina Numidica, guttata (*Perlhuhn*); vid. *Schneid.* ad Columell. VIII. 2. 2. — *attagen Ionicus* (*rothes gehaubtes Haselhuhn*), est ille adhuc regionum Asiaticarum inprimis indigena; — *herba lapathi* (*Sauerampfer*), a verbo λαπάζειν, h. e. inanire, sc. alvum; hinc infr. Sat. II. 4. 29: *si dura morabitur alvus — pellent obstantia conchae Et lapathi brevis herba.* — *prata amantis*, pratensis, in pratis praecipue et locis udis atque palustribus nascentis; Plin. XX. 21. — *malvae salubres corpori gravi*, h. e. alvum adstrictiorem levantes; hinc supr. I. 31. 16. dicuntur *leves;* Mart. X. 48. 7: *Exoneraturas ventrem mihi villica malvas Attulit et varias quas habet hortus, opes.* — *Terminal.* Celebrabantur *Terminalia* a. d. VII. Cal. Mart. vide de iis Ovid. Fast. II. 639 sqq. — *caesa agna*, Ovid. l. l. v. 655: *Spargitur et caesa communis Terminus agna.* — *haed. erept. lup.* vel quod eiusmodi haedus, iam lupi dentibus laesus, mactari omnino debet, vel quod ea, quae bona fortuna nobis servata et reddita sunt, studiosius in usum et fructum convertimus.

v. 61—70. *Has inter epulas* cett. Iam dulcissimam illam voluptatem, qua vespertino tempore post peractos diei labores rusticus perfunditur, breviter adumbrat. Concipit nempe animo fenerator iucundissimum illum sensum, quo rusticus inter epulas agrestes vel ovium pastarum domum properantium, vel boum cum inverso vomere ad stabulum redeuntium, vel vernarum circa Lares sedentium adspectu afficitur! — *videre fess. vom. invers. bov. Coll. trah. langu.* cf. supr. III. 6. 41. et quem laudat *Mitsch.* Oppian. Cyneg. I. 138 sqq. — *vomerem inversum collo trahentes*, h. e. aratra vomere inverso iugo suspensa trahentes; Virgil. Eclog. II. 66: *Adspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci.* — *renidentes*, ignis in foco

Hacc ubi locutus fenerator Alfius,
Iamiam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Calendis ponere.

CARMEN III.

AD MAECENATEM.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,

v. 67. *Alphius* vulgo scribitur. Rectius *Bentl.* aliique plures dederunt *Alfius*, quod Codd. auctoritate satis firmatur. — v. 69. *relcgit*, Codicum pars et sic *Lamb.*, *Torr.*, *Vanderb.* Sed vetustiores omnes Codd. exhibent *redegit*, quod longe aptius esse h. l. multis exemplis probavit *Bentl.* *R.*

accensi splendore refulgentes; Mart. III. 58. 22: *Cingunt serenum* (lucentem) *lactei focum vernae Et larga festos lucet ad Lares silva.* — *Haec ubi locutus* cett. Nihilominus tamen *fenerator Alfius*, *haec locutus*, *ubi*, *iamiam futurus rusticus*, *omnem pecuniam* (ad praedium sibi emendum) *Idibus redegit*, eandem mutato consilio proximis *Calendis quaerit ponere* (denuo fenori dare). — Scilicet *Calendae* et *Idus* duo illi apud Romanos cuiusque mensis dies fuere, quibus pecunia vel fenori daretur, vel fenori data redigeretur (de locutione: *pecuniam redigere*, multa exempla dedit *Bentl.*); hinc non *Calendae* tantum debitoribus, ut Hor. infr. Sat. I. 3. 87. dicit, *tristes* fuere, sed etiam *Idus*, ut Catilinae, cui Cicero in Orat. I. in Catil. c. 6: *fortunarum ruinas proximis Idibus impendere* sit. — *pecuniam ponere* pro: fenori dare; sic infr. Epist. ad Pis. v. 421: *Dives agris, dives positis in fenore nummis;* et sic apud Cic. Verr. III. 70: *cum posita esset pecunia apud eas societates, unde erat attributa, binis centesimis feneratus est.* Sic apud Graecos βαλλειν, καταβάλλειν, τιθέναι, de quibus vide, quem *Mitsch.* laudat, *Taylor.* ad Lys. p. 580.

CARMEN III.

Postquam *allium* Horatius inter medios, quibus se misere illo sumto affligi queritur, cruciatus tanquam herbam, qua nulla nunquam a veneficis tractata sit potentior, graviter in hoc carmine exsecratus est, Maecenatem, ne puellas forte gravi eius foetore ab amplexibus suis dimoveat, lepide allio abstinere iubet. — Iocum utique aliquem, quo Horatium suum Maecenas facete luserat, huic carmini occasionem dedisse, ex epitheto *iocosus*, quod v. 20. Maecenati tribuit poeta, satis probabiliter colligi posse existimo. Quodsi igitur sumimus, Maecenatem Horatio ad se vocato inter alias epulas rusticum quoddam edulium sive moretum ex allio confectum, quod maxime eum detestari sciret, apposuisse et sic illusum suaviter derisisse, causam certe, quae poetam ad hoc car-

Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum iuga
Perunxit hoc Iasonem;

v. 3. *edit*, antiqua subiunctivi forma, mutata in multis Codd. in usitatiorem *edat*. „*Edit* potius dicendum quam *edat*. Antiqui enim dicebant *edim*, *edis edit*.“ *Acron Nannii.* Minus recte alii *edit* pro perfecto habuerunt, explicantes: „si quis patrem occiderit, fecit hoc ideo, quod allium ante edit eoque in furorem actus est.“ *R.*

men scribendum impulerit, satis idoneam ponimus.

v. 1 — 4. *Parentis olim si quis* cett. Homini isti omnium scelestissimo, qui aliquando in parricidio deprehensus fuerit, supplicium decernatur id, ut allium cicuta nocentius sumat. — *olim*, iam de tempore futuro. — *cicutis*, de *cicuta* (cuius succus est genus quoddam veneni, quod apud Athenienses damnati, ut Socrates, sumere cogebantur), vid. Plin. XXV. 13. s. 95. — *o dura messorum ilia*, sc. quae perferre valent vim istam allii pestiferam! messoribus eiusmodi moretum ex allio et aliis contusis herbis confectum rustica mulier Thestylis parat apud Virgil. Eclog. II. 10: *Thestylis et rapido fessis messoribus aestu Allia serpyllumque herbas contundit olentes.*

v. 5—14. *Quid hoc veneni*, quale dixerim ego illud veneni esse, quod cett. — *viperinus cruor*, qui vim praesentissimi veneni habere putabatur; hinc supr. I. 8. 10. proverbiali locutione: *vitare aliquid sanguine viperino cautius.* — *incoctus*, coquunt enim et incoquunt herbas venenatas veneficae; sic *cocta gramina* apud Propert. II. 4. 8. et Medea apud Ovid. Met. VIII. 265: *Seminaque floresque et succos incoquit acres.* — *me fefellit*, mihi fraudi fuit. — *Canidia*, cuius scelera infr. in carmine quinto et decimo septimo insectatur; — *tractavit*, miscuit. — *malas*, venenatas; *malus*, ut Graecorum κακός, saepe de rebus noxiis et veneno infectis; vid. *Drakenb.* ad Sil. Ital. VIII. 500. et *Burmann.* ad Petron. c. LVIII. — *Ut Argonaut. praeter omn. candid. Medea* cett. Sententia: allio sive allii succis Medea, postquam prae caeteris Argonautis ducis eorum pulchritudine capta fuit, Iasonem tauris iuga antea insueta illigaturum inunxisse credibile est, ut flammas, quas spirabant, perferre posset. — *ignota taur. illig. iuga*, pro vulgari: tauros illigaturum ignotis iugis; plane ut supr. Epod. I. 25: *Non ut iuvencis illigata pluribus Aratra nitantur mea;* cf. de hac re, quos laudant Interpretes, Pind. Pyth. IV. 221. Apollon. Rhod. III. 1041. et

Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae,
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At si quid unquam tale concupiveris,
Iocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

v. 20. *Iocosa*, de Marklandi coni. *Wakef.* Vide annot. — v. 21. Minus recte *Lambinus* aliique scribunt *suavio*. Cf. *Iahnium* ad h. l. *R.*

Val. Flacc. VII. 463. — *candidum*, pulchrum, formosum, ut saepe. — *mirata est*, amore eius, postquam cum admiratione eius formam contemplata fuerat, capta fuit; cf. supr. I. 4. 19. IV. 9. 15. — *Hoc delibut. ult. don. pellic.* Allii quoque succis Medea dona illa nuptialia (pallam et coronam), quibus pellicem (*Creusam* sive *Glaucen*, novam Iasonis coniugem) ulcisceretur, delibuisse videtur; qua re peracta illa curru alatis serpentibus uncto aufugit. — Habebant enim venena illa, quibus dona nuptialia inunxisse Medea dicitur, hanc vim, ut Creusam cum tota eius domo comburerent. Res ex Euripidis Medea satis nota, cf. Hygin. Fab. XXV. et Apollodor. II. 28. cf. infr. Epod. V. 63. — *fugit*, Athenas nempe, vid. Apollodor. I. 9. 28. — *Serpente alite*, h. e. alato, ut supr. IV. 11. 26: *Pegasus ales.*

v. 15—18. *Nec tantus unquam sid. insedit vapor* cett. nec tanto unquam solis aestu sub Sirii ortu arida illa terra Apulia (cf. III. 30. 11.) exusta est, nec tanto aestu fortis olim Hercules per vestem a Deianira acceptam correptus est, quanto ego nunc per pestiferum, quod sumsi, corripior allium! — *siderum vapor*, aestus, qui saevit sub ortu Sirii; *munus*, vestis, Nessi cruore tincta; vide Ovid. Met. IX. 130 sqq. — *efficacis*, gravissima quaeque effecta reddentis, invicti.

v. 19—22. *tale*, suaviter pro allio, quod ne nomine quidem suo prae eius contemtu appellat; — *iocose*, vid. argum. Pro *iocose*, quod sane, nisi ad iocum, de quo in argum. diximus, referimus, parum Maecenatis dignitati convenit, *Marklandus* rescribendum esse censet: *Iocosa*, ut ad puellam referatur; sed ne puella quidem, quae ob allii foetorem oscula repudiat, satis commode *iocosa* dicitur. — *manum sav. oppon. tuo*, Propert. II. 29. 39: *Dixit et opposita propellens savia dextra Prosilit.* — *extrema in sponda cubet*, extrema lecti parte a te semota cubet, ne allii foetorem trahat.

CARMEN IV.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Hibericis peruste funibus latus
Et crura dura compede.

CARMEN IV.

Acerbissime poeta in hoc carmine hominis cuiusdam, qui e servo tribunus militum factus erat, superbiam et insolentiam traducit. Rem indignam plane et vix ferendam esse ait, quod homo, qui servus olim loris caesus et compede vinctus fuerit, nunc divitiis locupletatus omnes alios prae se contemnat, superbo gressu in toga laxa per viam sacram se conspiciendum inferat, amplissima latifundia possideat, curru mannis iuncto per viam Appiam volitet et tribuni militum dignitate superbiens prima sedilia in spectaculis inter equites occupet! — Vulgo quidem hoc carmen: *In Sext. Menam Pompeii Libertum*, inscribitur, sed recte deleta est haec inscriptio ab interpretibus recentioribus. Nam cum de tribuni militum honoribus, quos *Menas* gesserit, nihil aliunde constet, nec ea, quae de servilibus poenis in hoc carmine commemorantur, in eum cadere videantur, infamis denique eius perfidia, quam vel maxime poeta notaturus fuisset, ne verbo quidem in eo notata fuerit; perperam illud a veteribus scholiastis ad *Menam*, *Pompeii libertum*, relatum esse facile apparet. [*Orellius* e quatuor Codicum inscriptionibus colligit, hoc carmen scriptum esse ad *Vedium* quendam *Rufum*, probante *Obbario*, in Iahnii Annal. 1838. VIII. 4. p. 373 sq. *R.*] — Incidit autem hoc carmen, si illud, ut ex versu 19 colligere licet, anno circiter U. C. DCCXVIII., quo exercitum contra Pompeii servilem manum missurus erat Octavianus, scriptum est, in ea tempora, quibus plures omnino, qui infimo loco nati tam bonis quam honoribus proscriptorum ad se translatis altius verticem extollerent, extitisse satis constat. Eiusmodi igitur hominem aliquem, cuius nomen scire nihil attinet, poeta in hoc carmine tanquam in tabula depictum omnium derisui et contemtui proposuit. — Obversatum Horatio esse Anacreontem, Fragm. XXVII. (edit. *Fisch.*) *Toupius* in *Epist. Crit.* p. 180. monuit.

v. 1—4. *Lupis et agn. quanta* cett. Quantum lupis cum agnis, tantum tecum mihi intercedit odium, h. e. tu omnium mihi infestissimus es. De lupis et agnis sibi invicem infestissimis Homer. Iliad. XXII. 263: *Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν, Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.* — *sortito*, ex affectu et instinctu cuique animalium per sortem fatalem insito. — *peruste*, significanter pro: notate, lora enim, dum terga notant, graviter eadem simul urunt; hinc apud Catull. XXV. 10: *inusta flagella*, ubi cf. not. infr. Epist. I. 16. 47: *loris non ureris aio.* — *funibus Hibericis*, ex sparto, quod in Hiberia s. Hispania nascebatur, tortis;

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam
Cum bis trium ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
„Sectus flagellis hic triumviralibus
„Praeconis ad fastidium
„Arat Falerni mille fundi iugera,
„Et Appiam mannis terit,

v. 8. *bis ter*, Codd. omnes. *bis trium*, probabiliter coni. *Barthius*, Adv. IV. 26., quem secuti sunt *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Iahn*, *Doer.*, *Mein.*, *Or.* *R.*

vid. Plin. XIX. 1. s. 2. et cf. ad Catull. LXIV. 227. — *crura*, sc. peruste. — *dura compede*, nequiores praecipue servi tam in ergastulis quam in opere foras faciendo compedes gestare solebant.

v. 5—10. *Licet superb. ambul. pecun.* licet superbo tuo incessu te divitem esse ostentes; *ambulare*, ut Sat. I. 2. 25: *Malthinus tunicis demissis ambulat*, de iis, qui incessu dignitatem quandam affectant. — *Fortuna non mutat genus*, manes tamen semper servilis conditionis homo. — *Viam Sacram*, hanc viam enim frequentare inprimis solebat hominum otiosorum turba; cf. infr. Sat. I. 9. 1. — *te metiente*, suaviter iam *viam metiri*, ut paulo ante *ambulare*, dicitur is, qui se non vulgarem hominem esse ostensurus incessu dignitatem suam prodere studet; incedit autem eiusmodi homo vanus ita, ut gressus ad *mensuram quandam* dirigere videatur. — Pro vulgari lectione: *bis ter ulnarum*, cum *Bentleio*: *bis trium ulnarum* latinitate id postulante, dedi; vid. *Bentl.* — Toga laxa autem, vel, ut Ovidius Remed. Amor. 680. loquitur, *toga laxo sinu conspicienda*, ab hominibus mollibus, luxuriosis et divitibus, tanquam opulentiae insigne, gestabatur. Hinc apud Ciceronem in Cat. II. 10. homines molliores *velis, non togis amicti* dicuntur. — *Ut ora vert. huc et h. eunt. liberr. indign.* ut in via Sacra te hinc illinc transeuntes converso ad te ore liberrime indignationem suam prodant? Sequentem orationem: *Sectus flagellis* cett. apte et graviter poeta vanum nostrum hominem in via Sacra transeuntibus suggerit.

v. 11—16. *flagellis triumviral.* de triumviris capitalibus, qui suppliciis a damnatis sumendis praeerant, vid. *Lipsium* ad Tacit. Annal. V. 9. et *Cort.* ad Sallust. Catil. 55. Eosdem de poenis servilibus ius dixisse docet *Pignor. de Servis* p. 13. — *Praeconis ad fastidium*, scilicet, quo gravior poena olim ab isto homine sumta fuerat, eo maiori illa fastidio et molestiae fuit praeconi, qui tam poenae causam quam magnum plagarum numerum publice pronunciare debuerat. — *Arat*, possidet, nihil amplius, ut supr. III. 16. 26. — *fundi Falerni*, in Campania, ubi ob regionis cum amoenitatem tum

„Sedilibusque magnus in primis eques
„Othone contemto sedet.
„Quid attinet tot ora navium gravi
„Rostrata duci pondere
„Contra latrones atque servilem manum,
„Hoc hoc tribuno militum?"

CARMEN V.

IN CANIDIAM VENEFICAM.

At, o deorum quicquid in caelo regit

v. 17. *aera*, susp. *Bentl.* — Carm. V. v. 1. *quisquis — regis*, Diomedes p. 527. Prisc. p. 1105. Sed omnes Codd. exhibent *quicquid*, non pauci *regit*, atque ita citatur a Servio ad Aen. VII. 363 et IX. 144; et a Don. ad Terent. IV. 1. Recte igitur *Bentl.*: „mihi fixum firmumque est *regit* ab Horatio profectum esse. Non enim puer ille, quicumque erat, deos hic precatur, sed Canidiam et socias alloquitur, ut ex ipso carmine patet . . . Neque vero invocatio deorum est, sed exclamatio dumtaxat et obtestatio." *R.*

fertilitatem latifundia sua habebant Romanorum ditissimi. — *manni*, cf. supr. III. 27. 7. equi Gallici (*Zelter*), parvi quidem, sed velocitate sua nobiles, quibus beatiores inprimis ad celeriora in villas facienda itinera usi sunt; Lucret. III. 1076: *Currit agens mannos in villam hic praecipitanter.* — *Appiam terit*, per viam Appiam vehitur; haec via enim celeberrima ducebat in Campaniam et Brundusium. — *Sedil. magn. in prim. equ. Oth. cont. sedet*, et in spectaculis, elusa et susque deque habita lege Roscia, tanquam magnus eques prima sedilia occupat. — Lege enim theatrali, quam *L. Roscius Otho* U. C. DCLXXXVI. tulit, sancitum fuit, ne quis in quatuordecim gradibus sive cuneis orchestrae, in qua senatores sedebant, proximis sederet, nisi qui eques et equestri censu esset. Sed iste homo, quamvis ut tribunus militum equestri dignitate gaudebat, hactenus tamen legem Othonis *contemnebat*, h. e. eludebat, quod ex mente Othonis plebs et servilis conditionis homines, qualis iste fuit, ab equitibus secerni debebant.

v. 17—20. *Quid attinet* cett. Sententia: quid expedit tanto apparatu classem instruere, ut latrones et servos vincamus, si servi apud nos ad tribuni militum honores evehuntur? — *ora nav. grav. pond. rostrata*, h. e. rostra navium gravi aeris pondere munita. — *latron. atque servil. man.* Pompeii enim exercitus, contra quem debellandum Octavianus U. C. DCCXVIII. profectus est, maximam partem tum ex piratis et servis undique collectis constabat; vid. Dio XLVIII. 20. Flor. IV. 8. cf. infr. IX. 9—10.

CARMEN V.

Ad probrosa illa carmina, quibus vetularum amores petulanter Horatius insectatus est, pertinet inprimis hoc, quod in anili Canidiae libidine diffamanda versatur. E mul-

Terras et humanum genus,
Quid iste fert tumultus? aut quid omnium
Voltus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus

v. 3. *et quid*, lectio vulgata. *aut quid*, Codd. aliquot (inter quos *Orellii* duo antiquissimi) et sic praeter alios *Mitsch.*, *Doer.*, *Orell. R.*

tis, quos insolenter olim tractasse videtur Canidia, amatoribus, unus tantum, ut poeta narrat, ei relictus fuerat, ridiculus scilicet quidam senex *Varus*, et hic ipse alia simul scorta sectans. Ab his igitur cum eius animum non avertere posset formae, quam aetas abstulerat, lenocinio, ad artem magicam, qua ei vim faceret, confugere debebat libidine furens Canidia. Hinc, sive ista a superstitiosa plebe vere pro venefica habita, sive, quae hoc nomine differretur, digna poetae visa fuerit, nefanda, quae furiosa anus ad libidinosi senis animum sibi uni devinciendum perpetraverit, enarrantur in hoc carmine scelera. In quibus cum unum praecipue atrocitate superaret caetera omnia, horrendum nempe illud consilium, quo ista ex pueri ingenui, fame enecti, medulla et iecore efficacissimum philtrum conficere instituerit; huius totius rei scenam in hoc carmine repraesentat et Canidiam sacra magica cum tribus aliis administris, Sagana, Veia et Folia, adornantem inducit; adest puer, et cum malum sibi a Canidia parari ex truci eius in se defixo vultu animadvertit, eam, ut sibi parcat, per omnes deos rogat et obsecrat, sed frustra! Canidia miserum puerum, praetexta ei derepta, denudat, sacra magica apparat et varia, quae iis adhiberi solebant, accendi iubet. Sagana domum lustrat et Veia scrobem effodit, quo puer, ad mentum usque ita infossus, ut appositas dapes videre quidem, nec tamen eas attingere posset, in philtri miscendi usum fame pereat. Nec deest huic sacrorum magicorum administrationi Folia, famosa pariter tum venefica. Mox Canidia horrendo carmine rerum magicarum numina, Noctem et Hecaten, appellat easque, ut Varum sibi adducant, precatur. Quo non veniente indignatur illa de vano incantationis suae eventu, et efficaciorem istam ex pueri iecore et medulla comparandam potionem minatur. Puer interim nulla sui miseratione veneficas tangi sentiens diras veneficis istis imprecatur, quas ipse poeta Canidiae in hoc carmine imprecaturus erat.

v. 1—10. Puer mala, quae sibi immineant, expavescens in haec verba erumpit: — *At, o deorum, quicquid in cael. reg. terr. et hum. gen.*, h. e. at per deos immortales, quid sibi vult hic tumultuosus apparatus? *quicquid deorum*, nota elegantia, pro: omnes dii. Liv. III. 25: *et quicquid deorum est.* Idem II. 35: *quicquid patrum*, pro: omnes patres. Plura vid. apud *Drakenb.* ad Liv. T. IV. p. 675. — *tumultus*, videbat enim in rebus magicis apparandis huc et illuc discurrere veneficas. — *aut quid*, sc. sibi volunt. — *in unum*, sc. conversi; abrupta oratio egregie ad pueri perturbationem exprimendam adornata est. — *Per liberos*, bene pueri animum doloris, quem parentes (cf. v. 101.)

Lucina veris affuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
Per improbaturum haec Iovem,
Quid ut noverca me intueris aut uti
Petita ferro bellua?
Ut haec trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora;
Canidia brevibus implicata viperis
Crines et incomtum caput,
Iubet sepulcris caprificos erutas,
Iubet cupressus funebres

v. 11. *trementi*, Codd. omnes. *tremente*, scripsit *Bentl.*, quem praeter alios secuti sunt *Mitsch.* et *Doer.* — v. 18. *cupressos*, e Codd. *Torr.*, *Vanderb.* al. *R.*

de eius interitu suscepturi sint, subit cogitatio; itaque obtestatur Canidiam per maternum eius, si vere mater sit, animum, ut parentum causa sui miserat. — *si vocata Lucin.* cf. supr. ad III. 22. 3. — *partubus veris*, vere parienti, h. e. nisi forte eos aliis matribus per malas fraudes subduxeris; inter ipsas preces igitur puer notat Canidiae scelera, quod ad totius carminis consilium referendum est. — *Per hoc inan. purp. decus*, per hanc togam praetextam, ingenuitatis meae insigne, vanum illud, si me non tutum praestare potest a tua violentia; *inane*, quia nulla praetextae ratione habita vim parabat Canidia; de *praetexta*, ut insigni, quod pueros ingenuos contra iniuriam et violentiam muniret, laudant Quintil. Decl. CCCXL. extr.: *Ego vobis allego etiam ipsum sacrum praetextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiae sacram facimus ac venerabilem.* Scelus autem Canidiae eo, quod eius furor ne ingenuo quidem puero pepercerit, mirum in modum augeri, quilibet ipse sentit. — *aut uti petita ferro bellua?* vel ut saeva bestia eum, a quo petita est, intueri solet, torvis nempe et minacibus oculis.

v. 11—24. *Ut haec trement. quest. ore* cett. Sensus et orationis nexus: postquam puer, haec ore tremente questus, praetexta ei derepta, ut corpus impube et nudum (per appositionem pro: impubi corpore), cuius adspectus vel impia Thracum pectora flectere posset, constitit; tum Canidia cett. — *brevibus implic. viper. crin. et incomt. cap.*, Furiarum more anguineo capillo redimita; hinc venefica Erichto, ad sacra magica se accingens, apud Lucan. VI. 654: *Discolor et vario Furialis cultus amictu Induitur vultusque aperitur crine remoto Et coma vipereis substringitur horrida sertis.* — *incomtum*, sic Tisiphone apud Tibull. I. 3. 69: *Tisiphoneque impexa comas pro crinibus angues.* — *caprific. crut. sepulcr.*

Et uncta turpis ova ranae sanguine
Plumamque nocturnae strigis
Herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunae canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas
Horret capillis ut marinus asperis
Echinus aut currens aper.

v. 28. Ex Nic. Heinsii coniectura *Bentl.*, *Sanad.*, *Doer.* pro Codd. omnium lectione *currens* scripserunt *Laurens;* „repugnare enim epitheton *currens* aprorum naturae, quippe qui non currendo, sed stando et pugnae se aptando setis inhorrescere soleant (Hom. Il. XIII. 471. Od. XIX. 439 et 446.), contra *Laurens* perpetuum esse aprorum epitheton.“ Sed unice veram esse Codd. lectionem demonstravit *Fea.* *Currens* enim dicitur aper, qui exagitatus a canibus in venatores irruit; currentis autem ita apri non minus est setis inhorrescere quam stantis et pugnae se aptantis. Ov. Halieut. 82: *Actus aper setis iram denuntiat hirtis Et ruit oppositi nitens in volnera ferri Pressus.* Minime vero aptum est epitheton illud ornans *Laurens*, cum aper non semper horreat setis, ut spinis echinus, sed tantummodo si excitatus a canibus in furorem agatur. *R.*

ad infaustas enim et infelices arbores, quarum ligna in sacris magicis accendi solebant, pertinebat *caprificus* in sepulcris nata; cf. Propert. IV. 5. 74. — *cupressus funebres*, quia *cupressus* in tumulis poni solebat; hinc supr. II. 1. 5. dicitur: *invisa.* — *uncta*, polluta, contaminata, ut supr. II. 1. 5: *arma cruore uncta.* infr. Sat. II. 2. 68: *neque, sicut simplex Naevius, unctam Convivis praebebit aquam;* et sic *unctae manus* Sat. II. 4. 78. — *turpis ranae*, rubetae, quae, quia sanguine venenato, ut vipera, turgere putabatur, sacris magicis inserviit; vid. Propert. III. 6. 27. — *nocturnae strigis*, ex noctuarum genere, ob flebilem inprimis vocem, quam noctu e culminibus et in bustis edit, inauspicatae; de eius, uti *bubonis*, in sacris magicis usu vid. Ovid. Fast. VI. 139 sqq. Senec. Med. 731 sqq. — *Iolcos*, urbs Thessaliae, ut omnis Thessalia, venenorum feracissima; Tibull. II. 4. 56. — *Hiberia*, Ponti regio, Colchis vicina; intelliguntur igitur venenatae herbae, qualibus Medea usa sit; cf. Virg. Eclog. VIII. 95. — *Colchicis*, magicis, quales additis lignis infelicibus accenderit Medea Colchica.

v. 25—28. *expedita*, succincta, infr. Sat. I. 8. 23: *Vidi egomet nigra succinctam vadere palla Canidiam.* — *sparg. Avern. aqu.*, sc. ad domum lustrandam, *aquae Avernales*, ex Averno petitae. Hinc Dido sacra magica ad se amore exsolvendam instituens apud Virg. Aen. IV. 512: *Sparserat et latices simulatos fontis Averni;* et sic *Stygius lacus* apud Propert. IV. 3. 15. — *marinus echinus*, erinaceus (*Meer-Igel*), hinc ducta proverbialis locutio: ἐχίνου τραχύτερος.

Abacta nulla Veia conscientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer
Longo die bis terque mutatae dapis
Inemori spectaculo,
Cum promineret ore, quantum exstant aqua
Suspensa mento corpora:
Exsucta uti medulla et aridum iecur
Amoris esset poculum,
Interminato cum semel fixae cibo
Intabuissent pupulae.
Non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam,

v. 33. *bis terve*, lectio vulg. ante *Bentl.; bis terque*, Codd. (Bentleii, Vanderburgii, Orellii omnes) et sic *Bentleium* secuti recentiores editores. „*Bis terque* significat saepe; *bis terve* raro.“ *Bentl.* — v. 37. Mira in hoc versu lectionis varietas. Plerique Codd. *exsecta* vel *execta* cum editione Veneta et Schol. (sicque *Cruqu.*, *Gesner*, *Vanderb.*); quidam Lambini, unus Bersmanni, duo Vanderb., unus Orellii *exsucta* (ita cum aliis *Lamb.*, *Torr.*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Or.*); Torrentianus unus *exusta*, Bersmanni unus *exuta*, Loscheri editio *exerta*, Cod. Regius Valartii (?) *exsucca* (ita *Fea*). Nic. Heinsius denique in ora exemplaris sui adscripsit: Lege *excsa* vel *exesta:* atque illud recepit *Bentl.*, hoc *Mein.* Equidem haud scio an recte *Iahnius* defenderit plurimorum Codd. lectionem *exsecta*, quae ea ipsa de causa mutata videtur a librariis, quod necessarium putarent epitheton sequenti *aridum* respondens. *R.*

v. 29—40. *Abacta nulla Veia conscientia*, Veia, quae a re iussa se non abigi et deterreri patiebatur sceleris, quod perpetraret, conscientia, *humum exhauriebat*, scrobem effodiebat; *ingemens laboribus*, significanter de duriore labore, qui omni virium nisu inter gemitus et anhelitus perficitur; sic fere apud Virgil. Georg. I. 48: *taurus aratro ingemere* dicitur. — *Quo poss. infoss. puer long. d. b. t. mut. dap. inem. spectac.* ut ibi infossus puer adspectu appositarum epularum, et saepius per longum diem, ut eo maiore earum desiderio maceraretur, mutatarum intabesceret et fame enecaretur; — *aqua suspensa mento corpora*, viva imagine pro tenui: natantes. — *medulla exsucta*, fame exesa et exsiccata; Ammian. Marcell. XXX. 4: *ad usque ipsas medullas exsuctus.* — *Amoris poculum*, philtrum. — *cum semel*, h. e. simul ac, ut *ut semel* infr. Sat. II. 2. 124. — *cibo interminato*, ad quem tangendum non admittebatur.

v. 41—46. *Non defuisse masculae libid. Ariminens. Foliam*, cett. Sententia: Foliam Arimino (Umbriae oppido) ortam, nefandae libidinis veneficam, operam suam his sacris magicis commodasse, Neapolis et vicinorum oppidorum incolis persuasum fuit; haud dubie, quod in hac praecipue regione multa de Fo-

Et otiosa credidit Neapolis
Et omne vicinum oppidum,
Quae sidera excantata voce Thessala
Lunamque caelo deripit.
Hic irresectum saeva dente livido
Canidia rodens pollicem
Quid dixit aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitrae,
Nox et Diana, quae silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra,
Nunc, nunc adeste, nunc in hostiles domos
Iram atque numen vertite.

v. 46. *diripit*, Codd. nonnulli. *R.*

liae arte magica circumferebantur; — *masculae libidinis*, Graecis eiusmodi femina, quae ipsa libidini suae contra leges naturae satisfacere studet, *τριβὰς* dicitur; vid. Martial. I. 91. et cf. Iuvenal. VI. 310. — *otiosa*, iucundum literarum amantibus otium praebens; de *Neapoli*, studiorum sede, vid. *Wernsdorf.* ad Poett. min. T. IV. Excurs. IX. p. 395. Sed *Mitsch.* ideo nunc Neapolin *otiosam* dictam esse putat, quod Romani, amoenitate regionis invitati, eo secedere soliti fuerint. Idem mihi videtur. — *voce Thessala*, carmine magico. — *Lunamq. cael. deripit*, Virgil. Eclog. VIII. 69: *Carmina vel caelo possunt deducere Lunam*, ubi fuse de hac re egit *Cerda.*

v. 47 — 54. *Hic irresect. saev. dent.. livid. Canid. rod. pollicem*, Acron: „habitum et motus Canidiae expressit furentis. Petronius, ut monstraret furentem, *pollice*, ait, *usque ad periculum roso.*" — *irresectum pollicem*, Furiae quoque, quarum externum habitum veneficis induunt poetae, *ungues irresectos* gerunt, uti depictam earum unam nobis dedit *Boettigerus* in praeclaro libello: *Furien - Maske* (*Weimar* 1801.) Tab. I. cf. infra Sat. I. 8. 26. — *livido*, lurido, carioso, quales vetularum dentes esse solent. — *Quid dixit, aut quid tacuit?* nefanda quaeque effata et palam professa est, quod gravius per interrogationem extulit poeta. — *O rebus meis Non infid. arbitr. Nox et Dian.* cett. Noctem et Dianam sive Hecaten, sacrorum magicorum praesides, veneficarum more invocat Canidia; ut Medea apud Ovid. Met. VII. 192 sqq.: *Nox, ait, arcanis fidissima — Tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris Adiutrixque venis*, cf. Senec. Med. 740. et Lucan. VI. 695 sqq. — *quae silentium regis Arcan. cum f. sacr.* pro vulgari: quae sacra arcana moderaris, cum illa sub noctis silentio fiunt. — *Nunc, nunc adeste: nunc in hostil. dom. Ir. atqu. num. vert*, „ex antiquo, ait *Mitscherl.*, precandi ritu, pro: mihi propitiae sitis, ira vestra in hostes ablegata." Sed in quosnam Noctis et Dianae hostes? per *hostiles domus* haud dubie intelligendae sunt eae, quae ipsi Canidiae infestae fue-

Formidolosae dum latent silvis ferae
Dulci sopore languidae,
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes
Nardo perunctum, quale non perfectius

v. 55. *Formidolosae*, vulgata lectio; *formidolosis*, ex aliquot Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Mein.*, *Or.* Sed otiosum hoc videtur *silvarum* epitheton; rectius ferae, quae noctu silvis abditae latent, formidolosae, i. e. pavidae, dicuntur. *R.*

runt; malim igitur de meretricibus, quae Varum a Canidiae amplexibus nunc detinerent, cogitare.

[v. 55—60. *Formidolos. dum lat. silv. fer.* cett. Omnes, quos vidi, interpretes hunc locum ita explicant: „*adducite mihi senem a meretricibus Suburanis;* facite, ut media nocte Varum nardo, quo melius et perfectius ego nunquam confecisse videor, perunctum canes in vico Subura petant et latratu, de qua re omnes risum tollant, redeuntem persequantur." Sed ego persuadere mihi non possum, Suburanas canes in auxilium advocatas esse a Canidia, ut latratu suo senem adulterum risui publico exponerent (!) et ita ad ipsam redire illum cogerent. Facile enim fieri potuit, ut senex derisus et a foribus meretricum abactus in omne futurum tempus amori renunciaret neque rediret ad Canidiam, quae tam stolida ratione eum ad se revocare studuisset. Satius profecto erat, veneficam magicis suis artibus id efficere, ut Varus omnium meretricum praeter ipsam oblivisceretur atque omnino illarum domos fugeret, quam pati nardo illum perfectissimo perunctum nocte silenti ad eas adire, unde canum ope esset reducendus. Neque inest in Horatii verbis, quod miro omnes errore intulerunt; non optat enim Canidia, ut latratu suo canes Varum terreant, sed ut latrent senem, quod omnes rideant, adulterum. Iam haec vera esse videtur explicatio, ut statuamus, ipsam Canidiam in vico Subura habitare eamque precari a diis, ut senex (quod ridiculum omnibus videatur, sed ipsius tamen effectum est artibus) amore flagrans *ad se* media nocte *in Suburam veniat*, eiusque adventus per silentium noctis canum latratu significetur (cfr. Virg. Eclog. VIII. 107: *Hylax in limine latrat*). Sperat autem, eum ad se adductum iri vi venenatarum, quas summa arte ei paraverit, herbarum, eoque sensu addit verba: „*Nardo perunctum, quale non perfectius Meae laborarint manus.*" Similiter infr. v. 69. *uncta* dicit Vari *cubilia oblivione omnium pellicum.* — Ita nulla amplius hic locus laborare videtur difficultate, quamquam *Vanderburgius* eum nunquam ab omni parte illustratum iri putabat. *R.*] — *Suburanae canes*, in vico enim *Subura* s. *Suburra* nequitiae suam habebant meretrices; hinc apud Martial. VI. 66. v. 1 sqq. de praecone puellam vendente: *Famae non nimium bonae puellam, Quales in media sedent Subura, Vendebat modo praeco Gellianus.* Cf. Pers. V. 32. — *Senem — la-*

Meae laborarint manus. —
Quid accidit? cur dira barbarae minus
Venena Medeae valent,
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum. —

v. 60. *laborarint*, Codd. plerique. *laborarunt*, cum aliis *Mein.* – v. 63. *superbam* rectius legi quam quod in multis est Codd. *superba*, docuit *Bentl. R.*

trent, Plaut. Poenul. V. 4. 64: *Etiam me meae latrant canes?* —

v. 61 — 70. *Quid accidit? cur* cett. Non uno tenore haec omnia pronunciasse, sed orationem interdum, ut res ferebat, Canidiam inhibuisse puta. Cum igitur, compressa iam aliquantisper voce Varum, quem ad se rediturum esse speraverat, frustra exspectasset Canidia; tum illa morae impatiens et indignatione de vano incantationis suae effectu plena in haec verba erumpit: „Quid tandem accidit, cur minus nunc vim suam exserunt venena alias efficacissima? Atqui ego omnium herbarum venenatarum sum scientissima! [Et dormit ille in cubilibus, quae eiusmodi herbis inunxi, ut omnium aliarum amicarum praeter me oblivisci debeat]. — Apud Virgilium quoque Eclog. VIII. venefica ita carmen suum decantat, ut eventum incantationis exspectando in media oratione aliquantisper subsistat; sic enim illa v. 101: *Fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti Transque caput iace nec respexeris; his ego Daphnin Aggrediar;* iam exspectat redeuntem ab urbe Daphnin, qui cum interposita aliqua mora non venisset, tum demum addit: *nihil ille deos, nil carmina curat.* — *cur dira venena Medeae*, cum Medea se comparat Canidia et quam illius venena vim habuisse feruntur, eandem suis quoque venenis vindicat, uti venefica apud Theocrit. 2. 15: *Φάρμακα ταῦθ' ἔρδοισα μήτε τι Κίρκης Μήτε τι Μηδείας μήτε ξανθᾶς Περιμήδας.* — *barbarae*, Colchicae. — *superbam pellicem*, Creusam s. Glaucen, ob honorem, quo ab Iasone Medea praelata fuerat, magnifice se nunc extollentem; simillime autem supr. Epod. III. 14. de Medea *Hoc delibutis ulta donis pellicem, Serpente fugit alite*, ubi de hac re cf. not. — *tabo munus imbutum*, pallam, quam veneno infectam ut munus nuptiale Creusae miserat. — *fefellit me*, fugit meam artis magicae peritiam; — [*cubilibus unctis oblivione*, cubilibus, quae eiusmodi inunxi herbis, ut omnium reliquarum pellicum oblivio ei offundi debeat. *R.*]

Ah! Ah! solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,
O multa fleturum caput,
Ad me recurres, nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum,
Priusque caelum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub haec puer iam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias,

v. 71. *Ha, ha*, e Codd. *Cun.*, San., *Fea.* — *Áha*, scripsit *Bentl.* — v. 81. *mei*, cum Glareano *Bentl. R.*

v. 71 — 82. *Ah! Ah! solut. ambul. venef. scient. carm.* Antequam haec loqueretur Canidia, eam paulisper in meditatione defixam adstitisse et de causa irriti sui conatus cogitasse existima, qua inventa „Ah! Ah!" inquit, nunc scio, cur Varus non venerit; ille scilicet scientioris cuiusdam veneficae carmine a vi incantationis meae solutus nihil mea carmina curat, sed secure et libere circumvagatur; — *ambulare* iam de iis, qui securi et tuti ab omni periculo incedunt; supr. IV. 5. 17: *Tutus bos etenim rura perambulat.* — *Non usitat. Var. pot. O multa fletur. cap.* cett. ergo, o Vare, novae et insolitae, quam tibi miscebo, potionis vi non sine multis lacrimis ad me recurres nec te semel mihi advocatum alia saga iterum a me avocare carmine suo valebit. — *multa fleturum*, — *multa*, pro: multum; sic plane *multa lacrimans* apud Ennium in Fragment. p. 124. edit. *Hessel.* quod exstat apud Cicer. de Divinat. I. 20. — *fleturum*, doliturum, infr. Sat. II. 1. 46: *Qui me commorit — Flebit et insignis tota cantabitur urbe.* — *Marsis vocibus*, pro quibusque carminibus magicis. *Marsi* ut serpentium venenatorum domitores praecipue celebrantur, vid. Aul. Gell. XVI. 11. hinc Virgil. VII. 758: *Marsis quaesitae montibus herbae*, ubi vid. *Cerd.* cf. *Nic. Heins.* ad Ovid. Art. Am. II. 102. infr. XVII. v. 29: *Marsa nenia* pariter de carmine magico. — *Maius parabo* cett. multo fortius et potentius philtrum tibi parabo et tibi, quamvis invito et reluctanti, infundam. — *Priusque caelum sidet* cett. Et prius totus rerum naturae ordo invertetur et confundetur, quam fieri poterit hoc, ut non tanta, quanta nunc hoc bitumen, amoris mei flamma corripiaris. — De *bituminis* in re magica usu cf. Virg. Eclog. VIII. 82. — *atris*, refer ad atrum fumum, quem bituminis flamma volvit rotatque.

v. 83—102. *Sub haec puer*, dum haec Canidia peragebat et puer ni-

Sed dubius, unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces:
Venena magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire iussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor,
Petamque voltus umbra curvis unguibus,
Quae vis deorum est Manium,
Et inquietis assidens praecordiis,
Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens

v. 87. *Venena! magnum fas, nefasque, non valent*, distinxit *Fea*; *Venena magica fas nefasque non valent*, *Non vertere humanas vices*, susp. *Bentl. R.*

hil spei sibi relictum esse intelligebat. — *lenire*, sc. tentavit, aggressus est, vel simpliciter pro: leniebat. — *unde rumperet silentium*, quibus verbis iustam de inaudita veneficarum in se crudelitate iram palam faceret. — *preces Thyesteas*, exsecrationes, qualibus Thyestes fratrem suum Atreum insectatus est. — *Venena magnum fas nef. non val. conv. human. vic.* Sententia: veneficae quidem incantationibus suis sanctissima quaeque polluere et fanda nefandis permiscere valent, sed eaedem non valent sortem et poenam, quae earum scelera manet, immutare et a se avertere. — *fas nefasque convertere*, similiter fere apud Virgil. Georg. I. 505: *Quippe ubi fas versum atque nefas.* — *humanam vicem*, sortem hominum sceleribus destinatam; *ἀμοιβήν*, *ἀντίποινον*, cf. supr. I. 28. 33. — *diris vos agam*, malis exsecrationibus, quibus poena a vestris sceleribus expetatur, vos urgebo et persequar; *agere*, pro: urgere, persequi, ut carm. seq. v. 7. — *Nocturnus occurr. furor*, tempore nocturno vobis vexandis et terrendis adero. Uti *Furiae* scelestos homines, ita puer veneficas persequi vult; sed, ut puer, non *Furiarum*, sed *Furoris* personam induit. — Comparant Sueton. Ner. c. 34: *neque sceleris conscientiam — ferre potuit, saepe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum ac taedis candentibus.* Dido quoque paulo ante mortem apud Virgil. Aen. IV. 384: *Sequar atris ignibus absens Et, cum frigida mors anima seduxerit artus, Omnibus umbra locis adero.* — *Petamque voltus*, Ov. in Ibin 146: *Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum Insequar et voltus ossea forma tuos.* — *Quae vis deor. est Man.* apposite in hanc rem *Mitsch.* laudat Val. Flacc. III. 386. — *assidens*, notissimus est locus Ciceronis pro Rosc. Amerin. c. 24. ubi re, quam poetae per Furiarum imaginem designare voluerint, exposita, additur: *Hae*

Contundet obscoenas anus.
Post insepulta membra different lupi
Et Esquilinae alites;
Neque hoc parentes heu mihi superstites
Effugerit spectaculum.

CARMEN VI.

Quid immerentes hospites vexas canis
Ignavus adversum lupos?

v. 100. *Exquilinis*, e Codd. *Fea.* — v. 102. *effugerint*, pars Codd. *R.*

sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant. — *obscoenas*, abominandas, detestabiles; exempla vid. ad Catull. LXVIII. 99. — *different*, huc illuc secum tracta devorabunt. — *Esquilinae alites*, intellige aves famelicas et rapaces, accipitres, milvios, corvos, cett. in regione illa ad montem Esquilinum, ubi supplicia a damnatis sumebantur, circumvolitantes et proiecta occisorum corpora dilaniantes. — *Neque hoc parent. heu! mihi superstit. Effug. spect.* Quod quidem poenarum a scelestis veneficis expetitarum spectaculum parentibus meis heu tristi meo fato superstitibus accidet gratissimum, h. e. parentes autem mei superstites de hac gratia scelestis veneficis relata gaudebunt.

CARMEN VI.

Contra hominem quendam maledicum, ignavo pusilloque animo eos tantum, quos se impune rodere posse sciret, petentem, minaciter poeta exsurgit. Comparat autem istum hominem cum eiusmodi cane degenere, qui quosque quidem sibi obvios sine omni discrimine ferociter allatret, sed ipse petitus timide refugiat, vel obiecto cibo statim placetur; se vero cum iis canibus generosioribus, qui, quas semel sibi infestas feras petunt, in iis urgendis et persequendis fortiter persistunt. Monet igitur istum hominem, ne temere se lacessat, dum demta canis imagine eiusmodi ei minatur iambos, quales olim Archilochus in Lycamben et Hipponax in Bupalum vibraverit. — Vulgo hoc carmen *In Cassium Severum* inscribitur, sed quod supra ad huius libri carmen quartum de *Sex. Mena, Pompeii liberto*, cui illud vulgo inscribitur, monuimus, idem nunc de *Cassio Severo* valet. Quodsi enim Horatius hoc carmen cum inscriptione: *In Cassium Severum* publicasset, haud dubie ipsum Cassium in hoc carmine appellasset. Sine dubio igitur huius carminis inscriptio veteri cuidam scholiastae debetur, qui, cum apud Tacit. Annal. I. 72. et IV. 31. *Cassium Severum* hominem maledicentissimum fuisse legisset, se eum, in quem scriptum esset hoc carmen ab Horatio, invenisse putavit.

v. 1—4. *immerentes hospites*, maledicus igitur iste homo eorum adeo bonae famae, quos laedere nefas fuit, obtrectare solebat; — *canis*,

Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
Quaecumque praecedet fera.
Tu, cum timenda voce complesti nemus,
Proiectum odoraris cibum.
Cave, cave! namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambae spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.

v. 3. 4. *verte* et *pete*, pars Codd. et sic *Cruq*. „Sed tribuendi utique hi imperativi librariis, qui hunc usum part. *quin* cum indicat. parum nossent.“ *Orell*. — v. 8. *procedet*, ex aliquot Codd. *Bothius*. Sed multo rectius *praecedet*, cum fera fugiat insequentem. *R*.

prava ista obtrectandi maledicendique aliis libido passim cum importuno canum latratu comparatur; hinc maledicta aliis ingerentes *latrare*, Graece: *ὑλακτεῖν*, *βαΰζειν*, dicuntur; vid. *Mitsch*. — Maledicus autem iste similis fere fuit iis canibus, de quibus Cicero in Orat. pro Rosc. Am. c. 20. ait: *Quodsi luce quoque canes latrent, cum deos salutatum aliqui venerint: opinor, iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit;* — comparat nempe Cicero in hoc loco malos accusatores cum canibus importuno tempore latrantibus. — *lupos*, qui non sine periculo a canibus petuntur, adeoque nunc pro iis, qui maledicorum voces facile comprimere possunt. Pind. Pyth. II. 84. — *inanes minas*, quales sunt eorum canum, qui terrent tantum latrando, non nocent mordendo. — *si potes*, sc. hoc impetrare ab ignavia tua.

v. 5—10. *aut Molossus aut fulv. Lacon*, — canes Epirotici et Spartani paulo robustiores tam pastoribus ad greges a nocturnis furibus et luporum incursu defendendos, quam venatoribus ad feras indagandas et persequendas inserviebant; Virgil. Georg. III. 404: *Nec tibi cura canum fuerit postrema; sed una Veloces Spartae catulos acremque Molossum Pasce sero pingui. Nunquam custodibus illis Nocturnum stabulis furem incursusque luporum.* — *horrebis*, ubi de utriusque canis forma et indole egit *Vossius*. — *Amica vis*, Lucret. VI. 1220: *fida canum vis*. — *Quaecumque praecedet fera*, pro: agam quamcumque, quae mihi praecedet, feram, h. e. omnes ante me currentes feras urgebo et persequar. — *Proiect. odorar. cib.*, Martial. IV. 53. 6.

v. 11—16. *asperrimus*, acerbissimus; cf. infr. ad Epist. ad Pis. v. 221. — *Parata toll. corn.* cum armis, quae in promtu habeo, fortiter exsurgam; intelligit nimirum iambos, quibus ita se aggressurum esse ait maledicos, uti cornibus suis taurus sibi infestos aggredi solet. Non persistit igitur poeta in allegoria a canibus ducta, sed nova imagine se timendum facit maledicis. — *Qual. Lycamb. spret. infid. gen. A. ac. host. Bup.* qualem se Lycambae praebuit Archilochus, cum ille filiam suam iam Archilocho desponsam concessisset alii; aut qualis iram suam effudit Hipponax in Bupalum, quod is cum Anthermo Hipponactis imaginem, foeditate insignem, deridendam circulis exposuerat; vid. Plin. XXXVI. 5. Uterque autem poeta, Archilochus quidem Lycamben, Hipponax vero Bupalum et Anthermum iamborum suorum acerbitate ad restim redegisse dicuntur. — *inultus*, qui ob infirmitatem suam non ulcisci potest factam sibi iniuriam.

An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

CARMEN VII.

AD POPULUM ROMANUM

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?

v. 1. *et cur*, scripsit *Cuningh*. *R*.

CARMEN VII.

Scriptum est hoc carmen sine dubio eo tempore, quo, cum victo Lepido et Sext. Pompeio occiso sopita aliquamdiu quievissent bella civilia novum illud, quod U. C. DCCXXI. contra Antonium parabat Octavianus, gliscere inciperet et ignes doloso cineri suppositi iam iam prorumpere viderentur. Poeta igitur nova, quae patriae intendantur, animo concipiens pericula, populares suos a nefando isto bellum civile redintegrandi consilio ita deterrere studet, ut primum mala et damna, quae bella civilia iam intulerint, iis ante oculos ponat; deinde, quam caecus iste furor sit, quo se non contra hostem aliquem externum, sed saevis bestiis adeo immaniores contra semetipsos agi patiantur, graviter ostendat; denique fatalium, quae eorum scelera maneant, poenarum praesagitione eos percellat.

v. 1—4. *Quo, quo scelest. ruit.* quo tandem rapi vos patimini vestris, o cives, sceleribus? *scelus* (*ἄγος*) admittunt et ei expiando se obligant, qui sanguine in bello civili fuso inquinantur; hinc supr. I. 2. 29. de bellis civilibus: *Cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter?* — *enses conditi*, postquam U. C. DCCXVIII. Pompeius Antonii iussu occisus fuerat, vid. Dio XLIX. 18. Vell. II. 79. ensibus huc usque in vagina conditis per aliquot annos a bello civili cessatum fuerat. — *campis atque Neptun. sup.* terra marique; supr. II. 1. 29. de bellis civilibus: *Quis non Latino sanguine pinguior Campus sepulcris impia proelia Testatur — quod mare Dauniae Non decoloravere caedes?*

Non ut superbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via,
Sed ut secundum vota Parthorum sua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
Unquam nisi in dispar feris.

v. 12. *Unquam*, Codd. omnes. *Nunquam*, ex Edit. Veneta 1490 recepit *Bentl.*, quem secuti sunt *Baxter*, *Cun.*, *San.*, *Gesner*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Mein.* Sed vera constructio haec est: „Neque hic mos unquam fuit feris lupis nec leonibus nisi in dispar genus.“ Cf. *Feam* et *Orellium.* — Pro *in dispar feris* nonnulli Codd. exhibent *in dispar genus*, quod manifestum est glossema nec recipi debebat a *Lambino* aliisque. *R.*

v. 5—10. *Non ut superbas* cett. non quidem ut Romani sanguinem illum contra hostes externos funderent et, sicut olim, vel superbam Carthaginem everterent, vel de Britannis perdomitis triumpharent, sed ut Romanum imperium ex voto Parthorum se suis ipsius viribus conficeret. — *superbas*, refer ad Carthaginiensium de potentia sua superbiam. — *invidae*, summi imperii gloriam Romanis invidentis; hinc *invida Romani imperii aemula* Carthago dicitur apud Sallust. Cat. 10. — *Intactus aut Britann.* — *intactus* dicitur *Britannus*, cum nondum *adiectus imperio Romano* (vid. supr. III. 5. 3. et ibi not.) integris adhuc viribus resisteret Romanis. — *descend. sacr. caten. via.* „Cum e regione amphitheatri Flavii, inter templum Pacis ac templum Veneris et Romae, ubi nunc est templum S. Mariae novae, quis ingrediebatur Sacram viam, leniter descendebat usque ad templum Antonini et Faustinae; inde leniter rursus ascendebat usque ad arcum Septimii Severi . . . Ex porta Triumphali per Campum Martium, Velabrum, Circum maximum et qua nunc est arcus Constantini, qui triumphabant inde per hanc viam usque ad locum arcus Septimii Severi, unde captivi dimittebantur ad dexteram in proximum carcerem Tullianum; triumphantes per clivum Capitolinum ad laevam ascendebant ad Capitolium.“ *Fea.* Cic. ad. Att. IV. 3: *cum Sacra via descenderem, insecutus est me.* — *secund. vota Parth.*, ut optant imperio nostro infestissimi. Notus in hanc sententiam est locus Hom. Il. I. 255: *Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ, Εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιϊν.* — *sua Urbs haec perir. dextera*, similiter infr. Epod. XVI. 2: *Suis et ipsa Roma viribus ruit.* Liv. in Prooem. *legentium plerisque — festinantibus ad haec nova, quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt.*

v. 11—12. *Nequ. hic lup. mos, nec fuit leon.* cett. Iuvenal. XV. 160: *quando leoni Fortior eripuit vitam leo?* ubi in sententiam, feras non saevire in sui generis feras, plura exempla attulit *Ruperti.*

Furorne caecus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.
Tacent et ora pallor albus inficit
Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

CARMEN VIII.

IN ANUM LIBIDINOSAM.

Rogare longo putidam te seculo,
Vires quid enervet meas?

v. 13. *caecos*, ex aliquot Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Wakef.*, *Mein.* — v. 15. *albus ora pallor*, e nonnullis Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *Sanad.*, *Fea*, *Iahn*, *Mein.*, *Or.* Sed haec verborum positio profecta videtur ab iis, qui epitheton *albus* a substantivo suo disiungi mallent nec tamen animadverterent, sententias ita se excipere: *linguae* tacent, *ora* pallescunt, *mentes* stupent. — Carm. VIII. v. 2. *quod*, Codd. aliquot et sic *Cruquius. R.*

v. 13—16. *vis acrior*, divinitus, velut noxa, immissa mentis caecitas; θεοβλάβεια. — *culpa*, (ἄτη) delicta et scelera, quae perpetrata a maioribus nepotes luere et expiare debent; cf. III. 6. 1. — *Tacent*, tacendo mentem suam aperiunt et se culpae obnoxios fatentur. Cic. in Catil. I. 8: *Quid est Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium? patiuntur, tacent.* — *stupent*, significanter pro tenui: sunt.

v. 17—20. *Romanos agunt*, urgent et premunt. — *scelusque fratern. nec.* scelus, quod Romulus fratris sui caede commisit. — *Ut immer. flux. in terr. Rem. sac. nep. cruor*, postquam sanguis innocentis Remi in terram fluxit nepotibus *sacer*, h. e. expiandus, sive, postquam Romulus parricidium nepotibus expiandum perpetravit. Bella civilia ab hoc parricidio, tanquam prima Romanae gentis labe, repetit quoque Lucanus I. 95: *Fraterno primi maduerunt sanguine muri.* Sed Virgilius Georg. I. 502: maiorum scelera, nepotibus per bella civilia expianda, altius a Laomedontis periuriis derivat.

CARMEN VIII.

In nullo carmine magis pudicitiae et honestatis leges migrasse videtur Horatius, quam in hoc, ubi turpem libidinosae anus formam pudenda plane protervia descriptam dedit. Quae quidem protervia licet lectorum cuique, qui non omni honestatis sensu destitutus sit, displicere omnino et nauseam creare debeat, eadem tamen aetatis, qua hoc carmen scriptum est, licentia et ingenio excusari quodammodo posse videtur. Fortasse quoque totius huius carminis spurcities Archilocho vel alii

Cum sit tibi dens ater et rugis vetus
    Frontem senectus exaret,
Hietque turpis inter aridas nates
    Podex velut crudae bovis.
Sed incitat me pectus et mammae putres,
    Equina quales ubera,
Venterque mollis et femur tumentibus
    Exile suris additum.
Esto beata, funus atque imagines
    Ducant triumphales tuum,
Nec sit marita, quae rotundioribus
    Onusta baccis ambulet.

poetae Graeco, quem Horatius expressit, tribuenda est. — Fingit autem poeta, vetulam aliquam ex se quaesivisse, quid sit, quod ad libidinem secum exercendam languere nunc et torpere incipiat? Respondet igitur ei in hoc carmine et torporis sui causas, ab anili eius turpitudine petitas, petulanter aperit.

v. 1—6. *Rogare longo putid. te sec.* cett. Sensus et nexus: tune, cuius corpus longa annorum deturpavit series, rogas, cur ad rem tecum habendam nulla amplius stimuler libidine? quasi id rogare opus sit, cum sit tibi dens ater cett. — *rogare te*, plenius: fierine potest, ut roges, vel simpliciter pro: rogasne? ut passim apud Comicos. — *longo seculo putidam*, in grandi iam aetate, quae importuna et invisa est amatoribus, constitutam, turpem vetulam. Similis annosae vetulae descriptio est in Priapeis carm. LVII. 1: *Cornix et caries vetusque bustum, Turba et putrida facta seculorum.* conf. *Mitsch.* — *vetus senectus*, ut *veteres senes* apud Tibull. I. 8. 50. — *front. rug. exar.* cf. Virgil. Aen. VII. 417. — *crudae*, quia cruda fere caro in macris bobus, praecipue inter nates, conspicitur.

v. 7—10. *Sed*, haec particula irrisioni inservit, ut alias *videlicet.* Multo minus, ait, me incitare potest *pectus* cett. — *venter mollis*, languidus, opponitur firmo adhuc et succulento. — *additum*, superimpositum.

v. 11—20. *Esto beata* cett. Sententia: sis licet dives et nobilis, nec ulla alia matrona pretiosioribus margaritis ornata incedat, imo sis docta et philosophiae dedita, nihilo minus tamen nervi mei, qui sunt illiterati, h. e. qui non mulierum doctrina, sed earum forma incitantur, rigent, fascinumque languet, quod quidem, cum illud anili tua forma provocari nequeat, alio modo tibi provocandum est. — *imagines triumphales*, maiorum scilicet, quibus triumphi honor contigit, adeoque nobilissimorum virorum imagines. — *funus tuum ducant*, funeri tuo praeferantur, quod non tantum in nobilium virorum, sed etiam nobilium matronarum funere fieri solebat, vid. Cic. de Orat. II. 55. 225. — *funeris* autem eo acerbius mentionem facit, cum ista anus, ut supra III. 15. 4. *Chloris*,

Quid, quod libelli Stoici inter sericos
    Iacere pulvillos amant?
Illiterati num minus nervi rigent?
    Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
    Ore allaborandum est tibi.

CARMEN IX.

AD MAECENATEM.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes
    Victore laetus Caesare

v. 17. *Illiteratis*, susp. *Bentl.* — v. 18. *Magisve*, coni. *Guietus* prob. *Bentleio.* — Carm. IX. v. 1. *Quando ô*, ex coni. Nic. Heinsii *Bentl.* et *Cup. R.*

maturo funeri propior esset. — *rotundioribus*, in baccarum enim rotunditate earum pretium spectabatur; vid. Plin. IX. 35. — *ambulet*, notionem superbiae et iactantiae habet, vid. supr. ad Epod. IV. 5. — *libelli Stoici*, facete anum libidinosam Stoicae philosophiae studiosam inducit! — *amant iacere*, quasi sic iacere sibi placent. — *Illiterati num minus* cett. Horatius, ut videtur, vult dicere: num putas, nervos meos ideo, quia tu doctrinam prae te fers, minus rigere? lepide doctrinae opponuntur nervi indocti, h. e. duri, indociles, rigidi, qui doctrina incitari et impelli nequeunt. — *fascinum* (βασκάνιον), h. l. membrum virile significat. — *superbo*, superbe vetularum libidines repudiante.

CARMEN IX.

Cum primus de Antonio et Cleopatra, ad Actium ab Augusto splendide victis, Romam allatus esset nuncius, publicae illi, in quam omnes Romanì incesserant, laetitiae non defuit Horatius. In hoc igitur carmine, gloriosissimae illi Augusti victoriae celebrandae consecrato, primum diem festum, quem apud Maecenatem inter generosioris vini pocula et inter mixtos tibiarum lyraeque cantus transacturus sit, indicit; deinde in Antonium, qui Romanae virtutis plane oblitus Cleopatrae se turpiter emancipaverit, nobili cum indignatione invehitur; mox laetitiae sensu ita abripitur, ut, quasi iam Antonii victor, Augustus, cum pompa triumphali urbem ingrediatur, in publicam illam acclamationem: *Io triumphe!* erumpat et, quasi in media compotatione iam liberius Genio suo indulgeat, largiora pocula sibi afferri iubeat. — Impetu quodam poeta in hoc carmine fertur, qui laetitiae, poetae animum confundentis magis quam perfundentis, magnitudinem egregie exprimit. In eodem argumento vel in eadem Augusti de Cleopatra et Antonio victoria versatur quoque libri primi carmen trigesimum septimum, sed id serius scriptum est tum, cum Romani de

Tecum sub alta, sic Iovi gratum, domo,
Beate Maecenas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis barbarum?
Ut nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus,
Minatus urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu, posteri negabitis,
Emancipatus feminae

v. 3. *domu*, scripsit *Fea*, ut Od. I. 3. 29. — v. 11. *heu*, *heu!* scripsit *Fea*. *R.*

nunciata Cleopatrae et Antonii morte laetarentur.

v. 1—6. *repostum Caecub. ad festas dapes*, similiter supr. III. 28. 2. *reconditum Caecubum*, melioris enim vel, ut supr. II. 3. 8. dicitur, *interioris notae* vinum ad laetiores dies celebrandos in cella vinaria reponi et recondi solet. — *sub alta domo*, de turri Maecenatiana cf. supr. ad III. 29. 6 et 10. — *sic Iovi gratum*, sic enim, quod ipsi Iovi, Romani imperii custodi, gratum sit, faciemus; ex formula sollemni: *οὕτω Διῒ φίλον*. — *beate*, refer ad Maecenatis opulentiam, praecipue ad altioris eius in hortis Esquilinis domus, ubi compotatio fieri debebat, possessionem. — *Sonant. mixt. tib. carm. lyr.*, h. e. lyra ad modos Dorios, tibiis vero ad modos Phrygios carmen sonantibus, ita quidem, ut utrumque carmen mixtum sit, h. e. vicissim se excipiat. Similiter supr. IV. 15. 30: *Lydis remixta carmina tibiis.* — *Dorium*, modi *Dorii* fuerunt graves et severi; *Barbari*, h. e. Phrygii (ut *tibia barbara* apud Catull. LXIV. 265. ubi vid. not.), feri et furori iniiciendo apti.

v. 7—10. *Ut nuper*, cett. ut ante quinque annos eiusmodi diem festum inter laeta pocula celebravimus, cum exercitus ille, quem e servis et fugitivis collectum contra nos duxerat Pompeius, in freto Siculo fusus fugatusque est, navibus, quas Pompeius reliquerat, ab Augusto combustis. — *actus*, exactus, eiectus. — *freto*, Siculo, ubi pugnam illam prope Messinam commissam fuisse constat. — *Neptunius dux*, Sext. Pompeius, qui, ut narrat Aurel. Vict. de V. Illustr. c. 84: *cum mari feliciter uteretur*, *Neptuni se filium confessus est*, *eumque bobus auratis et equo placavit*, cf. Dio XLVIII. 19. Eo salsius nunc eum, in mari perdomitum, *ducem Neptunium* vocat. — *ustis nav.* Octavianum post pugnam illam magnum navium a Pompeio relictarum et litori allisarum numerum combussisse testatur Dio XLIX. 10. — *Minat. urbi vincl. quae detr. Serv. amic. perfid.* pro tenui: Romanum imperium cum servorum perfidorum manu potestati suae subiicere tentans; *serv. amic. perfid.* invidiose et humiliter de Pompeio, quasi servis perfidis, e quibus illum exercitum suum supplevisse constat (vid. Vell. II. 73. Dio XLVIII. 19.), amicus adeo fuerit.

v. 11—16. *Emancipatus feminae*,

Fert vallum et arma miles et spadonibus
Servire rugosis potest,
Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopium!
At hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Caesarem,

v. 17. Mihi accuratius hunc locum perpendenti verisimillimum visum est scripsisse Horatium: *At hunc*, quod unus praebet Vanderburgii Codex. Opposita scilicet sunt inter se vv. *canentes Caesarem* et vv. *hunc frementes*, h. e. hunc tam degenerem Romanum aspernantes, dedignantes, eademque est structura, ut Cass. ap. Serv. ad Aen. I. 59: *si plebs fremere imperia coepisset*. Tac. Annal. XIII. 13: *Agrippina libertam aemulam — aliaque eundem in modum muliebriter fremere.* Quam structuram cum ignorarent librarii, alii *at hunc* mutarunt in *ad hunc* (quae est plurimorum Codd. lectio), alii in *at huc* (quod nonnulli praebent Codd.), alii denique in *adhuc* (quod legitur in quatuor Codd.). Facile est autem demonstratu, quam ineptae hae omnes sint lectiones; etenim *ad hunc* (quod receperunt *Lamb.*, *Torr.*, *Iahn*) significare non potest *adversus hunc; at huc* (quod *Cruquius* et *Vanderb.* praetulerunt) non dictum esse potest pro: *ad nos*, cum Horatius in castris Caesarianis non praesens adesset; *adhuc* denique, quod nuper *Mein.* et *Orell.* in textum primi receperunt, positum esse nequit pro: *illico*, neque aliter huic loco ullo modo convenit. Quamobrem *Bentleius* omnes has lectiones iure reiecit; sed ipsius coniectura *ad hoc* (quam cum multis aliis etiam *Doer.* recipiendam putavit), quamvis per se satis bonum praebeat sensum, vix tamen probabilis est, cum causa nulla adsit, cur a librariis mutatam putemus talem lectionem. Idem statuendum est de *Feae* coniectura: *At hòc. R.*

mancipii instar subiectus feminae imperio, feminae quasi venditus. Plaut. Bacch. I. 1. 59: *Nunc, mulier, tibi me emancupo, tuus sum, tibi operam do.* — *Fert vall. et arm. mil. et spadon. Serv. rug. pot.* qui, ut fortem militem decet, vallum et arma fert, idem a se impetrare potest hoc, ut decrepitis eunuchis serviat! — Quod uni Antonio proprie tribuendum erat, id toti simul eius exercitui, corrupto quasi et infecto ducis exemplo, tribuit. *Fert vall. et arm. miles*, commode de hac militum Romanorum in bello laboris patientia afferunt locum Ciceronis Quaest. Tusc. II. 16: *Militiae nostri exercitus qui labor et quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria; ferre, si quid ad usum velint; ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus; arma enim membra militis esse dicunt.* — *rugosis*, decrepitis senibus, cf. Terent. Eunuch. IV. 4. 10. — *spadonibus*, Mardionem inprimis magnae in illis auctoritatis fuisse, ex Plutarch. in Anton. 60. discimus. — *Interque sign. turp. milit. Sol adsp. conop.* et Sol, nefanda quaeque adspiciens, adspicit inter signa militaria turpe mollitiei signum conopium, pro tenui: et inter signa militaria conopium animadvertere licet. — *conopium* et *conopeum*, velum, quo Aegyptii ad arcendos culices utebantur; vid. *Interpretes* et *Iacobs.* in Animadv. ad Anth. Gr. V. III. P. I. p. 105.

v. 17—20. *bis mille Galli equos*

Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citae.
Io Triumphe, tu moraris aureos
Currus et intactas boves?
Io Triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus hostis Punico
Lugubre mutavit sagum.

v. 22. Cum recentioribus editoribus interrogationis signum posui. — v. 25. Pro vulgata lectione *Africano* e multis et satis bonis Codd. *Bentleius* et plerique recentiores editores receperunt *Africanum*. „Lectio *Africano* (bello) nimis refert pedestrem orationem et praeterea ἄκυρον est pro *Punico*" *Orell.* — *quo super*, susp. *Bentl. R.*

verterunt, h. e. averterunt, ab Antonio defecerunt; — *canentes Caesarem*, Caesarem salvere iubentes, h. e. ad Caesarem transeuntes; consilium igitur illud, quo paulo ante pugnam Actiacam duo Gallograecorum s. Galatarum duces, Deiotarus et Amyntas ad Octavianum defecisse traduntur (vid. Plutarch. in Anton. 63. et Vell. II. 84.), salse poeta a rei Romanis inhonestissimae indignatione repetit. — *Hostil. nav. port. lat. Pupp. sinistr. cit.* h. e. ut *Boettig.* hunc locum paulo impeditiorem expedire studuit: et pars navium hostilium perfide, dum pugnabatur, a sinistra parte retrorsum actarum in portu latent; *puppem ciere* (πρύμναν κρούσασθαι, lat. *remis inhibere*), dicuntur, qui ad fugam vel defectionem dissimulandam ita navem retro agunt, ut inverso cursu prora puppim, non puppis proram sequatur. — *sinistrorsum*, nam cum Antonio, classe e portu in altum evecta, dextrorsum Italiam versus acies explicanda esset, naves pugnae se subducturae sinistrorsum in portum se recipere debebant.

v. 21—26. *Io Triumphe!* Triumphum tanquam deum appellat, eique morae impatientiam et cupiditatem suam, qua splendidissimi, per quem Augustus urbem ingressurus sit, triumphi spectaculo inhiet, declarat. — *aureos currus*, ex ebore enim et auro constructi fuerunt currus triumphales; de *auro* laudat *Boettigerus* Philostr. in Vit. Sophist. I. 7. p. 488. — *intactas boves*, sollemne Iovi Capitolino ab Augusto triumphante instituendum sacrificium, mactando nempe *boves intactas*, h. e. nondum iugum passas, ut mos et ritus postulabat; Virg. Georg. IV. 540: *intacta cervice iuvencas*. — *nec Iugurth. par. bell. report. duc. Neque Afric.* cett. nec Mario de victo Iugurtha, nec Scipioni Africano de eversa Carthagine tanti splendoris triumphus contigit, h. e. Augusti gloria omnium, qui unquam triumpharunt, gloriam superat. — *cui super Carthag. Virt. sepulc. condidit.* Ad gloriae aeternitatem, quam virtute sua sibi paraverit Scipio, significandam suaviter ipsa Virtus, ut dea, sepulcrum sivo monumen

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos
Et Chia vina aut Lesbia,
Vel, quod fluentem nauseam coërceat,
Metire nobis Caecubum.
Curam metumque Caesaris rerum iuvat
Dulci Lyaeo solvere.

CARMEN X.

IN MAEVIUM POETAM.

Mala soluta navis exit alite
Ferens olentem Maevium.

v. 34. *Aut Chia*, e Codd. aliqu. *Bentl.*, *Cun.*, *Wakef.*; male. Cf. *Feam* ad h. l. *R.*

tum super Carthaginem exstruxisse fingitur.

v. 27—32. *Punico Lugubr. mutavit sagum*, inversa constructione pro: sagum puniceum sive purpureum mutavit cum veste sordida, h. e. purpureo paludamento, imperatoris insigni, deposito vestem, quae mutatam sortem indicaret, induit. — *cent. nobil. Cret. urb.* vid. supr. ad III. 27. 33. — *non suis*, h. e. non propitiis; Ovid. Met. IV. 373: *Vota suos habuere deos.* cf. supr. ad IV. 14. 33. — *Noto exercitatas*, h. e. Noto vexatas, cf. supr. ad I. 22. 5.

v. 33—38. *Capacior. affer huc, puer, scyphos*, cett. Iam laetitiae sensu ita impellitur et confunditur poeta, ut iam interesse sibi videatur indictae apud Maecenatem compotationi; cf. supr. III. 19. 9. — *quod fluent. naus. coërceat*, alvum fluentem adstringat. Hinc Athenaeus vinum Caecubum vocat εὔτονον. — *metire*, per cyathos, vid. ad III. 8. 13. — *metumque Caesaris rerum*, sollicitudinem de rerum, quibus gerendis cum maxime Caesar operam dat, eventu.

CARMEN X.

Maevio Horatius, homini sibi infestissimo, navi nunc iter in Graeciam facturo naufragium imprecatur. Rogatis igitur ventis, ut tantam in mari Ionio tempestatem concitent, quantam olim Minerva in Aiacem concitasse dicitur, se fracta Maevii nave hircum et agnam Tempestatibus immolaturum esse spondet. — Malum poetam Maevium fuisse ex Virgilii Eclog. III. 90: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi*, satis certo colligi posse videtur. Quodsi eundem ex malorum poetarum more petulantius Horatio insultasse statuas, causa, cur Vatiniano quasi poeta istum persecutus sit odio, facile appareet. — Caeterum

Ut horridis utrumque verberes latus,
    Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus inverso mari
    Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
    Frangit trementes ilices.
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
    Qua tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur aequore,
    Quam Graia victorum manus,

v. 8. *Plangit*, coni. *Wakef.*; *vertit* vel *sternit*, susp. *Bentl.* Sed vide annot. *R.*

si quis animi causa hoc carmen cum libri primi carmine tertio comparaverit, ubi Horatius Virgilio Athenas navigaturo felicem navigationem apprecatur, diversos tam pii amoris quam magni odii sensus non sine voluptate expressos animadvertet.

v. 1—4. *Mala alite*, infausto omine, ut supr. I. 15. 5. *mala avi.* — *olentem*, gravi odore detestabilem; *gravis* enim *hircus*, ut infr. Epod. XII. 5. dicitur, in eius *hirsutis alis cubuisse* videtur; cf. ad Catull. LXIX. 6. nisi quis iam *olentem* simpliciter pro: detestabilem explicare malit. — *utrumque latus*, sc. navis; — *horridis*, saevis, tumidis. — *Auster*, *Eurus*, *Aquilo*, scilicet ut eo gravior concitetur tempestas, plures ventos, qui simul ruant et contra se pugnent, poetarum more in partes vocat; cf. Virgil. Aen. I. 85.

v. 5—14. *Niger*, caelum nigrum reddens et obscurans; ut supr. I. 5. 7. *nigri venti*; contra *Notus albus* supr. I. 7. 15. et *venti candidi* III. 7. 1. — *inverso mari*, cum *imis vadis*, ut Virgil. Aen. I. 125. loquitur, *stagna refunduntur*, *Mitsch.* comparat Philipp. Thessal. XII. 2. Anthol. Gr. T. II. p. 198. — *Insurgat Aquilo, quantus*, irruat Aquilo tantus, quantus, h. e. tanto impetu, quanto cett. — *trementes ilices*, tremulo motu huc illuc nutantes, ventorum impetu contremiscentes, ut supr. III. 27. 23: *ripae verbere trementes.* — Pro *frangit* ex coniectura *Wakefieldius* in textum recepit: *Plangit*; „Statim, inquit, praecesserat vox *fractos*, et quorsum, sodes, *tremere*, si *frangantur.*" Sed ex meo sensu *frangit* bene respondet voci *fractos* et multo illo gravius est; ut *frangit* enim Aquilo ilices, ita *frangere* quoque debet *remos*, *franguntur* autem ilices, dum *tremunt*. — *sidus amicum*, intellige Dioscuros; supr. IV. 8. 31: *Clarum Tyndaridae sidus ab infimis Quassas eripiunt aequoribus rates*, cf. supr. I. 3. 2. — *Qua trist. Orion cadit*, qua Orionis occasus tristem tempestatem concitat; supr. III. 27. 17: *Sed vides, quanto trepidet tumultu Pronus Orion.* cf. supr. ad I. 28. 21. *tristis*, ut apud Virgil. Aen. XI. 259: *triste Minervae sidus*, de tristi tempestate a Minerva concitata. — *Quam Graia vict. man. cum Pallas* cett. De hoc naufragio Graecis a Minerva Cassandrae ab Aiace Oileo in templo Palladis vitiatae causa ad cau-

Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
    In impiam Aiacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis
    Tibique pallor luteus
Et illa non virilis eiulatio,
    Preces et aversum ad Iovem;
Ionius udo cum remugiens sinus
    Noto carinam ruperit!
Opima quodsi praeda curvo litore
    Porrecta mergos iuveris,
Libidinosus immolabitur caper
    Et agna Tempestatibus.

v. 19. 20. Nonnulli Codd. e correctione *sinu Notus*, quod recepit *Cruquius*. Sed neque *Ionius Notus* neque *udus sinus* recte dici potest. Cf. *Bentl.* ad h. l. — v. 22. *Proiecta*, coni. *Bentl.*, ut Od. III. 10. 3., sine ulla necessitate. — Pro *iuveris* plerique quidem Codd. exhibent *iuverit*, sed manifesto hoc tribuendum librariorum inscitiae. Vide *Bentl.* ad h. l. *R.*

tes Euboicas immisso, uti de caeteris Graecorum a Troiae excidio redeuntium fatis narrat Diomedes apud Virgil. Aen. XI. 260 sqq. cf. Aen. I. 39. et ibi *Heynius*.

v. 15—20. *O quant. instat navit. sud. tuis* cett. Iam, ut vati ἐνθουσιάζοντι, rei futurae eventus ante oculos versatur; videt nautas laboribus, quibus navem periculo eripiant, insudare; videt Maevium de vitae suae discrimine impallescere; audit eum muliebriter eiulare et frustra Iovem precibus fatigare; conspicit denique eundem cum fracta navi perire! Similiter supr. I. 15. 9. Nereus vaticinium de futuris in bello Troiano pugnis edens: *Heu heu, quantus equis, quantus adest viris Sudor!* — *non virilis*, haud virum decens, muliebris. — *Preces et avers. ad Iov.* et preces, quibus frustra Iovis implorabis auxilium, h. e. quam irritas ad Iovem, te non audientem, preces iacies! — *aversum*, tibi iratum et aversa aure preces tuas respuentem. — *Ionius ud c. remug. sin. Not. car. rup.* cum mare Ionium, Noti sonitu et stridore reboans, carinam fregerit, pro vulgari: cum Notus in mari Ionio furens carinam fregerit. — *Ionius sinus*, mare Ionium in sinus curvatum, ut *sinus Calabri*, supr. I. 33. 16. — *udo*, pluviosam tempestatem ciente.

v. 21—24. *Opima quodsi praed. curv. lit.* cett. quodsi autem corpus tuum in litus eiectum et ibi porrectum mergis opima praeda contigerit, tum ego voti mei damnatus caprum et agnam immolabo Tempestatibus. — Quo quidem voto nihil a poeta acerbius addi potuit; acerbissime inprimis optat, ut Maevii corpus *opima praeda* mergis contingat, sive quod illi eiecta corpora tanquam opimam praedam depasci soleant, sive quod ipsi Maevio *opimum* corpus fuerit. — *Tempestatibus*, de religioso *Tempestatum* cultu vid. *Cerd.* ad Virgil. V. 772. ubi Aeneas quoque *agnam Tempestatibus* immolari iubet.

CARMEN XI.

AD PETTIUM.

Petti, nihil me sicut antea iuvat
    Scribere versiculos amore percussum gravi,
Amore, qui me praeter omnes expetit
    Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
    Inachia furere, silvis honorem decutit.
Heu me, per urbem, nam pudet tanti mali,
    Fabula quanta fui! conviviorum et poenitet,

v. 1. *Pecti*, e Codd. *Fea*, *Vanderb.*, *Iahn.* — v. 2. Pro vulgata lectione *perculsum* e Codd. *Bentl.* dedit *percussum*. „In re graviore *perculsus* aptius vocabulum est; contra in leviore affectu *percussus* potius dixeris; ubi animus scilicet est *ictus*, *saucius*, non eversus tamen et consternatus.“ Ita praeter alios *Doer.*, *Mein.*, *Orell.* — v. 8. *ut poenitet*, coni. *Bentl. R.*

CARMEN XI.

Quam parum firmitatis et constantiae sibi sit in pervincendis amoris cruciatibus, ingenue et familiariter amico suo et sodali Pettio aperit. Repetit igitur, quid sibi ante tres annos in Inachiae amore acciderit et quam turpiter se in capto eam deserendi consilio dederit. Qua re narrata se nunc Lycisci amore, a quo pariter nec amicorum consiliis nec pueri illius iniuriis expediri possit, teneri profitens mollem suum et parum virilem animum haud dissimulat. — Talem igitur fere semet ipsum in hoc carmine descripsit poeta, qualis apud Terentium in Eunucho inducitur Phaedria, qui, quomodo amantium animi modo huc modo illuc impellantur et agitentur, pro illustri exemplo haberi potest.

v. 1—4. *Petti, nihil me, sic. ant., iub. scrib. vers. am. perc. gr.* ex quo tempore amore excrucior, non amplius, ut ante, Musarum studiis delector. — *qui me praeter omnes expetit — urere*, eleganter pro vulgari: qui me inprimis urit. — *moll. in puer. aut in puell.* — de locutione: *urere in aliquo* et *aliqua*, ut *ardere* et *aestuare in aliqua*, pro: ob aliquam, vid. *Heins.* ad Ovid. Met. IV. 234. et *Broukhus.* ad Tibull. I. 7. 40. — *me expetit urere*, Graece: ut me urat.

v. 5—10. *Hic tertius December — silvis honorem decutit*, ornate pro: tertius nunc est annus. — *honorem*, folia. Virg. Georg. II. 404: *Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem.* — *Inachia furere*, ob Inachiam furere, furori, quo Inachia me correptum tenebat, indulgere; — *per urbem Fabula quanta fui!* quomodo per ora hominum traductus fui! *fabulae* dicuntur, qui sermonibus omnium circumferuntur, ridentur, diffamantur; exempla vid. apud

In quis amantem et languor et silentium
    Arguit et latere petitus imo spiritus.
Contrane lucrum nil valere candidum
    Pauperis ingenium? querebar applorans tibi;
Simul calentis inverecundus deus
    Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quodsi meis inaestuet praecordiis
    Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat

v. 9. *et* post v. *amantem* deest in plerisque Codd.; omisit *Lamb.* — v. 11. *Contraque*, e Codd. nonnullis *Lamb.*, *Torr.* al. — v. 15. *inaestuet*, lectio vulgata. Nonnulli Codd. *inaestuat*, quod cum aliis recepit *Doer. R.*

Heins. ad Ovid. Art. Am. II. 561. — *silentium*, de silentio, amoris signo, cf. Catull. LI. 9. cf. supr. IV. 1. 35 et 36. — *arguit*, prodidit, *ἐμήνυσε*, supra I. 13. 7: *humor et in genas Furtim labitur arguens, Quam lentis penitus macerer ignibus.* — *et latere petit. im. spirit.* ornate pro: alta suspiria. Callimach. Ep. XLV. 1: *Ἕλκος ἔχων ὁ ξεῖνος ἐλάνθανεν· ὡς ἀνιηρὸν Πνεῦμα διὰ στηθέων, εἶδες, ἀνηγάγετο.*

v. 11—18. *Contrane lucrum* cett. Nexus et sensus huius paulo impeditioris et obscurioris loci, ut mihi videtur, est fere hic: Tu ipse, Petti, ante tres annos testis fuisti, quomodo contra Inachiam meum obdurarem animum; „fierine potest, querebar apud te, cum vino incensus arcanos meos amores tibi retegerem, fierine potest, ut Inachia animi mei candorem ditiorum postponat muneribus? Quodsi igitur indignationi meae de Inachiae iniuria liberius nunc ita indulgere placet, ut ea, quae vana adhuc amoris mei fomenta fuerunt, ex animo eiiciam et missa faciam; ego, quem ante, se prae ditioribus contemni, pudebat, summoto nunc isto pudore, cum ditioribus, quibus impar sum, certare desinam.“ — Copiose de hoc loco disputavit, sed eius sensum non satis perspexit *Mitscherlichius.* — *Contrane lucr. nil valere*, nota loquendi ratione pro: fierine potest, vel, estne fas, ut nil valeat contra lucrum cett. — *applorans tibi*, dolorem meum tecum communicans; *simul*, simulac. — *inverec. deus*, Bacchus iam dicitur deus *inverecundus*, quod, qui eius munere, vino, incaluerunt, non raro ea, quae verecunde texerant, liberius proferre et retegere solent. — *arcana calentis fervid. mer.* h. e. arcana mei, qui calebam fevidiore mero, graviter et significanter pro simplice: mea, sive arcanos meos amores; verba: *calentis fervidiore mero* statum animi, ex quo facilius aliquid promoveri et elici potest, bene designant. — *promorat loco*, ex animo, quo latebant, protulerat; supr. III. 21. 15. de vino: *Tu sapientium Curas et arcanum iocoso Consilium retegis Lyaeo*, cf. supr. I. 18. 16. infr. Epist. I. 5. 16. et Asclepiad. Ep. X. 1. 2. Anth. Gr. T. I. p. 146. — *Quodsi me. inaest. praecord. lib. bil.* quodsi igitur nunc tam libera in animo meo excandescet ira (*libera*, quae nullo amplius fomento supprimitur), *ut ventis dividat*, ut ventis diripienda tradam, h. e. missa fa-

Fomenta vulnus nil malum levantia,
Desinet imparibus certare summotus pudor.
Ubi haec severus te palam laudaveram,
Iussus abire domum ferebar incerto pede
Ad non amicos heu mihi postes et heu
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia amor Lycisci me tenet;
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia nec contumeliae graves,
Sed alius ardor aut puellae candidae
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

v. 24. *mollitie*, e Codd. aliquot *Bentl.*, *San.*, *Wakef.*, *Mein.*, *Or.* *R.*

ciam; — *haec fomenta*, intellige spem, quae eius in Inachiam amorem adhuc nutriverat; speraverat enim, fore, ut Inachia candidum pauperis ingenium ditiorum muneribus praeferat; — *ingrata*, nil proficientia, ipse explicat: *vulnus nil malum levantia.* — *Desinet summotus pudor*, ego summoto illo pudore (vid. supra) desinam cett.

v. 19 — 28. *severus*, firmo et severo consilio; *laudaveram*, iactaveram; *iussus*, sc. a te. — *abire domum*, meam nempe, non puellae domum. — *ferebar incerto pede*, ego, qui modo certum consilium ceperam, labascere coepi et redii ad domum Inachiae. Suaviter tribuit pedi, quod eius animo tribuendum erat. Tibull. II. 6. 13: *Iuravi quoties rediturum ad limina nunquam: Cum bene iuravi, pes tamen ipse redit.* — *lumbos et infregi lat.* quod ei non intromisso ante ianuam iacendum fuit; ut supra III. 10. 20. — *gloriant. quaml. mulierc. vinc. mollit.* pueri mollissimi. — *expedire*, cf. supr. I. 27. 4. — *amicorum libera consilia*, consilia liberius et apertius ab amicis data, h. e. sincera. — *alius ardor*, novus amor; — *renodantis*, solventis, ut super humeros flueret; *humerus* enim *capillis sparsus*, ut Hor. supr. III. 20. 14. loquitur, placebat in pueris mollioribus; cf. IV. 10. 3. [Rectius alii interpretantur: „comam in nodum colligentis, religantis;" solebant enim pueri delicati puellarum instar comam religare, ut amatoribus magis placerent. *R.*]

CARMEN XII.

IN ANUM LIBIDINOSAM.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
Munera cur mihi quidve tabellas
Mittis nec firmo iuveni neque naris obesae?
Namque sagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor vietis et quam malus undique membris
Crescit odor, cum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare, neque illi
Iam manet humida creta colorque

v. 2. *cur mihi*, lectio vulgata. *quid mihi*, e Codd. nonnullis et Mario Victor. p. 2619. *Bentl.*, *Cun.*, *Wakef.*, *Mein.*, *Or.* Sed hoc *quid* non minus ex librariorum correctione ortum videtur, quam quod in aliis Codd. pro *quidve* legitur *curve*. *R.*

CARMEN XII.

Hoc carmen pariter ac supra Epodon carmen octavum felle, quod in libidinosam quandam anum evomuit, turpiter inquinatum est. Hic quoque vetulae cuiusdam, a qua ad libidinem cum illa exercendam se expetitum esse fingit, foeditatem foede describit et, quo magis appareat, quantus fuerit istius mulieris in libidine furor, eam loquentem et inertiam sibi in re Venerea exprobrantem inducit.

v. 1 — 8. *Quid tibi vis*, quantus libidinis te agitat furor. — *dignissima*, quae coeas cum *nigris barris*, h. e. elephantis, et foeditate tibi similibus et libidini tuae explendae paribus. Non audiendi sunt, qui nostra aetate per *barros* non elephantos, sed simiorum quoddam genus intelligendum esse probatum iverunt; imo Horatius consulto elephantum ut animal nervosius posuit. — *tabellas*, ceratas puta, in quibus, quid vellet, exaraverat vetula; *arcanas*, eiusmodi *tabellas* vocat Ovidius Amor. II. 15. 15. — *firmo*, valido ad munia comparis aequanda; — *neque naris obesae*, qui nihil olfaciat adeoque malum vetulae odorem facile perferre possit. — *Polypus*, de gravi polypi foetore vid. Cels. VI. 8. et quos laudat *Mitsch.* — *gravis hircus*, gravis odor, qualis est hircorum; ut τράγος apud Graecos. Catull. LXIX. 5: *Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur Valle sub alarum trux habitare caper;* vid. ibi not. — In voce *vietis* duae syllabae per synaeresin in unam contractae sunt.

v. 9 — 12. *neque illi iam man. humid. cret.* neque in eius facie creta sudore liquefacta manet, sed defluit; ex *creta* enim pigmentum parabatur, quo candorem faciei conciliarent mulieres; Ovid. A. A. III. 199: *Scitis et inducta candorem quaerere creta;* cf. Interpr. — *co-*

Stercore fucatus crocodili, iamque subando
Tenta cubilia tectaque rumpit;
Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:
„Inachia langues minus ac me;
„Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
„Mollis opus. Pereat male, quae te
„Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem,
„Cum mihi Cous adesset Amyntas,
„Cuius in indomito constantior inguine nervus
„Quam nova collibus arbor inhaeret.
„Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
„Cui properabantur? tibi nempe;
„Ne foret aequales inter conviva, magis quem
„Diligeret mulier sua quam te.
„O ego infelix, quam tu fugis, ut pavet acres
„Agna lupos capreaeque leones."

v. 25. Alii cum plerisque Codd. *non felix*, quod haud scio an hiatus evitandi causa inventum sit a librariis. *R.*

lorque stercore fucatus crocodili, fucus ex stercore crocodili confectus. Plinius XXVIII. 8: *stercus crocodili molestias in facie enascentes tollere* ait. — *tenta cubilia* explicant de lecto funibus tento; equidem *tenta* malim ad *subando* referre, ut sit: subando distenta et dissoluta. — *tectaque*, explicant de integumentis et vestibus stragulis; malim per hyperbolen de ipso cubiculi tecto intelligere.

v. 13 — 20. *Vel mea cum saevis* cett. ad *vel* supple fere hanc sententiam: quam indomitae libidinis ista mulier est, *cum* cett. — *mea fastidia saevis verbis agitat*, meum in concubitu languorem exagitat his asperis verbis: — *Inachia*, apud Inachiam sive in *συνουσίᾳ* cum Inachia, — *langues minus ac me*, minus atque apud me vires te deficiunt. — *potes*, suppresso, ait *Mitscherlichius*, ex verecundiae sensu: *subagitare;* sed ubi est in hoc carmine verecundia? imo ex usu loquendi hoc factum est, quem ipse *Mitsch.* bene exemplis adstruxit. — *ad unum opus*, *συνουσίαν*. — *mollis*, idem, quod in versu sequente *iners*. — *pereat male*, cett. abeat Lesbia in malam rem, quae mihi nervosiorem et validiorem appetenti te hominem languidum et inertem adduxit.

v. 21 — 26. *Muric. Tyriis iter. vell. lan. cui properabantur?* Scin' tu, cui ego studiose texui vestem bis colore purpureo tinctam? (h. e. dibapham) cf. supr. ad II. 16. 36. — *mulier sua*, h. e. amica sua. — *ut pav. acres agn. lup. capr. leon.* Theocrit. XI. 24: *Φεύγεις δ' ὥσπερ ὄις πολιὸν λύκον ἀθρήσασα.* cf. supr. Epod. IV. 1. — *ut pavet*, ut cum pavore fugit, *capreaeque* cum pavore fugiunt.

CARMEN XIII.

AD AMICOS.

Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc siluae
Threïcio Aquilone sonant: rapiamus, amici,
Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move Consule pressa meo.

v. 3. *amice*, coni. *Bentl.* propter v. 6., et sic ediderunt *Cun.*, *Sanad.*, *Wakef.*, *Mein. R.*

CARMEN XIII.

Amicos suos, quibuscum poeta pluviosum diem inter laeta vini pocula transigere vult, unamquamque, quae laetioris vitae fructum offerat, occasionem cupide amplecti, sollicitudinem de rebus futuris ex animo dimittere et iuvenili, dum liceat, aetate frui iubet. Cui quidem vitae praecepto, quod saepius Horatius amicis suis proposuit, nunc pondus quoddam addere studet auctoritate Chironis, qui pariter alumnum suum Achillem, postquam fatum, quod eum ad Troiam maneat, vaticinatus fuerat, curas vino pellere iusserit. — Caeterum compotationes et laeta convivia pluviosis praecipue diebus instituta fuisse, apparet quoque ex libri tertii carmine decimo septimo, ad Aelium Lamiam hoc nomine scripto.

v. 1—5. *caelum contraxit*, pro: nubes in caelo contraxit; — horrida tempestas contractis in caelo nubibus imminet; — similes poetarum locos, in tempestatis imminentis descriptione versantes, collegerunt ad h. l. *Interprett.* — *deducunt Iovem*, Iuppiter enim *ὑέτιος* (h. e. aër), dum pluit, in terram descendere vel se demittere fingitur. — *Threïcio*, cf. supr. ad I. 25. 11. — *rapiamus, amici*, *occasionem de die*, agedum igitur, amici, de hoc pluvioso die, laetae compotationi apto, statim usum capiamus; — *dumque virent genua*, dum vigor adhuc inest genibus, dum iuvenilis adhuc in nobis viget alacritas, dum valemus; Theocrit. XIV. 70: *ποιῆν τι δεῖ ἇς γόνυ χλωρόν·* cf. *Mitsch.* — In hanc sententiam similiter Hor. supr. I. 9. 17: *Donec virenti canities abest Morosa.* Propert. IV. 5. 57: *Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus.* — *obduct. solv. front. senect.* a fronte curarum nubibus quasi obducta dissolvatur senilis austeritas; frons contracta et ad severitatem composita exporrigatur, h. e. missis curis hilaritati indulgeatur.

v. 6—10. *Tu vina Torquato move Consule pressa meo*, iam convivium accelerari iubet poeta, et quasi iam adsint amici, eorum aliquem vinum Consule L. Manlio Torquato *secum natum* (vid. supr. III. 21. 1.) promere iubet; videtur nempe sermo esse de compotatione, ubi de symbolis biberetur. — *move* supr. III.

Cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
  Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
  Levare diris pectora sollicitudinibus;
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
  Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
  Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
  Rupere, nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
  Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

v. 8. *Achaemenio*, e plerisque Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *Baxter* aliique recentiores; *Achaemenia*, ante Bentl. vulgata lectio (recepta etiam a *Doer.*). — v. 10. *duris*, e Cod. Galeano et editione Loscheri *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Wakef.* — v. 13. *proni*, *Bentl.* susp. *puri*, Hofmann Peerlk. — v. 15. *curto*, susp. *Bentl.* — v. 18. *ac dulcibus*, susp. *Bentl.*; *et dulcibus*, scripsit *Wakef.* (ut est in aliqu. Codd.). Cfr. annot. *R.*

21. 6. *moveri digna* (amphora) *bono die*, *Descende.* — *Cetera mitte loqui*, supr. I. 9. 9: *permitte divis cetera.* — *deus haec fortasse benigna Reduc. in sed. vice*, ea, quae nunc animum tuum macerant et cruciant, grata fortasse deus vicissitudine in pristinum statum revocabit. — *Achaemenio*, cf. supr. ad III. 1. 44. — *nardo*, unguento pretiosissimo; cf. II. 11. 16. — *fide Cyllenea*, lyra, quae ab eius inventore Mercurio (cf. I. 10. 6.), in Arcadiae monte *Cyllene* nato, *Cyllenea* dicitur. — *diris*, exsecrabilibus.

v. 11—18. *Nobil. ut grand. cec. Centaur. alum.* quod quidem nobilis Centaurus quoque, Chiron, magno suo alumno suasit, cum hoc ederet vaticinium: — Chironem, cui, tam sapientiae quam virtutis gloria inter Centauros conspicuo (vid. *Mitsch.*), filium suum Achillem Thetis educandum tradiderat (vid. Stat. Achill. I. 100 sqq.), ad Pindari exemplum Pyth. IX. 50 sqq. iam vatem induxit poeta. — *grandi*, suaviter Achilles iam puer talis repraesentatur, qualis virtute sua evasurus erat. — *Assaraci tellus*, Troia, Assaraci olim imperio subiecta; sic apud Virgil. Aen. I. 284: *domus Assaraci.* — *parvi Scamandri flumina*, Scamander enim, cuius fons in monte Ida est, intra parvum primum labitur alveum. — *lubricus*, epitheton ornans, cuique fluvio conveniens; alii explicant: tortuosus, sinuosus, anguis instar se provolvens. — *certo subtemine*, inevitabili, quod semel Parcarum filis vel subtemine deductum et constitutum est, fato. De Parcis fata Achillis nendo deducentibus est locus suavissimus apud Catull. LXIV. 339 sqq. — *Deformis aegrim. dulc. aegrim. dulc. alloquiis*, gratissimis illis (vino nempe et cantu) malarum curarum fomentis; *alloquium*, ut *allocutio* apud Catull. XXXVIII. 5. de quovis solatii et lenimenti genere; vid. *Drakenb.* ad Liv. IX. 6. T. II. p. 852.

CARMEN XIV.

AD MAECENATEM.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
  Oblivionem sensibus,
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
  Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis saepe rogando:
  Deus, deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, ïambos
  Ad umbilicum adducere.

et quae notavimus ad l. l. Catull. Et sic παραμύθιον et παραμυθεῖσθαι apud Graecos; vid. *Wetsten.* ad N. T. t. II. p. 267. et T. *Hemsterhus.* ad Xenoph. Ephes. p. 153. Sed *Bentleius*, latinitati hac explicatione timens, particulam *ac* ante *dulcibus* inserendam esse putat, *Wakefieldius* part. *et* interposuit. At, cum recte *cantus* dici possit *alloquium*, per zeugma autem non opus sit, ut alloquium utrisque praecedentibus nominibus accommodetur, iam ex hac causa quomodo latinitas offendatur non video. — *deformis*, aegritudo enim macie vultum deformat.

CARMEN XIV.

Maecenati identidem Horatium roganti et cum eo expostulanti, cur iam diu datam fidem, se carmen iambicum cum illo communicare velle, nondum exsolverit, respondet poeta in hoc carmine, dum omnis morae causam in amorem, quo gravius, quam olim Anacreon, torreatur, confert. De summa autem amoris vi ipsum Maecenatem in pulcherrimae puellae amore cum maxime occupatum facete testem facit.

v. 1—8. *Mollis inertia* cett. pulchre et splendide pro vulgari: cur effluxerit mihi plane ex animo, quod de carmine iambico quondam tibi promiseram, saepe rogando me enecas, candide Maecenas. — *mollis inertia*, ignavum, quo quis molliter diffluit, otium. — *Pocula Lethaeos ut si ducentia somn. arente fauce trax.* quasi ego ex Lethe biberim; *arent. fauc. traxerim*, avide hauserim; sic Hercules *vinum trahere* apud Val. Flacc. III. 609. dicitur, et sic ἕλκειν et σπᾶν apud Graecos; vid. *Bergler.* ad Alciphr. I. 34. p. 149. — *ducentia*, adducentia, ut supr. Od. III. 27. 42. *somnium ducere.* — *Lethaeos somnos*, talem torporem, quali qui ex Lethe biberunt obruuntur, h. e. omnium rerum oblivionem; — *candide*, animi candorem, in quo vel maxime spectatur amicitia, familiariter Maecenati tribuit. — *occidis*, enecas. — *Deus*, Amor. — *nam*, ad hanc particulam supple fere haec: noli, quaeso, mirari, vel: non in causa est mollis inertia, *nam* cett. — *me vetat* cett. supr. Epod. XI. 1: *Petti, nihil me sicut antea iuvat Scribere versiculos amore percussum gravi.* — *Incept. olim promiss. carm. iamb.*

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teïum,
Qui persaepe cava testudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser; quodsi non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua; me libertina neque uno
Contenta Phryne macerat.

inceptum illud, quod olim tibi promisi, carmen iambicum; possis quoque vocem *olim* cum *Wakefieldio* ad *inceptos* referre. — *Mitsch.* in argum. ad hoc carmen per *inceptos iambos* ipsum Epodon librum omnino intelligendum esse existimat, sed nolim iam *promissum carmen* de pluribus intelligere; haud dubie de peculiari quodam carmine sermo est. Sic Catullus LXV. de carmine *peculiari*, quod ex Callimachi carminibus de *Coma Berenices* latinis numeris expressum nondum ex promisso miserat, apud Hortalum se excusat. — *ad umbilicum adducere*, ad finem perducere; *umbilicus* fuit bacillus teres, qui extremis voluminum oris ita adiungebatur, ut eius adminiculo illa circumvolvi possent; prominentes utrimque partes, ex auro, argento vel alio metallo factae, dicebantur *cornua;* vid. *Heyn.* ad Tibull. III. 1. 13. liber igitur *ad umbilicum adductus* debebat esse absolutus et ad finem perductus.

v. 9 — 16. *arsisse Bathyllo*, de locutione *ardere aliquo* vel *aliqua* vid. supr. ad II. 4. 7. — *Teïam*, hinc *fides Teïa* supr. I. 17. 18. — *non elaboratum ad pedem*, carminibus haud ad certos metri pedes diligenter exactis; paulo licentius enim in permutandis iambis, anapaestis, spondeis cett. versatus est Anacreon, quod suaviter nunc tribuit eius animo vehementius amoris affectu perturbato. — *quodsi non pulch. ign. Accend. obsess. Ilion*, quodsi autem puella tua aeque pulchra est atque illa, ob quam Troia obsessa et accensa est, h. e. quodsi autem puella tua ipsi Helenae non cedit pulchritudine; — *ignis*, alias quoque pulchrae puellae ob amorem, quem in amantium animis accendunt, appellari solent *ignes*. Notissimus est locus Terentii Eunuch. I. 2. 5: *Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.* Virgil. Eclog. III. 66: *At mihi sese offert ultro m e u s i g n i s Amyntas.* Sed multo significantius nunc *ignis* dicitur Helena, quippe quae non tantum Paridis animum amore erga se accendit, sed per hunc ipsum simul amorem accensae quoque Troiae causa extitit. — *neque uno contenta*, Catullus quoque LXVIII. 135. de amica sua: *Quae tamen etsi uno non est c o n t e n t a C a t u l l o.*

CARMEN XV.

AD NEAERAM.

Nox erat et caelo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera,
Cum tu magnorum numen laesura deorum
In verba iurabas mea,
Arctius atque hedera procera adstringitur ilex,
Lentis adhaerens brachiis,
Dum pecori lupus, et nautis infestus Orion

CARMEN XV.

Neaerae, quam sanctissimo iureiurando datam sibi in amore fidem fefellisse queritur, firmissimum animi sui consilium significat. Iuvenem autem a Neaera nunc sibi praelatum, quamvis ille ditissimus, doctissimus et formosissimus sit, eandem tamen apud Neaeram perfidiam experturum esse, in doloris sui solatium auguratur.

v. 1 — 10. *Nox erat* cett. vide, quam egregie poeta exornaverit sententiam hanc: Luna lucebat in caelo sereno, cum inter arctissimos complexus iureiurando, te semper me unum amaturam esse, et deos et me luderes! — *Nox erat et caelo fulg. luna ser.*, noctem, lunam et sidera saepe apud poetas amantes amoris sui conscia faciunt; cf. Meleag. LXXI. 1 sqq. Anth. Gr. T. I. p. 22. et plura in hanc rem a *Mitscherlichio* prolata exempla. — *inter minora sidera.* supr. I. 12. 47: *velut inter ignes Luna minores.* — *magnorum numen deorum*, maiestatem magnorum deorum, magnos deos; intellige Venerem et alios deos deasque; Tibull. I. 2. 79: *Num Veneris m a g n a e violavi numina verbo?* — *laesura*, sic Phyllis apud Ovid. Heroid. II. 43. de laesis a Demophoonte per periuria numinibus: *Si de tot l a e s i s sua numina quisque deorum Vindicet; in poenas non satis unus erit.* — *In verba mea*, in verba, quae ipse tibi praeibam. — *Arctius atque hedera* cett. iunge: *adhaerens lentis brachiis arctius atque procera ilex adstringitur* (circumdatur) *hedera* (ab hedera), h. e. dum lentis tuis brachiis arctius meis amplexibus adhaerebas atque (quam) hedera ilici adhaerere solet; *ilex adstringitur hedera*, exquisitius pro: hedera adstringitur (h. e. annectitur) ad ilicem, h. e. ambit ilicem; *lentis*, flexibilibus, apposite de arcto amplexu. Sic *lenta vitis* apud Virg. Eclog. III. 38: *L e n t a quibus* (poculis) *torno facili superaddita v i t i s.* Caeterum de arctis amantium complexibus cum hedera, arboribus se applicante, comparatis cf. supr. I. 36. 20. — *dum pecori lupus*, particulam *semper* per res, quae semper natura sua sibi constant, tribus versibus expressit et amplificavit; *lupus pecori*, sc. infestus esset. — *nautis infestus Orion Turbar. hib. mare*, cf. supr. I. 28. 21. III. 27.

Turbaret hibernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute Neaera!
Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quaeret iratus parem,
Nec semel offensae cedet constantia formae,
Si certus intrarit dolor.
Et tu, quicumque es felicior atque meo nunc
Superbus incedis malo,
Sis pecore et multa dives tellure licebit,

v. 8. 9. Pauci Codd. *Turbarit — agitarit*, quam lectionem vulgatae praetulerunt *Bentl.*, *Fea*, *Iahn*, *Mein.*; „male enim futurum *fore* iungi praeteritis *Turbaret — agitaret.*“ Sed imperfecti coniunctivi necessarii sunt propter praegressum, e quo pendent, imperfectum *iurabas* significantque cogitationem in tempus praeteritum incidentem, licet ipsa res, de qua cogitatur, ad futurum tempus pertineat. — v. 15. *offensae*, Codd. omnes. *offensi*, coni. *Bentl.* atque ita edidit *Doeringius*. Sed bene habet Codd. lectio; vide annot. — v. 17. *Bentleium* et *Orellium* secutus recepi Codd. plurimorum lectionem *Et tu*, quae propter versum 24: *Ast ego vicissim risero* praeferenda est. *R.*

18. et Epod. X. 10. — *Intonsosque agit. Apoll. aura capill.* pro tenui: et intonsi Apollinis crines essent; designatur autem aeterna Apollinis iuventas, capillis intonsis spectabilis; Tibull. I. 4. 37: *Sola aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas, Nam decet intonsus crinis utrumque deum.*

v. 11—16. *O dolitura mea multum virtute Neaera*, o Neaera, non sine magno dolore, me forte cepisse consilium, animadvertes; *virtute*, iam de constantia, qua quis in capto aliquo consilio persistit; *dolitura*, Catull. VIII. 14: *At tu dolebis, cum rogaberis nulla, Scelesta, nocte*, cf. Philodemi Ep. XX. Anth. Gr. T. II. p. 75. — *Nam si quid in Flacco viri est*, Terent. Eunuch. I. 1. 21: *sentiet* (Thais), *qui v i r siem.* et I. 2. 74: *Eu noster! laudo, tandem perdoluit; v i r es.* — *potiori*, cf. supr. ad III. 9. 2. — *parem*, aliam puellam pari fide in amore sibi uni addictam; Propert. I. 1. 31: *Sitis et in tuto semper amore p a r e s.* — [*Nec semel offensae cedet constantia formae* etc. Nec si aliquando dolore motus certum firmumque te deserendi cepero consilium, constantia mea vincetur formae tuae, in qua semel offenderim, venustate. *offensae*, quae semel mihi propter perfidiam tuam invisa erit; Cic. pro Cluent. 58: *etiamsi invisus aut multis offensus videatur.* pro Sext. 58: *cui nos offensi invisique fuerimus. R.*]

v. 17—24. *Et tu, quicumque es felicior*, Tibull. I. 5. 69: *At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto; Versatur celeri Fors levis orbe rotae.* — *meo superbus incedis malo*, superbe me tibi a Neaera perfida postpositum rides. — *licebit*, pro

Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
Formaque vincas Nirea,
Eheu, translatos alio maerebis amores:
Ast ego vicissim risero.

CARMEN XVI.

AD POPULUM ROMANUM.

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit:

quamvis, licet, ut infr. Sat. II. 2. 59: *licebit Ille repotia* cett. *celebret.* — *Pactolus*, Lydiae fluvius, aureis arenis, quas vexisse dicitur, satis notus. — *arcana*, recondita praecepta et dogmata; — *Pythagorae renati*, cf. supr. ad I. 28. 11. — *Nirea*, cf. III. 20. 15. — *Ast ego vicissim risero*, comparant Asclepiad. XVIII. 3. Anth. Gr. T. I. p. 147. Plura in hanc sententiam vid. apud *Iacobs.* ad Straton. Epigr. XXXV. in Animadv. Vol. II. P. III. p. 83.

CARMEN XVI.

Cum nondum saevire desinerent bella civilia, imo novis nunc rempublicam terrerent periculis, poeta ruinae, quae per illa imperio immineat, cogitatione percussus eiusmodi Romanis in hoc carmine proponit consilium, quod ad eorum animos percellendos et a furore isto, quo contra semet ipsos ruant, avertendos egregie accommodatum est. Suadet enim iis, ut in re desperata Phocaeos imitentur et sicut illi deserta patria regionem exteram, in quamcumque tandem sors eos deferat, adeant. Quod quidem ut eo maiore melioris fortunae spe sequantur consilium, Fortunatas Oceani insulas, ut sedem auspicatiorem, piis Romanis destinatas esse, comminiscitur. — Sententiarum nexus est hic: „Roma quam nullus exterorum hostium vincere valuit, per bella civilia in alteram iam aetatem producta suis ipsius conficitur viribus! Roma in cineres collapsa solo aequabitur et erutis Romuli ossibus insolentius insultabit barbarus! Fortasse his malis nobis imminentibus aut omnes aut certe melior vestrum pars de salubriore dispicitis consilio! Saluberrimum autem haud dubie erit id, si Phocaeos in simili rerum desperatione imitati eamus, quocumque nos pedes ferent et ventus vocabit, et, ne cui unquam in has terras redire velle in mentem veniat, sanctissimum iusiurandum interponamus. Sumite igitur animum, conscendite navem, et (dicam vobis, quae fortunatiora loca nos maneant) divites insulas petite! Hic vobis omnium rerum sponte affluentibus copiis et summa vitae securitate atque felicitate frui licebit! Ipse Iuppiter, postquam aetatem auream in aeream et deinde in ferream mutavit, haec litora a caeteris terris corruptis secrevit et piae genti destinavit; haec igitur, o pii, secundis

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer
Novisque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera caerulea domuit Germania pube
Parentibusque abominatus Hannibal;
Impia perdemus devoti sanguinis aetas,
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus heu cineres insistet victor et urbem

v. 6. et v. 8. *Novisve* et *Parentibusve*, coni. *Bentl.* Vide Od. II. 12. 6. *R.*

auspiciis vobis adeunda sunt." Quas quidem sententias qua arte Horatius amplificaverit et exornaverit, lectores ipsi sentient.

v. 1 — 10. *Altera aetas*, si hominum aetatem, γενεάν, ad vulgarem rationem (vid. quos laudat *Albert.* ad Hesych. s. v. γενεά, T. I. p. 814. n. 18.) pro triginta annorum spatio accipimus, hoc carmen autem, ut huius libri septimum et nonum, anno U. C. DCCXXI, quo contra Antonium bellum pararet Octavianus, scriptum esse ponimus; bella civilia, inde ab anno U. C. DCLXVI, quo Sulla contra Marium hostiliter insurrexerat, repetita, iam quinquaginta et quinque annos in republica saevierant. — *et ipsa*, αὐτή, sponte, ut sexcenties; — *viribus suis ruit*, supr. Epod. VII. 9: *Sed ut secundum vota Parthorum sua urbs haec periret dextera.* — *finitimi valuerunt perdere Marsi*, designatur bellum Marsicum sive Sociale, de quo vid. supr. ad III. 14. 18. — *Minac. aut Etrusc. Porsen. man.* bellum Etruscum cum Porsena ex Liv. II. 9. satis notum. — *Aemula nec virt. Capuae*, laudant Cic. in L. Agr. II. 32: *Maiores vestri — tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere.* — *Spartacus acer*, bellum servile, quod concitavit Spartacus, vid. supr. ad III. 14. 19. — *Allobrox*, Allobroges, Galliae populus, Rhodani a lacu Lemano ad Isaram usque accola; — *novis rebus infidelis*, crebras enim seditiones moverunt Allobroges, a Cn. Domitio Aenobarbo U. C. DCXXXI. Romanorum ditioni subiecti; hinc Catilina quoque eos in partes suas trahere studuerat. — *Nec. fer. caerul. German. pub.* cf. supr. ad IV. 5. 26. — *parentibus abominatus*, de caesis nempe ab illo filiis, ut supr. I. 1. 24: *bella matribus detestata.* — *abominatus* passive, ut in loco modo allato: *detestata.* — *Impia perdem. devot. sangu. aetas*, nos, quorum sanguis ad maiorum scelera expianda devotus est, Romam ad interitum vocabimus; cf. Epod. VII. 20. — *rursus*, ut ante; loca, ubi nunc Roma stat, sola et vasta, ut ante urbem conditam, erunt; laudant Propert. IV. 1. 1. Ovid. Fast. V. 95. Tibull. II. 5. 25.

v. 11 — 14. *Barbarus — victor*, respicit barbaras gentes, quas Antonius sibi adiunxerat, Dacos, Aethi-

Eques sonante verberabit ungula,
Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.
Forte quid expediat communiter aut melior pars
Malis carere quaeritis laboribus:
Nulla sit hac potior sententia, Phocaeorum
Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque Lares patrios habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis,
Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus.

v. 14. *videri*, pars Codicum. — v. 15. *quid expediat? Communiter — laboribus?* Fea. *Forte (quod expediat) communiter* etc. Rutgersius prob. Bentl. — v. 19. *patrios*, Codd. *proprios*, cum edd. vett. *Mitsch.* et *Doer.* — v. 21. *ferunt*, pars Codd. (et sic *Lamb.*, *Torr.*) *R.*

opes, (III. 6. 14.) cett. — *eques sonante verb. ungula*, ornate pro simplice: inequitabit, quod insolentiae adiunctam notionem habet; Ovid. ex Pont. I. 2. 111: *Nec male compositos — Bistonii cineres ungula pulset equi.* — *Quaeque carent vent. et sol. ossa Quir.* et ossa Romuli, quae nec ventis nec soli exposita sunt, h. e. condita et humata sunt, quaeque, tanquam rem sacram, oculis usurpare nefas est, insolens dissipabit. Sepulcra enim iam per se religiose coli debebant (Cic. Quaest. Tusc. I. 12. ubi vide *Interpr.*), multo religiosius autem sepulcrum urbis conditoris Romuli (laudant Claud. XXVI. 100 sqq.), quod, ut Cruquii Scholiast. ex Varrone docet, pro Rostris fuit; — *quae carent ventis*, similiter supr. III. 29. 23: *caretque Ripa vagis taciturna ventis;* — *nefas videre*, apposite in hanc rem *Mitsch.* ex Pseudo-Phocyl. v. 94, 95. affert: Μὴ τύμβον φθιμένου ἀνορύξῃς μήτ' ἀθέατα Δείξῃς ἠελίῳ καὶ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς.

v. 15 — 24. *Forte quid expediat* cett. h. e. fortasse aut communiter omnes aut certe melior pars nunc dispicitis, quid ad mala, quae vobis imminent, evitanda prosit inprimis et conferat. — *Nulla sit hac pot. sententia*, si me auditis, nihil prius nobis faciendum est, quam ut Phocaeorum exemplum secuti eamus, quocumque nos pedes ferent. — *Phocaeor. velut*, iunge: *velut Phocaeorum civitas exsecrata* (detestationibus abominata) *agros atque Lares patrios profugit.* — Phocaei enim, graviter ab Harpago, Cyri duce, obsessi et iam ad deditionem paene adacti, cum patriam una cum coniugibus et liberis suis relinquendi cepissent consilium, prius quam discederent, massam ferri in mare iniecisse et se non prius quam illa ex mari emersisset redituros esse inter exsecrationes iurasse traduntur; vid. Herod. I. 165. — *civit. exsecrata*, se exsecrando et diis Manibus devovendo, si unquam rediret in patriam. — *profugit agros et Lares*, Colum. I. 3: *Ut propter iniurias vicinorum sedes suas profugerint.* — *ire, pedes quocumque fer.*, supr. III. 11. 49: *I, pedes quo*

Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
  Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in haec: Simul imis saxa renarint
  Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
  Padus Matina laverit cacumina,
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
  Novaque monstra iunxerit libidine
Mirus amor, iuvet ut tigres subsidere cervis,
  Adulteretur et columba miluo;
Credula nec ravos timeant armenta leones,
  Ametque salsa levis hircus aequora.

v. 29. *proruperit*, e tribus Codd. *Fea*. — v. 33. *flavos*, Codd. plerique et cum aliis editt. *Fea*, *Iahn*, *Mein. fulvos*, e nonnullis Codd. *Lamb.; ravos*, e quatuor Codd. (quibus accedit Orellii Bern. antiquiss.), *Cruq.*, *Bentl.*, *Baxter*, *Gesner*, *Wakef.*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Or. R.*

te rapiunt et aura. — *protervus*, cf. ad I. 26. 2. — *Sic placet?* ex sententiam rogantis formula; *secunda alite*, bono omine.

v. 25—34. *in haec*, sc. concepta verba; ipse enim praeit carmen exsecrabile sive iurisiurandi formulam. *Simul im. saxa renar. vad: lev. ne red. s. nef.* simulac haec saxa ex imo maris fundo emerserint, tum in patriam redire nobis liceat et fas sit; pro ferri massa, quam Phocaei iusiurandum peragentes in mare iniecisse dicuntur, Horatius *saxa* posuit; — *levata renarint*, ornate et significanter pro: in altum resurrexerint, emerserint. — Caeterum quemadmodum Hor. in carmine praecedente v. 6 sqq. particulam *semper* per res, quae natura sua sibi semper constant, ita nunc part.: *nunquam* per res, quae natura sua fieri nequeunt, sive per ἀδύνατα, circumscripsit, quanquam eum in iis cumulandis iuveniliter luxuriasse dixeris. — *neu pigeat*, et tum placeat; — *conversa lintea domum dare*, domum renavigare. — *Padus*, citerioris Galliae fluvius, *Matina laverit cacumina*, mutato cursu Matini, Calabriae montis, alluerit et superaverit cacumina; *seu*, sive quando; — *Apenninus*, mons longo tractu per Italiam porrectus. — *amor mirus*, inauditus. — *monstra iunxerit nova libidine*, diversae naturae animalia, novo iis per miraculum quoddam iniecto instinctu, ad coitum stimulaverit; *ut*, ita, ut; *monstra* iam dicuntur animalia, quae prodigio quodam aliam naturam induunt. — *subsidere*, se submittere, subiici maribus. Lucret. IV. 1191: *Nec ratione alia volucres, armenta feraeque, Et pecudes et equae maribus subsidere possent.* — *Adult. columb. miluo*, Lucian. DD. XXII. 1: τράγος μοιχεύει αἶγα. — *credula*, de securitate sua persuasa; — *ravos*, explicant: ravis oculis truculentos, sed cf. ad III. 27. 3. — *hircus levis*, ex hirco piscis instar levis factus; comparant Archiloch. XVI. 7. sqq. Anth. Graec. T. I. p. 44.

Haec, et quae poterunt reditus abscindere dulces,
  Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
  Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
  Etrusca praeter et volate litora.
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
  Petamus arva, divites et insulas,

v. 41. Alii distinguunt: *Oceanus circumvagus arva; beata Petamus arva*, alii: *Oceanus circumv. arva beata; Petamus arva.* Sed vide annot. *R.*

v. 35—38. *abscindere*, abrumpere, intercludere; *reditus dulces*, reditus in patriam, quae, ut Ovid. ex Pont. I. 3. 35. loquitur, *dulcedine quadam nos captos* tenet. — *exsecrata*, iureiurando et exsecratione, se nunquam redituram esse, obstricta. — *mollis*, prae mollitia et ignavia maritimi itineris labores fugiens; — *exspes*, abiectum animum ad melioris sortis spem haud attollens; — *inomin. perprimat cubilia*, graviter pro: inauspicato domi maneat.

v. 39—53. *muliebr. tollite luctum*, nolite sub discessu ex patria muliebriter lamentari, sed viri estote. Orationis colorem duxit Horatius ex Archilocho Fragm. 48. Lieb.: τλῆτε γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι. — *Etrusc. praet. et volate lit.* celeri cursu mare Tyrrhenum transvecti Oceanum versus navigate; *volare* de celeri cursu; — supr. Carm. IV. 5. 19: *Pacatum volitant per mare navitae*; cf. ad Catull. IV. 5. — *Nos manet Oceanus circumvagus! arva*, — *Mitscherlichius*, qui *arva* cum *circumvagus* iungit, hunc locum ita explicat: „qua arva ambit, adeoque insulas in Oceano sitas, pro vulgari: nos manent arva Oceano circumflua; mihi quidem locutio *circumvagus arva* pro: vagus circum arva, durissima videtur; ut nihil dicam, tam vim repetitionis *beata arva*, quam orationis gravitatem atque nexum perire, si *arva* priore loco posita ad *circumvagus* referatur. Supr. I. 34. 9. *flumina* simpliciter dicuntur *vaga*; cur non aeque ad rem *Oceanus* simpliciter dici possit *circumvagus?* h. e. late diffusus, vagans circum terras et insulas. Sensus: trans Oceanum circumvagum, qui nos manet superandus, petamus arva et quidem beata arva et divites insulas. Sic fere apud Virgil. Aen. VII. 225: *Oceanus refusus: — et si quem tellus extrema refuso Submovet Oceano.* — *divites insulas*, μακάρων νήσους, Fortunatas insulas, quo nomine apud veteres eas, quae nunc *Canariae* vocantur, designatas fuisse, iam alii probatum ivere. Est autem harum insularum apud Plutarch. in Sertor. 8. et Pompon. Mel. III. 10. 10. ita comparata descriptio, ut poetam eas potissimum, in quas quae poetae de aurea aetate finxerunt transferret, sibi delegisse haud mireris. Obversatum quoque fortasse poetae est, ut iam *Gesnerus* in Praelect. II. *de navig. extr. Columm. Herc.* p. 458. monuit, consilium illud, quod Sertorius U. C. DCLXXXIII, cum eius res in Hispania in summum discrimen adductae fuissent, in insulas Fortuna-

Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
Et imputata floret usque vinea;
Germinat et nunquam fallentis termes olivae,
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera:
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Neque intumescit alta viperis humus.

v. 51. Plurimorum Codd. lectio *ovile* praeferenda est alteri *ovili*, quam praeter alios receperunt *Fea*, *Mitsch.*, *Doer.* Verba enim cum praepos. *circum* composita regunt accusativum. — v. 52. Alii *Nec*. *R.*

tas traiiciendi cepisse dicitur; vid. Plutarch. l. l. — *reddit Cererem*, fruges fert; proprie quidem *Cererem reddere* dicitur ager cultus et aratus, qui semen sibi creditum cum fenore *reddit*, h. e. largas fruges ex semino profert, sed haec locutionis proprietas haud urgenda est. — Caeterum translatam illam ex aurea aetate ad Fortunatas insulas *de agrorum inaratorum fertilitate* sententiam quatuor versibus poeta pulchre amplificavit. Comparandi autem cum Horatio ii poetarum loci, qui in aureae aetatis descriptione versantur, in quoque fere poeta obvii. — *ficus pulla*, fusci coloris, qualis est ficuum maturarum; *ornat suam arborem*, in sua nascitur arbore, non in frondibus peregrinis, h. e. per insitionis opus adoptatis; de ficuum insitione vid. Cato XLII. 1. Columell. V. 11. 7. *sua*, similiter apud Virgil. Georg. II. 82. arbor *novas frondes et non sua poma mirari* dicitur. — *mella cava man. ex il.* cf. Tibull. I. 3. 45. Virg. Eclog. IV. 22. — *crepante pede*, dulci murmure; Lucret. V. 273. et VI. 638: *super terras fluit agmine dulci, Qua via secta semel liquido pede detulit undas;* Virg. Cul. 17: *Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.* — *Illic iniussae ven. ad mulctra capell.* Virg. Eclog. IV. 21: *Ipsae lacte domum referunt distenta capellae ubera.* — *amicus*, suaviter de grege, qui sponte et amanter quasi munera sua dominis offert. — *Nec vespertin. circumg. urs. ovile*, Virgil. Georg. III. 537: *Non lupus insidias explorat ovilia circum Nec gregibus nocturnus obambulat;* cf. Eclog. IV. 30. et ibi *Cerd.* — *Neque intumesc. alt. viper. humus*, nec terra alit viperas vel viperis quasi gravida est; *intumescit* sublimius ad terram transfert, quod viperis veneno tumentibus proprium est; *humus alta*, num, quia in terris altioribus vel locis acclivibus lustra sua habere solent viperae? ut sit: nec montosa ibi est humus, quae viperis intumescat. Si statuere liceat, librarios fortasse in epitheto voci *humus* addito peccasse, equidem pro *alta* malim *alma*, vel *atra*, ut, sicut *intumescit*, ad *atrum* viperarum venenum referatur. [Rectius, ut videtur, *Iahnius*: Vocabulum *alta* no-

Pluraque felices mirabimur: ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante caelitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
Laboriosa nec cohors Ulixei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Iuppiter illa piae secrevit litora genti,

v. 61. 62. *Doeringius* cum aliis hos duos versus posuit post v. 52, addidit tamen: „Sed cum statim in versibus sequentibus de mitiore aëris temperie agatur, ne hic quidem satis opportunum locum occupant. Facile igitur accesserim iis, qui hos duos versus, licet Horatio haud indignos, ab aliena manu importatos esse statuunt.“ *Vossius* eos collocandos esse statuit post v. 50, *Fea* et *Hofmann Peerlkamp* post v. 56. Recte vero *Iahnius* vulgarem ordinem ita defendit: Poeta primum eas insularum dotes, quae terra ipsa continentur, vs. 43—52 descripsit, deinde res, quae extrinsecus veniunt, subiunxit. „Terra ipsa nihil in se continet, quod aut agris aut incolis et gregibus noceat, neque extrinsecus mala veniunt. Etenim agros neque nimiae pluviae vexant nec siccitas exurit, incolae a peregrinis non turbantur, pecudes denique nullis contagiis laborant. Igitur neque agris, neque hominibus, neque pecudibus quicquam timendum est.“ Etiam *Mein.* et *Or.* nullam a Codd. discessionem faciendam putaverunt. *R.*

tione sua ad *intumescit* referendum est. „*Noch schwillt von Nattern hoch der Boden auf.*“ *R.*]

v. 53—56. *ut*, exempli causa, quod, — *neque larg. aquo. Eur. arva rad. imbr.* cett. nec crebrae pluviae hos agros vexent, nec siccitas eos exurat, h. e. media quaedam in his terris regnet aëris temperies. — *radat*, infr. Sat. II. 6. 25: *Sive aquilo radit terras*, ubi vid. not. Similiter fere de campis Elysiis Hom. Odyss. IV. 567: *Οὐ νιφετὸς, οὔτ᾽ ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ᾽ ὄμβρος, Ἀλλ᾽ αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.* — *utrumque*, pluviosam tempestatem et continuum solis ardorem.

v. 57—66. *Non huc Argoo* cett. Qui in his insulis vivunt, nullum cum peregrinis habent commercium, adeoque periculi, ne illorum vitiis corrumpantur, immunes et expertes sunt. Ex his autem, qui longinquis per Oceanum navigationibus celebrati sunt, Argonautas, Ulyssem et Phoenices ponit. — *pinus Argoo remige*, navis Argo; *impudica Colchis*, Medea, cum Iasone Graeciam versus navigans. — *torserunt cornua*, antennarum cornua s. antennas litori obverterunt, significanter pro: appulerunt. — *laboriosa*, multis laboribus et periculis in mari exercitata, cf. carm. seq. v. 16. — *nullius astri Greg. aest. torr. impot.*, non torretur grex nimio Sirii aestu. Od. III. 13. 9: *flagrantis atrox hora Caniculae.* — *secrevit*, a caeteris terris corruptis excepit et destinavit *piae genti.* Obversatus Horatio est

Ut inquinavit aere tempus aureum;
Aerea dehinc ferro duravit secula, quorum
Piis secunda vate me datur fuga.

CARMEN XVII.

AD CANIDIAM.

Horatius.

Iam iam efficaci do manus scientiae
Supplex et oro regna per Proserpinae,

v. 65. *Aere, dehinc*, Codd. plerique, *Aerea dehinc*, nonnulli Bentl., Feae, Orellii Codd. et sic post Cuninghamium *Mitsch.*, *Doer.*, *Iahn*, *Mein.* Recte, opinor; nam anaphora illa, quae perplacet *Orellio*, nimiam quandam verbo *aere* vim addere videtur eoque molestior est, quod prius *aere* ab alio verbo regitur ac posterius. Facile autem fieri potuit, ut librarii, qui bisyllabum esse putarent vocab. *dehinc*, metro consulere sibi viderentur, cum praegressum *aere* hic repeterent. *R.*

Hesiod. Ἔργ. 167: *Τοῖς δὲ δίχ᾽ ἀνθρώπων βίοτον καὶ ἤθε᾽ ὀπάσσας Ζεὺς Κρονίδης κατένασσε πατὴρ ἐς πείρατα γαίης. — Καί τοι μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες Ἐν μακάρων νήσοισι πάρ᾽ Ὠκεανὸν βαθυδίνην.* — *Ut inquinav. aere temp. aur.* postquam Iuppiter aetatem auream in aeream et deinde in ferream mutavit; *inquinavit*, corrupit, significanter pro: mutavit, tempus deterius fecit; — *quor. piis secunda vate me dat. fuga*, quae quidem ferrea secula fugere licebit piis me vatem sequentibus.

CARMEN XVII.

Canidia, quam Horatius supra Epod. carm. V. ut libidinosam anum et veneficam acerbissime tractavit, vario modo iram suam ob illud carmen ita in poetam effudisse videtur, ut eum de integro contra se lacessitum ad hoc alterum carmen scribendum incitaret. Poeta igitur se ipsum Canidiae artibus magicis petitum et saevissimis cruciatibus ab ea affectum esse fingens, non sine magna irrisione, ut sibi nunc satis perdomito parcat, supplex eam orat et obsecrat. Ad eius animum autem placandum et mitigandum his utitur rationibus: Achillem quoque et Circen supplicibus precibus locum reliquisse ait; se nunc satis superque poenarum ei pro sua dedisse petulantia et, quanta sit eius in arte venefica potentia, ingente dolore expertum esse; se ad omnes, quascunque iusserit, poenas exsolvendas, imo ad eius laudes ad caelum usque mendaci lyra extollendas paratum esse; Dioscuros quoque Stesichori palinodia, ut ei lumina redderent, permotos esse. Sed Canidia, quam respondentem inducit, se nullis precibus frangi posse, imo ab Horatio, qui eius sacra irriserit et urbem eius nomine impleverit, crudelissimas poenas expetituram esse minatur et profitetur. — Sed longe aliter de hoc carmine sentit *Mitscher*

Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
Citumque retro solve solve turbinem.

v. 5. *Refixa*, plurimi Codd. et Editt. *Defixa*, aliquot Codd. et cum Mitsch. *Doeringius*, qui explicat: „incantatione ligata et devota, δεδεμένα, incantata." Recte vero *Gesnerus*: „*defigere* est motum auferre, *refigi* autem debent sidera, cum *devocantur* et moventur loco." — v. 7. *volve volve*, de Aurati coni. *Lamb. R.*

lichius. Tantum enim huius cum Epod. carmine quinto nexum esse statuit, ut tela in illo inchoata hoc demum detexta et absoluta sit. Hinc a v. 1—51. non Horatium, sed Varum loqui ita sibi persuasum habuit, ut expuncto Horatii nomine Vari nomen huic carmini praefigendum curaret. Sed huic opinioni plura in hoc carmine obstant. Nam ut nihil de v. 39: *sive mendaci lyra Voles sonari*, dicam, quomodo ridiculus iste senex, Varus, v. 42—44. se cum Stesichoro comparare, vel Stesichori exemplum in causam suam laudare potuit? Et quomodo, quae Canidia v. 56 sqq. dicit: *Inultus ut tu riseris Cotyttia Vulgata, sacrum liberi Cupidinis? Et Esquilini Pontifex venefici Impune ut urbem nomine impleris meo?* in Varum quadrant? Imo omnis huius carminis vis et acerbitas ponenda est in ironia sive simulatione; nam dum palinodia, ut Stesichorus Dioscuros, Canidiam se placare velle simulat, eam salsissime exagitat, et dum eam laudat, liberius eius scelera et flagitia notat et traducit.

v. 1—7. *Iam iam effic. do man. sci. suppl.* iam supplex ad genua tua provolvor et artis tuae potentia me victum profiteor; *manum dare*, sollemnis locutio de victis, victori se submittentibus. — *regna per Proserpinae*, orat igitur per ea, quae Canidiae, ut veneficae, vel maxime cara et veneranda esse debebant; — *per Dianae non movenda numina*, per Dianam haud sollicitandam et ad iram lacessendam; — [*refixa*, detracta, evulsa, ut Virg. Aen. V. 527: *caelo ceu saepe refixa Transcurrunt crinemque voluntia sidera ducunt.*] — *caelo devocare sidera*, ut supr. Epod. V. 45: *Lunam caelo deripere.* — *vocibus sacris*, formulis vel carminibus magicis. — *Citumque retro sol., sol. turb.*, et fac, ut licia, quibus nunc me ligas, resolvantur; retro age turbinem sive rhombum magicum, h. e. vi magica, qua nunc vincior, me solve. — Scilicet ut citissime agitatus (*citus*) vel rotatus rhombus per licia attracta et advoluta incantatos vi magica ligabat et vinciebat, ita idem retro actus per licia remissa et revoluta eos vi magica solvebat et liberabat; de turbine sive rhombo magico vid. quos laudat *Mitsch.* Hinc *retro carmen agere* dixit Val. Flacc. I. 781 sqq.: *iam iam exorabile retro Carmen agens, neque enim ante leves niger avehit umbras Portitor et vinctae* (haec enim unice vera est lectio, quam pro inepta: *cunctae*, mira sagacitate Val. Flacco restituit Cl. *Iacobs.*) *primi stant faucibus Orci.*

Movit nepotem Telephus Nereïum,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliae addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis moenibus rex procidit
Heu pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulixei
Volente Circa membra; tunc mens et sonus
Relapsus atque notus in voltus honor.

v. 11. *Luxere*, e Codd. *Bentl.* Sed cum generalior sit *lugendi* notio neque ad solam corporis sepulturam referri possit, utique praestat altera, quam reliqui omnes in textum receperunt, lectio *Unxere*. Cf. *Vanderb.* ad h. l. — v. 17. *Circa*, e Valer. Probo p. 1446. reposuit *Bentl.*, cum antea *Circe* vulgo legeretur. Et repertum est illud in aliquot Codd. (ap. *Feam* et *Orell.*) — v. 18. *Relapsus*, lectio vulgata. *Relatus*, pars Codd. cum Ed. Princ. Ven. (*Lamb.* et *Cruq.*). Recte *Bentl.*: „In eo dumtaxat differunt, quod *relatus* externa vi reductum significet, *relapsus* ultro et sponte sua reversum. Atque hic opinor sensus commodior est et rei convenientior.“ *R.*

v. 8—18. *Movit nepotem* cett. Facete ludit Canidiam, dum eam, ut mulierem abiectissimam, cum illustrissimis antiquitatis heroibus componit. — *Telephus*, rex Mysorum, cum contra Achivos ad ipsius oras appulsos exercitum duxisset et vulneratus ab Achille et eiusdem cura a vulnere sanatus esse dicitur; vid. Hygin. Fab. CI. Hinc Ovid. Trist. V. 2. 15: *Telephus aeterna consumtus tabe perisset, Si non, quae nocuit, dextra tulisset opem.* cf. Propert. II. 1. 65. *nepotem Nereïum*, mater enim Achillis, Thetis, Nereí filia fuit. — *Unxere matres addict.* cett. Achilles, quamvis Hectoris corpus alitibus et canibus destinaverat, tamen, ut illud sepeliendum suis redderet, Priami precibus adductus fuit. — *Unxere matres Iliae*, corpora enim sepelienda, ut satis notum, lavari et ungi solebant. Virgil. Aen. VI. 218. de sepeliendo Miseno: *Pars calidos latices et aëna undantia flammis Expediunt corpusque lavant frigentis et ungunt:* ubi copiosissime de hoc ritu egit *Cerda.* — *Hector. addict. fer. alit. atque can.* Achilles enim, se corpus Hectoris alitibus et canibus proiecturum esse, saepe minatus fuerat. Hom. Iliad. XXIII. 183: *Ἕκτορα δ' οὔτι Δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν, ἀλλὰ κύνεσσιν.* — *homicidam*, *ἀνδροφόνον*, fortissimum. — *Postquam relict. moen. rex procid.* supr. I. 10. 14. Priamus *Ilio relicto*, ut corpus Hectoris redimeret, per Mercurium ad Achillem ductus dicitur. — *pervicacis*, supr. I. 6. 6. *Pelidae cedere nescii.* — *Setosa dur. exuere pell.* de Ulyssis sociis a Circa in sues mutatis et ab eadem, Ulysse deprecante, humanae formae restitutis vid. Hom. Odyss. X. — *setosa membra duris pellibus*, setosorum porcorum formam. — *laboriosi*, multis labori-

Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus.
Fugit iuventas, et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus,
Nullum ab labore me reclinat otium;
Urget diem nox et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsa dissilire nenia.

v. 22. *Reliquit ora*, coni. *Bentl.*, quia *ossa* non rubra sint. Sed hoc voluit poeta: „verecundus color reliquit corpus macie confectum nec quicquam superest nisi ossa pelle lurida amicta.“ Bentleium tamen secutus est *Meineckius.* — Aliter hunc locum constituerunt *Cuningh.* et *Wakef.*, quorum ille duos Bentl. Codd. secutus scripsit: *Reliquit* (me), *ossa pelle amictus* (sum) *lurida;* hic: *Reliquit* (me), *ossa pelle amicta* (sunt) *lurida.* Sed quis hoc ferat? — v. 24. *ab labore*, nonnullorum Codd. auctoritate recte dederunt recentiores editt. pro vulg. *a labore*. *R.*

bus et aerumnis exercitati; cf. Carm. anteced. v. 62. Similiter Ulysses infr. Epist. I. 7. 40. *patiens* vocatur. — *notus honor*, pristina humanae formae pulchritudo et dignitas.

v. 19—26. *Dedi satis superque poen. tibi*, intelligit cruciatus per Canidiae veneficia sibi iniectos, quos ipse statim describit. — *Amata naut. mult. et institor.* fecerat igitur olim Canidia cuique pro mercede sui copiam; supr. III. 6. 30: *Seu vocat institor, Seu navis Hispanae magister, Dedecorum pretiosus emtor.* — *Fugit iuventas* cett. acerbe exagitat Canidiae artem magicam, dum eius vi se nunc misere macerari et contabescere fingit; — *verecundus color*, rubor, color verecundiae; Ovid. Met. I. 484: *Pulchra verecundo suffunditur ora rubore.* — *Reliquit ossa pelle amicta lurida*, pulchre pro vulgari: mutatus est in luridum. — *Tuis capillus albus est odoribus*, tuis incantationibus canescere incipio; per *odores* intellige herbas magicas, *φάρμακα*. Comparant Theocrit. 2. 88. qui prae amore tabescentis imaginem adumbrat sic: *Καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ· Ἔῤῥευν δ' ἐκ κεφαλᾶς πᾶσαι τρίχες· αὐτὰ δὲ λοιπὰ Ὀστέ' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα.* — *me reclinat*, me requiescere sinit — *ab labore*, amoris aestu et cruciatibus; — *neque est*, *οὐδ' ἔστι*, neque licet; — *levare tenta spiritu praecordia*, ornate pro: respirare.

v. 27—35. *Ergo negatum vinc. ut cred. mis.* ergo verum esse, quod antea de carminum magicorum efficacia negabam, miser ego ut credam experientia vincor. — *Sabella carmina* et *Marsa nenia* dicuntur carmina magica, quod Sabini et Marsi artibus magicis deditissimi fuisse dicuntur; — *pectus increpare*, eleganter pro: impellere et commovere; — *dissilire*, prae dolore et aestu, alias *angues* carminibus magicis

Quid amplius vis? O mare, o terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Furens in Aetna flamma; tu, donec cinis
Iniuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quae finis aut quod me manet stipendium?
Effare: iussas cum fide poenas luam,
Paratus expiare, seu poposceris
Centum iuvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari, tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenae Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece

v. 30. *et terra*, vulg. lectio. *o terra*, ex Acrone dedit *Bentl.*, quem *Fea* aliique recentiores editores (accedente Codd. nonnullorum auctoritate) secuti sunt. — v. 33. *Furens*, ex aliquot Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Wakef.*, *Fea*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Iahn*, *Mein.* — Alii cum plurimis Codd. *urens*, vel *virens.* — v. 33 et 35. *tua* — *Calet*, contra omnium Codd. fidem *Bentl.* — v. 39. *iuvencis*, e varia lectione Cod. Battel. *Bentl.* — v. 42. *vicem*, duo Codd. (Mechlin. Torrentii et unus Feae); quam lectionem vulgatae praetulerunt *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Wakef.*, *Orell.* Cf. *Zumpt.* Gramm. Lat. §. 453. *R.*

rumpi et dissilire dicuntur; *Marsa nenia*, cf. supr. Epod. V. 76. similiter Ovid. Art. Am. II. 102: *Non facient, ut vivat amor, Medeïdes herbae Mixtaque cum magicis nenia Marsa sonis.* — *Quant. neque atro delibut. Hercul. Nessi cruore*, supr. Epod. III. 17: *Nec munus humeris efficacis Herculis Inarsit aestuosius*, ubi vid. not. — *Nec Sicana fervida fur. in Aetna flamma*, Catull. LXVIII. 54: *Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes*, ubi plura de hac comparatione vide apud *Vulp.* et *Stat.* — *tu, donec cinis* cett. tu nulla mei miseratione tacta tamdiu venenis Colchicis in me miscendis et comparandis insudas, donec me in aridum cinerem, protervis ventis dissipandum, redegeris. — *Cales officina*, exquisite pro: es mihi quasi officina, quae calet *venenis Colchicis.*

v. 36 — 44. *stipendium*, redemtionis pretium, poena mihi victo tibi victrici pendenda; cf. supr. ad IV. 8. 17. — *centum iuvencos*, hecatomben; — *mendaci*, qua nempe mulier impudica et improba ut pudica et proba laudatur; — *tu pudica, tu proba Perambulab. astra sid. aur.* ego te carminibus meis ut pudicam et probam stellis inseram, h. e. ad caelum usque extollam; — *perambulabis astra*, te inter caetera astra iactabis; verbum *perambulare* notionem superbiae et iactantiae habet, cf. supr. ad Epod. IV. 5. — *Infamis Helenae Cast. offens. vice Frat. magni Cast.* Ut mitiorem te mihi praebeas, exemplo tibi sint Dioscuri, qui, quamvis Stesichoro

Ademta vati reddidere lumina.
Et tu, potes nam, solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,
Neque in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres.
Tibi hospitale pectus et purae manus,
Tuusque venter Pactumeius, et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcumque fortis exsilis puerpera.

Canidia.

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis

v. 47. Alii *Nec.* — v. 50. Alii e Codd. *partumeius*, quod explicant: „qui partum quasi meiit.“ Bene tamen ostendit *Bentl.*, unice nostro loco convenire plurimorum Codd. lectionem (quam Scholiastae quoque agnoscunt) *Pactumeius. R.*

ob probrosum, quo Helenam diffamaverat, carmen graviter irascebantur, tamen eius palinodia, ut ereptum ei oculorum usum redderent, victi et permoti sunt; de fabula Stesichori vid. supr. ad Carm. I. 16. in argum. s. fin. et quos laudat *Mitsch.* ad. h. l.

v. 45 — 52. *potes nam*, δύνασαι γάρ, ex sollemni in precibus ad deorum numina formula. — *nec obsoleta*, h. e. despecta; res enim *obsoletae* in despectu fere esse solent; — *paternis sordibus*, sordida origine. — *Nec in sepulcr. paup. prud. an. novendial. dissip. pulveres*, nec es anus, quae calleas in pauperum sepulcris novendiales pulveres dissipare; cineres nimirum in sepulcris religiose condi et servari, non loco suo moveri et dissipari debebant, quod fiebat, si a sagis auferrentur; — *sepulcr. pauper.* nam ditiores sepulcris, ne cineres a sagis auferri possent, custodes addere solebant; vid. *Dorvill.* ad Charit. p. 429. edit. Lips. — *Novendiales*, qui ante novem dies, ut postulabat disciplina magica, conditi erant; de cinerum in re magica usu res nota; cf. Sat. I. 8. 22. — *Tuusque venter Pactumeius*, et filius tuus Pactumeius, quem te, ut sagam, alji matri surripuisse suspicantur homines, genuinus ventris tui foetus est, vere e ventre tuo editus est; *venter* pro filio; exempla vid. apud *Bentl.* Caeterum suspicionem illam, qua Canidia filium suum Pactumeium alii matri per artem magicam subduxisse credebatur, tangit quoque supr. Epod. V. 5. miser ille puer a Canidia petitus: *Per liberos te, si vocata partubus Lucina veris affuit.*

v. 53—59. *Quid obseratis auribus fundis preces?* cett. Quo maior Canidiae, quam sibi respondentem poeta inducit, est ferocia et insolentia, et quo atrociores, quas ista iacit, minae sunt, eo acerbior, qua eius artem magicam exagitat, est irrisio. — *Non saxa nud. surdiora navit.*

Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis,
Et Esquilini Pontifex venefici
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderat ditasse Pelignas anus,
Velociusve miscuisse toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent;
Ingrata misero vita ducenda est in hoc,
Novis ut usque suppetas laboribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,

v. 58. *Exquilini*, Fea. — v. 60—62. Pro vulgata lectione *Quid proderit — Si tardiora* Bentleius e Codd. reposuit *Quid proderat — Sed tardiora*. Idem v. 64. revocavit lectionem *laboribus*, cuius glossema esse videretur altera *doloribus*. Secuti sunt Bentleium plurimi recentiores editores. — v. 65. *infidi*, e Codd. *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Wakef.*, *Mein.*, *Or.*, coll. Cat. LXIV. 346. *periuri Pelopis* „qui in mare praecipitavit Myrtilum aurigam, cuius ope aemulos vicerat." *R.*

Neptun. alto tund. hiber. salo, saxa, quae fluctus marini tundunt, non surdiora sunt miserorum naufragorum precibus, h. e. quam surda esse solent saxa naufragis, tam surdae aures meae tuis precibus sunt; — *nudis*, ab omni ope derelictis, in mari nempe, fracta navi, natantibus. — *Neptunus hibernus*, mota per Neptunum tempestas; — *alto salo*, marinis fluctibus. — *Inultus ut tu riseris* cett. Sententia: egone patiar, ut tu inultus deriseris et evulgaveris veneficia mea, liberae Veneri sacra, et, quasi penes te, tanquam Pontificem, sacrorum magicorum esset arbitrium et iudicium, impune me per ora hominum traduxeris? — *Cotyttia*, (quae proprie fuerunt sacra nocturna, a Thracibus primum (Strab. X. p. 324.) in honorem *Cotyttus*, h. e. liberae Veneris et Licentiae instituta, unde additur *sacrum liberi Cupidinis*,) nunc ideo magica sua sacra appellat Canidia, quod per ea libidini suae, arcessito sene illo Varo, satisfacere voluerat; — *vulgata*, evulgata, carmine illo contumelioso supr. Epod. V. — *Et Esquil. Pontif. venefici*, et quasi praepositus esses sacris magicis; *Pontifex* enim sacris publicis et privatis praeerat; *veneficium* dicitur *Esquilinum*, quia veneficae e monte Esquilino ossa et cineres mortuorum ad artis magicae usum petere solebant.

v. 60—64. *Quid proderat ditasse* cett. Sensus et nexus: Quid, quaeso, si impune haec facere posses, profuisset mihi artes magicas non sine magna mercede apud anus Pelignas didicisse, aut praesentia venena miscuisse? Sed non inultus abibis, imo fata tardiora, quam optas, te manent; nam vita longa et misera trahenda tibi est eo fine, ut semper novis suppediteris doloribus, h. e. novi semper te dolores excipiant.

v. 65—69. *Optat quietem* cett. Canidia *fata votis tardiora* in vers. 62. magis explicat: optabis quidem, ait, a cruciatibus tuis et laboribus

Egens benignae Tantalus semper dapis,
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum; sed vetant leges Iovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere,
Frustraque vincla gutturi nectes tuo
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.
An quae movere cereas imagines,

v. 72. *innectes*, Codd. non pauci et pleraeque ante *Bentl.* editiones. *R.*

liberari, sed aeque frustra optabis, ac Tantalus, Prometheus, Sisyphus a poenis infernalibus liberari optant. — *quietem*, poenarum remissionem. — *infidus*, Tantalus enim arcana ab Iove sibi inter epulas commissa perfide evulgaverat. — *egens benignae semper dapis*, largas quidem sibi appositas dapes videbat Tantalus, sed, cum eas illi non attingere liceret, *inter opes* (ut Hor. supr. III. 16. 28.) *inops* erat, h. e. inter medias dapes fame enecabatur; — *obligatus aliti*, destinatus et devotus vulturi, qui tam in monte Caucaso, quam in Orco (cf. supr. II. 13. 37.) Promethei cor exederet. — *Sisyphus*, cf. supr. II. 14. 20. — *leges Iovis*, fata semel ab Iove constituta.

v. 70—75. *Voles modo* cett. Sententia: quamvis tu autem vel saltu ex altis turribus, vel gladio in pectus adacto, vel laqueo gutturi annexo, vitam finire in animum induxeris, tamen a fastidiosa, qua maceraris, aegrimonia haud te liberare poteris et tunc tibi has poenas exsolventi insolentius insultabo. — *Norico*, epitheton ornans, ut supr. I. 16. 9. — *tunc*, quando misere laborabis his doloribus, — *ego vectabor eques humeris inimicis*, inequitabo et insidebo humeris tuis mihi inimicis, tibi mihi infestissimo. Qui insolentius hosti insultant, equitis imagine adumbrari solent; cf. carm. anteced. v. 12. et sic καθιππεύειν apud Graecos, cf. *Mitsch.* — *Meaeque terra cedet insolentiae.* Minus nunc placet huius loci, quam olim dedi, explicatio. Simplicissimum videtur, si hic locus explicetur sic: mihique insolentius in altum enitenti terra cedet, h. e. ego te ex terra insolentius mecum in altum auferam. Canidia nempe, se, ut veneficam, poetam, dum eius humeris insideat, insolentius secum in altum abripere et per aërem agitare velle, minatur. Qui terram relinquit, *ei terra cedit.*

v. 76—81. *An quae movere cereas imagines* cett. Sententia: an ego, quae cereas imagines, ut exemplo quodam tibi ipsi paulo curiosiori probavi, animi motibus afficere, lunam carminibus de caelo deducere, mortuos in vitam revocare et philtrum miscere possim, nihil arte mea contra te efficiam? De *cereis imaginibus*, amantis effigiem in sacris magicis repraesentantibus, cf. Theocrit. II. 28. Virg. Eclog. VIII. 80.

Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare poculum,
Plorem artis in te nil agentis exitum?

v. 80. *pocula*, e Codd. nonnullis *Bentl.*, *Cun.*, *San.*, *Wakef.*, *Mein.*, *Or.* — v. 81. Sic Codd. plerique. *habentis exitum* s. *exitus*, e nonnullis Codd. *Lamb.* (qui *nil* mutavit in *nullum*), *Torr.* al. *valentis*, scripsit *Muretus*. — *R.*

cereas imagines movere, iisdem, quibus amans afficitur, motibus implere; — *curiosus*, cum ex huius rei explorandae studio adesses mihi cereas imagines tractanti. — *Deripere lun. vocibus*, cf. supr. Epod. V. 46. — *desiderii poculum*, supr. carm. laud. v. 38. *amoris poculum*, philtrum. — v. 81. Vulgo legebatur: *Plorem artis in te nil habentis exitum?* — *plorem artis* explicabant: artis causa, vel: de arte. Sed quis hoc durum loquendi genus ferat? Dedi igitur lectionem in edit. *Bentl.* exhibitam, quae omnem difficultatem tollit. — *artis exitum* pro: ipsa arte, quatenus in ea exitus praecipue et effectus spectatur.

CARMEN SECULARE
PRO
INCOLUMITATE IMPERII.

Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi

CARMEN SECULARE.

Cum U. C. DCCXXXVII. ludorum secularium instaret celebratio et ad ritus, quos in iis celebrandis observari iubebant libri Sibyllini, pertineret quoque hic, ut puerorum puellarumque chorus hymnum in Apollinem et Dianam caneret; Augustus sane eo, quod huius hymni componendi munus Horatio, ut tradit Suetonius in eius vita, iniungeret, aeternam his ludis secularibus paravit memoriam. Quamdiu enim Musis honor suus stabit, tamdiu in hoc Horatii carmine praestantissimo secularium, quos Augustus instauravit, ludorum vigebit memoria. Elaboratissimis autem Horatii carminibus hoc carmen seculare accensendum esse vel inde intelligi potest, quod ad hoc rite canendum singulari carmine Od. VI. 6 Apollinis opem imploravit et sibi expetiit. Nec mirum, si poeta in carmine publice in publica laetitia a puerorum puellarumque choro decantando omne studium posuerit et omnes ingenii vires nervosque intenderit. — Quod autem ad ludos seculares attinet, cum in universum tam de eorum origine, quam de stato, quo celebrati sint, tempore nihil certi pronunciari possit (vid. quos de *ludis secularibus Roman.* laudavit *Mitsch.* p. 643. in not. n. 3. et adde, quae in hanc rem contulit *Beckius* in Commentatione: *Academiae Lips. in seculi XIX. initiis pietatis monumenta. Lips. apud Tauchnitz.* 1801.), Augustum eos ad Sibyllinorum oraculorum auctoritatem eo consilio, ut populus Romanus de magna, qua nunc frueretur, felicitate laetaretur, deosque de imperii incolumitate et perpetua prosperitate pie veneraretur, apparasse, tenere sufficiat. Iam vero cum Apollo et Diana non solum dii averrunci, *ἀλεξίκακοι*, *ἀποτρόπαιοι*, haberentur, sed etiam ut ii colerentur, quorum benevolentiae vel maxime deberetur tam aëris salubritas, quam agrorum fertilitas, (ob causas physicas scilicet, sive ob vim, quam sol et luna in terram, adeoque in aëris salubritatem et fertilitatem habent,) causa, cur eorum

Semper et culti, date quae precamur
Tempore sacro,
Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas aliusque et idem

v. 4. *Tempore prisco*, e Porphyrione recepit *Baxterus*. Sed Porphyrionis verba corrupta sunt. Vide *Orellium* ad h. l. — *R.*

potissimum numina in ludis secularibus adorarentur et hymno celebrarentur, facile perspicitur. Ter autem chorus in hoc hymno Apollinem et Dianam appellat et ter singularibus precibus Romanum imperium eorum tutelae et favori tradit et consecrat; primum quidem a versu 1 usque ad v. 32. rogat: ut Phoebus in toto terrarum orbe nuspiam urbem Roma maiorem illustret, Diana vero subolis ex legitimis coniugiis procreandae tantam curam habeat, ut exacto CX annorum spatio iterum laeta intersit ludis secularibus, a populo Romano, quovis felicitatis genere mactato, celebrandis; deinde a v. 33 usque ad v. 60. ut Apolline et Diana Romam tuentibus Romana iuventus mature in probitatis studio exerceatur, senectus placida tranquillitate perfruatur, totus populus Romanus omni prosperitate gaudeat et imperium Romanum ad summum sub laetissimis Augusti auspiciis potentiae fastigium evectum virtutis adhuc neglectae cultu et honore exsplendescat omnique rerum copia abundet; tum a v. 61. usque ad v. 72. ut propitia Apollinis et Dianae numina rei Romanae felicitatem non solum in proximum lustrum prorogent, sed eam auctiorem adeo ad longissima usque tempora florere sinant. Quibus precibus finitis addit chorus epilogum, quo de certissimo precum suarum eventu Romanos sperare iubet.

v. 1—8. *silvarum potens*, supr. III. 22. 1: *montium custos nemorumque*, ubi cf. not. — *date quae precamur tempore sacro* cett. exaudite preces, quas fundimus ludis secularibus, ubi secundum versus Sibyllinos puerorum puellarumque chorus deos gentis Romanae tutelares hymno celebrare debet. — *Sibyllini versus*, versus illi Sibyllini ad ludos seculares spectantes exstant adhuc et apud Zosimum II. 6. inveniuntur; emendatiores eos in argumento ad hoc carmen exhibuit *Mitscherlichius*. — *virgines lectas*, debebant enim tam virgines quam pueri esse patrimi et matrimi, h. e. quorum patres et matres adhuc superstites essent; eorum autem numerus, qui quoque in versibus Sibyllinis praescribitur, fuit ter novenus, ita, ut XXVII pueri et totidem puellae essent. — *septem colles*, Roma.

v. 9—12. *celas*, sol diem *celat* et condit, quando occidit; — *aliusque et idem nasceris*, et novus novo die, et *idem* (h. e. eodem, quo heri, ni-

Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere maius.
Rite maturos aperire partus
Lenis, Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari
Seu Genitalis:
Diva, producas subolem patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis prolisque novae feraci
Lege marita,

v. 16. *Genetyllis*, coni. *Bentl.* Recte vero *Gesnerus*: „*Genetyllis* inauditum est Latinis, Graecis turpiculum fere Veneris potius epitheton lascivae quam Dianae.“ *R.*

tore,) oriris; — *possis nihil urbe Roma vis. mai.* utinam fiat, ut in nullam urbem Roma ampliorem e caelo despicias, h. e. fac, ut nulla urbs in toto terrarum orbe Roma sit potentior. Similis locus est apud Virgil. Aen. VII. 218: *regnis — quae maxima quondam Extremo veniens Sol a d s p i c i e b a t Olympo.*

v. 13—32. *Rite maturos* cett. iam chorus Dianam, ut deam obstetricis munere apud puerperas fungentem, et quidem primum Graeco nomine, *Ilithyia*, deinde Latino: *Lucina* seu *Genitalis*, appellat et, ut eius cura gens Romana legitimis connubiis propagetur, obsecrat. — *lenis aperire maturos partus*, Graece pro: lenis in aperiendis, h. e. proferendis maturis partibus, tu, quae dextra et benigna ades parturientibus s. *utero* (ut supr. III. 22. 2. de Diana dicitur,) *laborantibus; aperit* Diana *partus*, dum partum edentibus obstetricia sua opera succurrit; — *rite*, more suo. — *sive probas*, sive mavis. — *Lucina*, Catull. XXXIV. 13: *Tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis*, ubi cf. not. et supr. ad III. 22. 2. — *Genitalis*, eadem, quae *Lucina*; Graeco enim nomini *Ilithyia* opponitur Latinum; *Lucina* s. *Genitalis;* nove autem iam *Genitalis*, quae gignentes s. puerperas ope sua levat, geniturae favet et se propitiam praebet. — *producas subolem*, magis designat et explicat Lucinae *subolem producentis*, h. e. in lucem protrahentis, munus. — *patr. prosp. decreta sup. iugand.* respicitur lex Iulia de *maritandis ordinibus*, quam Augustus, cum ei ferendae iam U. C. DCCXXVI. frustra dedisset operam, hoc ipso anno, quo ludi seculares celebrabantur, senatus consulti auctoritate populum accepturum esse speraverat, sed vana tum quoque fuit haec Augusti spes; perlata enim illa lex demum est a M. Papio et Q. Poppaeo U. C. DCCLXII. vid. *Lipsium* ad Tacit. Annal. III. 25. *Excurs. c.* et quos laudat *Mitsch.* — *prosperes*, rata esse iubeas; — *lex marita*, h. e. lex de *maritandis ordinibus* rogata, eleganter dicitur *ferax novae prolis*, quia hac lege novae proli per legitima connubia procreandae, et sic genti Romanae casta matrum fecunditate augendae propagandaeque prudenter prospiciebatur.

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos
Ter die claro totiesque grata
Nocte frequentes.
Vosque veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum est stabilisque rerum
Terminus servat, bona iam peractis
Iungite fata.
Fertilis frugum pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona;

v. 26. *dictum stabilis per aevum Terminus servet*, coni. *Bentl.* — *dictum stabilisque*, e Codd. nonnullis *Fea*, quippe quod *est stabilisque* durius pronuntiatu videretur. — v. 27. Vulgatae lectioni *servet*, quam Codd. plerique exhibent, praeferenda videtur altera *servat*, quam receperunt *Fea*, *Mitsch.*, *Doer.*, *Or.* „Optativo hic locus non est, propterea quod longe rectius pro certo affirmat servari a Parcis fatorum imperii Romani terminum.“ *R.*

Certus undenos decies cett. Sententia: ut post centum et decem annos redeant ludi seculares, per tres dies et noctes magna hominum frequentia celebrandi. — *Certus orbis*, de tempore, quod intra certum vel dierum vel mensium vel annorum spatium et numerum circumvolvitur; Virgil. Aen. V. 46: *Annuus exactis completur mensibus orbis;* iam de exacto et circumvoluto, quod in libris Sibyllinis praestitutum fuit, tempore; — *undenos decies per annos*, hic ipse CX annorum numerus in versibus Sibyllinis praescribitur; — *cantus referatque ludos*, ludis secularibus de integro institutis hymnum in Apollinem et Dianam puerorum puellarumque chorum decantare iubeat. — *ter die claro totiesque* cett. tres enim dies et totidem noctes pariter ex librorum Sibyllinorum praescripto ludorum secularium celebrationi dicari debebant; — *frequentes*, frequenter celebrandos. — *Vosque veraces cecinisse, Parcae* cett. Sententia: et vos, o Parcae, quae veraci ore praedicitis id, quod semel constitutum est et certus rerum eventus confirmat (h. e. immutabile est), agite, laeta peractis succedere iubete tempora; — *veraces cecinisse*, Graece, quae deae estis veraces in canendo, h. e. praedicendo eo, *quod semel dictum est*, quod semel constitutum est; sic omnis, puto, qua in hoc loco expediendo se impediverunt interpretes, remota est difficultas; scilicet *dictum* iam non est: ore pronunciatum a Parcis, sed: constitutum, praefinitum, praestitutum, sc. a fato. — *Fertilis frugum* cett. Telluri quoque secundum versus Sibyllinos divinus in celebrandis ludis secularibus honor praestari debebat; hinc chorus *Tellurem* ut deam appellat, cuius benignitate homines pecudesque alantur; inest autem his precibus fere hoc: gaudeant Romani tam secunda agrorum fertilitate, quam pecudis proventu largissimo; — *spicea don. Cerer. corona*, notissimus in hanc sententiam est lo-

Nutriant fetus et aquae salubres
Et Iovis aurae.
Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.
Roma si vestrum est opus, Iliaeque
Litus Etruscum tenuere turmae,
Iussa pars mutare Lares et urbem
Sospite cursu,
Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Aeneas patriae superstes
Liberum munivit iter daturus
Plura relictis:
Di, probos mores docili iuventae,
Di, senectuti placidae quietem,

v. 45. 46. *Bentl.* non ferendum putans, quod primum pro iuvenibus et senibus Romanis, deinde pro Romula gente preces fundantur, pro *docili* dedit e Cod. Battel. a pr. m. *docilis* et pro *senectuti* e nonnullis Codd. *senectutis*. Alii cum nonnullis Codd. scripserunt *senectuti placidam quietem*. Sed bene eos refutavit *Fea*. *R.*

cus Tibulli I. 1. 15: *Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona Spicea, quae templi pendeat ante fores.* — *fetus*, agrorum fruges. Cic. Orat. II. 30: *quo meliores ager fetus possit et grandiores edere.* — *salubres*, tam ad *aquae*, quam ad *aurae* referri potest.

v. 33—48. *Condito mitis placidusque telo*, sagittis conditis sive arcu remisso incedit Apollo mitis et placidus, sagittis autem promtis, sive arcu adducto et tento, minax et iratus; cf. supr. ad II. 10. 20. — *audi pueros — audi puellas*, puerorum enim puellarumque chorum vicissim in hoc carmine decantato se excepisse, sive alternis cecinisse, vix dubitari potest. — *bicornis*, sic enim apparet Luna primis novilunii diebus, et sic in ipsis iis vett. nummis, qui in memoriam horum ludorum secularium excusi sunt, conspicitur; vid. *Boettig.* — *Roma si vestrum est opus*, si auctoritate vestra vestrisque auspiciis Roma est condita; — *litus Etruscum tenuere*, Italiam, ut novam sedem ibi tenerent, adierunt; — *iussa pars*, per appositionem; pars illa Troianorum, qui Apollinis oraculo (Virg. Aen. III. 94 sqq. IV. 343—6. VI. 59.) iussi sunt *mutare Lares et urbem*, h. e. e patria fugere et novam sedem quaerere. — *Cui Aeneas liberum iter munivit*, cui parti dux fuit Aeneas; — *per ardentem Troiam*, per ardentis Troiae flammas; hinc Aeneas apud Virg. Aen. II. 633: *flammam inter et hostes Expedior, dant tela locum flammaeque recedunt.* — *sine fraude*, h. e. sine noxa, ut supr. II. 19. 20. quod *iter*

Romulae genti date remque prolemque
Et decus omne.
Quique vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisae Venerisque sanguis,
Imperet, bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.
Iam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures;
Iam Scythae responsa petunt superbi
Nuper et Indi.
Iam Fides et Pax et Honos Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur et fulgente decorus arcu

v. 49—51. *Quaeque — Impetret*, maior pars Codd. et sic praeter *Cruq.* et *Bentl.* plerique recentiores editores. Recte, ut videtur. — v. 53. *manum potentem*, coni. *Bentl.* *R.*

liberum magis explicat. — *castus*, pius. — *plura relictis*, ampliora, quam quae relicta essent, h. e. regnum relicto maius et potentius. — *Di*, Apollo et Diana. — *remque*, opulentiam.

v. 49 — 52. *Quique vos bobus veneratur albis* cett. Et Augustus, qui albis bobus mactatis nunc splendidum in vestrum honorem instituit sacrificium, summum porro teneat imperium, et hostium victor victis se mitem et lenem praebeat. — Haec sententia multo magis favet gloriae Augusti, quam si cum *Cruquio* et *Bentleio* legeris: *Quaeque vos bobus veneratur* (rogat) *albis*, — *Impetret*. — *bobus albis*, tale enim sacrificium exigebant versus Sibyllini. — *Anchisae Venerisque sanguis*, Augustus. — *iacentem lenis in hostem*, ad praeceptum Anchisae, apud Virgil. Aen. VI. 852: *Tu regere imperio populos, Romane, memento, Hac tibi erunt artes, pacisque imponere morem, Parcere subiectis et debellare superbos.*

v. 53 — 60. *Iam mari terraque* cett. Vulgarem sententiam: „Iam hostibus terra marique victis aureae aetatis Romam redit felicitas,“ egregie amplificavit. — *Medus*, cf. supr. IV. 14. 42. — *Albanas secures*, Romanos fasces, h. e. Romanum imperium; *Albanus* pro: Romanus, quia *Alba Longa*, unde Romam deducta est colonia, Romanorum quasi mater fuit. — *Iam Scyth. responsa pet. superb. nup. et Indi.* cf. ad IV. 14. 42. — *Iam Fides* cett. *Caelicolae* enim, qui aurea aetate, ut Catullus canit LXIV. 385: *praesentes domos castas invisere et saepius mortali coetui se ostendere* soliti fuerint, ferrea aetate terram reliquisse finguntur; cf. Hesiod. Ἔργ. 197 sqq. — *beata pleno Copia cornu*, cf. supr. ad I. 17. 16.

v. 61—72. *Augur, et fulgente decor. arcu* cett. Quodsi igitur Apollo genti Romanae propitius est, sospitet eam et ad felicissima tempora propaget; Diana autem, si genti Romanae propitia est, preces quindecimvirorum exaudiat et ratas esse iubeat. — *Augur*, Apollinis laudes et virtutes, ut in hymnis fieri solet, cumulantur; laudatur igitur ille primum ut vates, *μάντις*, deinde ut arcitenens, *χρυσότοξος*, *ἀργυρότοξος*, tum ut Musarum praeses, *μουσαγέτης*, denique ut deus salutaris sive artis medendi peritus, *ἰατρός*; easdem Apollinis laudes recenset Pindarus Pyth. V. 56 sqq. — *Si Palatinas videt aequus arces* cett. Equidem hunc locum nunc ita explicandum puto: si mitis ille preces, quae nunc in monte Palatino funduntur, audit; rem Romanam et Latium felix, h. e. reipublicae Romanae et Latii felicitatem in lustrum alterum et in aevum semper melius propaget et extendat. — *Palatinas arces*, innuit templum, Apollini ab Augusto in monte Palatino splendidissime exstructum, vid. Dio LIII. 1. ubi hoc ipsum carmen seculare decantatum est. — *Remque Romanam Latiumque*, ad illum versum Ennii: *Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.* — *prorogare* iam est: propagare, proferre, extendere, servare; sic *vitam hominibus prorogare* dixit Plaut. Pseudol. III. 2. 38. — *Quaeque Aventin.* cett. et Diana, quae in monte Aventino Algidoque colitur, si propitia est genti Romanae, quindecim virorum preces respiciat cett. *Aventin.* de Dianae templo in Aventino vid. *Donat. Rom.* III. 13. — *Algidumque*, in hoc monte enim prope Romam ad viam Appiam versari inprimis solebat Diana, cf. I. 21. 6. unde sacra ei ibi facta esse sponte intelligitur. — *quindecimvir. prec.* quindecimviris enim, qui libris Sibyllinis praeerant, singularis sacrorum secularium demandata fuit cura et administratio.

v. 73—76. Iam chorus decantato carmine addit epilogum, et spem bonam certamque, se non solum ab Apolline et Diana, sed etiam ab Iove cunctisque diis exauditum esse, cum concione communicat; quod quidem in audientium animis sensus ex-

Phoebus acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,
Si Palatinas videt aequus arces,
Remque Romanam Latiumque felix
Alterum in lustrum meliusque semper
Proroget aevum.
Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet et votis puerorum amicas
Applicet aures.

v. 65. *aras*, Codd. non pauci et sic *Cruquius*, *Baxter*, *Gesner*, *Fea*, *Iahn*, *Mein.* — v. 69. 71. 72. *Prorogat — Curat — Applicat*, e Codd. cum aliis *Bentl.*, *Fea*, *Mein.* Aptior tamen videtur precatio; cf. *Orell.* ad h. l. *R.*

Haec Iovem sentire deosque cunctos
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.

citare debebat laetissimos. — *sentire*, audire, et, ut rata esse iubeat, permovere; — *spem bon. cert. dom. reporto*, — *chorus doctus dicere* cett. chorus, ut saepe apud Tragicos, in singulari loquitur, pro: nos pueri puellaeque, qui carmen in Apollinis et Dianae laudem dicere edocti sumus, nempe a χοροῦ διδασκάλῳ Horatio. Chorus scilicet, qui alternatim antea cecinerat, coniunctim cecinit epilogum.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 3. In nott. critic. pro *Fea* et *Braunh.* scribendum: *Lamb.*, *Fea*, *Mitsch.*, *Braunh.*
— 14. In nott. lin. 32. pro Od. I. 16. 19. legendum: Od. I. 6. 19.
— 16. In nott. critic. pro *Vanderb.* et *Or.* scribendum: *Bentl.*, *Vanderb.*, *Or.*
— 62. In nott. lin. 35. pro: *et torserunt* lege: *se torserunt.*
— 79. In nott. lin. 1. et lin. 9. pro *Adventum* lege: *ad ventum.*
— 151. In nott. critic. lin. 2. post *Doer.* inserendum est comma.
— 156. In nott. critic. lin. 2. pro *divum* lege: *dirum.*
Ibid. In nott. lin. 5. pro *quae* lege: *quas.*
— 159. In nott. critt. lin. 5. post vv. „opposita sint“ dele interpunctionem.
— 171. In nott. lin. 17. post v. „comparans“ dele interpunctionem.
— 195. In nott. lin. 6. post „splendet“ pone comma.
— 312. In nott. lin. 4. pro *ipsum iam* lege: *ipsumque.*
— 348. In textu v. 4. pro semicolo ponendum est comma.

LIPSIAE EX OFFICINA B. G. TEUBNERI.

VOLUME 2

Q. HORATII FLACCI
OPERA OMNIA

RECENSUIT

ET

ILLUSTRAVIT

FRIDERICUS GUIL. DOERING.

TOMUS SECUNDUS.

EDITIO TERTIA

AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE

MDCCCXXXVI.

PRAEFATIO.

Fui adhuc, fateor, vanus promissor vel, ut Cicero loquitur, *lentus infitiator.* Lento enim animo porrexi aures, quas ad me monendum, ut datam de edendis Horatii Satiris et Epistolis fidem exsolverem, non solum *Sosius Honestissimus*, sed etiam amici, quorum multum apud me valet auctoritas, vellicarent. Tandem, cum reputarem, me iam longius a carceribus remotum celeri pede ad calcem deferri, ne lenti infitiatoris nota famae meae post fata adhaereret, non amplius moras nectendas, sed rem strenue peragendam esse intellexi. Adpuli igitur animum ad Horatii Satiras et Epistolas simili fere, quo Carmina Horatii Lyrica illustrare studui, commentario instruendas. Ante oculos autem habui inprimis tirones et eiusmodi Horatii lectores, qui poetae sententias earumque nexum potius perspicere et imbibere, quam doctas et criticas disputationes inspicere et cognoscere cupiunt, similes fere sitientibus, qui ora sua malunt pura praetereuntis rivi aqua proluere, quam antea de loco, ubi fons rivi lateat, sollicite quaerere. Horum lectorum igitur respectu habito primum operam

dedi, ut textum, quantum fieri posset, emendatum et a vitiis typographicis purgatum redderem. Iam vero, cum in Horatii Satiris et Epistolis tam veteres Codices, quam antiquae recentioresque Editiones mirum in modum lectionis varietate inter se discrepent, eas lectiones, quae secundum additas rationes praeferendae mihi videbantur caeteris, delegi et secutus sum. — Nec mediocrem in verbis scite inter se conciliandis et apte distinguendis curam posui, quia non raro loci obscuri mutatis et rectius constitutis distinctionibus lucem accipiunt. — Quod ad coniecturas attinet, quas passim aequis arbitris diiudicandas in notis proposui, earum tres, quas in textum reciperem, haud indignas habui, rationes, ex quibus hoc factum est, neminem facile improbaturum esse confisus; scilicet Epist. I, 10, 47. pro: *aut servit*, dedi: *haud servit;* Epist. I, 20. versu ultimo pro inepta lectione: *duxit*, exhibui *dixit;* Epist. ad Pis. 245. pro: *ac pene forenses* excudendum curavi: *aut pene forenses.* — Eodem fortasse iure Sat. I, 10, 59. pro: *ac si* in textu legi possit: *an si*, quod totius loci sensus et nexus postulare videtur; et Sat. II, 4, 18. *parum* pro: *malum*, nam exemplum, ubi *malum* pro: *male* positum sit, vix reperias; sed has et alias coniecturas doctiorum iudicio relinquere malui.

Deinde, cum Horatius ab una sententia ad alteram repente et παρὰ προςδοκίαν transire soleat, id praecipue mihi agendum esse putavi, ut lectores ad sententiarum nexum adverterem; quomodo altera alteri respondeat, docerem, et quid ad sententias inter se consociandas supplendum et animo tenendum sit, monerem. — Quodsi tamen fortasse sint, quibus in hac re paulo verbosior fuisse videar, illi uberiorem sententiarum invicem se excipientium expositionem a tironum rationibus haud alienam esse cogitent.

Denique in verborum interpretatione ita versatus sum, ut, quicquid ad ea recte explicanda, illustranda et idoneis exemplis confirmanda spectat, diligenter observarem, exponerem et sensum rei cuique aptum inde elicerem. Non compilavi aliorum scrinia, sed quae cuique debentur, nominatim doctissimo Horatii interpreti, *Lambino*, (ex cuius ubertate plures irrigarunt suos hortulos) bona fide indicavi.

Ad Horatii Satiras recte, scite et accurate explicandas nostra aetate multa, immo plura fortasse, quam opus erat, contulit Vir Eruditissimus, *Heindorfius;* a cuius viri tamen auctoritate me non serviliter stetisse et pependisse, haud pauca, ubi ab eo dissentio, satis declarant. — Multum praesidii ad Horatii interpretationem Editione Romae (a. 1811.) a *Fea* evulgata et multis praeconiis commendata me nacturum esse speraveram; sed haec spes me fefellit. Nam praeter ingentem lectionum e multis Codicibus descriptarum et congestarum farraginem pauca, quae Horatii editorem iuvare possint, habet illa Editio. Nec parum in ea offendit acerbitas et petulantia, qua *Fea* insultat fere *Bentleio*, quem tamen longe illum tam doctrinae copia, quam accuratiore latinae linguae scientia superare, quis est, qui non intelligat?

Indices Nominum et Verborum magna diligentia me moderatore confecerunt tres ad laudem doctrinae efflorescentes iuvenes, Classi Selectae in Gymnasio nostro adscripti, *Carolus Matthaeus Bamberg*, *Eduardus Reibstein* et *Iulius Franck;* prior quidem Nominum, posteriores Verborum Indicem. Fecerunt autem dicti iuvenes iam eiusmodi in bonarum literarum studiis progressus, ut eos suo tempore merita laude ornatos et rude donatos e ludo nostro discessuros esse non tam speremus, quam confidamus.

Caeterum noli, quaeso, Humanissime Lector, peccata, quibus obnoxia est humana imbecillitas, oculis Lynceis rimari, speculari, investigare et investigata mente iniqua exagitare! *Peccatis veniam poscenti te dare fas est.* Gothae a. d. XX. Ianuar. MDCCCXXIV.

DOERING.

PRAEFATIO SECUNDA.

Cum secundus tomus Horatii, quem ante quatuor abhinc annos edendum curavi, in tabernis librariis prostare desierit; eius redemtor *Hahnius*, Vir Honestissimus, ut illum, de integro typis describendum, recognoscerem, et, quantum fieri posset, emendatiorem et limatiorem redderem, me rogavit et impulit. Quam quidem demandatam provinciam suscepi ego promtissimo paratissimoque animo. Sic enim ea, in quibus me errasse et ipse intellexeram, et alii monuerant, aut tollendi aut diffingendi occasio mihi oblata est exoptatissima.

Hic autem non possum, quin ante omnia gratissimum animum testificer iis Viris Doctis, qui, ubi a me

dissentiunt, vel ubi errores, quibus nemo non obnoxius est, deprehendebant, non feroce aliqua confidentia, non superba arrogantia, sed amabili modestia et insigni humanitate, quae decet liberalium artium professores, dissensum suum vel errorum animadversiones proposuerunt. In his est *Vir Clarissimus Obbarius*, qui in diiudicando hoc tomo Horatii secundo non solum doctrinae, qua excellit, copias in medium protulit lautissimas, sed etiam animum, quo regitur, probavit liberalissimum et in alios aequissimum. Eundem igitur, ubi in hac nova tomi secundi recensione a me impetrare non potui, ut eius in nonnullis locis tam explicandi quam veteres lectiones defendendi rationi suffragarer, id haud iniquo laturum esse animo, persuasum habeo. Sic ille in Epist. I, 10, 47. *Imperat*, *haud servit collecta pecunia cuique* veterem lectionem *aut* (pro *haud*, quod ex coniectura dedi) defendit et servandam esse contendit. Sed vetus lectio *aut* non solum omnem huius loci elegantiam tollit et disturbat, sed etiam adumbratam in versu sequente imaginem: *Tortum digna sequi potius*, *quam ducere funem* (pecunia, quae potius divitibus, ut iumenta ductori suo, servire et parere, quam (*funem ducere*) imperare debebat), plane obscurat et deformat. Horatius, qui quavis arrepta occasione hominum avarorum stultitiam ridet, eosque ut homines *inter opes inopes* vel *semper egentes* exagitat, idem fecit hoc loco. *Pecunia haud servit*, non servam quasi se praestat hominibus avaris, non subiecta est eorum imperio, sed ipsa est imperatrix, ipsa imperium in homines avaros sibi subiectos exercet, ipsa avaros ducit, quo vult. Rem conficit versus sequens, ubi pecunia lepide et apposite comparatur cum ductore iumentorum, quae funi torto annexa patienter sequuntur eo, quo a ductore flectuntur et ire iubentur; pecuniae vero possessores suaviter comparantur cum iumentis, quae fune ducuntur. Pecunia igitur non, ut debebat, *servit*, sed *imperat*. — Facile quidem concedo, non temere sollicitandas esse veteres lectiones, e quibus sensus commodus elici possit, sed ubi deprehenditur vetus lectio, sensui rei, de qua sermo est, plane repugnans, quis non aequo animo ferat eum, qui illi emendandae operam det, praecipue si tam leni ratione fieri potest, ut hoc loco, una tantum litera *h* voci *aut* adiecta? Verum enim vero non pauci nostra aetate inveniuntur, qui superstitiosa vetustatis religione ducti actique omnium locorum, quae ingenio tententur, vindices exsurgant, et

pro quavis vetere, quantumvis inepta, lectione acriter pugnent; vel qui (ut verbis *Magni Ruhnkenii* in Elog. Hemsterhusii utar) obtrectandi studio *se ad criticorum inventa ratiunculis quibusdam convellenda parent, moliantur, sudent, et, ut loco depravato qualemcunque sensum affingant, misere se torqueant.* Sic non desunt, qui ineptam lectionem Epist. II, 2, 70. *humane,* ex qua nulla opera extundi potest sensus tolerabilis, patrocinio suo tegant, et ab omni emendatione salvam et integram praestare studeant.

Equidem, quamvis ab obtrectatione, arrogantia et rixis istis, quae non raro inter viros doctos, praecipue inter Criticos, humanitatis saepe, ad quam conformari debent bonarum literarum cultores, plane expertes, misceri solent, sum alienissimus, tamen inepta et vere ridicula videri, quae de commentariorum, qualis hic meus in Horatium est, generibus feruntur, iudicia, dissimulare non possum. Sunt enim, qui veterum scriptorum editiones in usum tironum adornatas *noxias* et *perniciosas* (his enim vocibus illi mentem suam exprimunt) esse statuant. „*Profecto,* scribit aliquis, *si hae editiones omnia ipsae explanant, quae explanare magistrorum est, scholis plane carere possunt discipuli, et fieri* αὐτοδίδακτοι. *Non nisi in schola puer docendus est, quidquid ipsi obscurum ac difficile intellectu fuerit.*" Qui hoc scripsit — (scripsit autem vir, qui in publico aliquo Gymnasio doctoris munere fungitur); qui veterum scriptorum lectionem tam angustis coercet et circumscribit finibus; qui non extra sed intra tantum scholarum limina veteres scriptores legi et exponi iubet; qui hac arcta disciplinae scholasticae circumscriptione fomenta parat tironum ignaviae et socordiae: nae ille signum quasi ad barbariem revocandam extollit! Omnis enim, quae in scholis colligi debet, doctrinae scientia, quam maxime, ut sciunt omnes, pendet a privata discipulorum diligentia. In scholis quaedam tantum veterum scriptorum particulae explicantur, h. e. gustus tantum dulcedinis, quae ex eorum lectione capi et hauriri possit, excitatur, eo quidem consilio, ut discipuli hac quasi gustatione et promulside suaviter affecti ad iustam coenam properent, et lautissimis epulis *privatim* animum pascant et exsaturent. Quicunque igitur privatam discipulorum, praecipue eorum, qui nondum sine cortice natare didicerunt, diligentiam veterum scriptorum editionibus, commentario instructis, iu-

vare et sustentare student, profecto non rem *noxiam* et *perniciosam* (ut vir bonus ille autumat) suscipere, sed operae pretium facere videntur. Huc accedit, quod iuvenes, qui commentarii alicuius usu res in publicis scholis imbibendas iam praegustarunt, multo facilius ea, quae a magistris docentur, illustrantur, probantur, improbantur et ex reconditae doctrinae thesauro depromuntur, capere, intelligere et complecti possunt animo. — Nec tamen ego tironibus tantum, sed etiam aliis Horatii lectoribus scripsi, quae vel ad impeditiora expedienda, vel ad sententiarum scite inter se conciliandarum nexum demonstrandum, vel ad poetae virtutes et veneres observandas et animo percipiendas, vel ad verborum significationes recte accipiendas spectarent. Horatius enim est poeta is, quem viri, qui ob res gerendas vel ob officia et negotia sibi iniuncta non amplius vacare possunt scriptoribus, quos olim legerunt, abiectis caeteris omnibus, tanquam iucundissimum vitae suae comitem retinent, eum in sinu gestant, cum eo, quotiescunque aliquid otii suppetat, familiariter versantur, cum eodem rusticantur. Fortasse igitur his quoque haud *noxia* et *perniciosa* erit haec a me in publicum emissa Horatii Editio, nec talis profecto visa est Britannis, qui eam haud indignam cen-

suerunt, quae invidenda magnificentia, typis splendidissimis et in charta nitidissima, et quidem uno tomo, commode totum Horatium cum Indice continente, Londini repeteretur et Britannorum manibus tereretur.

Variarum lectionum farraginem adiicere nolui, quia in edendo Horatio, ut iam in prima Praefatione professus sum, rationem inprimis habui tironum, quorum vix unus et alter varias lectiones inspicere, nedum in iis diiudicandis et deligendis exerceri solet.

Quod ad Indicem Verborum et Nominum attinet, cum intellexissem, neque certum ordinem in eo digerendo servatum, neque in eum recipienda recepta esse, novum plane Indicem duobus iuvenibus *Aemilio Braunio* et *Frid. Guil. Regelio* (de quorum laude, tam egregiis, quos in bonarum literarum studiis fecerunt, progressibus, quam honestis et incorruptis plane eorum moribus tribuenda, in Praefatione ad Chrest. Ciceronis diximus) conficiendum demandavimus; quod quidem eo successu factum est, ut spem, quam de insigni eorum in hac quoque re diligentia conceperamus, superarent. Sed hic Index, separatim quoque eo consilio divendetur, ut omnes Horatii lectores, quacunque demum eius editione utantur, usum de eo capere possint. Nam cum vix ullus

veterum scriptor plures lectores habeat, quam Horatius, unusquisque, modo una et altera vox lecti alicuius loci ei succurrat, eum, in hoc Indice notatum, inveniet.

Caeterum mihi indicenda est Horatii Editio minor, in qua, brevi proditura, difficiliora tantum et implicatiora enodabuntur. Hanc curabit senex, qui, quamvis iam septuagesimum tertium aetatis annum agit, tamen singulari Dei Optimi Maximi beneficio ad res gerendas iuvenili vigore sustentatur. Gothae a. d. XXV. Mart. MDCCCXXVIII.

PRAEFATIO TERTIA.

Iam in publicatis Horatii Editionibus, (in *Prima* quidem *Lipsiae* 1803, in *Secunda Lipsiae* 1814, in *Tertia Lipsiae* 1824; in Tom. II. *ed. prim.* 1824. *ed. sec. Lips.* 1828.) exposui rationem, ad quam in edendis Horatii Carminibus me composuerim. Nolui igitur repetere, quod iam olim in medium protuli in gratiam eorum Lectorum, quibus non superfluus videbatur adiectus Commentarius.

Ego vero gratissimo animo veneratus sum, et veneror aequa iudicia et leniores sententias, quibus me ornavit Virorum Doctorum humanitas et benevolentia. Sed fuerunt quoque, qui hinc illinc in quibusdam locis a me dissentirent, ut Vir Clarissimus *Obbarius*, qui Epist. I, 10, 47. (*imperat haud servit:* nempe dives, qui non servitium praestat, sed potentiam potius exercet

divitiarum possessione) pro *haud* (quod ego ex coniectura dederam) lectionem *aut*, rei, de qua sermo est, plane repugnantem, revocandam esse censuit. Sed *pecunia* neque ab Horatio, neque ab alio scriptore *servire* dicitur vel *serva* dicta est; immo *pecunia* in ipso hoc carmine v. 40. audit *dominus*, et haec est *pecuniae natura*, quam *pecunia*, ut Horatius canit Epist. I, 12, 10., *mutare nescit*.

Gothae Idib. Novembr. MDCCCXXXV.

DOERING.

Q. HORATII FLACCI
SATIRARVM
LIBER PRIMVS.

SATIRA I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?
O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contra mercator, navem iactantibus Austris:

SATIRA I.

Poeta in causas vitiorum, quibus homines laborant, inquirit, easque praecipue ab avaritia repetit.

v. 1—3. *Qui fit, Maecenas* cett. Sensus: operae pretium sane est quaerere, Maecenas, quid sit, quod nemo sorte sua, sive secum deliberando delecta, sive fortuito oblata, contentus vivat, imo nemo non eos, qui diversum a suo vitae genere sequuntur, felices praedicet? — *ratio*, deliberatio; — *obiecerit*, gravius pro: obtulerit. Sors saepius homines ad vitae aliquod genus amplectendum vi quadam pellit, trudit et adigit. — *laudet*, sed unusquisque laudet. Sic infr. in hac Sat. *Nemone ut avarus Se probet, at potius* (sed unusquisque potius) *laudet diversa sequentes*; et sic Graeci post οὐδείς et μηδείς omittunt ἕκαστος. vid. *Manut.* ad Cic. pro Quinct. 26.

v. 4. *gravis annis — multo iam fract. membr. labore*, qui iam sentit venientis senectutis molestiam et virium multo labore exhaustarum defectum. Vir quidam doctus in Diario Trevoltiensi an. 1715. mens. Iun. coniiciebat: *gravis armis*, quae quidem lectio plures defensores nacta est; in iis quoque est *Wolfius: Horat. Erste Satire Lat. und Deutsch.* (Berol. 1813). At mihi antiqua lectio *annis* et simplicior, et verbis sequentibus *multo iam fractus membra labore* accommodatior videtur. Sic milites *aetate graves* apud Liv. VII, 39. et sic apud Theocrit. Idyll. XXIV, 100. *Τειρεσίας πολλοῖσι βαρύς περ ἐὼν ἐνιαυτοῖς. fractus membra* graece, ut Od. I, 1, 21. *stratus membra*.

Militia est potior. Quid enim? Concurritur: horae
Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta.
Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium: ne te morer, audi,
Quo rem deducam: Si quis Deus, En ego, dicat,
Iam faciam, quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator: tu consultus modo, rusticus; hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus; eia,
Quid statis? Nolunt. Atqui licet esse beatis.

v. 7. 8. *Militia est potior* cett. observa brevem elegantiam: „Mercaturae praeferenda est militia; Quid enim manet militem? miles pugnat, et brevi temporis momento aut cadit, aut de laeta exsultat victoria.“

v. 10. *consultor*, qui consuit iuris legumque peritum, qui v. 17. dicitur *consultus*, h. e. qui de iure respondet; — *sub galli cantum*, sub gallicinium, quod mediam noctem excipit. Clientes scilicet apud Romanos primo mane adire solebant causarum patronos. Hinc infr. Epist. II, 1, 103. *Romae dulce fuit et solemne, reclusa Mane domo vigilare, clienti promere iura.*

v. 11. *Ille* (consultor, cliens) *vadibus datis qui* cett. quem causae dicendae necessitas adegit proficisci in urbem, ut ibi patronum consulat; *datis vadibus* pro vulgari: in iudicium vocatus; is enim, quem vadabatur accusator, debebat promittere vadimonium, h. e. *vades* (obsides, sponsores) *dare*, qui praesentiam in ius vocati sua fide et suo periculo praestarent; *vades* non in capitis tantum causis, sed, aeque ac *praedes*, in causis quoque privatis, uti hoc loco; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *vas.*

v. 13. *Cetera de genere hoc*, principium versus Lucretiani IV, 594.

v. 14. *Fabium*, quicunque demum ille fuerit, sive philosophus, sive iurisconsultus, poeta iam eum ut hominem loquacem ridet; idem fortasse fuit, de quo sub fin. Sat. sequ. *Fabio vel iudice vincam.* — *ne te morer* cett. ne te diutius detineam, audi, quo tendam, nempe ad describendum hominum, nunquam sorte sua contentorum, ingenium.

v. 16. *Iam faciam* sc. ex vobis id, *quod esse vultis.*

v. 18. *mutatis partibus* sc. quas adhuc in vita egistis, pro vulgari: mutata vitae conditione.

v. 19. Pro lectione *Nolint*, quam olim receperam, nunc praetuli *Nolunt;* oratio cohaeret sic: si quis deus ad homines, qui diversa sequentes laudant, dicat: accedite, ego statim vos mutabo in eos, in quos mutari cupitis; expectat paulisper deus, sed ii accedere et mutari *nolunt;* notum est illud Ciceronis: *tacet, consentit.* — *licet esse beatis*, graece pro: licet iis esse beatos; sic Sat. I, 2, 51. *munifico esse licet*; Sat. I, 4, 39. *dederim quibus esse poetis.* Sat. I, 6, 25. *fierique tribuno.* Epist. *ad Pisones* 372. *mediocribus esse poetis.*

Quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas
Iratus buccas inflet, neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea, ne sic, ut qui iocularia, ridens
Percurram, quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.
Ille, gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautaeque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, quum sibi sint congesta cibaria; sicut

v. 20. *Quid causae est, quin*, quidni, nonne igitur merito Iupiter *illis*, h. e. ob illorum, modo aliquid appetentium, modo idem recusantium, inconstantiam, *amb. Irat. bucc. infl.* qui ira exardescunt, buccas inflare solent; exprimitur igitur hac locutione imago irascentis.

v. 23. *Praeterea, ne* cett. ceterum, ne more eorum, qui res ludicras et iocosas ridendo percurrunt, ego quoque hanc rem seriam ridens percurram.

v. 25. *olim*, in comparationibus passim de rebus, quae factae sunt, et porro ita fieri solent; nonnunquam; nos: *etwa, manchmal;* inf. Epist. I, 10, 42. *ut calceus olim.* Virg. Aen. VIII, 391. sq. *Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.*

v. 27. *Sed tamen;* hae particulae, ut simpliciter *sed*, *igitur*, eleganter post longiorem parenthesin interruptam orationem excipiunt; exempla Ciceroniana dedit *Ernesti* in Clav. Cic. s. v. *sed.* Oratio sibi respondet sic: ceterum, ne videamur ridicula tractare velle, amoto ludo quaeramus seria.

v. 28. *Ille, gravem duro — aratro*, elegans descriptio *rustici.*

v. 29. *Perfidus hic caupo*, repetit poeta homines *diversa sequentes*, sed pro *legum iurisque peritis*, ne carperet et elevaret eorum studia, vel quia Icti non lucri, sed honoris et utilitatis causa de iure respondebant, prudenter posuit *caupones*, qui lucri faciendi et ditescendi gratia *perfide* homines, ad se divertentes, circumvenire solent, dum, parvo lucro intenti, merces, quas vendunt, corrumpunt, v. c. vinum aqua miscentes cett. Sic *caupones maligni* inf. Sat. I, 5, 4. et sic καπηλεύειν apud Graecos. — *miles*, qui laborem in bello perfert, tam praedae, quam agrorum post facta stipendia accipiendorum spe plenus. *nautaeque*, et mercatores; supra in Od. II, 13, 14. *navita Poenus*, mercator Phoenicius. Sic Epod. 16, 61. *Sidonii nautae.*

v. 32. *cibaria*, quibus alimur, *congesta*, accommodate ad exemplum *formicae*, quae in hiemale tempus

Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit, quodcumque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, et illis utitur ante
Quaesitis sapiens, quum te neque fervidus aestus
Dimoveat lucro, nec hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod, si comminuas, vilem redigatur ad assem.

mira sedulitate atque prudentia alimenta *congerit:* ex simplice sententia: *cibaria congesta more formicae,* enati sunt tres versus elegantissimi.

v. 33. *nam exemplo est*, sc. magno, quo rebus suis prospicit, labore. — *magni laboris*, suaviter per ἀντίθετον formicae *parvulae* tribuitur labor *magnus.*

v. 36. *Quae, simul* cett. at eadem, simulac sol in Aquarium transit, et tempus, quo annus circumactus est, pluviosum et triste reddit; pro simplice: tempus hiemale. — *annum inversum*, h. e. exactum; donec annus cursum suum peragit, dicitur *vertens*; quando cursum suum exegit, dicitur *inversus. Schol. Porphyr. Maxime sole in Aquario constituto tempestates horrendae et frigora ingentia solent esse. Sol autem transit in Aquarium XVII. Calend. Febr.; in eo est diebus triginta usque ad XVII. Calend. Mart.*

v. 38. *et illis utitur ante Quaesitis sapiens*, et illis, quae ante congessit, ut animal sapiens, pro: sapienter hieme fruitur. Iam transfert poeta exemplum formicae ad avarorum stultitiam; congerunt quidem avari, sicuti formica, divitias, sed iis non utuntur. Formica igitur homine avaro est sapientior.

v. 39. *hiems*, frigus, *ignis*, *mare*, *ferrum*, de rebus violentis, quae perniciem intentant. — *per medios ignes volitare* apud Sil. Ital. XV, 41. pro: per summa pericula; et sic apud Graecos διὰ πυρός.

v. 40. *Nil obstet tibi* cett. ne multa! cum nullo omnino periculo a divitiis coacervandis te deterreri patiaris, modo nemo, qui te ditior sit, reperiatur.

v. 42. *defossa*, explicant *effossa*, et laudant *defossos specus* ap. Virg. Georg. III, 376. proprie enim non *terra*, sed *aurum* sub terra *defodi* dicitur. An *defossa*, ut in multis aliis locis, non ad nomen, cui adiectum est, sed ad nomen vicinum referri debet? ut in Satir. sequ. v. 29. vox *subsuta* non ad *veste*, sed ad *instita* referenda est; et sic *auri pondus defossum deponere* erit: defossum reponere, seponere, recondere, vel simpliciter pro: *defodere*; — *timidum*, accommodate ad ingenium hominis avari.

v. 43. *Quod*, (respondet avarus) ideo hoc iuvat, quia, *si comminuas* cett. aurum *comminuitur*, si usum ex eo capias, at ex auro defosso usus capi nequit. — *quid hab. pul. constructus acervus*, simillime Theocrit. XVI, 22. *Δαιμόνιοι, τί δὲ κέρδος ὁ μύριος ἔνδοθι χρυσὸς κείμενος.* —

At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus, ac meus; ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturae fines viventi, iugera centum, an
Mille, aret? At suave est, ex magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Vt tibi si sit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho, et dicas: Magno de flumine malim,

v. 45. 46. *Millia frumenti* cett. quamvis centum millia modiorum frumenti terantur in area tua, ob hoc tamen (ob hanc tamen copiam) non plus venter tuus, quam meus, capiet; *frumenta*, quae terebantur in area, h. e. in agro, ubi ad terendas fruges area facta est; cf. supr. ad Od. I, 1, 10. iam *ipsa area terere* dicitur. Tibull. I, 5, 22. *Area dum messes sole calente teret.* Virgil. Georg. I, 192. *Nequicquam pingues palea teret area culmos.* — *hoc* pro: ob hoc, ideo, passim apud Nostrum. Sat. 1, 2, 81. Sat. I, 3, 93. Sat. 1, 4, 9. 6, 41. et 52. et 87. 9, 8.

v. 47. *reticulum*, mantica sive pera, ex reti contexta.

v. 50. *viventi.* vix locus, puto, idoneus ex scriptore aliquo, qui Horatii aetate vixit, afferri poterit, ubi impersonali *refert* iunctus sit dativus. Fuerunt igitur, qui *viventi* mutarent in *viventis.* Equidem malim: *Vel dic, quid referat, intra Naturae fines vivens num iugera centum, an Mille, aret?* vel dic, quid prosit, num centum, an mille iugera aret intra naturae fines vivens, h. e. fruens iis, quae natura postulat; *num — an*, ut infr. Sat. II, 5, 58. *num furis — an ludis.* Fortasse *vivens*, cum post hanc vocem excidisset *num*, ab homine aliquo latinae linguae imperito, ut metro succurreret, mutatum est in *viventi.*

v. 52. *tantumdem haurire*, tollere, promere.

v. 53. *cumeris.* Schol. Acr. *cumeram dicimus vas ingens vimineum, in quo frumenta conduntur. Sic ipse alibi (Epist. 1, 7, 30.) Sive cumerae dicuntur vasa fictilia, similia doliis, ubi frumentum suum reponebant agricolae. Tertio cumerae dicuntur vasa minora, quae capiunt quinque sive sex modios, quae lingua Sabinorum trimodiae dicuntur.* — *granaria*, (ubi grana frugum servantur) nos: *Frucht-Böden, Frucht-Magazine.*

v. 54. *liquidi* (liquoris, aquae) *urna*, ut infr. Sat. I, 5, 91. *urna*, vas aquarium; nos: *Wasser-Krug, Wasser-Eimer.*

v. 55. *cyatho*, iam de vase aquario minore, nos: *Becher*, *Glas*; si spectes mensuram, *urna* continebat quatuor congios, *congius* sex sextarios, sextarius duodecim *cyathos.*

Quam ex hoc fonticulo, tantumdem sumere. Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia iusto,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum, decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit; quia tanti, quantum habeas, sis.
Quid facias illi? iubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit; ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simulac nummos contemplor in arca.
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina: quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undique saccis
Indormis inhians, et tamquam parcere sacris

v. 56. *ex hoc*, ante pedes manante. *Eo fit* cett. sensus: hinc fit, ut ii, qui parvo fonte non contenti ex magno flumine, qualis est Aufidus, haurire malint, huius fluctibus abrepti in aqua pereant, h. e. ut ii, qui, parvis non contenti, ampliora et largiora usque appetunt, huius insatiabilis cupiditatis poenas luant; *ferat*, auferat, abripiat; *Aufidus acer*, rapidus in Apulia fluvius, nunc *Ofanto*; supr. Od. III, 30, 10. dicitur *violens*, et Od. IV, 14, 25. *tauriformis*.

v. 62. *quia tanti q. h., sis*, quia, quanta tibi divitiarum possessio, tanta tui sit aestimatio s. quantum bonorum possideas, tantum tibi statuatur pretii.

v. 63. *Quid facias illi?* quomodo illi succurras? nos: *was willst du wohl mit so einem anfangen? iubeas mis. e.* cett. sine, quaeso, eum miserum esse, quoniam eum ita agere et proinde miserum esse iuvat; *quatenus*, quandoquidem, quoniam. Od. III, 24, 30. *quatenus, heu nefas! virtutem incolumem odimus*.

v. 64. *quidam mem. Athenis*, homines, qualis hic Athenis fuisse narratur, ubique gentium reperiuntur. Respexit igitur fortasse poeta, ut putat *Heindorfius*, Romanum aliquem nobiliorem, quem, satis notum omnibus, invidiae evitandae causa nominare noluit.

v. 68. *Tantalus a labris* cett. Tu, qui nummos in arca tantum contemplaris, nec usum inde capis, idem fere facis, quod apud inferos Tantalus, qui sitiens aquam a labris refugientem captat.

v. 69. *quid rides?* Quid Tantalus ad me, ridens ais? *mutato nomine* cett. Enimvero ea, quae de Tantalo finguntur, si nomen tuum cum Tantali nomine mutaveris, egregie in te quadrant; quemadmodum enim ille videbat quidem ante ora aquam, nec tamen eam hauriebat, ita tu nummos, tamquam pictas tabulas, contemplaris, nec usum ex iis capis. *inhians* (κεχηνώς) — *inhiare* dicuntur, qui hiante quasi ore rem aliquam devorare velle minantur.

Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Nescis, quo valeat nummus? quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius: adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
An, si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te affixit, habes, qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet ac reddat natis carisque propinquis?
Non uxor salvum te vult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?
An sic cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis, servareque amicos?
Infelix operam perdas, ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere fraenis!

v. 73. *Nescis, quo valeat nummus?* an nescis, quo spectet nummi pretium? h. e. cui rei adhibendus sit nummus? *quo* antique pro *quoi*, cuinam rei. Nos: *worzu?* Virg. Aen. II, 150. *Quo molem hanc immanis equi statuere.* cf. infr. Epist. I, 5, 12. — *sacris*, ἀναθήμασι puta.

v. 75. *adde, Queis hum. s. d. nat. neg.* adde alia, quibus natura humana aegre nec sine dolore careat. Respicit ea, quae ad corporis voluptatem et ad alia, quae natura postulat, pertinent; *natura humana*, appetitus cuique homini a natura insitus.

v. 78. *fugientes*, servi, qui aufugiunt. — *horum bonorum*, eiusmodi bonorum, quae tantas curas iniiciunt suis possessoribus.

v. 80. *At si* cett. malim: *An, si* ut vers. 76. *An vigilare* cett. — *tentatum*, corpus, quod invadit et occupat morbus, tentari morbo dicitur; *frigore*, quo agitari et corripi solent aegroti, h. e. febri.

v. 83. *te suscitet*, te reficiat et morbo liberet. *pueri atque puellae* inf. Sat. II, 3, 130. *Insanum te omnes pueri clamantque puellae.*

v. 88. *An sic*, recepi lectionem, quam ad fidem nonnullorum Codd. dedit *Fea*. Vulgo legebatur *Ac si* vel *An si*. — *sic*, omnia argento postponendo. — *natura*, consanguinitatis vel propinquitatis vinculum; *nullo labore*, sine omni opera in iis tibi adiungendis posita.

v. 90. *Infelix operam perdas*, profecto id aeque vano et infelice studio tentes velisque, ac si quis cett. *parentem fraenis*; equi enim, non asini, parent fraenis.

Denique sit finis quaerendi; quoque habeas plus,
Pauperiem metuas minus, et finire laborem
Incipias, parto, quod avebas; ne facias, quod
Vmmidius, qui tam (non longa est fabula) dives,
Vt metiretur nummos, ita sordidus, ut se
Non unquam servo melius vestiret, ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium fortissima Tyndaridarum.
Quid mî igitur suades? ut vivam Maenius, aut sic,
Vt Nomentanus? Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere? non ego, avarum

v. 92. *quaerendi*, quaerendarum divitiarum. — *laborem* in colligendis divitiis positum.

v. 94. *parto* sc. eo.

v. 95. Reiecta vulgari lectione *Vmmidius quidam*, dedi eam, quam, a *Bentleio* propositam, iam *Fea* in textum recepit; sed posui post *qui*, quod referendum est ad *metuebat*, distinctionem minorem; *qui*, quamvis *tam dives*, ut nummos metiretur, tam avarus, ut nunquam melius se servo vestiret; tamen, ne victus penuria opprimeretur, ad mortem usque metuebat. Sed *Heindorfius* servavit ac defendit lectionem: *Vmmidius quidam*, distinctione maiore post *fabula* posita. At primum Horatius, qui ne ad ignobilia quidem hominum nomina unquam apposuit *quidam*, multo minus *quidam* appositurus fuisset ad nomen hominis, qui, cum tam dives esset, ut nummos metiretur, sine dubio notus fuit omnibus; deinde verba: *non longa est fabula* (narratio) inepte sententiam finiunt; denique, si Horatius *tam* omisisset ad *dives*, idem profecto *ita* ad *sordidus* omissurus fuisset; — *tam dives — ut*, ut v. 22. *tam facilis, ut.*

v. 99. *liberta*, quam uxoris loco habuisse videtur Vmmidius.

v. 100. *fortissima Tyndaridarum*, altera Clytaemnestra (quod maritum suum Agamemnonem occidit), fortissima omnium liberorum Tyndari; — *Tyndaridarum*, genere quidem masculino, ut observat *Bentleius*, sed utriusque sexus liberos, tam filias quam filios, complectente; — *divisit medium*, pro vulgari: *percussit.*

v. 101. *ut vivam Maenius aut sic, Vt Noment.* suadesne mihi, ut ego, sicuti Maenius, aut Nomentanus vivam? vita luxuriosa homines isti bona sua abligurierant; fuerunt igitur nepotes, nequam, vel ut Horatius eos v. 104. appellat, *vappae, nebulones.* — Pro *Maenius* alii legunt *Naevius*; sed quis in vero eiusmodi hominum nomine perscrutando operam perdat? de *Maenio* cf. Sat. I, 3, 4. Epist. I, 15, 26. de *Nomentano* Sat. I, 8, 11. Sat. II, 1, 22. Sat. II, 3, 224.

v. 102. *pergis pugn. s. F. a. comp.* pergis componere res, quarum altera alteri contraria est; *avaris* enim oppositi sunt *prodigi*; *frontibus adversis*, comparantur avari et prodigi cum gladiatoribus vel tauris,

Quum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
Est inter Tanaim quiddam socerumque Viselli.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. Nemone, ut avarus,
Se probet, at potius laudet diversa sequentes?
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat? neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet? hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat:
Vt, quum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, et exacto contentus tempore vitae

qui, dum inter se pugnant, adversis frontibus se invicem petunt.

v. 104. *vappam. vappa*, vitium vini (nam *vappa* proprie de corrupto vino dicitur) transfertur ad vitium hominis, qui bona sua turpiter profundit; est igitur iam *vappa* homo prodigus, homo nequam.

v. 105. *Est inter Tanaim* cett. poeta affert exemplum duorum hominum, quorum alter alteri, sicuti avaro prodigus, opponitur. *Tanais*, Maecenatis libertus, spado; at socer quidam Viselli herniosus fuisse dicitur. Multum igitur inter se differebant isti duo homines.

v. 106. 107. *denique*, ne multa! ut paucis me expediam. — *rectum*, τὸ ὀρθόν, quod ad certam normam recti fit.

v. 108. *Illuc, unde abii, redeo*, ad sententiam scilicet in carminis limine positam: „neminem sua sorte contentum vivere, sed diversa sequentes laudare.“ — *Nemone, ut av.* cett. ergone fit, ut nunquam avarus iis, quae habet, contentus sit, sed eos, quibus diversa est vitae conditio, laudet, *tabescat*que, quod cett. — *Nem., ut av.* nemone igitur, sicuti avarus, se probet cett.

v. 111. *maiori turbae*, numero, *pauperiorum*, non divitias quidem, sed, quantum ad vitam sustentandam opus est, habentium; sic *pauperes* saepe apud Horatium.

v. 113. *Sic fest.* cett. sensus et nexus: Hoc studio et hac cupiditate maiores usque divitias appetenti semper obstat alius, qui illo sit locupletior; huic igitur instat, sicuti auriga in ludis circensibus equis instat iam praevectis, nihil curans a tergo relictos. — Versus huius comparationis, a ludis circensibus translatae, sunt elegantissimi, et sic passim in Satiris Horatii versus occurrunt epici poetae sublimitate et numeris dignissimi; e. c. Sat. I, 5, 9. et 10. et 73. 74. Sat. II, 1, 14. et 15. Sat. II, 3, 136. Sat. II, 8, 78. Epist. I, 7, 5 — 14.

v. 114. *carceribus*, loco in circo, unde equi, sublatis repagulis, emittuntur in spectaculis.

v. 118. *exact. cont. temp. vitae Cedat*, pro *vitae Heindorfius* legendum

Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.
Iam satis est: ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

SATIRA II.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli.

omnino censet *vita;* sed sic necessario ad *exacto tempore* suppleri debet: *vitae.* Rectius autem suppletur aliquid ex verbis praecedentibus quam ex subsequentibus. Malim igitur ad *Cedat* supplere: *vita* vel *ea*, aut *cedat* pro composito: *decedat*, explicare.

v. 119. *ut conviva satur. Lambinus* comparat Lucret. III, 951. *Cur non, ut plenus vitae conviva, recedis?*

v. 120. *Crispini. Crispinus* philosophus et poeta ineptus (Sat. I, 3, 139.) et garrulus, de quo Schol. Acron. et Cruq. *philosophi cuiusdam loquacissimi nomen, qui ἀρετάλογος* (virtutis concionator) *dictus est; scripsit etiam versus de Secta Stoica.* — Sed qui fit, ut Horatius, qui semet ipsum Sat. I, 5, 30. et 49. ad *lippos* refert, Crispinum, ut hominem *lippum*, carpat? Multa et mira de hac re disputata sunt ab interpretibus. Equidem puto, Horatium, contemtim ab adversariis *poetam lippum* appellatum, hoc ridiculum convicii genus, a corporis vitio petitum, in eos, quos contemnebat, salse regessisse. *Lippitudo* autem aeque ac *caecitas* transfertur ad animum; hinc infra Sat. I, 3, 25. *lippus mala sua inunctis oculis pervidere* dicitur.

SATIRA II.

Ridet poeta stultitiam hominum, qui, dum vitia quaedam fugiunt, in contraria incurrunt. (Ep. *Ad Pison.* 31. *In vitium ducit culpae fuga.*)

v. 1. *Ambubai.* — Schol. Acr. *Ambubaiae dicuntur mulieres tibicines Syrorum; etenim lingua eorum tibia sive symphonia ambubaia* (secundum alios: *abub*, *anbub*, fistula) *dicitur.* Fuerunt mulieres circumforaneae, victum sibi quaerentes tam instrumenta musica tractando, quam se ipsas libidinosis venales offerendo. — *collegia;* iocose poeta hanc impudicarum mulierum in locis publicis turbam dicit *collegium.* — *pharmacopolae*, medicinam vendentes; nos: *Quacksalber.*

v. 2. *mendici*, ad mendicos, iam non proprie ita dictos, referunt Isiacos ac Gallos, sacerdotes Cybeles, praestigiatores et alios eiusmodi generis homines, quorum professio parum a mendicitate abest. — *balatrones*, infr. Sat. II, 8, 22. *Servilius scurra* vocatur *balatro;* quo quidem cognomine notari videntur homines, qui, postquam bona sua perdiderunt, scurrilitate, dicacitate et humili adulatione gratiam eius, a quo alerentur, captasse videntur. Vid. *Ersch. Encyclopaed.* V. Tom. VII. Schol. Acr. et Cruq. *hos luxuriosos et perditos vocat a Servilio Balatrone, cuius in secundo lib. Sat.* (8, 21.) *meminit; ex huius autem nomine similis vitae homines balatrones sunt appellati, a balatu fortasse dicti, quae vox intorta est et ridicula* cett.

v. 3. *cant.* — *Tigelli.* — *M. Hermogenes Tigellius*, Sardus, libertinus, celebris modulator et musicus; Schol. Acr. *Mutato nomine per invidiam cantorem pro musico obtrectatorie dicit. Fuit autem modulator optimus, in Sardinia natus; is carmina Horatii negabat satis perite modulata, et idcirco carpitur ab illo.* cf. Sat. I, 4, 72. et I, 10, 90.

Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem propellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coëmens obsonia nummis:
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappae famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in foenore nummis,
Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque

v. 4. *benignus*, liberalis, nos: *ein gütiger Herr.* — *hic*, alius, ut v. 7. 41. 44. et supr. Od. I, 1, 7. et saepe alibi.

v. 8. *Praeclaram rem stringat ingluvie* — praeclari patrimonii copias, tanquam arboris frondes, destringat h. e. perdat, absumat luxuria; simili fere tropo Terentius et alii: *dilapidare*, de hominibus levissimis, qui lautas opes luxuria et ingluvie huc illuc dispergendo deperdunt. — *ingrata*, quod respondet τῷ *malus* (h. e. prodigus), referendum ad ingrati animi nepotem vel filium, qui, quod accepit a parentibus, ingrato erga eos animo profundit.

v. 9. *conductis*, foenore a creditore acceptis; *creditor* locat, *debitor* pro mercede sive usuris conducit pecuniam.

v. 10. *parvi animi*, quasi, qui parce vivit, pusillum, prodigus vero magnum animum ostendat.

v. 11. *ab his*, ab aliis, *ab illis*, ab aliis.

v. 12. *Fufidius*, avarus foenerator. *vappae.* cf. ad Sat. I, 1, 104.

v. 13. *positis in foenore nummis*, sortibus foenori datis; de locutione: *pecuniam in foenore ponere* pro: foenori dare vid. supr. ad Epod. 2, 70.

v. 14. *Quinas hic* cett. hic unoquoque mense pro sorte foenori data quinas mercedes sive usuras extorquet. Apud Romanos aeque atque apud Graecos sortes a calendis cuiusque mensis usque ad sequentis mensis calendas foenori dari solebant; pro centum nummis vulgo usura sive merces unoquoque mense fuit unus nummus; uno igitur anno duodecim nummi; sed Fufidius, foenerator sordidissimus et impudentissimus, unoquoque mense quinas usuras, uno anno igitur pro centum nummis sexaginta nummos *exsecabat; exsecare* positum mihi videtur pro extorquere, extundere, exprimere; *capiti*, debitori capitis; nos: *herausschlagen, herausschneiden, erpressen.* Alii *capiti mercedes exsecat* explicant: sorti, dum eam debitori tradit, usuras statim detrahit, deducit; sed, si hoc voluisset Horatius, pro *exsecat*, puto, scripsisset *desecat.*

Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.
Nomina sectatur modo sumta veste virili
Sub patribus duris tironum. Maxime, quis non,
Iuppiter, exclamat, simul atque audivit? At in se
Pro quaestu sumtum facit hic. Vix credere possis,
Quam sibi non sit amicus; ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit, non se peius cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quaerat: quo res haec pertinet? illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demissis ambulat; est qui
Inguen ad obscoenum subductis usque facetus.
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
Nil medium est. Sunt, qui nolint tetigisse nisi illas,

v. 15. *Quanto perd.* cett. quanto quisque est nequior et ad opes perdendas proclivior, tanto acrius lucri faciendi gratia ei instat.

v. 16. *Nomina tironum sectatur*, sectatur tirones, ut eorum nomina in tabulas debitorum referat, sive ut eos sibi faciat debitores; hinc nomina simpliciter de debitoribus; vid. *Ernesti* clav. Cic. s. v. *nomen.* — *veste virili*, toga pura. *duris sub patribus tironum;* iuvenes enim, qui duris et parcis parentibus utuntur, facile, ut aes alienum faciant, induci possunt ab insidiosis foeneratoribus.

v. 18. *in se*, in vitae suae fructum et iucunditatem, *pro quaestu sumtum*, pro largo quaestu largum sumtum; nos: *etwas auf sich wenden.*

v. 20. *pater ille*, Menedemus, se ipsum crucians, apud Terentium in Heautontim.

v. 25. *Malthinus* — iam exempla hominum, qui medium tenere non didicerunt, profert. *Malthinus* tunica ad talos usque demissa incedit, alius tunica ad femur usque adstricta se ut hominem facetum conspiciendum praebet. Fuerunt, in quibus quoque est *Heindorfius*, qui Horatium, notando vitium Malthini, Maecenatem, qui nonnunquam *discinctus* incesserit, oblique notasse autumarent. Sed quis adduci potest, ut credat, Horatium inter homines, quos producit, ridiculos, simul dulce decus suum et praesidium, Maecenatem, ut hominem ridiculum tecto designare voluisse? — *ambulat; ambulare*, ut *incedere*, *viam metiri* de iis, qui incessu dignitatem affectant; cf. supr. ad Epod. IV, 5.

v. 26. *facetus*, ridiculus; nos: *possirlich.* vel *facetus* explica: dum hominis faceti et venusti speciem prae se ferre vult.

v. 27. *Pastillos*, unguentorum odores, pilulas (interprete *Erasmo*) unguentarias, nos: *Salbenkügelchen*, vel, ut vult *Heindorfius: wohlriechende Morsellen, dem Athem einen angenehmen Geruch zu geben.* Martial. I, 88. — *hircum*, foedum odorem, qualis sub alis emittitur; cf. supr. ad Epod. 12, 5.

v. 28. *nisi illas, Quar. s. t. teg. inst. veste*, nisi matronas, quae a vestitu circumscribuntur; matronae enim gerebant tunicam, ad talos usque porrectam, cui adsuta fuit instita, h. e. fascia, limbus; nos: *eine Falbel, eine Kante.* — *subsuta*, quod adiunctum est τῷ *vesti*, ad *instita* est referendum; cf. supr. ad Sat. I, 1, 42. respondet certe vox *subsutus* limbo, qui *vesti* h. e. matronarum stolae, in infima eius parte *subsutus* h. e. acu annexus vel applicitus fuit.

Quarum subsuta talos tegat instita veste;
Contra alius nullam, nisi olente in fornice stantem.
Quidam notus homo quum exiret fornice, Macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis;
Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquit,
Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechis non vultis, ut omni parte laborent,

v. 30. *nisi ol. in f. stant.*, nisi prostibulum. *fornicĕ stantem;* saepius apud optimos quosque poetas vocalis brevis in vocis alicuius fine, sequentibus duabus vel tribus litteris consonantibus in proxima voce, haud producitur; sic apud Nostrum in hac ipsa Sat. infr. v. 71. *velatumquĕ stola.* Sat. I, 3, 44. *fastidirĕ; strabonem.* Sat. I, 5, 35. *praemiă scribae* cett. et sic saepe apud Virgilium, Ovidium et optimos quosque poetas. Pendet scilicet a cujuslibet poetae latini arbitrio, utrum vocalium brevitatem in fine vocis, quam excipit vox, cum litteris duabus tribusve consonantibus incipiens, servare an non servare velit. — *stantem*, prostantem, stando expectantem et invitantem libidinosos. Plaut. Cist. apud Non. c. 5. n. 8. *adstat ea in via sola: prostibula sane est.*

v. 31. *Quidam not. h.* cett. Schol. Acr. et Cruq. *Notus homo, honestus et nobilis. Catone transeunte, quidam exit de fornice; quem cum fugeret, laudavit et revocavit; postea, cum frequentius eum exeuntem ex eodem lupanari vidisset, dixisse fertur: Adolescens, ego te laudavi, tanquam huc interdum venires, non tanquam hic habitares.* — *Macte* (explicant pro: magis aucte) *virtute esto*, nota formula, apud Livium praecipue saepius obvia, qua, qui rem aliquam bene gesserunt, cum laude appellantur, et eam porro bene gerere iubentur; nos: *Bravo.*

v. 32. *sententia dia Catonis*, pro Cato, ut apud Lucilium: *Valeri sententia dia.* Exempla de hoc loquendi genere collegit *Lambinus* supra ad Od. III, 5, 13.

v. 34 *Huc*, in fornices; *descendere*, erant enim fornices, ut observant interpretes, cameratae cellae in aedium loco depresso et inferiore.

v. 36. *Sic me* sc. facientem, quod suasit Cato. — *cunni albi*, impudice et ad ingenium illius aetatis pro: matronae alba stola indutae; nam *meretrices*, ut animadvertit Schol. Cruq., *habebant nigram vestem.*

v. 37—40. *Audire est* cett. Sensus: Operae pretium est vos audire, qui non vultis rem iis, qui libidinem suam apud uxores explere cupiunt, bene procedere, quomodo (*ut*) omni

Vtque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara cadat dura inter saepe pericla:
Hic se praecipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem caesus; fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeteret ferrum. Iure omnes: Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda!
Libertinarum dico, Sallustius in quas
Non minus insanit, quam qui moechatur. At hic si,
Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse, daret, quantum satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret; verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat, hoc laudat: matronam nullam ego tango.

parte se male habeant, et quomodo voluptas multo dolore perturbata, et ea ipsa rara, inter dura saepe pericula illis (*cadat*) contingat. Horatius iam in re levi facete imitatus est gravitatem Ennii, cuius versus vetus Scholiastes profert hos: *Audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.*

v. 43. *pro corpore*, ne ad mortem flagellis caederetur, vel poenam experiretur, quae in v. 45. commemoratur; inf. Sat. II, 7, 67. de adultero: *dominoque furenti Committis rem omnem et vitam et cum corpore famam.*

v. 44. *perminxerunt*, mingendo commacularunt. *Calones* proprie, ut docet Festus, servi militum, dicti ita, quia ligneas clavas gerebant, quas Graeci κᾶλα vocant. Sed inter servos domesticos quoque ii, qui ligno ferendo et aliis ministeriis humilioribus adhibebantur, appellati sunt *calones*, ut hoc loco et Sat. I, 6, 103. Epist. I, 14, 42.

v. 46. *Iure omnes*, omnes id factum esse iure aiebant, sed *Galba negabat.* Galbam, ex nobili fortasse gente Sulpicia ortum, ut adulterum vel certe adulterorum patronum notasse videtur Horatius.

v. 47. *merx*, libidinis fructus apud libertinas, quae corpore, tanquam merce aliqua, quaestum faciunt; hinc *merx* v. 83. de venustatis et formae lenociniis.

v. 48. *Sallust.* idem, ut videtur, Crispus Sallustius, ad quem scripta est Od. secunda libri secundi, ubi vid. Argumentum. — *in quas Non minus insanit*, in quas non minore libidinis furore fertur.

v. 51. *munifico* pro: munificum, cf. ad Sat. I, 1, 19. *benignus*, cf. supr. ad v. 4.

v. 52. *damno*, perdendo bona; *dedecori*, perdendo bonam famam.

v. 53. *hoc se ampl. uno*, hoc uno libidinis genere sibi placet. v. 54. *hoc amat*, huic uni libidinis generi indulget; *hoc laudat*, hoc unum libidinis genus extollit, dum ait: *Matronam nullam ego tango.*

Vt quondam Marsaeus, amator Originis ille,
Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis.
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, unde
Fama malum gravius, quam res trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quidquid ubique
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicumque. Quid inter-
Est, in matrona, ancilla peccesne togata?
Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, poenas dedit usque superque
Quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus,
Exclusus fore, quum Longarenus foret intus.
Huic si mutonis verbis mala tanta videntis

v. 55. *Originis.* fuerunt illo tempore Romae tres nobilissimae mimae et meretrices: *Origo*, *Citheris* (sive *Licoris*) et *Arbuscula*; vid. *Serv.* ad Virg. Eclog. X, 2.

v. 58. *unde*, a quibus.

v. 60. *An tibi ab. Pers.* cett. qui matronam, in qua peccare possit, evitat, at in libertina, quam sectatur, peccat, is non rem ipsam, non illud, quod ubique damno et dedecori est, sed personam tantum evitat, personae tantum, non rei discrimen facit; — per *personam* iam designatur *matrona*, — *matrona* est persona honesta; libertina persona minus honesta; — *ubique*, in quaque persona i. e. muliere. — *rem patris* (patrimonium) *oblimare*, limo obducere, in limum et coenum quasi abiicere, uti fere *dilapidare* pro: turpiter profundere.

v. 62. *Quid interest* cett. Ergo peccas; nam eodem redit, utrum in matrona, an in ancilla pecces.

v. 63. *ancilla togata*, libertina, cui, antea ancillae, nunc togam pullam ex more meretricum gestare licebat.

v. 64. *Villius in Fausta* cett. non Villius, sed T. Annius Milo, ex Cicerone satis notus, Faustae maritus, et proinde Sullae, patris Faustae, gener fuit. Sed Villius, idem fortasse *Sextus Villius*, quem Cicero (Ep. ad Fam. II, 6.) ad Milonis amicos refert, cum esset unus adulterorum, quos Fausta, mulier libidinosa, admittere solebat, *gener* quodammodo Sullae, qui eius filiam Faustam uxoris loco habebat in adulterio, vel videri voluit vel iocose ita appellatus est. Idem tamen hoc nomine generi Sullae, vel hac gloriola, se quodammodo generum Sullae esse, misere deceptus est. Nam cum aliquando intrare vellet domum Faustae, cui iam aderat alius adulter, Longarenus, foribus exclusus, pugnis caesus, ferroque petitus est. — *in Fausta*, in libidinis fructu cum Fausta; — *usque superque Q. s. est*, usque eo, donec satis superque est. *fore* pro vulgariore: *foribus*; exempla, ubi *foris* in singulari ponitur, vide in Lexicis.

v. 68. *Huic si* cett. iunge: *si huic* (Villio) *animus* (sortis, quam expertus sit, considerantia) *mutonis tanta mala videntis verbis diceret haec*: pro vulgari: quodsi muto tantorum

Diceret haec animus: Quid vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum,
Velatumque stola, mea quum conferbuit ira?
Quid responderet? Magno patre nata puella est.
At quanto meliora monet pugnantiaque istis
Dives opis natura suae, si tu modo recte
Dispensare velis, ac non fugienda petendis
Immiscere! Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas? quare, ne poeniteat te,
Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic, niveos inter viridesque lapillos
Sit licet, hoc, Cerinthe, tuo tenerum est femur aut crus
Rectius, atque etiam melius persaepe togatae est.
Adde huc, quod mercem sine fucis gestat, aperte,
Quod venale habet, ostendit, nec, si, quid honesti est,
Iactat habetque palam, quaerit, quo turpia celet.

malorum testis hunc Villium alloqueretur his verbis: *Quid* cett.

v. 70. *magno consule*, ut v. 72. *magno patre*, Sulla; ex hoc versu, Villium *in Fausta* fuisse adulterum, dilucide apparet.

v. 71. *ira*, furor, ὀργή.

v. 72. *puella*, Fausta, uxor Milonis; *puella* et *virgo* passim de uxoribus, vid. supr. ad Od. III, 14, 10.

v. 74. *dives op. nat. suae*, at quanto meliora et istis contraria suadet natura, quae, quas habet, opes et praesidia largiter suppeditat.

v. 76. *Tuo vitio* cett. num parum interesse putas, utrum tibi ipsi, qui fugienda petis, an rebus, quas tibi oblatas contemnis, culpa tribuenda sit? *vitio*, culpa, ut passim.

v. 78. *unde*, a quibus.

v. 79. *est*, licet, datur. *ex re*, cuius copia datur.

v. 80—82. *Nec mag. h.* cett. nec tamen (*huic*) matronae, licet niveis (unionibus) et viridibus (smaragdis) lapillis explendescenti, (*hoc*) ob hoc, ob haec ornamenta, femur est, quod magis tenerum, aut crus, quod magis rectum sit tuo, Cerinthe, (*atque etiam*) immo *togatae* (libertinae) persaepe est melius. — *hoc* pro: ob hoc, cf. ad Sat. I, 1, 46. — *Cerinth.* — *Cerinthus*, ex Tibullo quoque notus, formae pulchritudine tum temporis insignis fuit.

v. 83. *mercem*, venustatis lenocinia, cf. ad v. 47. — *sine fucis*, sine externis ornamentis, quibus oculos ad se advertere student matronae.

v. 84. 85. *venale*, apte respondet voci *merx*. — *nec, si quid hon. est, iactat* cett. nullum interpretum in hoc loco haesisse, valde miror; particulam *nec*, unice, ut res clamat, ad *quaerit* referendam, ad unum omnes ad *iactat* et *palam habet* referunt, eandemque particulam ad *quaerit* repetendam vel supplendam esse putant; at sic sensus exit ineptissimus; quomodo enim libertina, quae, quod venale habet, *aperte ostendit*, id, quod honestum vel pulchrum est,

Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne, si facies, ut saepe, decora
Molli fulta pede est, emtorem inducat hiantem,
Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix:
Hoc illi recte: ne corporis optima Lyncei
Contemplere oculis, Hypsea caecior illa,
Quae mala sunt, spectes! O crus, o brachia! Verum
Depygis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.

non iactare, non palam habere dici potest? nonne *aperte ostendere* et *palam habere* unum idemque est? nonne poeta id, quod modo dixit, aliis verbis repetit? Aperte hic locus corruptus est, quem ita legendum et distinguendum esse suspicor: *nec, si, quod honestum est, Iactat habetque palam, quaerit, quo turpia celet;* h. e. nec, quamquam id, quod pulchrum est, iactat et palam habet, quaerit, (*quo*) quomodo (sicuti matronae per stolam) turpia celet. Confirmatus autem sum in hac emendatione, postquam vidi, in quibusdam Codd. apud *Feam* pro *honesti* vere legi *honestum*. — *si* pro: quamvis, etsi, saepius, vid. *Drakenb.* ad Liv. XXXIII, 49. §. 3. *honestum*, pulchrum, venustum; sic *facies* vel *forma honesta* pro: pulchra, apud Terent. Andr. I, 1, 95. Eunuch. I, 2, 52. et II, 1, 24. et IV, 4, 15. *caput honestum* ap. Virg. Aen. X, 133.

v. 86 sqq. *Regibus hic m. est* cett. sententiarum nexus hic fere est: Qui matronas sectantur, externa earum specie non raro se decipi patiuntur; prudentius agunt potentiores; hi, ubi equos mercantur, ne externam eorum speciem, decoram faciem, molles pedes, pulchras clunes, breve caput, arduam cervicem contemplando ab iis, quae in iis vitiosa sunt, observandis avertantur, *equos* velamentis *opertos* emere solent. — *si fac. dec. Moll. f. p. est* pro vulgari: si facies decora et pes mollis est. Non enim *pedem mollem* cum interpretibus ad equorum vitia refero, ut *pes mollis* sit: imbecillis, infirmus, sed ad equorum laudem, quia in pulchro equo vel maxime placet pes *mollis* h. e. tenuis, et proinde agilior, flexibilior. Sic de saltantibus *membra mollia* apud Lucret. IV, 977. et *brachia mollia* apud Ovid. Art. Am. I, 598. Immo apud Virgilium quoque Georg. III, 75. *crura mollia* ad laudem generosi equi referuntur. — *Regibus*, ditioribus, beatioribus, ut passim.

v. 90—93. *Hoc illi recte* scil. faciunt, et hoc tibi exemplo esse potest, ne in contemplandis corporis partibus pulchrioribus Lynceo sis oculatior, at in illis, quae foeda sunt, Hypsea caecior. — *Lynceus*, filius Apharei, Argonautarum unus, ita valuisse traditur oculis, ut eorum acie loca remotissima, immo Orcum, assequi posset. *Hypsea*, mulier, caecitate tum temporis nota. — *o crus, o brachia!* primo matronae alicuius adspectu exclamas. Obversabatur Horatio Epigr. Philodemi XXI. Analect. 16. p. 88—106. — *depygis*, (ἄπυγος) quae est, ut Horat. loquitur supr. Epod. VIII, 5., *aridis natibus*. — *nasuta*, nimis longo naso deformis.

Matronae praeter faciem nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te
Hoc facit insanum) multae tibi tum officient res:
Custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
Ad talos stola demissa et circumdata palla,
Plurima, quae invideant pure apparere tibi rem.
Altera nil obstat; Cois tibi paene videre est
Vt nudam; ne crure malo, ne sit pede turpi,
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri, pretiumque avellier, ante
Quam mercem ostendi? *Leporem venator ut alta*
In nive sectetur, positum sic tangere nolit,
Cantat, et apponit: *Meus est amor huic similis; nam*
Transvolat in medio posita, et fugientia captat.

v. 94. *Matronae* cett. sensus: apud matronam praeter faciem externam nihil tibi cernere licet; matronae enim, nisi qua similis est Catiae, matronae impudicissimae, *veste demissa*, h. e. stola (ut dicitur in v. 99.) ad talos demissa, cetera tegunt. De Catia, foedae libidinis matrona, quae, stola non demissa, sed sursum tracta, pellicere studebat libidinosos, vid. *Schol.*

v. 96. *vallo*, stola, tanquam vallo.

v. 97. *hoc*, obstaculum. *multae res*, multa alia.

v. 98. *custodes*, fuerunt plerumque eunuchi, qui matronis custodiendis et observandis addi solebant; vid. quos laudat *Heindorf.* — *lectica*, interclusae enim ab aditu fuerunt matronae, cum in lectica a lecticariis vel quatuor vel sex vel octo (*octophoris*) portarentur; cf. ad Catull. X. v. 16. et 20. *ciniflones*, qui crispabant matronarum crines, dicti ita, quia ad calamistra calefacienda prunas sub cinere flando suscitabant; hinc appellati sunt etiam *cinerarii.* — parasitae, ergo matronis quoque assidere solebant mulierculae, quae garrulitate sua earum gratiam captare et sic illas liberales erga se reddere studebant.

v. 100. *rem*, omnem corporis formam.

v. 101. *Altera nil obstat*, altera nihil offendiculi tibi obiicit; sive, ut explicant: quod ad alteram attinet, in ea nihil tibi obstat. — *Cois* cett. iunge: *est* (licet, ἔστιν ἰδεῖν) *tibi videre* (libertinam) *paene ut nudam Cois*, pro: in Cois vestibus, bombycinis, et ob tenuitatem admodum pellucidis, Tibull. II, 3, 53. *Illa gerit vestes tenues, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitque vias;* ubi vid. *Interpretes.* Ovid. Art. Am. II, 298. *Sive erit in Cois, Coa decere puta.*

v. 104. *pretium avellier*, pecuniam pro merce cupide auferri.

v. 105 — 108. poeta sententiam: „ea, quae facile haberi possint, vulgo contemni, ea vero, quae non sine difficultate haberi possint, cupide appeti" per cantilenam, tum satis notam, a Callimacho in Epigr. XXXIII.

Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque aestus curasque graves e pectore tolli?
Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
Num tibi, quum fauces urit sitis, aurea quaeris
Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
Pavonem rhombumque? tument tibi quum inguina, num, si
Ancilla aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego; namque parabilem amo Venerem facilemque.
Illam: Post paullo, sed pluris, si exierit vir,
Gallis, hanc, Philodemus ait, sibi, quae neque magno

relatam, exprimit. Qui matronas sectatur, *cantat*, *ut* (quomodo) *venator leporem in alta nive sectetur, positum sic* (leporem in medio vel ante pedes cubantem) *tangere nolit; et apponit: huic* (venatori) *similis est meus* (matronarum) *amor* cett. apud. Callimachum l. l. *Χοὐμὸς ἔρως τοιόςδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται.* — *sic positum*, si Horatius scripsit *sic*, haec particula explicanda videtur: *sic temere*, ut supr. Od. II, 11, 14. *vel hac Pinu iacentes sic temere;* (sed ibi *temere* adiectum est) vel *sic* est *in medio*, quod in v. 108. ad *posita* additur; *positus lepus* iam est lepus non currens et fugiens, sed in cubili iacens; nos: *ein Haase, der im Lager sitzt, oder liegt.* — Equidem tamen pro *sic* malim *sed;* sic omnia bene sibi respondent; apud Callimachum quoque est l. l. *τὰ μὲν — τὰ δέ.* Fortasse et in v. 108. pro *et fugientia* aptius legeris: *at fugientia.*

v. 111 — 113. *Nonne?* sensus: nonne utilius est quaerere, quem modum natura in explendis cupiditatibus tenendum praescribat? quid illa sibi negatum latura, quid sibi negatum sine dolore non latura sit, sive: quibus ferendis natura par, quibus ferendis impar futura sit, et vana atque inania a solidioribus distinguere?

v. 120 sq. *Illam* cett. sensus: Illam mulierculam, quae moras nectat dicendo: „paulo post te admittam; sed affer, quaeso, quod pluris sit pretii; veni, si vir exierit;" Gallis (sacerdotibus Cybeles, qui, quia erant evirati, moram illam ferre possent,) expetendam esse, at hanc, quae neque cett., se sibi expetere, Philodemus ait. Editum est a *Reiskio*, et post eum a *Brunckio*, Epigramma Philodemi, quod plures (in quibus est etiam *Heindorfius*) ab Horatio expressum esse putarunt. Sed illud a recentiore quodam homine ex hoc ipso Horatii loco, perperam intellecto, effictum et Philodemo per fraudem tributum esse, docuit Amiciss. *Iacobsius* in *Wolfii* Analect. Vol. I. p. 357.

v. 123 sq. *Candida* cett. alba sit colore et erecta corpore, hactenus tamen externi cultus et elegantiae studiosa, ut sibi caveat, ne praeter

Stet pretio, neque cunctetur, quum est iussa venire.
Candida rectaque sit, munda hactenus, ut neque longa,
Nec magis alba velit, quam det natura, videri.
Haec, ubi supposuit dextro corpus mihi laevum,
Ilia et Egeria est; do nomen quodlibet illi,
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Ianua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.
Deprendi miserum est; Fabio vel iudice vincam.

SATIRA III.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,

naturam aut nimis alba (cerussae usu), aut nimis longa (crepidarum suppositarum, ut observat vetus Schol., usu) videri velit. — *recta*, erecta; sic *homines recti* apud Catull. X, 20. ubi cf. not. *munda*, externi cultus et placendi studiosa.

v. 126. *Ilia et Egeria est*, altera mihi quasi est Ilia vel Egeria, h. e. aeque mihi cara est, ac nobilissima quaeque mulier; *Ilia*, Rhea Sylvia, mater Romuli et Remi; *Egeria*, nympha, quacum nocturnos congressus sibi esse simulabat Numa.

v. 129. *vepallida*, male pallida, ut *vesanus* et alia. — *conscia* sc. furti. Schol. Cruq. *ancilla conciliatrix adulterii et conscia suae dominae.*

v. 131. *haec*, ancilla, *metuat cruribus*, metuat, ne crura sibi suffringantur a domino ex agro redeunte; — *doti deprensa*, coniuges in adulterio deprehensae timere debebant de dote, quam secundum leges perdebant adulterae.

v. 133. 4. *ne nummi pereant*, supr. v. 43. *dedit hic pro corpore nummos.* — *pyga*, natibus deprehensorum adulterorum impingebantur raphani mugilesque. cf. ad Catull. XV, 19. — *denique*, pro: saltem vel insuper. — *Fabio vel iudice vinc.* id miserum esse evincam et probabo vel Fabio iudice. Schol. Cruq. *Satis urbane notat Fabium iurisconsultum aliquando in adulterio deprehensum fuisse.* Fortasse idem Fabius, quem poeta supr. Sat. I, 1, 14. ut *hominem loquacem* ridet. Si verum est, quod ibi observavit vetus Scholiastes, hunc Fabium aliquot libros, ad philosophiam Stoicorum, pertinentes, scripsisse, lepide Horatius Fabium, vel Stoicum concessurum ait, sortem deprehensi adulteri miserrimam esse. Stoici enim summum quemque dolorem aequo animo ferendum esse docebant.

SATIRA III.

Amicorum vitia leniter ferenda, neque omnia, in quibus peccant amici, ad vivum resecanda esse.

Iniussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quicquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
Vsque ad mala citaret Io Bacche! modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi. Saepe, veluf qui

v. 1. *cantoribus*, de musicis in universum, sive fidibus sive voce canentibus. cf. ad Sat. I, 2, 3.

v. 4. *Ille*, per emphasin, ut recte observat Schol. Cruq. nam *M. Hermogenes Tigellius* vere tum nobilis fuit tam arte musica, quam gratia et amicitia adeo apud Augustum et liberalitate apud populum; cf. ad Sat. I, 2, 3. — *hoc* sc. vitium. *Caesar*, Octavianus, qui ab Horatio in iis carminibus, quae scripsit, antequam ille nomen Augusti assumserat (V. C. DCCXXVII.), simpliciter *Caesar* appellatur.

v. 5. sq. *si peteret* pro: petebat; — *proficeret* pro: proficiebat; ratio grammatica, ex qua nonnunquam apud optimos quosque scriptores conjunctivus pro indicativo ponitur, vix perspicue satis doceri potest. — *patris*, Iulii Caesaris, cuius adoptatus filius fuit Octavianus.

v. 7. *ab ovo Vsque ad mala*, ab initio usque ad finem; translatum a satis noto more Romanorum, apud quos in principio conviviorum *ova*, in fine *mala* apponebantur; pro *citaret* placet quidem, quod ex coniectura dedit *Bentleius*: *iteraret*; sed *citare*, si iam est (frequentativum a *ciere*) frequenter ciere, et proinde *repetere*, eodem redit. *Gesnerus* in hanc rem laudavit locum Ciceronis Orat. I, 59. ubi est: *paeanem citare.* Similiter fere dicitur *carmen movere*: Virgil. Aen. X, 163. *cantusque movete*; Ovid. Met. XIV, 21. *carmen ore move sacro.* — *Io Bacche!* prima verba carminis inter coenandum (ut ex verbis *ab ovo usque ad mala* colligas) decantati. Iam ex primis verbis notum hoc carmen tum fuit omnibus. Veteres autem, sicut nos, tota carmina verbis primis indicare et laudare solebant. Sic Virgilius in Eclog. V, 86. Eclogam secundam per prima eius verba: *Formosus Corydon ardebat Alexin*, et tertiam per: *Cuium pecus? an Meliboei?* designat; — in *Bacche* vocalis brevis propter arsin producta est. — *modo summa voce*, acutissima, nos: *in der Höhe*, *im Discant*, *modo hac* sc. voce, *quae resonat* (est) in *quattuor chordis* (in Tetrachordo) *ima*, *gravissima*; nos: *in der Tiefe*, *im Bass.*

v. 9. sqq. *Saepe velut qui* — iunge: *saepe currebat*, *velut qui hostem fugiens* sc. curreret. — Iam poeta a vitio, quod Tigellius commune habebat cum musicis, ad alia vitia, nominatim ad mutabilem Tigellii animum et ad eius inconstantiam, transit, eo quidem consilio, ut sic viam sibi ad praeceptum: „amicorum vitia, cum nemo sine vitiis nascatur, aequo animo ferenda esse,“ muniat; — ad *persaepe* non *currebat* repetendum, sed inde eliciendum: lento gradu incedebat, quasi esset κανηφόρος, quae sacra Iunonis in capite gestaret. Scilicet in pompis solemnibus, quales, ut ex

Currebat, fugiens hostem, persaepe, velut qui
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos; modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens; modo: Sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri, et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. Decies centena dedisses
Huic parco, paucis contento: quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane; diem totum stertebat. Nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: Quid tu?
Nullane habes vitia? Immo alia, haud fortasse minora.
Maenius absentem Novium dum carperet: Heus tu,
Quidam ait, ignoras te, an ut ignotum dare nobis

hoc loco apparet, in Iunonis quoque honorem instituebantur, virgines (κανηφόροι) sacras cistas sive canistra tardo et ad dignitatem quandam composito incessu portare solebant in capite; vid. *Spanhem.* ad Callimach. H. in Cer. v. 127. Hinc infr. Sat. II, 8, 13. *ut Attica virgo Cum sacris Cereris.* Bene in hanc rem iam *Lambinus* comparavit locum Ciceronis de Off. I, 36. *cavendum*, — *ne tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur.*

v. 12. *tetrarch.* — *tetrarcha* regiae dignitatis et potestatis erat, quamquam illi regis nomine uti haud licebat.

v. 13. *loquens*, cum iactantia in ore gerens crepansque; sic passim *loqui* de magniloquentia; vid *Burm.* ad Petron. c. 127. 3. et ad Quintil. Decl. XV. — *mensa tripes.* Schol. Cruq. *mensa Delphica, a tribus pedibus dicta;* vide quos de *mensis Delphicis* laudat *Ernest.* in Clav. Cic. in Ind. Geogr. s. v. *Delphicae.*

v. 14. *Concha salis.* Schol. Porph. *Pauperiores in marina concha salem tritum habere solent, quo cum pane vescantur.* — *puri*, integri, sinceri.

v. 15. 16. *dedisses*, si dedisses, *decies centena* sc. millia sestertiûm, — *huic parco, p. cont.* Tigellio, se hominem parcum et paucis contentum modo professo.

v. 20. *immo alia haud fort. min.* non haec vitia Tigellii, immo alia habeo, nec fortasse Tigellii vitiis leviora. — Pro *et fortasse* dedi *haud fortasse*, quod iam in editt. Ald. et Iunt. receptum est; id enim mihi omnino postulare videtur modesti hominis responsio. Quis enim ferret hominem, qui, quia vitia quaedam reprehenderat, interrogatus: „*nullane* tu ipse *habes vitia?*“ responderet: habeo quidem, sed fortasse iis leviora. Huc accedit, quod Horatius iam non graviora, sed leviora tantum vitia Tigellii, nempe mutabilem animum et commune quoddam cantorum vitium, notavit.

v. 21. *Maenius.* cf. supr. ad Sat. I, 1, 101. plura de hoc homine nequam vide apud Schol. Porphyr. — *Novium;* hic quoque homo malae notae fuit, quamquam vitiorum, quibus iste indulsit, genus non additur.

v. 22. *ignor. te*, tua ipsius vitia? *an ut ign. d. n. V. putas*, an putas, te, ut hominem, qui, qualis ipse sit

Verba putas? Egomet mi ignosco, Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.
Quum tua pervideas oculis male lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? at tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paullo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit eo, quod

ignorat, aliorum vitia carpendo fraudem nobis facere posse; *ignotum* sc. sibi; Senec. Thyest. v. 391. *ignotus sibi moritur.* Maenius igitur est homo, qui, ut infra Sat. II, 3, 299. dicitur, non didicit *respicere ignoto pendentia tergo*, ubi *ignoto* referendum est ad hominem, qui quod pendeat ipsius tergo, ignorat.

v. 24. *improbus*, malus, perversus; *improbus* de rebus et hominibus, qui in reprehensionem incurrunt; *amor* sc. sui.

v. 25—27. *Quum tua pervideas* cett. sensus: Quum tua ipsius *vitia* (vox *vitia* enim supplenda omnino est e versu sequente) inunctis quasi oculis lippiens *male*, h. e. leviter, (non eo modo, quo illa perspicere debebas) perspicias, cur in amicorum vitiis perspiciendis tam acutos oculos, sicut aquila vel serpens, habes? — si quis *male* referre velit ad *lippus*, explicanda est haec particula pro: valde, vel nimis; ut in hac ipsa Satyra v. 31. *male laxus calceus* et sic passim. — *pervidere* (κατιδεῖν) pro simplice *videre* h. e. cognoscere. — Pro *male* legendum esse *mala*, ut intelligantur vitia graviora, quae in versu sequente opponantur levioribus, contendebat *Vir Cl. Frenzelius* in *Commentatione Scholastica* 1828. p. 7. Sed nuspiam, puto *mala* simpliciter posita, ut vitia *graviora*, opponuntur levioribus. — *inunctis*, lipporum enim oculi inungi, vel collyria iis illini solebant.

v. 26. *acutum* pro: *acute.*

v. 27. seqq. *aquila*, aeque, ac lynx, oculorum acie praevalens. *serpens*, visu acutissimo, *Epidaurius*, epitheton ornans, sive quod regio ad Epidaurum, Argolidis urbem, scatebat serpentibus, sive ob mansuetum quoddam (de quo narrat Pausan. in Corinth. II, 28.) serpentum ibi genus, sacrum deo illius regionis tutelari, Aesculapio, qui sub forma serpentis ibidem cultus et sic Romam deportatus est. — *inquirant* cett. et illi, quorum vitia tu inquiris, vicissim tua inquirant.

v. 29. 30. *Irac. est p.* cett. Si amicus paulo ad iram est proclivior minus aptus amicitiae ille videtur his hominibus, qui vitia acutis naribus subodorantur. *horum* referunt interpretes ad ingenium hominum, qui nunc vivunt; ego refero ad eos, qui in v. 28. dicti sunt *illi.*

v. 30—35. *rideri poss.* cett. Sensus: Rideri fortasse possit amicus ideo, quod inconcinne est tonsus; quod in toga incedit non composita, sed deorsum fluente; quod laxus calceus male in pede sedet; sed quia idem est vir bonus, quo melior inveniri non potest; quod tibi est

Rusticius tonso toga defluit et male laxus
In pede calceus haeret; at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore; denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti

amicus, quia sub neglecto eius corpore latet ingens ingenium, omnia illa indulgenter a te ferenda sunt. — *rusticius tonso;* in urbe apud Romanos crines capitis ad certam normam, aequalitatem et elegantiam tondebantur, at rure sine ulla arte, temere et incuriosius; particulam *male* interpretes referunt ad *laxus*, et sic *male* iam est pro: nimis; sed quomodo *calceus nimis laxus*, qui male sedet, h. e. qui circum pedem huc illuc movetur, simpliciter *haerere* dici potest? immo *haerere* dicitur, quod alicui rei adhaeret, inhaeret, firmiter insidet. Supr. Od. III, 24, 55. *Nescit equo rudis haerere ingenuus puer*, h. e. puer ingenuus, equitandi imperitus, non didicit firmiter insidere equo; sic infra v. 77. *vitia stultis h a e r e n t i a*, firmiter insidentia; refero igitur h. l. *male* ad *haeret* h. e. male sedet, nos: *die Beschuhung liegt oder schliesst nicht an.* — *inculto*, quod ad externum cultum attinet, negligit. — *te ipsum concute*, excute, explora.

v. 37. *namque Neglect. ur. f. inn. agris.* per imaginem, a filice in agris neglectis nascente petitam, exprimere voluit hoc: nam, quemadmodum *filix*, (nos: *Farenkraut*) agris neglectis innascens, urenda, ita vitia, quae aut natura, aut mala consuetudo insevit, evellenda et exstirpanda sunt ex animo.

v. 38. *Illuc praevert.* nexus: Sed, missis aliis, (hoc inest verbo composito *praeverti*) redeamus, (*i l l u c*) ad id locorum, ubi videre licet, *quod* (quatenus) *turpia vitia amicae decipiunt amatorem.*

v. 39. *aut etiam ipsa haec Delectant*, de ingenio amatorum, aut vitia amicarum plane non animadvertentium, aut ex animadversis voluptatem adeo captantium, laudavit *Gesnerus* Plat. de Republ. V. p. 474. Lucret. IV, 1154. sqq. Ovid. Art. II, 657. sqq.

v. 40. *polypus*, de hoc tetro narium morbo seu tubere agit Celsus VI, 8, 2. prima syllaba, quasi scriberetur *pollypus*, producitur, ut prima syllaba in *religio*, *retulit*, quasi scriberetur, *relligio*, *rettulit*. *Hagnae*, graecae libertinae ex graeco: Ἅγνης. vid. *Bentl.*

v. 41. 42. *vell. in am.* cett. vellem igitur, ut hic error amatorum in amicarum vitiis locum haberet etiam in amicitia, et pro honestiore errore haberetur a virtutis praeceptoribus.

Errori nomen virtus posuisset honestum.
At pater ut gnati, sic nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire; strabonem
Appellat Paetum pater, et Pullum, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; hunc Varum distortis cruribus, illum
Balbutit Scaurum pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit: frugi dicatur. Ineptus
Et iactantior hic paullo est: concinnus amicis,
Postulat ut, videatur. At est truculentior atque
Plus aequo liber; simplex fortisque habeatur.
Caldior est: acres inter numeretur. Opinor,

v. 43. *At* iam pro: *enimvero; pat. ut gnati* cett. iunge: *at pater ut gnati* vitium non fastidit, *sic nos, si quod vitium sit amici, non fastidire debemus.* — *fastidire*, vocalis e brevis, sequentibus litteris *str*, manet brevis; cf. ad Sat. I, 2, 30. — *strabo*, qui detorquet oculos, nos: *der schielt.* — *paetus*, interprete vetere Scholiasta, *dicitur qui tremulis est oculis et leniter declinatis;* nos fere: *der etwas blinzelt.*

v. 45. sq. *et Pullum* cett. et si quis habet filium *male* (h. e. praeter modum, ut v. 45. cf. ad v. 25.) parvum, qualis olim fuit Sisyphus abortivus, (abortu enim nati exigui corporis solent esse homines) eum pater blande appellat *Pullum*, parvulum, pupum; nos fere: *Putchen*, *Hühnchen.* — *Sisyphus.* Schol. Cruq. *M. Antonio Triumviro pumilio fuisse dicitur intra bipedalem staturam, quem ipse Sisyphum appellàbat ob ingenii calliditatem.*

v. 47. *hunc Varum dist.* cett. alium filium, cuius crura distorta sunt, mollius *Varum* (*cuius pedes*, ut loquitur Scholiastes, *introrsum retorti sunt*) alium, cuius tali male depravati sunt, balbutiente et paternum amorem exprimente voce *Scaurum* (qui talos habet exstantes) vocat. Scilicet patres, si qua corporis vitia habent filii, molliore locutione ea levare student; amici igitur patres in elevandis amicorum vitiis imitari debent. — *pravis*, deformibus, incurvis. — *frugi*, qui prudente parsimonia et sibi et suis prospicit; nos: *ein guter Wirth.* — *ineptus*, qui, dum inepta se gerendi ratione placere studet, displicet; descriptionem hominis inepti dedit Cicero de Orat. II, 4.

v. 51. *conc. am. Postulat ut vid.* is videatur, ut videri postulat, homo, qui placere et commodus esse cupit amicis; posui igitur ad hanc explicationem post *amicis* et post *ut* distinctionis signum; nolo tamen contendere cum iis, qui explicare malint: postulat (ineptus) ut amicis suis concinnus videatur. — *at est truc.* cett. at ferocius et insolentius se effert, et, quicquid in buccam venit, paulo liberius et inconsiderantius effutit; is *simplex* (qui, quod sentit, loquitur), *fortisque* (qui nihil timet) *habeatur.*

v. 53. *Caldior est*, si est homo calidioris et fervidioris ingenii, *acres*

Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo; illi
Tardo cognomen pingui et damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum,
Quum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
Invidia atque vigent ubi crimina; pro bene sano
Ac non incauto fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est, (qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas,) ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone molestus:
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu!
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!

inter, inter paulo vehementiores; *acer*, nos: *ein leicht reizbarer, etwas heftiger Mensch.*

v. 54. *Haec res* cett. haec molliore nomine vitia designandi et excusandi ratio iungit et servat amicitiam.

v. 55—62. *At nos virtutes — incrustare*, at nos ipsas virtutes praepostere pro vitiis habemus et sic facimus idem, ac si velimus vas integrum, tanquam vitiatum et rimosum oblinere: *incrustare*, pice, cera, stuppa vel alia re tanquam crusta obducere. — *Probus quis* cett. hunc locum, quem rectius distinguendum curavi, eiecta voce *est* post *multum*, ita intelligo: si quis probus, multi pudoris et timiditatis homo, nobiscum vivit, illum tardioris et pinguioris ingenii hominem appellamus; — *est* post *multum* recte *Fea* nec sine idonea auctoritate omisit; *Heindorfius* pro *est* dedit *et*, quod ferri potest, sed non opus est; *pingui et* pro *et pingui*, ut Sat. I, 4, 51. *Ebrius et* pro *et ebrius.* — Ceterum *probi* et *demissi* apud Ciceronem quoque iunguntur de Orat. II, 43. *eaque omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant.* — *hic fugit* — alius fugit cett. *nullique m. l. obd. apertum*, nullique malo sibi nocendi occasionem praebet; translatum a re gladiatoria, si gladiator adversario, ut eius ictus et petitiones eludat, latus *tectum* opponit. — *crimina*, criminationes.

v. 63—66. *Simplicior* cett. si quis simplicior et talis est, qualem me saepe libenter tibi obtulerim, Maecenas, ita quidem, *ut* simplicior ille, *quovis sermone molestus*, aut *forte legentem* aut *tacitum* (meditantem) *impellat* (eius animum impellendo et ad se advertendo turbet), dicere solemus: en! iste homo sensu communi caret. *Simplicior* refer ad morum simplicitatem, qua quis ea, quae alii ad gratiam captandam studiose sectantur, non curat. *libenter*, animo ita iubente.

v. 67. *Quam temere* cett. Quam stulta est haec nostra in notandis ami-

Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,
Cum mea compensat vitiis bona, pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet. Amari
Si volet hac lege, in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius; aequum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
Cetera item nequeunt stultis haerentia, cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur ac, res
Vt quaeque est, ita suppliciis delicta coercet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus

corum vitiis severitas; quodsi enim severe de amicorum vitiis iudicamus, vicissim et illis de nostris vitiis severe iudicare licebit.

v. 70. 71. *Cum mea comp.* cett. ad hyperbata hunc locum referunt, et, praeeunte, vetere Scholiasta, iungunt: *bona mea compenset cum vitiis;* sed ex meo sensu concinnius procederet oratio, si pro *compenset* scriberetur *compensat*, et *cum* pro coniunctione acciperetur. *Amicus dulcis*, *cum*, (dum) *ut aequum est, mea bona compensat vitiis* (inversa locutione pro: cum vitia mea compensat bonis), *pluribus hisce inclinet*, animum potissimum ad plura haecce (bona), si modo plura bona mihi sunt, advertat. — *amari Si vol. h. lege:* pro *amari* legendum omnino mihi videtur *amare*, ut sit: *si volet hac lege* me *amare*, ad eandem legem vicissim a me amabitur. — *in trutina*, statera, translate de norma, vel ratione, ad quam res aliqua ponderatur. Cic. de Orat. II, 38. *ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina* (norma aliqua, ad quam populus res ponderat) *examinantur.*

v. 76—79. *quatenus*, quandoquidem, quoniam, ut supr. Sat. I, 1, 64. — *excidi penitus*, radicitus exstirpari. — Schol. Porph. *Hinc* (poeta) *paullatim eo descendit, ut adversus Stoicos disputet, qui dicunt, peccata omnia paria esse et similia, et animum spectandum peccantis, non quantitatem rei, in qua peccatum est.* — *stultis haerentia*, Stoici appellabant omnes *stultos* et *insanos*, qui, quam illi concionabantur, non exercere possent sapientiam. — *cur non pond. mod. s. r. utitur*, cur non *ratio* (iudicandi facultas, philosophia) vitia ad certam normam aestimat et diiudicat, et sic leviora vitia a gravioribus distinguit? *ponderibus*, quibus in lance trutinae positis res pendimus; accommodavit poeta hanc locutionem ad id, quod in v. 72 dixit: *in trutina ponetur eadem.* — *modulis*, ad quos res metimur; *suis*, quibus ratio tanquam sibi propriis uti debet. — *ac, res Ut quaeque est, ita* cett. ac cur non ratio, uti quodque delictum comparatum est, ita, si graviora sunt, suppliciis gravioribus coercet?

v. 80. *tollere* sc. de mensa.

Semesos pisces tepidumque ligurrierit ius,
In cruce suffigat; Labeone insanior inter
Sanos dicatur? Quanto hoc furiosius atque
Maius peccatum est: paullum deliquit amicus,
(Quod nisi concedas, habeare insuavis) acerbus
Odisti et fugis ut Rusonem debitor aeris,
Qui nisi, quum tristes misero venere Calendae,

v. 81. *ligurrierit*, degustaverit.

v. 82. *Labeone ins. i. S. dicatur?* hunc locum, signo interrogationis post *dicatur* posito, ita intelligo: num is, qui servum ob delictum levius in cruce suffigat, Labeone sane insanior, inter sanos referatur? Quod si autem hic locus sine interrogatione efferendus sit, pro *dicatur*, malim: *dicetur;* ut sit: is sane *inter sanos* (inter homines sani iudicii, a sanis) homo ipso Labeone insanior appellabitur. Vtrum intelligendus sit M. Antistius Labeo, Praetorius, et fama celebratissimus, (qui, quia multa contumaciter, ut ad hunc locum observat vetus Scholiastes, adversus Caesarem dixerit feceritque, ab Horatio, ut Augusto adularetur, nunc ut homo insanus inductus sit;) an (quod multo probabilius) alius quidam homo ignobilis insaniae quodam genere tum notus; id docendum iis, quos in talia diligentius inquirere iuvat, relinquimus.

v. 83—86. *Quanto hoc* cett. quanto gravius hoc leviore peccato servi, qui semesos pisces et tepidum ius degustaverit, et quanto maius, quod tu committis, est peccatum, si amicum, qui paulum deliquit, (nisi enim peccatum levius amico condonaveris, iure insuavis habearis) acerbo animo ut hominem invisissimum fugis, cett. *hoc* in ablativo de modo dicto leviore servi peccato; suppleri enim debebat *hoc* in ablativo ad *furiosius*, nisi adiectum fuisset; qui *hoc* in nominativo accipiunt, ut sit: sequens peccatum, orationis elegantiam turbant; *furiosius*, peccatum *furiosum*, quod committit homo furore percitus. — *paullum deliq.*, pro vulgari: „si amicum, qui paulum deliquit, odisti," vividiore oratione ipse peccans inducitur. — *odisti* sc. eum. — *Rusonem*, famosum tum foeneratorem, cuius acerbitatem, cum dies, quo sors aut usurae solvendae essent, venisset, nulla alia re mitigare et effugere poterant debitores, quam si ei recitanti, quas scripserat, historias patienter aures commodarent. *Calendae*, quibus aut sors foenori data, aut usurae a foeneratore redigebantur; hinc suaviter *tristes* dicuntur *misero* debitori, qui, quod debet, non solvere potest. cf. supr. ad Epod. II, 69. 70. — *nisi merced. a. n. und. und. extricat*, nisi aut usuras aut sortem undecunque tandem expedit et cogit: nos: *wenn er nicht Zinsen oder Capital, wo er es auch immer her bekommen mag, schaffen und aufbringen kann.* — *amaras*, sc. audienti. — *porrecto iugulo*, se occidendum quasi tradens recitanti; nam mali scriptores scripta sua recitando eos, quos se audire cogunt, *occidere* dicuntur; cf. inf. Epist. ad Pis. v. 475. *Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo*, et hinc Horatius infr. Sat. I, 9, 74.

Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto iugulo historias, captivus ut, audit.
Comminxit lectum potus, mensave catillum
Evandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide, sponsumve negarit?
Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum est; sensus moresque repugnant
Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.

dum ab homine garrulo tenetur, lepide se *sub eius cultro esse*, ait. — *audit*, audire cogitur.

v. 90. *lectum*, instratam lecto triclinari vestem stragulam.

v. 91. *tritum*, torni usu effictum sive tornatum; fuit igitur deiectus ille catillus toreuma Evandri; *terere* pro tornare accipiunt etiam apud Virgil. Georg. II, 444. *hinc radios trivere rotis;* scilicet artifex vel torno (a τείρω, τέτορα, *tero*, *trivi*) vel caelo, vel scalpro eradit et deterit ex materia, quod inde detritum vult; opus autem insculptis figuris distinctum vocatur vel toreuma vel opus caelatum. Virgil. Ecl. III, 37—39. de duobus poculis: *caelatum divini opus Alcimedontis: Lenta quibus torno facili superaddita vitis Diffusos hedera vestit pallente corymbos.* — *Evander* fuit clarus caelator, qui, ut refert vetus Scholiastes, a M. Antonio Athenis Alexandriam translatus et inde inter captivos Romam deductus multa opera mirabilia fecisse traditur. — Fieri quoque potuit, ut deiectus ille catillus priscae aetatis opus esset, (ut infr. Sat II, 4, 80. *vetus cratera*) quod olim Evander, celebratissimus ille Arcas, *manibus triverit*, h. e. versaverit, tractaverit. Sic infr. Sat. II, 3, 20. mentio fit *vasis aenei, quo Sisyphus pedes laverit.*

v. 93. *hoc*, ob hoc factum, ob praereptum e catino pullum; cf. ad Sat. I, 1, 46 — 95. *fide* antique pro: *fidei*, ut Od. III, 7, 4. — *sponsumve neg.*, quodve spopondit, se spopondisse negarit; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. voce *spondere* et *sponsio.*

v. 96. *Quis*, philosophi (Stoici), quibus. *fere*, iunge cum *paria*, sed *Baxterus* refert *fere* ad *laborant.* — *laborare* iam est: difficultate premi; — *quum ventum ad verum est*, cum res, ut quaeque vere est, ponderatur; — *sensus*, cuique insitus; Cic. de Fin. IV, 19. s. fin. *sensus enim cuiusque, et natura rerum, atque ipsa veritas clamat quodammodo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.* — *moresque*, disciplina enim, quae vitam moresque moderatur, peccata leviora a gravioribus distinguit.

v. 98. *Atque ips. util.* cett. secundum sententiam Epicureorum, qui, quod rectum et aequum est, a communi humanae societatis utilitate repetunt.

Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Vnguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere; dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa, sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.
Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis:

v. 99. *Quum proreps.* cett. haec quoque de primo generis humani ortu et cultu narratio ad Epicureorum sententiam accommodata est. Comparandus omnino Horatius cum Lucretio V, 933. seqq. ubi hominum e terra natorum vita, habitus, ingenium et mores describuntur. — *primis terris*, primo tempore, quo nati sunt in terra *(animalia)* homines.

v. 100. *mutum et turpe pecus*, similes pecori, quod nondum loqui didicerant, et sine ullo cultu, sicut pecus, incedebant; *glandem atque cub. pr.* Lucret. l. l. v. 937. *Glandiferas inter curabant corpora quercus.*

v. 101. *pugnis*, a *pugnus*.

v. 102. *usus*, utendi iis necessitas sive usum ex iis capiendi consilium. *quibus voces*, quibus sonos articulatos proferrent; verbum *notarent* per zeugma proximo tantum nomini accommodatum est.

v. 103. *quibus voces sensusque notarent*, eleganter pro: quibus per loquelam sensus animi exprimerent.

v. 105. *leges ponere*, constituere, condere.

v. 107. *cunnus*, iniecta a mulieribus libido. cf. ad Sat. I, 2, 35.

v. 108. *mortibus ignotis*, quia eorum nomina non memoriae prodita sunt a scriptoribus.

v. 109. *Quos Ven. inc. rap.* quos ruentes ad explendam libidinem, nullis tum legibus adstrictam; nondum enim erant coniugia; hinc additur: *more ferarum;* haec *Venus incerta* Lucretio (IV, 1064.) dicitur *volgivaga.* Ceterum in hanc sententiam Lucretius V, 960. *Et Venus in silvis iungebat corpora amantum; Conciliabat enim vel mutua quamque cupido Vel violenta viri vis.*

v. 110 *ut in gr. taurus* sc. alios tauros viribus eminentior caedit.

v. 112. *fastosque mundi*, et annales, in quibus rerum in mundo origines consignatae sunt.

v. 113—117. *Nec nat. pot.* cett. sensus: Quemadmodum natura per se iniquum a iusto secernere nequit, quamvis (*ut*) bona et mala, petenda

Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus sacra Divûm legerit; adsit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.
Nam, ut ferula caedas meritum maiora subire
Verbera, non vereor, quum dicas, esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex;

et fugienda, *dividit*, (distinguit, separatim proponit) ita Stoicorum philosophia probare et evincere non poterit hoc, ut is, qui teneros caules in horto alieno fregerit, et is, qui noctu sacrilegium fecerit, unum idemque peccatum committant, sive ut omnia peccata paria sint.

v. 116. *teneros caules* sc. brassicae, ut infr. Sat. II, 4, 15. *caulis suburbanus.* — *fregerit*, fractos (avulsos) abstulerit.

v. 117. nocturnus — Catull. LXII, 34. *nocte latent fures.*

v. 118. *adsit reg.;* itaque *regulae* h. e. canon s. norma, s. certa legum formula, in promtu sit necesse est; — *poenas aequas peccatis*, peccatis aut gravioribus aut levioribus accommodatas s. respondentes.

v. 119. *scutica*, qua leviora peccata puniebantur, *flagello*, ita loris nodisque contexto tortoque, ut ad mortem usque (cf. supr. I, 2, 41.) eo caederentur servi et malefici; hinc illud iam dicitur *horribile.*

v. 120. 21. *Nam ut — non vereor*, pro *non vereor* Horatius aliquid subiicere voluisse videtur in hanc fere sententiam: *vix adduci poteris;* nam si in animo habuisset: *non vereor*, pro *ut* ad normam loquendi posuisset *ne.* Videtur igitur hic locus ad scriptorum anacolutha referendus esse. Horatium enim iam *ut* pro *ne* posuisse, id equidem ei affingere nolim. — Vide, an fortasse laboranti particulae *ut* supplendo quaedam parari possit fulcrum quoddam hunc in modum: — *Nam, cum dicas, esse pares res* cett. *non vereor*, ne agas id, *ut ferula caedas* cett.

v. 122. *Furta* sc. paria *latrociniis.*

v. 123. *simili* sc. ei falci, qua magna reciduntur; sensus: et mineris, te parvis aeque ac magnis parem poenam irrogaturum esse, sive, te parva aeque ac magna eadem poena affecturum esse.

v. 124. *si tibi regn. Perm. homines*, consulto usus est poeta hac locutione, ut per eam commode transiret ad alia ridenda Stoicorum paradoxa, quae in viis publicis crepare solebant Pseudo-Stoici et aretalogi. Tu dicis: *si tibi regnum permittant homines: cur optas, quod habes?* qui est sapiens, is et *rex* est. — *Si dives* cett. ad haec vetus Scholiastes: *Stoici existimant perfectae sapientiae virum omnia habere, in quo et Lucilius versatus sic ait: — Nondum haec omnia habebit, Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur.*

v. 126. *quid pat. Chrysippus*, hic

Cur optas, quod habes? Non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat. Sapiens crepidas sibi nunquam,
Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens. Qui?
Vt, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer omni
Abiecto instrumento artis clausaque taberna,
Sutor erat: sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex. Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri, quos tu ni fuste coerces,
Vrgeris turba circum te stante miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum!
Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
Rex ibis, neque te quisquam stipator ineptum
Praeter Crispinum sectabitur; et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici,
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

vir, venerabilis Stoicae philosophiae doctor, cui Cicero ingenium acerrimum tribuit, prae ceteris omnibus ornabat Stoicorum porticum; unde inf. Sat. II, 3, 44. *Chrysippi porticus et grex.* — *inquit*, Stoicus modo loquens.

v. 127. *crepidas* — *soleas.* discrimen inter *crepidas* et *soleas* leve fuisse videtur; utroque enim calceamenti genere plantae tantum tegebantur.

v. 130. *Alfenus vafer.* vetus Schol. *Vrbane satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abiecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit, magistroque usus M. Sulpicio Iurisconsulto ad tantam pervenit scientiam, ut et consulatum gereret, et publico funere efferretur.* — *vafer*, iurisconsulti enim sive causarum patroni callide, quod causae suae favere possit, in partes vocant; hinc infr. Sat. II, 2, 131. *vafri inscitia iuris.* Adde Ovid. Heroid. XX, 31. *Consultoque* (in consilium vocato) *fui iuris Amore vafer.*

v. 132. *sut. er.* h. e. manebat. Hunc *Alfenum* poeta iam verbis (v. 125.) *Et sutor bonus* in animo habuisse videtur, cuius nomen, ut rem exemplo comprobet, nunc affert. — 133. seq. *Vell. tibi barb. Lasc. p.* ad ea, quibus contumeliose tractabantur aretalogi, pertinebat etiam lascivia, qua pueri barbam, quam illi ut philosophi alebant, vellere solebant; de proverbiali locutione (*τὸν πώγωνα τίλλειν τινί*) pro: habere aliquem ludibrio, ignominiose aliquem tractare, vid. *Casaub.* ad Pers. I, 133.

v. 136. *Rumperis* sc. prae ira; notum illud Virgilii: (Eclog. VI, 26.) *invidia rumpantur ut ilia Codro.* — *latras*, convicia iacis.

v. 137. *quadrante*, oblata quarta parte assis; nam pauperes lavaturi in balneo communi quadrantem tantum balneatori dabant.

v. 138. sq. *stipator*, satelles; apposite ad rem; reges enim secum ducunt satellites. — *Crispinum.* cf. supr. ad Sat. I, 1, 120.

SATIRA IV.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque, poetae,
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque; facetus,

SATIRA IV.

Horatius, iniqua de satiris, in quibus hominum vitia perstrinxerat, iudicia expertus, animum, quo ad satiras scribendas accedat, aperit, eoque aperto lenius homines de se iudicaturos esse sperat. — Ceterum de argumento huius Satirae compara *Dissert. de Horatii iudicio de vetustioribus poetis* in *Manso's Vermischten Abhandl.* p. 87.

v. 1. *Eup. Crat. Arist.* veteris comoediae poetae. Comoedia enim a Grammaticis Alexandrinis descripta est in *veterem*, *mediam* et *novam*. In *vetere* quidem, in qua, sicuti in tragoediis, cantantes chori prodibant, non simpliciter hominum vitia, sed ipsi, qui vitiis laborarent, ad omnem eorum habitum producti magna libertate notabantur; in *media* res vere gestae, sed fictis nominibus; in *nova* res fictae sive fabulae spectandae dabantur. *Eupolin* sive *Eupolidem* in magno apud Horatium fuisse pretio, vel inde, quod ille eius scripta legendo otium in villa sua conterere solebat, intelligi potest. cf. infr. Sat. II, 3, 12. *Cratinum*, insignem, plurium poetarum more, vini et laudatorem et potorem fuisse, cum ex Horatii Epist. I, 19, 12. (*Prisco*, priscae comoediae poetae, *si credis, Maecenas docte, Cratino*, *Nulla placere diu nec vivere carmina possunt, Quae scribuntur aquae potoribus.*), tum ex Nicaeneti in Anthol. Graec. Tom. I. p. 206. 4. ed. *Iacobs.* apparet. De *Cratino* et *Eupolide* scripsit nuperrime *C. G. Lucas. Bonnae* 1826. *Aristophanes*, cuius comoediae nunc quoque Graecarum litterarum amantes mirifice delectant, Socratis, ut satis constat, aetate vixit. Ceterum hos tres poetas, ut veteris comoediae principes, Persius quoque coniunctim laudat Sat. I, 123.

v. 2. *Atque al. qu. com. pr. v. est*, pro vulgari: atque alii priscae comoediae scriptores. *virorum*, non abundat, ut primum videtur, vox *virorum* nam *viri* passim appellantur, qui in aliqua re excellunt et se viros praestant. Infra Sat. I, 10, 16. *Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est.*

v. 3. *dignus describi*, dignus, qui, qualis esset, ante hominum oculos poneretur. — *malus*, mali animi homo, flagitiosus.

v. 5. *libertate*, de ea, qua quis licentior et sine ullo metu aliorum vitia carpit; nos: *Freimüthigkeit.*

v. 6. *Hinc omn.* cett. *Hinc* (ab his) *omnis* (totus) *Lucilius*, *hosce secutus*, *pendet*, pro vulgari: hos unice secutus est Lucilius.

v. 7. *Mut. tant.* cett. non eo versuum genere, quo alii comoediarum scriptores usi fuerunt, sed mutato

Emunctae naris, durus componere versus;
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Vt magnum, versus dictabat stans pede in uno;
Quum flueret lutulentus, erat, quod tollere velles;
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte; nam, ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat: Accipe, si vis,
Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus, uter plus scribere possit.

metro, hexametro usus; metrum constat pedibus et numeris sive rhythmo.

v. 8. 9. *emunctae naris*, acutioris ingenii; qui habet *nares emunctas*, h. e. purgatas, odoratur acrius; quod transfertur ad eum, qui acute videt, subtiliter iudicat; homini *emunctae naris* opponitur homo *obesae naris*, h. e. insipiens, inficetus, stultus. — *durus comp. vers.* sed quod ad versus componendos attinet, durioris ingenii, haud elegans; *durus* vocatur Lucilius, quod, se versus scabros, incomtos et inconcinnos fundere, non sentiebat. Ille enim magno versuum levi opera et festinantius scriptorum numero magis, quam versuum magna diligentia expolitorum elegantia sibi placebat; hinc statim: *Nam fuit hoc* (ob hoc, ex hac potissimum causa, cf. ad Sat. I, 2, 81.) *vitiosus*, poeta, qui lutulentus flueret.

v. 10. *ut magnum*, quasi, qui hoc posset, poeta esset egregius. *stans p. in uno*, proverbiali, ut videtur, locutione *stare uno pede* dicitur, qui rem aliquam levi opera et sine virium contentione peragit. — *erat, quod tollere velles*, offerebatur sane, quod, tanquam sordem immixtam, inde auferre sive recidere et delere velles. Inf. Sat. 10, 50. *ferentem Plura quidem tollenda relinquendis*, h. e. plura secum trahentem, quae recidenda magis quam servanda sint; in eadem Satira v. 69. pro *tollere* Horatius de Lucilio posuit: *recidere: recideret omne, quod ultra Perfectum traheretur.* Simillime autem *tollere* pro recidere vel delere Horat. in Epist. II, 2, 123. *virtute carentia tollet*, inelegantia recidet. Attamen fuerunt, in quibus est etiam *Heindorfius*, qui *tollere* contra usum loquendi pro *servare* explicare mallent; hos iam docte refutavit *Wolfius* in *Analect. Literar.* Vol. I. a pag. 185. usque ad pag. 204. — 12. *piger*, cum infinitivo, *ferre*, graece, pro: piger in ferendo labore, vel ferendi laboris; ut paulo ante v. 8. *durus componere.* Supr. Od. IV, 14, 22. *impiger vexare turmas hostium*; per *laborem* intellige summam diligentiam, qua, quae scribuntur, elimari et expoliri debent.

v. 14. *me provocat* sc. ad certamen, uter alterum versuum scriptorum numero superet. *minimo*, ita, ut ego minimum, Crispinus maius pretium ponat. Fieri scilicet solet, ut alter de duobus, qui sponsione posita de re aliqua contendunt, si de rei, de qua certatur, veritate plane non dubitat, maius pretium opponat minimo. — *Accipe, si* cett. accipe, si placet, inquit Crispinus, tabulas; ego (Crispinus) vicissim accipiam. — de *Crispino* vide supr. ad Sat. I, 1, 120.

v. 16. *custodes*, qui caveant, ne alterum versibus vel iam factis vel aliunde petitis circumveniat.

Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis;
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Vsque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Vt mavis, imitare. Beatus Fannius, ultro
Delatis capsis et imagine; quum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime iuvat, utpote plures
Culpari dignos. Quemvis media elige turba,

v. 17—20. *Di bene f.* cett. felicem me praedico, quod dii mihi dederunt animum tenuem et pusillum, qui cogitata raro et paucis expromit, h. e. bene mecum actum esse puto, quod non sum homo, qualis est Crispinus, qui, sicut follis vento, ita ingente verborum vi tumet et inflatus est. — *loquentis*, animus loqui dicitur, cum ea, quae meditatus est, profert et edisserit. — *At tu concl.* cett. versus duo elegantissimi; cf. supr. ad Sat. I, 1, 114. — *usq. lab*, *dum* cett. tamdiu vi sua folles impellentes, agitantes et extendentes, donec cett.

v. 21. *Beatus*, felicem se praedicans et mirifice sibimet ipsi placens de ingenii sui foetu, malis carminibus; *ultro*, nemine postulante; quia mala carmina nemo desiderat. — *Beat. Fannius;* Schol. Cruq. *Fannius, Quadratus, poeta malus, cum liberos non haberet, haeredipetae sine eius cura et studio* (haec est explicatio particulae *ultro*) *libros eius et imaginem in publicas bibliothecas referebant, nullo tamen merito scriptoris;* infr. Sat. I, 10, 80. idem, ut videtur, dicitur *ineptus conviva Hermogenis.*

v. 22—25. *Delatis caps.* cett. cistis vel thecis, in quibus scripta Fannii reposita fuere, una cum eius imagine (*Büste*) in bibliothecam publicam deportatis. *Heindorfius* non bibliothecam Palatinam ab Augusto (V. C. DCCXXVI) fundatam, sed primam illam bibliothecam publicam intelligit, quam Asinius Pollio post triumphum Dalmaticum ex manubiis instruxisse traditur, Plin. H. N. VII, 31. De more, quo imagines scriptorum in bibliothecis conspectui exponi solebant, vid. Plin. H. N. XXXV, 2. et, quem iam *Heindorfius* laudavit, *Lips. de biblioth. syntagm.* c. 9. *Opp. L. III. p.* 1137. — *timentis*, quasi scripsisset poeta: *cum nemo legat scripta mei, recitare* autem illa *vulgo ob hanc rem* (ideo) *timentis*, — *quod sunt, quos — iuvat* pro iuvet, (ut supr. Od. I, 1, 4. et 21. Sat. II, 1, 1. II, 4, 47.) *genus hoc* sc. scribendi, quo vitia hominum carpuntur, *utpote plures* refer ad *quos*, cum plures eorum, qui *culpentur*, h. e. perstringantur, digni sint. — pro *elige* h. e. sume, in plurimis codd. *erue*, in quibusdam *eripe*, ex quo *Bentleius* fecit: *arripe.* — lectio *elige* vel in propria significatione sumta locum habere potest; in eligendo enim eo, qui vitiorum expers sit, externa eius specie falli possumus; nemo enim sine vitiis nascitur, alius hoc, alius alio vitio laborat. — *media turba*, ex media hominum multitudine.

Aut ab avaritia aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;
Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio; quin per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat, metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
Foenum habet in cornu, longe fuge; dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico,
Et quodcunque semel chartis illeverit, omnes

v. 28. *Hunc cap. arg. spl.* alius vasorum argenteorum splendorem admiratur, alius toto animo in vasorum ex aere factorum admiratione defixus est. *argentum* saepius de *argento facto*, sive de vasis ex argento factis, ut *aes* simpliciter de vasis ex aere factis; vetus Schol. in hoc loco *aes* de vasis et signis Corinthiis accipit. Equidem intelligo quaeque vasa, antiqui artificis cuiusdam manu affabre ex aere efficta. Infr. Ep. 1, 6, 17. *I nunc, argentum et marmor vetus, aeraque et artes Suspice.* Supr. Od. IV, 8, 2. per *aera* poeta designasse videtur *lebetes.* — *Albius* non Tibullus, sed ignobilis quidam homo insano aeris amore captus.

v. 29. *Hic mut.* cett. alius est mercator, qui quaestus faciendi causa ab oriente ad occidentem usque per maria navigat. Mercatores apud veteres non parata pecunia merces emere, sed merces cum mercibus in terris, quas navi petebant, remotissimis mutare solebant, unde passim Horatius mercatores simpliciter *navitas* appellat. — *ad eum* (solem), *quo Vespertina tepet regio*, elegans et vel epico poeta digna *occidentis* descriptio. Infr. Epist. II, 2, 185.

v. 31. *quin per* cett. quin, velut pulvis turbine collectus, per summa quaeque pericula praeceps agitur; infr. Epist. I, 1, 45. sq, *Impiger extremos curris mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

v. 32. *summa deperdat*, perdat de summa.

v. 34. sq. *Foenum hab.* cett. hinc tu, simul in conspectum tibi venit poeta, clamare soles: Longe fuge poetam, is enim timendus, sicut fere bos, qui foenum in cornu habet. Scilicet cornibus eorum boum, qui sibi obvios cornu peterent, foenum, tanquam signum, ut sibi ab eo caverent praetereuntes, praeligari solebat. — *dummodo — parcet amico*, hic poeta ne ulli quidem amico parcet, dummodo voluptatem vitium aliquod amici deridendi sibi parare possit. — *sibi*, dativus commodi: in suam voluptatem.

v. 36. sq. *omnes Gest. — scire*, gestiet nota fieri omnibus vel infimae conditionis hominibus, vel a furno vel a lacu redeuntibus; per *lacum* intellige alveum, unde aqua per aquaeductus ibi collecta arcessebatur; hi *lacus*, quorum magna Romae fuit copia, peculiaria nomina gerebant, ut *lacus Servilius* apud Ciceronem pr. Rosc. Am. c. 32.

Gestiet a furno redeuntes scire lacuque,
Et pueros et anus. Agedum, pauca accipe contra:
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
Excerpam numero; neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
Idcirco quidam, comoedia, necne, poema
Esset, quaesivere; quod acer spiritus ac vis
Nec verbis, nec rebus inest; nisi quod pede certo
Differt sermoni sermo merus. At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius istis

v. 39. *Dederim — poetis*, quos poetae nomine dignos esse concesserim; *poetis*, graece pro: poetas; cf. supr. ad Sat. I, 1, 19.

v. 40. *concludere versum*, versum iis, e quibus ille constare debet, adstringere pedibus.

v. 41. *si quis — propiora*, si quis versus, ut nos, scribat, usus scilicet oratione proxime ad sermonem vulgarem et quotidianum accedente.

v. 43. *mens divinior*, quae divino quodam afflatu agitatur et incalescit. — *atque os Magna sonaturum* (insolentiori forma pro *soniturum*) explicant: os, quod sonare possit; malim: os, quod magna soniturum esse expectari possit; *magna sonare* iam est: sublimiores sonos et modos edere; at infr. Sat. I, 6, 43. de ingente vocum altissimarum strepitu dicitur.

v. 45—48. *Idcirco* cett. sensus: Fuerunt igitur, qui, utrum comoedia poema esset vocandum, nec ne, quaererent, quod in comoediis nec verbis, nec rebus, quae agantur, sublimitas et gravitas inest, et quod sermo, qui in comoediis *merus*, h. e. vulgaris et quotidianus est, a sermone, quo in vita communi utimur, non nisi certo pede differt. Opportune *Lambinus* comparat Cic. Orat. 20. *video visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poema putandam, quam Comicorum poetarum, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.*

v. 48—52. *At pat.* cett. at sententiae tuae „spiritum acrem et vim a verbis et rebus in comoediis abesse,“ opponere possum exemplum senis, ira ardentis et saevientis (Menedemi ap. Terent. Heaut. Act. V. Sc. I.), quod filius, *nepos* (dissolutioris vitae iuvenis), insano amore meretricem amicam deperiens, uxorem cum grandi dote recuset, et ebrius cett. — *amb. ante noct. c. f.*, vulgo non ante noctem, sed intem-

Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est, puris versum perscribere verbis;
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem,
Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa, modosque, et quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis:
Non, ut si solvas, „*Postquam discordia tetra*
Belli ferratos postes, portasque refregit:“
Invenias etiam disiecti membra poetae.
Hactenus haec: alias, iustum sit, necne, poema;
Nunc illud tantum quaeram: meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis;
Magnus uterque timor latronibus; at bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.

pesta nocte post comissationes in urbe cum facibus discurrere solebant ebrii et lascivi iuvenes; in multo maius igitur dedecus incurrebant ii, qui iam ante noctem ebrii cum facibus ambulabant.

v. 52—56. *Numquid* cett. — hic Pomponius, quem quasi sponte sibi obversantem obiter traducit poeta, filio Menedemi apud Terentium haud dissimilis fuit. — *leviora*, minus aspera. *Ergo* refer ad omissam sententiam: „at opprobria, quae iratus pater in comoedia iacit, non sunt verba sublimiora vel poetica, sed vulgaria et *pura*, ut statim dicuntur, h. e. nihil ornatus et elegantiae habentia. *person. pater*, in scenam, ubi personam patris induit, productus. *eodem pacto*, iisdem verbis puris, sermone vulgari.

v. 58—62. *temp. certa*, pedes ex longioribus et brevioribus syllabis constantes; *certos modos*, numeros ad certam mensuram compositos, rhythmum. — *non, ut si solv.* cett. iunge: *non* — *etiam* h. e. non pariter; sensus: in his meis et Lucilii versibus, si pedum ordinem sive metrum turbes, tollasque, non ita, sicuti in Ennii versibus „*Postquam discordia*“ disiecta versuum membra invenias; Ennii enim versus vel disiecti poetam produnt, at nostri, si eos dissolvas, quotidianum sermonem sapiunt.

v. 63. *alias*, alio tempore, alia occasione, quaeramus.

v. 65—68. *meritone* — *scribendi*, an iure tibi invisum sit hoc scribendi genus, quo versibus vulgari sermone compositis hominum vitia ridentur. *Sulcius et Caprius*. Sch. Porph. *Hi acerrimi delatores et causidici fuisse traduntur, et ideo rauci, quod in contentione iudiciorum clamant. Cum libellis autem, (in) quibus annotant, quae deferant.* — *ambulat*. cf. Sat. I, 2, 25. *rauci*, rauci fiunt causidici multa in iudiciis vociferatione; Mart. IV, 8, 2. *Exercet raucos tertia* (hora) *causidicos*. *male* in molestiam raucos audientium; de particula *male* cf. supr. ad Sat. I, 3, 31. — *cumque*

Ut sis tu similis Coelî, Birrîque, latronum,
Non ego sum Caprî, neque Sulcî; cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat, neque pila, libellos,
Queis manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigellî,
Nec recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis, coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. Laedere gaudes,
Inquit, et hoc studio pravus facis. Unde petitum
Hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,

libellis, in quibus perscripta est accusatio quaesitori tradenda. — v. 67. *at b. s. qu. Et viv. p. m.* at si quis recte et sceleris, quo latrones manus suas polluunt, purus vivit.

v. 69. 70. *Ut sis tu* cett. quamvis tu sis latro, sicuti Coelius et Birrius, ego tamen non sum delator vel accusator, quales fuerunt Sulcius et Caprius, cur igitur ego tibi timendus sim? pro *sim* in v. 70. dedi *sum*, quod est in pluribus codd. Torrent.

v. 71—72. *Nulla tab.* cett. libelli mei in nulla taberna, neque ad columnas apud porticus publicas venales prostent; venales scilicet libros habebant bibliopolae vel in tabernis, vel in armariis ad columnas porticuum; Schol.: *Hoc ideo posuit, quia bibliopolae stationes vel armaria circa pilas vel columnas habebant.* et Schol. Porphyr.: *negat se libellos suos edere bibliopolis, qui vel tabernas habeant, vel armaria, quae sunt apud pilas;* cf. inf. Epist. *ad Pis.* 373. — *Queis m. insudet* cett. qui terantur manibus vulgi et aliorum hominum, qualis fuit Hermogenes Tigellius. Haec enim satira post libri primi satiram secundam, ubi de Hermogenis morte agit, scripta esse videtur, quia totus versus, quem scripsit Horatius supra in Sat. sec. (v. 27.), in hac (v. 92.) repetitur. Ceterum Hermogenes, ut viri docti speciem prae se ferret, saepius in bibliopolarum tabernis versatus videtur.

v. 73—81. *Nec recito* cett. sc. quae scripsi vel versus meos.

v. 75. *sunt multi* sc. homines vani, vel, ut versu sequente vocantur: *inanes*. — *quique lavantes*, equidem pro *quique* malim *quive lavantes*, sunt multi, qui aut in medio foro aut, dum lavant, h. e. in balneis recitent; distinguuntur personae; non enim iidem, qui in foro, in balneis quoque recitant; de Recitationibus Vett. vid. *Gierigii Excurs.* ad Plinii Epist. particulae *que* et *ve* saepe permixtae sunt a librariis; cf. in hac Satira infr. v. 115 et Sat. II, 2, 131. Epist. III, 358. et sic apud Virgil. Aen. X, 112. pro *fortunamque* legendum omnino videtur: *fortunamve.* — *Suave* — *conclus.* locus enim, ab omni parte in balneis clausus, voci recitantis versus suaviter, ut vani isti homines putant, resonat. *suave* pro suaviter, ut passim. — *haud il-*

Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit; hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.
Saepe tribus lectis videas coenare quaternos,
E quibus imus amet quavis adspergere cunctos,
Praeter eum, qui praebet aquam; post hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus, liberque videtur,
Infesto nigris; ego, si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua

lud quaerentes, non curantes id, parum solliciti; *num sine s.* cett. num sine spiritu, quo boni poetae agitantur; num opportuno tempore medio in foro vel in balneis versus recitent. — *Inquit* sc. adversarius; alii legunt: *Inquis*, utrumque recte. — *stud. pr. fac. et hoc* (quod gaudes laedere) *facis*, ut homo qui *pravus* est, *studio* (libidine) laedendi; pro vulgari: et hoc facis pravo studio. — *Unde pet. hoc* sc. opprobrium. *est auct.* cett. quis tandem eorum, quibuscum vixi, huius opprobrii est auctor? vel: estne aliquis eorum, quibuscum vixi, huius opprobrii auctor?

v. 81—85. *Absentem* cett. ad nexum orationis supplenda fere haec: Ego potius ita sentio et statuo; *Absentem qui* cett. *rodit*, invido dente mordet, sugillat, carpit. infr. Sat. I, 6, 45. *Quem rodunt omnes libertino patre natum.* Cicero p. Balb. 26. *More hominum invident, in conviviis r o d u n t, in circulis idcirco vellicant.* — *hic nig. est*, hic improbus, et malae mentis homo est; apud Graecos quoque *improbi* vocantur *μέλανες*. *Romane*, o tu, quicunque Romanae virtutis sensu imbutus es.

v. 86—89. *Saepe trib. lectis*, tricliniaribus, ita circa mensam stratis et collocatis, ut quarta mensae pars ad cibos a servis apponendos esset vacua. — *quaternos*, terni enim vel quaterni in unoquoque loco accumbere solebant. — pro *unus* in v. 87. *cum Fea* dedi *imus*; hinc infr. Ep. I, 18, 10. *imi derisor lecti.* ubi vid. not. cf. ad Sat. II, 8, 23. — *amet*, delectetur, gestiat; pro lectione *avet* praetuli cum aliis *amet*, quod grammaticae rationi ob praecedens *videas* accommodatior est coniunctivus. — *quavis adsp. c.*, quavis ratione, h. e. quibusvis dicteriis et salse dictis obruere (laedere, perstringere) cunctos, — sive quaevis dicteria in cunctos effundere; — *adspergere* pro perstringere; ap. Ciceronem ad Div. VI, 6. *leviter adspersus* pro: leviter perstrictus. cf. *Lambin.* — *Praeter eum, qui praebet aquam*, praeter convivatorem; infr. Sat. II, 2, 68. 69. — *neque, sicut simplex Naevius, unctam Convivis praebebit aquam. hunc* (convivatorem) *quoque* sc. adspergere. *condita praecordia*, arcana in pectore condita.

v. 91—93. *nigris*, absentes rodentibus. — *Pastillos Ruf.* cett. cf. supr. ad Sat. I, 2, 27.

De Capitolini furtis iniecta Petillì
Te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos:
Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est, causaque mea permulta rogatus
Fecit; et incolumis laetor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit. — Hic nigrae succus loliginis: haec est
Aerugo mera; quod vitium procul afore chartis,
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte iocosius; hoc mihi iuris
Cum venia dabis: insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem, exemplis vitiorum quaeque notando.

v. 94—99. *De Capitolini furtis Petillì.* Schol. Cruq. *Fingit se loqui cum amico aliquo Petillii Capitolini, qui, cum praeesset Capitolio, unde Capitolinus dictus est, accusatus est, quod coronam Iovis Capitolini rapuisset; quare ipse sublatae coronae causam dixit et absolutus est a iudicibus in gratiam Augusti, cuius amicus erat.* — *defendas, ut t. est mos*, defendas, per me licet, Petillium, ut soles, hunc in modum, vel his verbis: *Me Capitolinus* cett. *causaque mea p. r. fecit*, nos: *und hat mir auf mein Bitten viel zu Gefallen gethan.* — *Sed tamen* cett. en hominem nigrum! postquam veterem Petillii amicitiam eiusque erga se officia laudavit et, quod ille, criminis insimulati absolutus, in urbe vivat, se laetari professus est, idem, qui factum sit, ut Petillius absolveretur, se non satis assequi posse, ait.

v. 96. *amicoque*, particula *que* a sequente in proximo versu vocali absorbetur.

v. 100. *Hic nig.* cett. Qui ita loquuntur et sentiunt, qui alios a crimine aliquo se purgare et ut amicos defendere velle simulant, eosdemque huius ipsius criminis suspectos reddunt, pessimi animi sunt homines. pro *succus* revocavit *Fea* lectionem plurimorum vett. codd. *fucus* i. e. virus. — *loliginis.* Schol. Cruq. *Loligo genus est piscis marini, succum habens nigrum et atramento similem* (*Tintenfisch*).

v. 101—103. *Aerugo* proprie de rubigine in aere (ut *ferrugo* de rubigine in ferro) transfertur ad invidiam et livorem, qui apud Ovidium Amor. I, 15, 1. dicitur *edax*, quia similis est aerugini, quae aes exedit; — *quod vitium — promitto*, quam quidem malevolentiam a scriptis meis atque ab animo meo (*prius*), antequam ille ad scribendum appellitur, longe afore, id ego, si quid unquam aliud vere promittere possum, promitto; *ut si quid* cett. iunge. *si quid, ut aliud* unquam, *vere de me promittere possum*, sed dura et molesta est haec verborum collocatio; lenius sane ex mea sententia flueret oratio, si pro *ut* legeris: *i d*, — *id* ego vere *promitto, si quid aliud* (unquam) *vere de me promittere possum.*

v. 105—106. *insuevit pater* cett. sensus: ego mature didici animum

Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
Nonne vides, Albi ut male vivat filius? utque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret: Sectani dissimilis sis.
Ne sequerer moechas, concessa cum Venere uti
Possem: deprensi non bella est fama Treboni,
Aiebat: sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi; mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum: simulac duraverit aetas
Membra, animumque tuum, nabis sine cortice. Sic me
Formabat puerum dictis; et, sive iubebat,
Ut facerem quid, "Habes auctorem, quo facias hoc,"
Unum ex iudicibus selectis obiiciebat;
Sive vetabat, An hoc inhonestum et inutile factu,
Necne, sit, addubites, flagret rumore malo cum

ad vitia hominum advertere, *optimus pater me insuevit hoc*, (ad hoc me adduxit) ut fugerem vitia, dum quaeque eorum notabat exemplis ante oculos positis. *insuescere* active cum accusativo; Columell. VI, 4. *ea pecus insuescas.* — *notando* non cum *Heindorfio* ad filium (Horatium), sed ad patrem omnino referendum esse, satis docent sequentia, sive ipsa exempla *a patre* proposita.

v. 109—115. *Albi — filius* — filius *Albii* cuiusdam; — *Barrus Sectanus* et *Trebonius* fuerunt malae notae homines, satis tum Romanis noti. *male vivat*, turpes enim libidines misera et turpis vita sequitur. *Barrus* sive *Barus*, de quo Schol. Porph. *Hic Barrus vilissimae libidinis fuit, adeo, ut Aemiliam virginem incestasse dictus sit; certe adulteras sincerissima* (an *insanissima?*) *cupiditate sectabatur*, alibi quoque ab Horatio ut homo nequam et ineptus notatur; cf. Sat. I, 6, 3. et Sat. I, 7, 8. — *Cum deterreret* sc. pater. — *deprensi* sc. in adulterio.

v. 115. sq. *Sapiens*, *vitatu* cett. quid rectius vites aut rectius petas, id allatis rationibus te docebit sapiens; — pro *quidque* legendum omnino videtur *quidve*, nam *vitare* et *petere* sunt opposita; de particulis *que* et *ve* saepius librariorum oscitantia permutatis v. supr. ad v. 75. *Bentl.* ad Epist. I, 8, 5. et *Drakenb.* ad Liv. XXIV, 10. §. 2.

v. 119. *duraverit*, corroboraverit.

v. 120. *nabis sine cortice*, non amplius patris cura et custodia egebis, sicuti illi, qui artem natandi tenent, non amplius egent cortice vel subere, cuius ventri suppositi ope natandi arti opera datur.

v. 121—125. *et, sive iubebat* cett. et, sive ad aliquid faciendum me impellebat, unum ex selectis iudicibus

Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quaecunque ferunt; mediocribus, et queis
Ignoscas, vitiis teneor; fortassis et isthinc
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium: neque enim cum lectulus aut me
Porticus excepit, desum mihi: Rectius hoc est,
Hoc faciens vivam melius; sic dulcis amicis
Occurram; hoc quidam non belle; numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? Haec ego mecum
Compressis agito labris: ubi quid datur oti,
Illudo chartis: hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis,
Multa poetarum veniat manus, auxilio quae

exemplo, quod ego imitarer, mihi proponebat, (*obiiciebat*) dicens: en habes auctorem, quo hoc facias! sive me aliquid facere vetabat, An, dicebat, cum ob idem, quod tu tentas, hic atque ille male audiat, addubites, utrum id honestum an inhonestum, utrum utile an inutile sit? *ex iudicibus selectis.* Schol. Cruq. *proferebat in exemplum virum aliquem illustrem ex senatorio vel equestri ordine, qui aliquando propter aequitatem et iustitiam fuerat selectus in iudices;* de *selectis iudicibus* vid. *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *selectus.* *An hoc* pro: utrum hoc.

v. 126. *avidos* sc. potus et ciborum, qui aegroto nocent; sic. seq. Sat. v. 75. *convivae avidi*, edendi cupiditate flagrantes.

v. 127. *Exanimat*, terrore complet. — *sibi parcere*, valetudinis suae curam habere, non aviditatem edendi vel bibendi explere velle, sed abstinere ab iis, quae valetudini obsunt; infr. Epist. I, 7, 11. *Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet.*

v. 129. *ex hoc ego s. ab illis*, ex hoc inde tempore, quo pater me puerum dictis et exemplis formavit, firmus et validus sum contra illa vitia, sive, integer et tutus sum ab omnibus illis vitiis, quae parant perniciem. *sanus* pro: *sanatus*.

v. 132. *fort. et isth. Larg. abst. l. aet.* fortasse etiam de his mediocribus vitiis aetas longior, ubi iuvenilis fervor et vehementia deferbuit, multum detraxerit; — *liber amicus*, qui libere amicum de eius vitiis monet, eumque ab iis dehortatur.

v. 134. *neque — desum mihi*, neque, cum vel quiesco in lectulo, vel ambulo in porticu, animi mei excolendi immemor sum, imo diligenter eum excutio et tacite mecum: *Rectius hoc* cett. v. 136. *num quid — simile illi*, quod quidam *non belle* h. e. male fecit.

v. 139. *Illudo chartis*, ludendo chartis illino, pro vulgari: chartis mando.

v. 140. *concedere*, veniam dare, ignoscere.

Sit mihi, (nam multo plures sumus) ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

SATIRA V.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico; rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus. Inde Forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum: nimis est gravis Appia tardis.

v. 143. *ac veluti Iudaei cogemus*, poeta carpit Iudaeos, quovis persuasionis genere et quibusvis machinis alios tum temporis in doctrinae et disciplinae suae societatem trahentes; — *in hanc concedere turbam*, huius poetarum agminis socium fieri.

SATIRA V.

Suavissima itineris, quod poeta, comite Heliodoro, rhetore, Brundusium fecit, descriptio. — Schol. Porphyr. *Lucilium hac satyra aemulatus Horatius, iter suum a Roma usque Brundusium describens, quod et ille in tertio libro fecit, primum a Roma Capuam usque, et inde fretum Siciliense.* — Ceterum cum Anxure in huius itineris societatem Maecenas cum Cocceio et Fonteio venerit, Horatius in magni sui patroni gratiam illud iter tam suscepisse, quam in iucundam eius memoriam descripsisse videtur.

v. 1. *Magna*, urbi *magnae* opponitur *parvum* oppidum Aricia, sita trans montem Albanum in via Appia.

v. 2. *modico*, ubi non larga sed modica suppeditatur ciborum copia; hinc infr. Epist. I, 5, 2. *olus coenare modica patella.*

v. 3. *Graecorum* sc. virorum. — *Forum Appi*, oppidum in via Appia, unde per paludes Pontinas ad Feroniae fanum (v. 24.) navigabatur. *Fora* et *conciliabula* fuerunt parva oppida, ubi ius dicebatur et nundinae habebantur. *Sic forum Aurelium* apud Cic. in Catil. I, 9; nos fere: *ein Marktflecken.* de *foris* et *conciliabulis* copiose disputavit *M. Donatus* ad Liv. XL, 19. cf. *Sigon. Ant. Iur. Ital.* II, 15.

v. 4. *nautis.* — *nautae* (nos: *Matrosen*) homines fere sunt rudes, feri, et inculti. — *malignis*, accommodate ad ingenium cauponum, qui ex lucri studio ad se devertentibus *maligne* (h. e. parca et avara manu) dare solent necessaria; hinc supr. Sat. I, 1, 29. *caupo perfidus.*

v. 5. *Hoc iter* cett. hoc iter, quod gnavioribus unius diei iter est, nos tardi et ignavi in duorum dierum iter divisimus; — *alt. praecinct.* qui rem aliquam gnaviter tractare volebant, vestem, ne illa corporis agilitati impedimento esset, altius super femora usque cingulo subnectebant; hinc *gnavi* dicuntur *alte cincti* infr. Sat. II, 8, 10. *puer alte cinctus.* Phaedr. Fab. II, 5, 10. *alticincti atrienses*, ut *discincti*, ignavi.

v. 6. pro *minus est* dedi lectionem a *Fea* ex plurim. Codd. auctoritate in textum receptam: *nimis est;* addit enim Horatius rationem, ex qua unius diei iter in duorum dierum iter diviserint, nimirum quia via Appia *nimis gravis* (molesta) sit *tar*-

Hic ego, propter aquam, quod erat teterrima, ventri
Indico bellum, coenantes haud animo aequo
Exspectans comites. Iam nox inducere terris
Umbras, et coelo diffundere signa parabat:
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere. Huc appelle: trecentos inseris! ohe!
Iam satis est. Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora: mali culices, ranaeque palustres
Avertunt somnos: absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta, atque viator
Certatim: tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Iamque dies aderat, cum nil procedere lintrem
Sentimus: donec cerebrosus prosilit unus,

dis vel *ignavis;* res igitur ipsa τὸ *minus* repudiat.

v. 7. *teterrima*, teterrimi saporis, quia fuit foetida, ut docet *Cruquius;* sic *sapor teter*, qui nauseam creat, apud Lucret. VI, 21. Significantior certe est nostra lectio, quam *deterrima*, cui favet plurimorum Codd. auctoritas apud *Feam.*

v. 8. *ventri bellum indico*, qui ventri cibum potumque denegat, hostiliter quasi contra ventrem exsurgit, eumque infestum sibi reddit; hinc venter ieiunus atque esuriens suaviter dicitur infr. Sat. II, 8, 5. *iratus.* nisi iam intelligenda sint tormina, quae ventri iniectura sit *aqua teterrima.* — *haud animo aequo*, inpatiens morae a coenantibus comitibus interpositae.

v. 9. *Iam nox* cett. versus elegantissimi, ut infr. v. 73. 74. cf. supr. ad Sat. I. v. 113 seq.

v. 10. *diffundere signa*, sic *Nox coelum astris spargere* dicitur apud Ovid. Met. XI, 309.

v. 11. *Tum pueri* cett. sensus et nexus: Tum servi nostri et nautae conviciis invicem se petere incipiunt; unus servorum clamat: huc navem appelle; et cum, nave appulsa, ingentem hominum numerum in eam descendere videt, iterum clamat: Ohe! desine plures inserere; iam satis est! *trecenti*, ut *sexcenti*, numerus rotundus de magna copia.

v. 13. *aes*, intellige naulum. — *dum mula ligatur*, dum mula in ripa navi ad eam per illum canalem trahendam alligatur.

v. 14—21. *culices mali*, petitos male vexantes, infesti praecipue iter facientibus. — *absent. ut cant. amic.* cett. dum simul et nauta in nave et (*viator*) mulae agitator in ripa, cum uterque largis vini corrupti et insipidi haustibus incaluisset, canendo suum quisque amorem erga absentem puellam exprimit. *ut* pro: dum; exempla vide apud *Bentleium.* — *prolutus*, madefactus, madidus, uvidus, (βεβρεγμένος) Sat. II, 4, 26. *praecordia leni mulso proluere*, h. e. mulsum bibere; — Persius Prolog. I. *labra fronte Caballino proluere*, e fonte Caballino labra ma-

Ac mulae, nautaeque caput, lumbosque saligno
Fuste dolat: quarta vix demum exponimur hora.
Ora, manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus, atque
Cocceius: missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hìc oculis ego nigra meis collyria lippus

defacere h. e. bibere; Virgil. Aen. I, 739. *pleno auro se proluere*, poculum aureum vini plenum exhaurire; et sic fere *lavere.* supr. Od. III, 12, 1. *dulci vino mala lavere.*

v. 21. *cerebrosus*, fervidioris ingenii homo, qui subito ira exardescit, irritabilis.

v. 22. *nautaeque*, qui pariter ac viator ad dormiendum se composuerat.

v. 23. *dolat* pro: percutit, caedit. *Fuste lumbos dolare*, iocosa apud Romanos in vita communi fuisse videtur locutio, uti nos ad alias ab aliis operibus ductas imagines in vernacula dicere solemus: *einen durchdreschen*, *durchgerben*, *ausgerben*, *auswalken*, *zerwalken* cett. pro: *durchprügeln.*

v. 24. *Feronia*, prisca apud Italos dea, quae modo *Nympha* (ob fontem, cui praesidebat), modo coniux Iovis Anxuri (Virg. Aen. VII, 799.) appellatur. Templum eam tria millia passuum ab Anxure sive Tarracina habuisse, ex hoc loco discimus. — *lavimus* a *lavere.* — *repimus.* — *Schol. Porphyr. quia illis temporibus adhuc urbs Tarraconensis in altissimo monte erat.* — *repere* dicuntur, qui ad altiora loca incurvato corpore enituntur.

v. 26. *saxis candentibus*, candidum fere nitorem e longinquo ostendentibus; sic fere *Cyclades nitentes* supr. Od. I, 14, 19. sed Schol. Porphyr. *saxa candentia* stulte explicat: calci coquendae aptissima.

v. 29. *aversos — amicos*, ubi alter ab altero, facto discidio, avertitur; intellige Augustum et Antonium; *Schol. Cruq. Ab Antonio missus fuerat Fonteius Capito legatus; ab Augusto Maecenas, intercedente Cocceio Nerva, proavo Nervae imperatoris, qui et Augusto et Antonio gratus erat, cum Agrippa; ea autem conditione convenerant legati, ut de summa rerum tractarent, exortamque dissensionem inter duos hos imperatores componerent, quod et fecerunt, et utrumque exercitum iuxta Brundusium in una castra cum magna laetitia coegerunt, ut refert* Liv. Lib. CXXVII.

v. 30. *lippus*, quod iam Horatius, se Anxure ut hominem lippum oculis suis collyria illevisse, narrat, id ipse profecto ad iucunditatem descripti itineris referre non poterat. Scilicet Horatius, qui fortasse laboraverat aliquando lippitudine, ab adversariis, ut supra observavimus ad Sat. I, 1, 120. contemtim *poeta lippus* ipse appellatus fuisse videtur. Ad hos igitur de hoc inepto convicii genere ridendos data opera nonnunquam Horatium lippitudinis sibi exprobratae mentionem fecisse, haud

Illinere. Interea Maecenas advenit, atque
Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antonî, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Lusco Praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam, et latum clavum, prunaeque batillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Muraena praebente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessae, Virgiliusque

improbabile est. Sic iterum Hor. in hac Sat. infr. v. 49. se *lippum* inducit. Certe Horatius, cum hoc carmen scriberet, (viginti septem scilicet annos natus, ut docet supra ad Sat. I, 120. *Heindorfius*) nondum in ea aetate constitutus fuit, ubi *continuo lippire* solent homines.

v. 32. *ad unguem factus homo*, diligentissime expolitus. Translata est haec locutio a statuariis, qui, quidquid in opere asperi digitorum vel unguium sensu animadvertunt, laevigant et expoliunt. Cfr. infra Epist. ad Pisones 1, 294. et ibi *Fea.*

v. 34—36. *Fundos*, parvum in via Appia *municipium*, sive secundum Festum *praefecturam*, Tarracinam inter et Formias sitam, cui praeerat nunc, a praetore urbano, ut videtur, eo missus, vanus quidam homo, Aufidius Luscus, scriba, (magistratuum in rebus litteris mandandis administer) qui, quasi ipse esset praetor, externis insignibus, praetexta, lato clavo, ac prunae batillo, praetoris dignitatem ridicule prae se ferre et adsimulare studebat. Hinc Horatius, quasi eius iter ad res insignes sub adsimulata Aufidii Lusci praetura gestas pertinuerit, salse et iocose: *Aufidio Lusco Praetore Fundos linquimus.* De *scribis Quaestoriis*, *Aediliciis*, *Praetoriis* cett. in decurias descriptis vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *scriba.* — *praemia* externa dignitatis praetoriae ornamenta.

v. 36. *latum clavum* gestabant senatores, unde illi *laticlavii*, *angustum* equites, unde illi *angusticlavii.* Notus est *Rubenii* peculiaris de *lato clavo* libellus. — *prunaeque bat.* — *batillum* vel *batillus* fuisse videtur foculus, qui prunis ardentibus ad suffimenta adolenda impletus, magistratui in re solenni peragenda praeferretur. vid. *Eschenburgii Dissertt. Acad.* p. 519—550. *de igne Augusto praelato.*

v. 37. *In Mamurrarum urbe*, Formiis, *Schol. Cruq.: Mamurra senator fuit Romanus, qui maximam partem civitatis Formianae possidebat, unde dicta est Mamurrana civitas, vel quod familia Mamurrarum illinc fuerit oriunda.*

v. 38. *Muraena*, Terentiae, Maecenatis uxoris, fratre. — *praeb. domum*, ubi pernoctaremus. supr. Od. III, 19, 7. *Quo praebente domum* sc. ad compotationem. — *Capitone culinam*, instruxerat igitur se Capito iis, unde viveret cum comitibus, ubi esset in hoc itinere cibi potusque penuria.

v. 40—44. *Plot. et Var.* Plotinus et Varius una cum Virgilio ex composito, ut videtur, Sinuessae (oppido

Occurrunt; animae, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
O qui complexus! et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim iucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quae villula, tectum
Praebuit, et, parochi quae debent, ligna salemque.
Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas, dormitum ego, Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa,
Quae super est Caudì cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messîque Cicirri,

in Campaniae finibus) Horatium atque Maecenatem convenerunt; fuerunt illi poetae tum temporis illustrissimi, quos non Horatius tantum et Virgilius, sed etiam Maecenas magni faciebat; hinc infra quoque Sat. X, 81. ut arctius inter se iuncti producuntur *Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque;* de *Vario* cf. supra ad Od. I, 6, 1. *animae*, sic supr. Od. II, 17, 5. mollius Maecenatem *animae suae partem*, et Virgilium Od. I, 3, 8. *animae suae dimidium* appellat. — *queis me sit devinct. alter*, quibus alius magis, quam ego, devinctus et obstrictus sit. — *sanus*, dum sana sum mente, dum sentio et iudico, ut sanae mentis homo; in sequent. Sat. v. 99. *Nil me poeniteat sanum patris huius.*

v. 45—49. *Campano ponti*, intellige pontem trans fluvium Savonem ad viam Appiam. — *parochi* — *parochus* (πάροχος), qui legatis et aliis iter facientibus necessaria (nominatim salem, lignum, foenum), publico sumtu *praebenda* suscepit vel redemit. Idem latine a *praebere* (παρέχειν) apud Ciceronem Offic. I, 15. dicitur *praebitor*; et hinc infr. Sat. II, 8, 36. *convivator* quoque, qui *praebet*, dicitur *parochus*. — *Hinc muli* cett. suaviter pro vulgari: ab illa inde villa (*tempore*) tempestive Capuae advenimus; sub adventum enim in locum, ubi iter facientes commorari vel pernoctare volunt, *mulus clitellas ponit*, h. e. clitellae mulo impositae tolluntur. — *Lusum* sc. pila, trigone; apud Romanos enim nobilissimi quique, praecipue post coenam, pila ludere solebant. — *Namque pila* cett. namque pila ludere sive pilae ludus, nocet lippis et *crudis* h. e. cruditate laborantibus, iis, qui cibos concoquere nequeunt.

v. 50. *plenissima*, scil. rerum et copiarum, quae rure vel in villis accumulantur.

v. 51. *Quae sup. est Caudí cauponas*, quae sita est trans cauponas ad Caudium, Samnii oppidum, in via Appia, inter Capuam et Beneventum, ignominiosa Romanorum clade satis notum.

v. 52. *pugnam*, certamen, quo alter alterum ridicule dictis vel conviciis petit. — *Messíque* — *Messius* cognominatus fuit *Cicirrus*, κίκιῤῥος, latine gallus, sive quod magno fer-

Musa, velim memores; et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messî clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat. Ab his maioribus orti
Ad pugnam venere: prior Sarmentus: Equi te
Esse feri similem dico. Ridemus: et ipse
Messius, Accipio; caput et movet: O, tua cornu
Ni foret exsecto frons (inquit) quid faceres, cum
Sic mutilus miniteris? At illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat;
Nil illi larva aut Tragicis opus esse cothurnis.

vore multaque pertinacia galli more *pugnabat* contra adversarium, sive quod vox eius altior cum galli cantu comparabatur.

v. 53. *Musa, velim memores*, lepide Horatius in rei ridiculae narratione tanquam poeta epicus Musam in partes vocat, eamque duorum scurrarum, sicut virorum apud Homerum, patriam et originem memorare iubet. — *Osci*, Campani.

v. 55. *Sarm. dom. exst.*, vivebat adhuc domina, cuius servus fuerat Sarmentus; nunc erat is in comitatu Maecenatis, qui scurrilibus eius iocis admodum delectatus fuisse videtur. vid. Plutarch. in Vit. Anton. et Iuvenal. V, 3. Erat autem apud Romanos hic mos, ut ditiores et nobiliores admitterent et mensae adhiberent scurras, quorum ridicule dictis inter coenam inprimis delectarentur.

v. 56. *Equi te fer. s. dico*, sine dubio, quia Messius vastioris corporis homo fuit, simulque ferocior; hinc Sarmentus Messium sine larva et cothurnis *Cyclopa* saltare iubet, et hinc Messius ex opposito v. 69. Sarmenti corpus *gracile* et *pusillum* carpit. Apud Virgil. Aen. II, 51. *equus* simpliciter dicitur *ferus*.

v. 58—60. *accipio*, ita est, concedo. *caput et movet*, et equi instar caput concutit; terret autem strepitus, quem equi concusso capite subito faciunt; tum pergit Sarmentus: cum tu sic mutilus (sine cornu) iam terreas, o, quid faceres, si tibi in fronte non exsectum esset cornu? vel: ni tua frons esset sine cornu? elegantius enim *exsecto cornu* pro vulgari: sine cornu; — sic ego hunc locum intelligo.

v. 60. *at illi* cett. nam foeda verruca, cuius exsectae vestigia exstabant, hispidam (*illi*) illius frontem a laeva parte turpiter deformaverat; — *at*, insolentius iam pro: namque, scilicet, nimirum.

v. 62—64. *Campanum in morbum*. Schol. Cruq. *hoc enim quasi a natura Campanis fere omnibus inest, ut capitis temporibus magnae verrucae innascantur in modum cornuum, quas cum incidi faciunt, cicatrices in fronte manent, quasi notae exsectorum cornuum. In hunc ergo morbum, id est, faciei vitium, iocatur Sarmentus.* vid. *Platneri Dissert. de morbo Campano.* 1780. *in faciem* sc. foede turpatam. — *Pastorem Cyclopa*, nempe Polyphemum, *saltaret*, (ὀρχήσαιτο) saltando exprimeret; saltatio autem

Multa Cicirrus ad haec, donasset iamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat? scriba quod esset,
Deterius nihilo dominae ius esse. Rogabat
Denique, cur unquam fugisset; cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo?
Prorsus iucunde coenam produximus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum; ubi sedulus hospes
Paene, macros, arsit, dum turdos versat in igne:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos coenam servosque timentes
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.

illa pantomimica, quae *Cyclops* vocabatur, expressisse videtur ridiculas, quas vastioris corporis Polyphemus apud Galateam fecit, delicias. infr. Epist. II, 2, 125. *Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.* — *larva*, scilicet qui iam per se foedum vultum ostendit, ei non opus est foedioris vultus larva; et qui iam per se grandioris corporis mole eminet, is non eget cothurnis.

v. 65. *donass. i. cat. Ex vot. Lar.* — Schol. Cruq. *Vrbanius haec dicta sunt in Sarmentum, qui servilibus erat natalibus, sumta translatione a generosis pueris, qui, egressi annos pueritiae, iam sumta toga, Diis penatibus* (Schol. Porphyr. *Laribus*) *bullas suas consecrabant, et puellae pupas. Ad hunc modum ridendo interrogat Sarmentum, catenamne suam et compedes Diis suspendisset, quibus ipse servus fuisset concatenatus?*

v. 66. *scriba quod esset, deterius nihilo* cett. quod scriba nunc esset, (apud Maecenatem, ut videtur) id ne minimum quidem de iure, quod domina adhuc viva in eum habeat, deterere. Pro vulgari lectione: *Nilo* vel *Nihilo deterius* dedi cum *Fea* plurium codd. auctoritate: *Deterius nihilo.*

v. 70. *coenam produximus*, peregimus, transegimus; ut *noctem vino producere* apud Martial. II, 89, 1. cf. supr. Od. III, 21, 23.

v. 71. *Beneventum*, oppidum in Samnitum et Hirpinorum finibus.

v. 72 *ubi sedul. hosp. Paene mac.* cett. iunge: *ubi sedulus hospes, dum macros turdos in igne versat, paene arsit*, paene igne combustus est.

v. 73–74. *Nam vaga* cett. versus elegantissimi. cf. supr. ad Sat. I, 1, 114. — *lambere* pro vulgari: *contingere.*

v. 75–76. *avidos* sc. edendi, ut praecedent. Sat. 126. — *timentes*, nam servi, cum cibos clam surripiunt, timent sibi a domino; vel puta, servos timuisse, ne ignis absumeret turdos, quorum residuas particulas in stomachum suum descensuras esse speraverant. — *rapere*, raptim auferre. — *videres*, (ἴδοις ἄν.) videre licebat; nos: *da konnte man sehen.* infr. Sat. I, 8, 34. *serpentes atque videres Infernas errare canes, lunamque rubentem.* ibidem v. 50. *Saganae caliendrum Excidere — cum magno risuque iocoque videres.* Virg. Eclog. VI, 27. *Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere.* — *restinguere* sc. ignem.

Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus, et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset lacrymoso non sine fumo,
Vdos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto: somnus tamen aufert
Intentum Veneri; tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum.
Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est: venit vilissima rerum
Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat humeris portare viator;
Nam Canusî lapidosus, aquae non ditior urna,
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.

v. 77—85. *ex illo*, e Benevento inde. — *notos*, patrios scilicet Horatio. — *Atabulus*, de hoc vento (qui nunc dicitur *Sirocco*) laudant Senec. Quaest. Nat. V, 17. *Atabulus Appuliam infestat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Cataegis, Galliam Circius.* cf. Plin. H. N. XVII, 36, 8. — *erepsemus*, (pro: erepsissemus) rependo et enitendo superavissemus. — *Trivici* Schol. Acr. *oppidi in fine Campaniae, quo vehicula iuncta accedere nequeunt; ergo Horatius ad villam divertit.* — *lacrymoso*, a vi, quam fumus in oculos habet. — *aufert int. Ven.*, suaviter somnus eum, quem occupat, ab iis, quae eius animum turbant et cruciant, *auferre* h. e. removere, solvere et liberare dicitur.

v. 86—92. *rapimur*, rapido cursu avehimur. — *oppid. quod v. dic. non est*, quod non versu quidem, quia eius nomen versus metrum respuit, sed facile *signis* externis (rebus huic oppido peculiaribus) designari potest, aquae scilicet penuria, et panis, qui ibi coquitur, praestantia. Intelligitur autem *Equotutium* (alias *Equus Tuticus*) nunc *Scotuccio.* — *venit*, aqua ob eius ibi raritatem non nisi oblato pretio datur, h. e. venditur. — *ultra*, ulterius inde. — *callidus*, providus futuri, *portare* sc. Canusium; *Nam Canusî lapidosus* sc. panis est; (fortasse, quia frumentum in locis lapidosis et arenosis non satis purgari potest ab immixta glarea.) *aquae non ditior urna*, urna vero, qua aqua hauritur, non (*ditior*) plenior ibi est aquae, h. e. eadem Canusii, quae Equotutii, aquae est penuria; *Qui locus*, Canusium; sed recte de huius ultimi versus integritate dubitat *Bentleius*, et quidem ex duabus praecipue rationibus; primum, quia ineptum et putidum fuerit Geographorum more conditorem Canusii hic commemorare; deinde, quod locutio: *condere locum* repugnet plane loquendi usui. Posterior certe ratio est gravissima.

Flentibus hic Varius discedit moestus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior; via peior ad usque
Bari moenia piscosi: dehinc Gnatia lymphis
Iratis exstructa dedit risusque iocosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit: credat Iudaeus Apella,
Non ego: namque deos didici securum agere aevum;
Nec, si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto coeli demittere tecto.
Brundusium longae finis chartaeque viaeque.

SATIRA VI.

Non, quia, Maecenas, Lydorum quicquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te,

v. 94. *Rubos*, nunc *Ruvo. longum — iter;* Rubi enim a Canusio Brundusium versus viginti tria milliaria, secundum Antonin. Itiner. p. 116. distabant.

v. 97. *Bari moen.* — *Barium*, oppidum in Appulia Peucetia maritimum, piscium capturae et mercaturae opportunum. *Gnatia* sive *Egnatia*, oppidum maritimum (nunc *Monopoli*); *lymphis iratis exstr.* (Schol. Cruq.) *vel quia eget aquis, vel quod eas salsas habet et amaras, vel quod in pede montis sita est; ei idcirco videntur aquae irasci, cum torrentes de montibus impetu magno decurrentes saepe magnas urbis partes diruunt.*

v. 99. *Dum flamma sine* cett. Rem illustrat Plinius H. N. II, 111. *In Salentino oppido Egnatia imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam existere* (*reperitur apud auctores*). cf. de hac re Horatio incredibili *Salmas. ad Solin.* c. 5.

v. 100. *Iudaeus Apella*, notus quidam tum temporis Iudaeus, homo superstitiosus, cui nomen fuit *Apella*.

v. 101. *namque deos didici* cett. nam Epicurus docuit, Deos, imperturbati otii amantes, res humanas non curare, cf. Lucret. VI, 57.

v. 103. *tristes*, eiusmodi rerum cura turbatos quasi in otii securitate.

v. 104. *Brundus. long.* cett. cum fine longioris itineris, Brundusium facti, finiatur quoque hoc ipsum carmen paulo longius.

SATIRA VI.

Horatius, postquam exposuit, quid illud fuerit, quo gratiam Maecenatis sibi comparaverit, veram laudem non a nobili loco, quo quis natus sit, sed a virtute repetendam esse ostendit.

v. 1—8. *Non quia* cett. Sensus: Quamvis, Maecenas, omnium Etruscorum tu es generosissimus, et pro origine tua ex gente Cilnia nobilissimus, tamen, dum nihil referre exi-

Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis regionibus imperitarent,
Vt plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum;
Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus; persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tullî atque ignobile regnum,
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos:
Contra, Laevinum, Valerî genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
Non unquam pretio pluris licuisse, notante
Iudice, quo nosti, populo: qui stultus honores
Saepe dat indignis, et famae servit ineptus;
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet

stimas, quali patre aliquis natus sit, modo, ut decet ingenuos, liberaliter sentiat, neutiquam ex more nobilium ignobiles, ut me, qui libertino patre natus sum, alto supercilio despicis. — *Lydor. quicq. Etr. Inc. fin. nemo*, nullus omnium, qui ex Lydia migrarunt in Etruriam; pro vulgari: nullus omnium Etruscorum; sequitur autem Horatius eos, qui veteres Etruriae colonos Lydos fuisse tradunt; vid. Herodot. I, 94. Dionys. Hal. I, 27. — Pro *legionibus* dedi cum *Fea* ex coniectura *Wakefieldii: regionibus;* quamvis enim, per *legiones* designari posse *exercitus*, facile concedimus, tamen, quomodo Horatius Maecenatis maiores *magnis* exercitibus praefuisse dicere potuerit, doceri nequit. At Lucumones, sive duces Etruriae, inter quos Maecenatis atavi fuisse traduntur, (cf. supr. ad Od. I, 1, 1.) haud praeter rem ab Horatio *magnis regionibus imperitasse* dici poterant. Sunt tamen, qui vulgatam lectionem tueantur. Ceterum ante oculos habuit Horatius Lucret. III, 1041. *Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarent.* — *naso suspendis adunco*, qui cum amaro risu nasum aduncum reddunt, sive nasum distorquent, animi acerbitatem exprimunt; *suspendere* igitur aliquem *naso adunco* lepide dictum est pro vulgari: ridere aliquem cum amaritudine; nos: *über einen die Nase rümpfen;* sic infr. Epist. I, 19, 45. *naribus* (sc. aduncis) *uti formido*, pro: non audeo indulgere irrisioni. — *ignotos*, ignobiles, ut vs. 24. — *ingenuus*, liberaliter excultus.

v. 8—11. *Persuades hoc tibi vere* cett. iam ante Tullium, qui ignobili loco natus rex factus est, multos saepe, pariter ignobiles, et virtutibus excelluisse, et summis honoribus ornatos esse, de hac re (*hoc*) nullo modo dubitabis. — *ignobile*, quod tenet vir ignobilis. — *nullis* maioribus ortos, ignobiles, ut *Servius Tullius* apud Liv. IV, 3. *nullo patre natus* esse dicitur; et sic apud Graecos *ignobili patre natus* dicitur ἀπάτωρ.

v. 12—17. *contra Laevinum*, vulgarem sententiam: „at tu idem pro-

Nos facere, a volgo longe lateque remotos?
Namque esto: populus Laevino mallet honorem
Quam Decio mandare novo: Censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus;
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos Gloria curru

be scis, e gente nobili prognatos, nisi virtute se commendarent, in nullo plane fuisse pretio" poeta, allato Laevini exemplo, expressit sic: At nec te latet, (hoc fere pro *persuades hoc tibi vere* repetendum est) Laevinum, repetentem originem suam e gente nobilissima Valerii, a quo (*unde*) Tarquinius Superbus regno pulsus fuit, nunquam pluris quam unius assis (h. e. minimi) aestimatum esse, (*licuisse*) ipso populo iudicante, qui tamen saepe, ut scis, indignis, ob solam eorum famam vel nobilitatem, stulte honores deferre solet. — Itaque, cum ne populus quidem aliquid tribuerit Laevini nobilitati, eum hominem indignum plane amplis honoribus fuisse, facile apparet. Hinc Schol. Porphyr. de Laevino: „*Hic P. Valerius Laevinus adeo foedis ac proiectis in omnem turpitudinem moribus vixit, ut provehi non potuerit ultra quaesturae dignitatem.* — *quo nosti*, quem, qualis iudex sit, nosti; hanc Graecam constructionem *quo* pro *quem* (ὥς γε κριτῆ τῷ δήμῳ ῷ σύγ' οἶσθα) exemplis illustravit *Heind.* vel explica: *quo?* (quali?) *nosti*, (id te non fugit). — *Qui stupet in titulis et imag.* pro vulgari: apud quem sola valet hominum nobilitas; — *nobilitatem* scilicet cuiusque designabant et confirmabant *maiorum imagines*, quae, adiecta rerum a maioribus gestarum memoria, (*adiectis titulis*) cera effictae conspiciebantur in atrio.

v. 17—23. *Quid oportet nos facere* cett. Sensus: Quodsi vero vulgus nobilitati hominis, qualis est Laevinus, parum tribuit, quid nos, qui longe rectius vulgo sentire videmur, de nobilitate hominis, qualis est Laevinus, iudicare debemus? Namque fingamus, populum malle Laevino, quam Decio, homini novo, honorem demandare, vel severum censorem Appium me ideo, quia non essem patre ingenuo natus, senatu movere; quidnam iudicandum esset? equidem iudicarem, id vel merito factum esse, quoniam noluissem in sorte mea et vitae meae conditione acquiescere; verum enimvero (*sed*) sic est hominum ingenium, ignobiles aeque ac nobiles sunt gloriae appetentissimi. — *nos*, sc. me et alios, qui ultra vulgus sapiunt. — *Decio*, intelligendus est *P. Decius Mus*, (Liv. VIII, 9.) qui, ut Cicero ‚homo fuit *novus*, h. e. primus, qui e familia sua ad magistratum perveniret. — *Appius*, intelligendus est *Appius Claudius Pulcher*, qui summa severitate censuram gessisse dicitur. Cic. de Divin. I, 16. — *si*, ideo, quod. — *in propr. pell.* per *pellem propriam* intellige sortem cuique propriam, sortem, in qua quis natus est. *Erasmus* hanc proverbialem locutionem repetit a fabula Aesopi de asino Cumano, qui eonina pelle indutus leo haberi voluit. — *constrictos*, nam Gloria vinculis quasi constringit sibi deditos; pro vulgari: captos splendore gloriae; infr. Epist. II, 1, 177. *currus Gloriae* dicitur

Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tulli,
Sumere depositum clavum, fierique tribuno?
Invidia accrevit, privato quae minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum;
Audit continuo: Quis homo hic, aut quo patre natus?
Vt, si qui aegrotet, quo morbo Barrus, haberi
Et cupiat formosus, eat quacumque, puellis
Iniiciat curam quaerendi singula: quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic, qui promittit, cives, urbem sibi curae,
Imperium fore, et Italiam, et delubra Deorum;
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quaerere cogit.
Tune Syri, Damae, aut Dionysî filius, audes
Deiicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?

ventosus, h. e. vano splendore fulgens. *ignotus* pro: ignobilis, passim apud Horatium.

v. 24—29. *Quo tibi*, cuinam commodo tibi fuit, quid tibi profuit; infr. Epist. I, 5, 12. *Quo mihi, fortuna si non conceditur uti? Tulli* (*Tilli Bentl. Fea*) Schol. Cruq. *Tullius hic senatu motus est a Caesare quasi Pompeianus: occiso vero Caesare recepit iterum latum clavum h. e. senatoriam dignitatem* (insigne senatorum), *et tribunus militum factus est.* — *sumere* sc. de integro. *depositum*, senatu enim motus deponere debebat insigne senatorum, *latum clavum*, (limbum purpureum vestis oram ambientem) cf. ad Sat. I, 5, 36. *tribuno* graece pro: tribunum; cf. supra ad Sat. I, 1, 19. erat autem penes tribunos quoque *ius lati clavi*. Cic. pro Cluent. c. 54.

v. 27. *ut*, postquam, simulac. — *insanus*, qui stulte sibi placet in externis insignibus, homo vanus; hinc infr. Sat. II, 2, 5. *fulgores*, quibus exsplendescere student beatiores, dicuntur *insani*. — *nigris pellibus*, ad insignia nobiliorum et senatorum pertinebant quoque nigri coloris corrigiae, quibus inter se impeditis cruri adstringebantur calcei.

v. 30—35. *ut*, *si* cett. Sensus: Quemadmodum, si quis eodem, quo Barrus vitio laboret, h. e. formosus haberi cupiat, curam puellis, quacunque eat, iniiciat quaerendi singula: quali sit facie cett., sic is, qui summis honoribus ornatus rerum publicarum defensorem vel rerum divinarum curatorem se profitetur, unumquemque de sua origine, utrum nobilis an ignobilis sit, quaerere cogit. — de *Barro* cf. supr. ad Sat. I, 4, 110. — *haberi et cup. formosus*, vitii, quod Barro tribuitur, genus iam designatur: cupiebat scilicet formosus haberi; est igitur iam *et* particula explicativa: scilicet. — *imperium*, imperii securitatem.

v. 38—41. *Tune Syri*, poeta fingit, unum ex populo alloqui tribunum plebis aliquem, qui humili loco

At Novius collega gradu post me sedet uno;
Namque est ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paullus
Et Messala videris? at hic, si plostra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit,
Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum:
Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est: quia non, ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
Praesertim cautum dignos adsumere, prava

natus tribuniciam potestatem maleficos e saxo Tarpeio deiiciendo aut carnifici tradendo exercere poterat; *Syrus*, *Dama*, *Dionysius*, sunt vulgaria nomina servorum; *deiicere e saxo* Schol. Cruq. *nam tribuni plebis damnatos de saxo Capitolino* (vel Tarpeio) *praecipitari iubebant*, *aut carnifici tradi*; — *Cadmo* Schol. Acr. *Cadmus dicitur eo tempore fuisse carnifex notae crudelitatis.* — *At Novius* cett. respondet tribunus: Atqui ego non unus sum, qui ex humili loco ad tribunatum adscendi, imo Novius ne ingenuus quidem, ut ego, sed idem, quod pater meus, libertinus est; itaque non ingenuus.

v. 41. *Hoc tibi Paullus et Messala videris*, num ideo, quod tibi ignobili tribunatus contigit, vel quod collega tuus te minus adeo est ingenuus, videris tibi esse similis Paulo et Messalae, e nobilissimis gentibus prognatis. — *hoc*, ob hoc, ideo, ut paulo post v. 52 et v. 87. cf. supra ad Sat. I, 1, 46.

v. 42—43. *At hic* cett. At hic, licet non insignis sit nobilitate, vocis tamen omnia vincentis gravitate placet; pro vulgari: at hic insignis in concionibus est concionator. *que foro tria* pro: *triaque foro*, ut versu seq. *que tubas* pro: *tubasque*; de particulis, *que*, *et*, *ve*, *ne*, e loco suo in alium transpositis, exempla vide apud *Heindorfium*. — *funera*, in celebribus enim funeribus, forum transeuntibus, cornuum tubarumque clangore aura personuit. — *magna sonabit*, sic apud Virgil. Aen. IX, 125. amnis *rauca sonare* dicitur; et sic *magna loqui* apud eundem. — *quod* sc. sonare; — *tenet nos*, nos delectat.

v. 44—47. *Nunc ad me redeo* cett. Sed iam ad me, pariter humili loco, libertino scilicet patre natum, redeo, quem, quia mihi, libertino tantum patre nato, tecum, Maecenas, in quotidiana societate vivere licet, hoc ipso tempore omnes *rodunt*, (carpunt. vid. supr. ad Sat. I, 4, 81.) at olim me carpebant, quod ego, libertino patre natus, tribunus (*Bruto militiae duce* supr. Od. II, 7.) legioni Romanae praeessem — pro *sum tibi* rectius fortasse (ob sequens *pareret*) in pluribus codd. apud *Feam*: *sim tibi*.

v. 48—51. *Dissimile hoc illi est*, sed *hoc*, quod factus sum tribunus, dissimile est *illi*, quod sum tibi con-

Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possunt, casu quod te sortitus amicum:
Nulla etenim tibi me fors obtulit; optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere, quid essem.
Vt veni coram, singultim pauca locutus,
(Infans namque pudor prohibebat plura profari)
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro: respondes (ut tuus est mos)
Pauca: abeo: et revocas nono post mense, iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta; (velut si
Egregio inspersos reprendas corpore naevos)
Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra
Obiiciet vere quisquam mihi; purus et insons,
(Vt me collaudem) si et vivo carus amicis;
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavî ludum me mittere; magni

victor, quia, ut quivis iure forsitan mihi honorem, ita neutiquam te mihi amicum invideat, praesertim, cum diligenter caveas, ne alium, nisi amicitia tua dignum et a prava ambitione h. e. adulatione alienum, assumas. Amicitia scilicet sola virtute apud Maecenatem comparari potest. Rectius autem invidemus iis, quibus solo fortunae favore aliquid obtingit, quam iis, qui felicitatem suam virtuti et meritis suis debent. *forsit*, vox Lucretiana pro: forsitan. — *dignos*, scil. amicitia; nam quoties *dignus* absolute ponitur, toties res, qua quis dignus est, ex serie orationis supplenda est.

v. 52—55. *non hoc*, non ideo; cf. ad vers. 41. — v. 52. *tibi me* *Bentl.* vetus lectio *mihi te* — *post hunc Varius*, de *Vario* cf. supr. ad Od. I, 6, 1. *quid essem*, qualis essem; sic vers. 60. *quod eram.* nos: *was an mir wäre.*

v. 56—64. Suaviter *pudor* dicitur *infans*, quia pudibundi pauca fari solent. — *rura*, fundos, agros. *Satureiano — caballo*, Schol. Porphyr. *Satureiani nomine fundi in Appulia illis temporibus fuisse dicuntur satis ampli ac nobiles, per quos Appulum equum significat. Appulum autem equum utique pro optimo accipere debemus.* — *Quod placui tibi* cett. quod ego tibi, qui, quod honestum est, secernis ab eo, quod est turpe, non propter stirpis nobilitatem, sed propter vitae animique puritatem placui.

v. 65—75. *Atqui si* cett. iunge: *Atqui* (iam vero) *si mea natura me-*

Quo pueri, magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto
Ibant octonis referentes Idibus aera;
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentes,
In magno ut populo, si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumtus mihi crederet illos.

diocribus et paucis vitiis est mendosa — *sordes*, sordidam tenacitatem; hinc turpiter avari dicuntur homines *sordidi*. — *aut mala lustra*, intellige loca latebrosa, ut loquitur Plautus Bacch. III, 3, 20. i. e. lupanaria; — *tenebrae lustrorum* apud Cic. p. Sext. c. 9. — *purus et insons* cett. iunge: *si purus et insons* (*ut me collaudem*) *et carus amicis vivo*. — *causa fuit pater his*, iis, quae de me laudo, pater auctor extitit; *macro pauper agello*, possessor exigui fundi opponitur latifundiorum possessoribus. — *in Flavi ludum*, fuit igitur Flavius ludimagister Venusinus, qui pueros in subducendis calculis exerceret. *magni pueri* — *magnis e centur.* lepide et salse Horatius centuriones cum filiis suis *magnos* vocat, quamvis magni illi viri filios suos vulgaris tantum ludimagistri disciplinae tradebant; at Horatii pater, *macro pauper agello*, filium suum, Romam deductum, in altioribus doctrinae studiis erudiendum curabat. — *Laev. susp. locul. tab. lacerto*, tabulam et loculos laevo lacerto suspensos portantes; *suspensi*, (graeca constructio, ἐξηρτημένοι τὸν ἄβακα) qui sibi suspenderunt *loculos*, in quibus calculi, et alia, quibus opus erat in ludis vulgaribus, portabantur; *tabulam*, (*Schol. Cruq.*) *in qua et characteres arithmeticos notabant, et calculos ordinare discebant*. — *referentes aera*, explicant aera de subducta a pueris in *exemplo arithmetico* ratione usurarum, idibus cuiusque mensis a debitoribus solvendarum; sed rectius fortasse *Scholiastes Cruq.* et *Gesnerus* accipiunt *aera* de didactro, quod idibus cuiusque mensis ludimagistro solvere debebant pueri; cuius quidem rei mentione facta poeta designasse videtur morem, qui locum tantummodo habebat apud ludos vulgares vel minores; — *octonis*, epitheton ornans; inter *nonas* enim et *idus* octo dies sunt.

v. 76—80. *est ausus*, non facile enim alius, in re tenui constitutus, rem tam sumtuosam suscipere ausus esset. — *portare*, deportare, deducere; — *artes*, intellige graecas literas, et alia, in quibus doctrina censetur. — *doceat*, docendas curet. *in magno ut populo*, *Heindorfius* explicat: *in so fern dies in dem grossen Volke möglich ist, wo man sich trotz guter Kleidung und einem Gefolge von Sclaven doch unter der Menge verliert, dass man von Wenigen beachtet wird.* — Ego accipio *ut* pro: utut, quamvis in frequente civitate, ubi alias homines parum curant aliorum vestem et pedissequos; sic *ut* pro: quamvis, in noto illo loco Ovidii Epist. ex Ponto I, 4, 79. *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.* Nisi quis *In magno ut populo*, simpliciter explicare malit: sicuti fieri solet, vel ut mos fert in magno populo vel in urbe frequentissima. — *avita ex re*, Horatio, libertini filio, *rem avitam* recte tribui posse negat *Heindorfius*. Sed homines, in quorum conspectum Romae veniebat puer Horatius, non de eius patre quaerebant, sed eum, veste pretiosa indutum et servis comitatum, ex gente divite vel avita prognatum esse opinabantur. — *illos*, tam magnos. —

Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi:
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret olim,
Si praeco parvas, aut (ut fuit ipse) coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus. At hoc nunc
Laus illi debetur, et a me gratia maior.
Nil me poeniteat sanum patris huius: eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio. Nam si natura iuberet
A certis annis aevum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum quoscumque parentes:
Optaret sibi quisque; meis contentus honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens
Iudicio volgi, sanus fortasse tuo: quod
Nollem onus haud unquam solitus portare molestum.

v. 85—88. *Nec timuit* cett. nec ab hac educandi ratione se deterreri passus est timore, ne quis eam sibi exprobraret, si quando pro exiguo stipendio praeconis, aut coactoris, ut pater ipse fuit, munere fungerer; neque me poenituisset huius muneris. — *coactor* (*Schol. Acr. et Cruq.*), *coactores mercenarii eorum, qui habebant argentariam. — coactores etiam dicuntur argentarii in auctionibus, quia pecunias cogant, qui et collectarii nominantur.* — *Coactor, qui exigit nummos a circumforaneis.* — *At hoc*, at ob hoc ipsum, ob hanc ipsam educandi rationem; de *hoc* pro: ob hoc, cf. supr. ad v. 41.

v. 89—99. *sanum*, me sanae mentis hominem; nam qui patrem, qualem sibi contigisse laetatur Horatius, non pio gratoque animo colit ac veneratur, *insanae* mentis sit necesse est. Supr. Sat. I, 5, 44. *Nil ego contulerim iucundo sanus amico.* — *eoque* cett. et de hoc patre libertino non ita me excusabo, ut plurimi, qui non culpa sua (*dolo suo*) factum esse aiunt, quod non ingenuos nobilesque patres habeant.

v. 95—99. *ad fastum*, quorum nobilitate se iactaret filius. — *optaret sibi quisque*, eligeret sibi quis-

Nam mihi continuo maior quaerenda foret res,
Atque salutandi plures; ducendus et unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
Exirem; plures calones atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
Obiiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tulli,
Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes oenophorumque.
Hoc ego commodius, quam tu, praeclare senator,
Multis atque aliis vivo. Quacumque libido est,
Incedo solus: percontor, quanti olus, ac far:
Fallacem Circum, vespertinumque pererro
Saepe forum; adsisto divinis: inde domum me

que, per me licet, alios. — *honestos fasc. et sell.* parentes consulari dignitate et maiorum magistratuum honore insignes.

v. 101—104. *salutandi*, salutatione adeundi; quod fiebat mane. Martial. II, 18, 3. *Mane salutatum venio*; et IV, 8, 1. *Prima salutantes atque altera continet hora.* scilicet nobili quoque loco nati honorum adipiscendorum causa gratiam sibi colligere studebant salutando; *salutandi plures* cum *Heindorfio* pro: salutatores plures accipiendi, equidem explicare nolim. — *calones* cf. supr. ad Sat. I, 2, 44 — *petorrita*, vehicula sive carpenta vel rhedae Gallicae. — *ducenda* sc. mecum, ut paulo ante *ducendus et unus Et comes alter*; in editione *Heindorfiana* legitur *ducenta*, operarum, ut videtur, errore. *curto mulo* (*Schol. Cruq.*), *mulo cauda curta*; equidem per *mulum curtum* intelligo mulum curti et exigui corporis (*einen kleinen Klepper*) — *mantica*, pera, sarcina. Schol. Porphyr. *hoc ex Luciliano illo sumtum est: M a n t i c a c a n t h e r i i c o s t a s g r a v i t a t e p r e m e b a t.*

v. 107—109. *sordes*, sordidam avaritiam. — *Tiburte via*, a porta Esquilina in villam Tiburtinam praetoris ducente. *quinque*, nimis pauci pro praetoris dignitate. — *lasanum*, Schol. *vas, in quo exoneratur venter.* — *oenophorum*, (*οἰνοφόρον* sc. σκεῦος) corbis vel cista vini amphoris portandis inserviens.

v. 110. *Hoc*, ob hoc simplex vitae genus; cf. ad v. 41.

v. 111. pro: *Millibus atque aliis* dedi cum *Heindorfio* lectionem *Lambini*; nam *millia alia* sunt diversa millia.

v. 113. *Fall circ.* — *Schol. Cruq. F a l l a c e m dixit* (circum) *propter samardacos* (impostores) *et sortilegos, et mathematicos, qui ad metas spectatores circumstabant, et imperitos sortibus et nugis fallebant.*

v. 114. *divinis*, sortilegis, rerum futurarum vatibus vel somniorum interpretibus. Horatius autem, dum ut

Ad porri et ciceris refero laganique catinum.
Coena ministratur pueris tribus: et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: adstat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum; non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Voltum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam iaceo: post hanc vagor, aut ego, lecto
Aut scripto, quod me tacitum iuvet, ungor olivo,

homo vulgaris eiusmodi hominum circulis se immiscebat, et vespertino tempore huc illuc in foro circumvagabatur, faciebat aliquid, quod a nobiliorum dignitate alienum putabatur. Hinc *Schol. Cruq. altioris dignitatis homines erubescunt sero in his vulgi circulis consistere.*

v. 115. *laganique*, — Schol. Cruq. *l a g a n a sunt placentulae quaedam vulgares, quasi membranulae compositae, quae cum pipere et liquamine conditae depromi solebant ad coenam moderatam et parabilem.* Ergo, ut ait *Heindorfius*, quod apud nos: *Plinsen.*

v. 116—118. *lapis albus*, Schol. Acr. *mensa marmorea, quam vocant Delphicam.* Sed *Fea*, qui docte et copiose de hoc loco disputat, *album lapidem* accipit de *engytheca seu basi vasorum collocandorum causa parata in abacis, ubi, quia stare per se nequibant pocula, fundo eorum sphaerico, non plano, ut in nostris, basi inserebantur.* — *pocula duo*, par poculorum; singulis enim coenantibus, ut observat *Turnebus* in *Advers.* IX, 19. par poculorum in mensa apponi solebat. — *echinus*, vasculum epulare ad formam echini effictum; *vet. Schol.* „*Echinum dixit vas aeneum, in quo calices lavantur.*“ Sed *Fea* ad hanc vocem haec: „*echinus*, nempe *concha salis*, supr. Sat. I, 3, 14. *salinum* Od. II, 16, 14. quia concha fiebat ex *echinis concharum*, ut notat Acron ad Od. II, 7, 23.“ — *guttus*, a *gutta*, vasculum, e quo liquores guttatim demittebantur; quo praecipue utebantur in re divina, unde *guttus* iam cum *patera* coniungitur; *Campana supellex*, quia terra in Campania vasis fictilibus praecipue conficiendis apta fuit. Sic infr. Sat. II, 3, 144. *Campana trulla.*

v. 120. *Marsya*, vel *Marsyas*, (*Schol. Cruq.*) *Marsya statua erat pro rostris, ad quam solebant convenire causidici, qui lites et negotia tractabant et componebant. Locus autem nomen a statua accepit, quod ibi causae agi solebant et vadimonia sisti.*

v. 121. *Noviorum* — *minoris*, — *Schol. Cruq. Minor enim Noviorum ad hanc statuam turpissime foenerabatur summo mane; quare iocatur Horatius, inquiens, Marsyam alteram manum habere erectam* (*cf. Serv. ad Virg. Aen. IV*, 58.) *ad depellendos Novios, quod eorum foeneratorum impudentiam non posset sustinere.*

v. 123. *lecto aut scripto, quod me tacitum iuvet*, postquam legi aut scripsi, quod, tacite mecum agitatum, me delectet. *tacitum*, tacite mecum meditantem, ut supr. Sat. I, 3, 65. *ut forte legentem aut t a c i t u m impellat.*

Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio campum lusumque trigonem.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique.
His me consolor victurum suavius, ac si
Quaestor avus, pater atque meus patruusque fuisset.

SATIRA VII.

Proscripti Regis Rupili pus, atque venenum,
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.

v. 124. *Non quo* cett. non tali olivo, quali, lucernis subducto, *immundus* (impurus, sordidus) Natta ungi solet. *lucernis fraudatis* sc. oleo.

v. 126. *lusumque trigonem*, pilae ludus, in balneis praecipue corporis exercendi causa institutus, ideo, quod tres ludentes, quorum alter ab altero pilam excipiebat, in trianguli figuram dispositi, stabant, *trigon* (*τρίγωνον*) appellabatur.

v. 127. *quantum* cett. tantum quidem, quantum *interpellet*, h. e. prohibeat *τὸ durare*, necessitatem durandi diem inani ventre h. e. esuriendo diem exigendi.

v. 128. *domesticus otior*, intra domum meam contineor.

v. 129. *vita solutorum* cett. vita eorum, qui liberi sunt ab honorum consequendorum studio, cum miseris et gravibus curis coniuncto.

v. 130. *His*, ad haec vitae praecepta et ad has sententias.

v. 131. *Quaestor avus* cett. invidiose poeta pro *consul* vel *praetor* dixisse videtur *Quaestor*, quia Quaestores, divitiarum congerendarum cupiditate infames, non raro exempla exstabant, de quorum nobilitate parum se iactare possent nepotes.

SATIRA VII.

Horatius Regem Rupilium et Persium quendam, divitem negotiatorem, dum eorum lites et convicia, ab altero in alterum coniecta, enarrat, ut homines insulsos deridet.

v. 1—3. *Proscripti Regis R.* cett. Sensus: in vulgus notum est, *quo pacto* (quo dicterio inficeto infr. v. 33—35.) remuneratus sit Persius proscripti Regis Rupilii convicia, veneni et fellis plena. — *Proscr. Reg. Rup.* — *Schol. Cruq. Publius Rupilius, Rex Praenestinus, postquam a Praenestinis in exilium missus esset, in Attica militavit sub Attio Varo: deinde cum Praeturam gereret, in triumviratu proscriptus ab Augusto confugit ad Brutum, in cuius castris cum Horatio commilito aegre tulit, tribunum eum esse militum, generis ignobilitatem ei saepius exprobrans. Quare Horatius, ut se ulcisceretur, describit infacetum et arrogans eius in iurgando cum Persio ingenium.* — *pus atque venenum*, intellige convicia, plena quasi puris (rei spurcae) et veneno tincta; sic Catullus XLIV, 12. orationem conviciis inquinatam vocat *plenam veneni et pestilentiae.* — *Hybrida. Schol. Mixti generis ex diversis naturis. Hybridae proprie dicuntur canes, qui ex imparibus nati sunt, ut ex venatico et gregario. Sic Persius h y b r i d a semiromanus, ex patre Graeco et ex matre Romana.* — *et lippis*, plures interpretes accipiunt de hominibus, qui, dum lippitudinis curandae causa in tabernis medicorum sedent, otii terendi gratia de rebus novis et urbis fabulis sermones conferant. Sed vix puto lippitudinem esse morbum, cuius curandi causa homines in medicorum tabernis magna copia confluxerint. Nam in loco Plauti Amphitr. IV, 13. (quem in hanc rem attulit *Bentleius*) — *Omnes plateas perreptavi, gymnasia et myropolia: Apud emporium atque in macello, in palaestra atque in foro: In medicinis, in tonstrinis, apud omnes aedes sacras: sum defessus quaesitando; Nusquam invenio Naucratem* cett. nulla lipporum facta est mentio. Cogitabam primum de aniculis, quas, non raro lippientes, Horatius supra quoque Sat. I, 4, 38. ad eos refert, a quibus res novae vel maxime captari et diffamari solent. Sed nunc aliter sentio. Horatius, qui homo fuit *lippus*, ut ipse profitetur Sat. I, 5, 30. ab adversariis, ut observavimus supra ad Sat. I, 1, 120. contemtim *lippus* nominatus esse videtur. Fortasse igitur a Rege Rupilio quoque, qui, ut scribit Vet. Schol. aegre ferebat, quod Horatius, homo ignobilis, tribunus militum in castris Bruti esset, contemtim *lippus* appellatus est; quod quidem ineptum convicii genus, a corporis vitio quippe petitum, ridendo Horatius data opera repetere videtur. — *tonsoribus*, non mirum, si tonsores olim quoque ex ore eorum, quos tondebant, res novas accipiebant, easque propagabant.

Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas;
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
Ad Regem redeo, postquam nil inter utrumque

v. 4—8. *negotia*, de quaestu, qui redit ex foenore. *Schol. Cruq. erat enim* Persius *negotiator apud Clazomenas.* De *negotiatoribus Romanis* copiose et erudite egit *Ernestius* in peculiari dissertatione, quam in compendium redegit in Clav. Cic. s. v. *negotiator.* — *durus homo*, durioris ingenii homo, asper, pervicax, difficilis, opponitur homini miti, comi, facili. — *atque odio. Odium*, de rebus et hominibus, qui pudenda et exsecrabili se gerendi ratione *odium* et nauseam creant. — *Confidens*, ferox, procax, nos: *keck. tumidus*, superbia inflatus — *Sisennas*, *Barros*, homines infames tum maledicentia. *Barrus*, ut homo nequam, iam supra Sat. I, 4, 110. notatus est, cf. I, 6, 30. — *equis praecurreret albis*, proverbiali locutione pro: superaret sc. maledicentia. *albis*, praestantioribus et velocioribus; nam *equi albi* ceteros cursu superare putabantur.

v. 9—21. *postquam nil inter*

Convenit: (hoc etenim sunt omnes iure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit; inter
Hectora, Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit; duo si discordia vexet inertes,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedet pigrior, ultro
Muneribus missis) Bruto Praetore tenente
Ditem Asiam, Rupilî et Persî par pugnat: uti non
Compositus melius cum Bitho Bacchius. In ius
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.

utrumque Convenit, *(hoc etenim — muneribus missis) Bruto Praetore tenente — spectaculum uterque.* hunc locum paulo obscuriorem ita accipio: Postquam Rex Rupilius et Persius inter se conciliari non potuerant (omnes enim, quibus certamen est cum adversario aliquo, dum eadem pertinacia, qua viri fortes de iure pugnant, invicem sibi molesti fiunt; inter Achillem quidem et Hectorem tanta fuit ira, ut, quia in utroque summa fuit virtus, nil nisi ultima mors eam dirimeret. At si duos homines inertes (quales erant Rex Rupilius et Persius) agitet discordia, aut si certamen oriatur inter homines viribus inter se dispares, ut apud Homerum inter Diomedem et Glaucum; ex eiusmodi certamine pigrior, ultro oblatis muneribus, abibit); iam duo illi certantes, sicut par acerrimorum gladiatorum, quales sunt Bithus et Bacchius, pugnant, acri ira in ius procurrunt, et iis, qui huic liti adsunt, magnum praebent spectaculum. — Scilicet Horatius ridet homines inertes, vel viribus dispares, qui, dum inter se certant, ridicule viros fortes, cedere nescios, imitantur. Remanet tamen in voce *iure* v. 18. nisi eam de modo, quo quis ius defendit, vel de pertinacia, qua quis de iure pugnat, explicueris, haud exigua difficultas. Equidem divinabam, pro *iure* legi fortasse posse *more* (ingenio), nempe quo litigantes non inter se convenire soleant, similes fere viris fortibus, quorum neuter alteri cedere solet; sed videant de hoc loco alii. — Ceterum verba inde ab *hoc etenim sunt* usque ad *Bruto Praetore* rectissime parentheseos signo distinguuntur, quidquid contradicat *Heindorfius*, qui, quod interrupta oratio post parenthesin non excipiatur formula aliqua, qua scriptores ad coeptam sententiam redire soleant, hunc locum ad anacolutha referendum censet. Sed Horatius infra quoque Epist. I, 15, 14. post parenthesin, quae longior adeo est huius loci parenthesi, sine ulla formula vel admonitione in coepta sententia pergit. — *ut Diomed. cum Lyc. Glauco*, fuit quidem Glaucus, Lycius, Hippolochi filius, vir fortis, sed impar Diomedi, cui pro armis aereis sua dedit aurea; vid. Hom. Iliad. VI, 119—236. — *Bruto Praetore*, tenuit Brutus tum (a. 711.) ditem provinciam Asiam *proconsul*, sed alibi quoque *proconsules* vocantur

Persius exponit causam, ridetur ab omni
Conventu, laudat Brutum, laudatque cohortem:
Solem Asiae Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege; canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse. Ruebat,
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Praenestinus salso multoque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator et invictus, cui saepe viator
Cessisset, magna compellans voce cucullum.

praetores h. e. qui provinciae alicui praesunt; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *praetor.* — *Ditem Asiam*, insignem omni rerum affluentia; Cicero *Asiam* pro Murena c. 9. eodem sensu vocat *refertam.* — *uti non composit. m. c. B. Bacchius*, uti non melius compositum par illud gladiatorum, Bacchius scilicet cum Bitho. (*Schol. Porphyr. Bithus et Bacchius gladiatores optimi illis temporibus fuerunt, qui, cum multos interemissent, commissi inter se mutuis vulneribus conciderunt.*) sic fere Virgil. Eclog. VII, 16. *Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum*; certabat scilicet Corydon cum Thyrside.

v. 23. *ab omni conventu*, ab omnibus, qui huius causae actioni aderant; *cohortem*, intellige amicos, comites, scribas, praefectos, medicos cett. cf. *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *cohors.*

v. 24. *solem Asiae*, quasi omnia in provincia Asia splendore suo collustret, sic apud Graecos ἥλιος de eo, qui gloria et virtutibus exsplendescit; vid. *Iacobs.* ad Meleag. XXXV. Anthol. Graec. Tom. I. p. 55.

v. 25. *canem. Schol. caniculum pestiferum, Sirium, invisum agricolis*; nam *sterilis Sirius*, ut loquitur Virg. Aen. III, 141., *exurit agros.*

v. 26. *Ruebat*, *Flumen ut hibernum*, cett. ruebat (vehementiore scilicet impetu in adversarium,) sicuti hiberno tempore ruere solet flumen in iis locis, in quae raro securis defertur, h. e. ubi raro securi caeduntur virgulta et arbores, quae cursui fluminis impedimento sunt; post *venisse* distinctionem maiorem posui.

v. 28 — 31. Sensus et impeditioris orationis nexus: Tum Praeneste oriundus Rupilius, convicia, qualia durus et invictus vindemiator, cui viator, magna voce cuculum vocans, saepe cedere coactus esset, in arbusto sibi expressa coniicere solet, Persio, magnam salse dictorum copiam effundenti, regerit. — Scilicet convicia, quae nunc Rupilius in Persium iaciebat, comparantur cum iis rusticioribus, quibus vindemiator viatorem, arbusta, ubi ille vindemiat, praetereuntem, et magna voce *cuculum* vocantem, persequitur. *multoque*, *multus*, qui est multus in aliqua re, *multus fluens*, cui multa verba fluunt; *arbusto*, ubi vites non, ut nunc in vineis fit, palis, sed arboribus, nominatim populis et ulmis annectebantur. Quodsi igitur in arbusto, ut ex Schol. ad h. l. discimus, vernali tempore iusto serius, ubi iam cuculus vocem edit, vites putandas et

At Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc Regem iugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.

SATIRA VIII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber, incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum: Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido; nam fures dextra coërcet,
Obscoenoque ruber porrectus ab inguine palus;

arboribus applicandas curabat vindemiator; eius inertiae ludendae causa praetereuntes *cuculum* vocabant; unde ille exacerbari et virus acerbitatis in praetereuntes evomere solebat. Ceterum in hoc loco ad *durus vindemiator* supplenda est particula comparationis: velut, sicuti, ut passim alibi; cf. infr. ad Epist. I, 2, 42.

v. 32. *Italo perfus. aceto* (ex sermone comico), a Romanae gentis homine acrioribus conviciis obrutus.

v. 35. *operum hoc, mihi crede*, *i. e.* hoc profecto ad res a te gerendas pertinet; ad *operum tuorum* supple *unum;* ut supr. Od. III, 13, 13. *Fies nobilium tu quoque fontium.*

SATIRA VIII.

Canidiam, aniculam et veneficam, multo acerbius et contumeliosius in hac satira, quam supra in duobus carminibus Epod. 5. et 17. tractat. Inducit autem Priapum loquentem, et Canidiae artes magicas, quarum spectator fuerat, ridentem.

v. 1. *truncus ficulnus*, ex ligno enim ficulneo obscoenum Priapi, hortorum custodis, simulacrum sculpi et effingi solebat. Sic apud Theocrit. Epigr. IV. — *inutile lignum. Schol. Cruq. ad nihil aptum; nam materia eius arboris propter fragilitatem nullis fabricis est idonea:* hinc apud Graecos homo nullius frugis *ἀνὴρ σύκινος*, cf. *Lambin.*

v. 3. *furum aviumque*, Virg. Georg. IV, 110. *Et custos furum atque avium cum falce saligna Hellespontiaci servet tutela Priapi:* — *maxima formido*, qui essem furibus atque avibus maximae formidini; similiter in re venatoria *linea* sive funiculus extensus et pennis distinctus (nos: *Federlappen*) ad formidinem feris incutiendam simpliciter dicitur *formido* v. Ovid. Fast. V, 173. *Dum nova lanugo, pavidos formidine cervos terret.* cf. Grat. Cyneg. v. 74. et ibi *Barthium.*

v. 4. *dextra*, qua tenebat Priapus *fustem*, vel, ut in laudato loco Virgilii, *falcem salignam.* — *ruber*, minio oblitus et rubefactus. Ovid. Fast. I, 415. *At ruber hortorum deus et tutela, Priapus.*

Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis eiecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurrae, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: haeredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Exquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, qua modo tristes

v. 6. *arundo*, intelligo coronam ex arundine, fasciculum arundinis, quae vento agitata crepat strepitque.

v. 7. *novis in hortis. Schol. Cruq. nuper a Maecenate institutis.* — *Antea Esquilina regio sepulcris servorum et miserorum erat dedicata; Maecenas autem, considerans aëris salubritatem, hortos eo loco constituit.*

v. 8. *prius*, olim, antequam hortos ibi adornaverat Maecenas; *eiecta*, graviter ad miseram sortem designandam, qua tractabantur servi vel servorum corpora; *cellis*, de loco arctiore, ubi strata sua habebant servi.

v. 9. *conservus*, Sch. Acr. *conservi locabant et sepeliebant alios servos.* — *vili arca*, cista, ex nonnullis tabulis constructa, sandapila, qua efferebantur pauperiores.

v. 10. *stabat*, destinatum erat, patebat. — *commune sepulcrum*, locus, ubi infimi ordinis homines communiter sepeliebantur, sepulcretum; Catullus *Troiam* vocat *Asiae Europaeque commune sepulcrum.* LXVIII, 89.

v. 11. *Pantolabo scurr. Nom. nep.* vel hominibus, qualis est scurra Pantolabus et Nomentanus nepos; uterque enim tum adhuc vivebat, ut apparet ex Sat. II, 1, 19. de *Pantolabo* Schol. Acr. et Porphyr. *Fuit Mallius Verna trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui, quia a multis pecuniam mutuam rogabat, Pantolabus est cognominatus.* — *Nomentanum* Horatius iam supr. Sat. I, 1, 105. *vappam et nebulonem* appellavit; *nepotem* eundem vocat inf. Sat. II, 1, 22. Sat. II, 3, 224.

v. 12—13. sensus: *Hic* (in hoc loco, Exquiliis) *cippus* (columella) *dabat* (concedebat, designabat spatium agri, qui sacer esset communi sepulcreto, ita quidem, ut illud spatium ab externa parte) *in fronte* (nos: *in der Breite*) *mille pedes*, quod vero procurreret *in agrum* (nos: *in der Tiefe*) *trecentos pedes* contineret, hac adiecta conditione: *haeredes monumentum ne sequeretur*, h. e. ne hoc sacratum monumentum ad haeredes perveniret, sive ne quid iuris in hoc monumentum haeredes haberent. — *cippus* iam est columella, in qua fines vel termini agri, communi sepulcreto dicati, descripti et designati fuerunt, et quidem sic: IN FR. P. — IN. AG. P. (In Fronte Pedum. — In Agrum Pedum —) additis ex formula solemni literis his: H. M. H. EX. T. N. S. (Hoc Monumentum Haeredes Ex Testamento Ne Sequantur) cf. *Lambin.*

v. 15. *Aggere in aprico.* Inter-

Albis informem spectabant ossibus agrum,
Cum mihi non tantum furesque feraeque, suëtae
Hunc vexare locum, curae sunt, atque labori,
Quantum, carminibus quae versant atque venenis
Humanos animos; has nullo perdere possum
Nec prohibere modo, simulac vaga Luna decorum
Protulit os, quin ossa legant, herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,
Cum Sagana maiore ululantem, (pallor utrasque
Fecerat horrendas aspectu) scalpere terram
Vnguibus, et pullam divellere mordicus agnam

pretes intelligunt vicinum Aggerem a Tarquinio Superbo exstructum, orientem versus ab urbe situm; sed *agger* de quovis alio loco editiore accipi potest. Virg. Aen. XII, 446. *Vidit ab adverso venientes aggere Turnus.* — pro *quo* recte *Bentleius qua* (sc. parte, ubi) legi iussit. *modo*, ante breve tempus.

v. 16. *spectabant*. Schol. Porphyr. *manifestissima ἔλλειψις. Non utique alii, quam homines, intelligendum;* sed adest vox *tristes* sc. de hoc adspectu, de mortuis et ibi sepultis.

v. 17. *Cum*, quandoquidem, quoniam. *suëtae*, quae solebant, quarum consuetudo vel agendi ratio fuit haec, ut cett.

v. 19. *quantum*, *carminibus quae* cett. quantum mihi curae sunt eae, (scilicet veneficae,) quae formulis magicis et incantationibus hominum animos *versant* h. e. agitant, pervertunt, defigunt, vel ut Virgilius (Eclog. VIII, 66.) in re simili loquitur, *sanos sensus avertunt.* — *venenis* — per *venena* (φάρμακα) intellige, quae spargunt in re magica venefici et veneficae. supr. Epod. V, 20, 21. *Herbasque, quas Iolcos atque Iberia mittit, venenorum ferax.* cf. ibidem v. 87.

v. 20. *perdere*, pessumdare, evertere.

v. 21. *vaga luna*, luna, ut stellae, dum cursum suum peragit, vagari et errare dicitur. Infr. Epist. I, 12, 17. *Stellae sponte sua, iussaene vagentur et errent.*

v. 23. *succinctam*, eodem sensu, quo supra Epod. V, 25. Sagana, Canidiae administra, dicitur *expedita.* — *cum Sagana maiore*, Schol. Cruq. *Haec Sagana liberta fuisse dicitur Pomponii Senatoris, qui a triumviris est proscriptus; habuit autem sororem, se natu minorem; idcirco maior hic dicitur.* Sed fortasse ideo iam *Sagana* dicitur *maior*, quod Canidiam adeo superaret annis.

v. 25. *ululantem*, sic canes inferni, qui sunt in comitatu Hecates, *ululare* dicuntur apud Virg. Aen. VI, 257.

v. 26. *scalpere terram unguibus*, scilicet scrobem vel fossam, terra unguibus egesta, fecerunt, ut cruorem divulsae agnae, ut ex sequentibus intelligitur, cum aliis rebus in eam confunderent.

v. 27. *pullam* — *agnam*, nam

Coeperunt: cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea; maior
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, servilibus utque
Iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonen: serpentes atque videres
Infernas errare canes, Lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum
Iulius et fragilis *Pediatia*, furque Voranus.

diis inferis nigri coloris hostiae offerebantur.

v. 28. *inde*, ex hac scrobe, vel hac re, his sacris magicis.

v. 30—33. *Lanea et effigies* cett. iunge: *Effigies erat* altera *lanea et altera cerea;* per *effigiem* intellige imagunculam; Canidia scilicet duas effinxerat imagines; altera, et quidem *maior*, ipsam Canidiam repraesentans, fuit *lanea, quae poenis compesceret inferiorem*, quae eum, a quo amari cupiebat, sibi subiectum et devotum redderet, ita quidem, ut *inferior* cedere deberet *poenis* potentiae magicae; altera, scilicet eius, quem Canidia compescere et amore ad se rapere volebat, fuit *cerea*, (ut, sicut cera igni, ita amore liquesceret;) haec *stabat suppliciter*, supplicis, ut *maior* parcat *inferiori*, speciem prae se ferens; — *servilibus utque iam peritura modis*, et tanquam ea, quae servili modo iamiam poenas datura sit. — Conferendus omnino cum hoc loco Virgilius in Pharmaceutria Eclog. VIII. ubi v. 75. venefica *effigiem* a se amati ter circum altaria ducit; et Theocritus Idyll. II.

v. 34 *serp. atque* cett. iunge: *videres serpentes atque infernas canes errare* — *videres*, ut in versu ultimo huius satirae, vel supr. Sat. I, 5. v. 76. (ubi vid. *not.*) pro: nunc videre licebat.

v. 35. *lunamque rubentem*, lucentem, nihil amplius; *rubere* passim de lunae splendore; supr. Od. II, 11, 10. Propert. I, 10, 8. Sed *Heindorfius* explicat: „pudore horum scelerum erubescentem,“ at huiusmodi rerum aspectus pallorem potius, quam ruborem exprimit.

v. 36. *post magna sepulcra*, cum in Exquiliis non sepelirentur beatiores, sepulcra in altum exstructa intelligi nequeunt; intelligo igitur sepulcra recentia, quorum tumuli maiores ceteris esse solent.

v. 37. 38. *merdis caput* — *atque* — *mict. atque cac.* non mirum, si Priapus iurat per ea ferenda, quibus vel maxime exposita fuit eius statua.

v. 39. Arripit Horatius occasionem duos homines, alterum mollem et fragilem cinaedum, alterum famosum furem, aeque abominabiles, atque illa, de quibus modo dixit, producendi; iunge *et* (tam) *Iulius fragilis Pediatia que* (quam) *fur Voranus*, de vocibus *et-que* pro *et, et*,

Singula quid memorem, quo pacto alterna loquentes
Vmbrae cum Sagana resonarent triste et acutum?
Vtque lupi barbam variae cum dente colubrae
Abdiderint furtim terris; et imagine cerea
Largior arserit ignis; et ut, non testis inultus,
Obruerim voces Furiarum et facta duarum?
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi,
Diffissa nate, ficus. At illae currere in urbem;
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque iocoque videres.

tam, *quam*, vid. *Drakenb.* ad Liv. XXIX, 12. §. 5. *Schol. Cruq. Pediatius*, *eques Romanus*, *patrimonio consumto*, *se prostituit*; *quare Horatius mutato genere Pediatiam nominavit propter mollitiem.* — *Voranus*, Schol. Cruq. *Aiunt*, *Voranum*, *libertum Q. Lutatii Catuli*, *fuisse adeo furacem*, *ut nummos subreptos a nummulario in calceos demiserit*, *a quo cum deprehensus esset*, *quidam subridens*, *belle*, *inquit*, *si te non ἐγχαλκεύει*, *h. e. verberibus tanquam aes recudat*, *alludens ad calceos.*

v. 41 *Vmbrae*, manes carminibus acciti. — *resonarent triste et acutum*, voces tristes et acutas ederent; iis enim sonis loqui finguntur umbrae (*τετριγυῖαι*); *vox acuta*, clarissima, (nos: *hoch-scharftönend*) pro *resonarent*, dedit *Bentleius*, *resonarint*, sed contra fidem omnium codd.

v. 42. *Vtque lupi barbam* cett. de causa, ex qua veneficae barbam lupi et dentem versicoloris colubrae, ut res ad supellectilem magicam spectantes, furtim sub terra occultaverint, quaerere profecto nihil attinet.

v. 43. *cerea*, duabus syllabis pronunciandum, ut *ostrea* infr. Sat. II, 2, 21.

v. 45. pro *Horruerim*, dedi, quod *Fea* protulit ex codd. *Obruerim* h. e. oppresserim, suppresserim, (cf. supr. ad Od. I, 15, 3.) oppedendo fecerim, ne amplius audirentur veneficarum voces. — *Furiarum*, Canidiae et Saganae.

v. 47. *ficus*, ego ex trunco ficulneo, ligno admodum fragili, factus.

v. 48. *alt. Sag. cal.* — Saganae in re magica occupatae caput obvolutum fuit tegumento aliquo altiore, sive ex crinibus ficticiis, sive ex velis laneis, sive ex alia re confecto; hoc tegumentum capitis vocabatur *caliendrum*, quaecunque demum eius forma et materies fuerit. de *caliendro* vid. *Boettig. Sabin.* pag. 104. et 141.

v. 49. *atque inc. lac. vinc.* per *vincula* carminibus *incantata*, quae Canidiae et Saganae brachiis, quibus illa annexa fuerant, excidisse dicuntur; intelligenda videntur fila vel licia, quibus incantatus vinciretur et attraheretur, apud Virgil. Eclog. VIII, 78. dicuntur illa *Veneris vincula: Necte tribus nodis ternos*, *Amarylli*, *colores* (tria diversi coloris licia), *Necte*, *Amarylli modo*, *et*, *Veneris*, *dic*, *vincula necto.*

SATIRA IX.

Ibam forte Via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum; totus in illis:
Accurrit quidam, notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu: Quid agis, dulcissime, rerum?
Suaviter, ut nunc est, inquam; et cupio omnia, quae vis.
Cum adsectaretur: Num quid vis? occupo. At ille:
Nôris nos, inquit; docti sumus. Hic ego: Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quaerens,

SATIRA IX.

Homo quidam, qui garrulitate et vana iactantia occiderat paene Horatium, vivis coloribus describitur.

v. 1. *Ibam ut forte*, sine omni necessitate tentabat *Bentleius.* Bene enim cohaeret oratio, *Ibam forte* — ecce *quidam accurrit.* — *Via sacra*, ducebat haec via e foro in Capitolium, et erat frequentissima.

v. 2. *nugarum*, per nugas intellige carmen aliquod, quod secum meditabatur Horatius; sic infr. Epist. II, 2, 141. *abiectae nugae*, de abiecto carminum faciendorum studio.

v. 4. *quid agis rerum?* Plaut. Capt. II, 3, 16. *Quid rerum hic agitem.* similiter *aliquid rerum gerere* apud Terent. Eunuch. V, 4, 1. *Reviso, quidnam Chaerea rerum hic gerat*; et passim alibi. Sed iungunt fere omnes Interpretes: *dulcissime rerum.* Occurrit quidem apud Ovidium Met. VIII, 49. A. A. I, 213. Heroid. IV, 125. *pulcherrime rerum*, sed fieri potuit, ut Ovidius, Horatium imitaturus, aeque atque alii in verbis inter se iungendis erraret. Nam si in usu fuisset haec adulandi formula, vix Plautus, Terentius et alii ea abstinuissent. — Quae contra hanc a me allatam explicationem publice monuerunt Viri Doctissimi, dum latinitatem locutionis *dulcissime rerum* prolatis exemplis confirmare studuerunt, haud repugnante accepi animo, quamquam nec mea explicatione offenditur latinitas.

v. 5. *suaviter*, vulgares formulae alloquentium et respondentium; *quid rerum agis*, nos: *wie geht es dir*, *suaviter*, nos: *recht gut*, *ut nunc est*, pro ea, qua nunc utor, rerum conditione. — *et cupio omnia*, *quae vis*, hac formula quaevis bona alicui apprecandi usi praecipue esse videntur discedentes ab aliquo, eique valedicentes; sed frustra Horatius hac formula ab homine importuno se dissolvere vel disiungere tentabat.

v. 6. *occupo*, praeoccupo eum dicendo: *Num quid vis?* haec quoque est formula iamiam abituri, et, num quid sit, quod fieri iubeatur? rogantis; nos: *hast du noch etwas zu befehlen.* Terent Eunuch. II, 3, 50. *Rogo numquid velit: recte, inquit; abeo.* Alia exempla collegit *Heindorf.*

v. 7. *nôris nos*, velim, ut nos nôris.

v. 8. *hoc* pro: eo pluris, vel pro: ob hoc. — *misere*, ut v. 14. pro: valde, vehementer, ut docent Lexica: praecipue de rebus, quae vehementer animum cruciant, et mise-

Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero: cum sudor ad imos
Manaret talos, O te, Bolane, cerebri
Felicem! aiebam tacitus. Cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret; ut illi
Nil respondebam: Misere cupis, inquit, abire,
Iam dudum video: sed nil agis: usque tenebo;
Prosequar. Hinc quo nunc iter est tibi? Nil opus est te
Circumagi: quendam volo visere non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos.
Nil habeo, quod agam, et non sum piger; usque sequar te.
Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium, facies: nam quis me scribere plures,
Aut citius possit versus? quis membra movere

rum reddunt; hinc v. 10. *sudor* Horatio de importuni hominis garrulitate *ad imos talos manasse* dicitur.

v. 11. *O te, Bolane, cerebri Felicem!* felicem praedicat *Bolanum*, qui ut homo *cerebrosus* (ferventioris et calidioris ingenii, nos: *Tollkopf*. cf. supr. ad Sat. I, 5, 21.) garrulum, qualis hic describitur, in malam rem abire iussurus fuisset. *Bolanus*, ut notat Scholiast. Cruq., *fuit homo, qui* ὀξύχολος, *nullius ineptias ferebat, sed statim vel in faciem quemvis reprehendebat, vel, de eo quid sentiret, non dissimulate* (dissimulanter) *dicebat.*

v. 15. *sed nil agis*, sed frustra. — *usque tenebo*, sc. te; constanter tibi adhaerebo, nec discedam a tuo latere; ut paulo post: *Usque sequar te.* Mox pro. *Prosequar* (h. e. te comitabor) ad fidem plurimorum Codd. *Fea* exhibuit *Persequar.* Librarii saepissime confuderunt *persequi* et *prosequi;* vid. *Drakenb.* ad Liv. Epit. Lib. XCIX. Tom. VI. p. 408. Magis sane placet lectio *persequar*, quippe quae melius respondet praecedenti *tenebo;* est enim *persequar* premam, urgebo, inhaerebo.

v. 18. *cubat*, aegrotat; nos: *er ist bettlägrig*, ut infr. Sat. II, 3, 295. Epist. II, 2, 68. — *Caesaris hortos*, quos I. Caesar in testamento, ut narrat Suet. in Iul. c. 83., populo legaverat.

v. 21. *subiit*, ultima per caesuram producitur.

v. 22. *non Viscum*, alterum e duobus fratribus; in Satira sequente v. 83.: *et haec utinam Viscorum laudet uterque*, ubi *Schol. Acr. Visci duo fratres fuerunt. Pater, Vibius Viscus, quamvis et divitiis et amicitia Augusti elatus fuerat, in equestri tamen ordine perduravit, cum filios suos senatores fecisset.* — *non Varium* cf. supr. ad Od. I, 6, 1.

v. 25. *quis membra movere Mollius?* quis molliore et concinniore pedum brachiorumque agitatione saltare? notum est illud Ovidii (Art. Am.

Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus? Haud mihi quisquam;
Omnes composui. Felices! Nunc ego resto.
Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:
„Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
„Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
„Garrulus hunc quando consumet cunque; loquaces,
„Si sapiat, vitet, simulatque adoleverit aetas.“
Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei
Praeterita; et casu tum respondere vadato

I, 595.) *Si vox est, canta, si mollia brachia, salta.* — *Hermogenes*, homines ridiculos, qualis fuit *cantor* Hermogenes Tigellius, (cf. supr. ad Sat. I, 2, 3) quavis arrepta occasione poeta sugillat.

v. 26. *Interpell. loc. h. erat.* hic poterat poeta occasionem captare sermonem a garruli iactantia deflectendi ad alia; quaerit igitur ex eo, quem habeat, qui ex tantis eius virtutibus fructus capiat? matremne an cognatos? quorum multum interesse debeat, salvum et incolumem florere virum tam egregium!

v. 28. *composui*, rite sepeliendos curavi. *Felices! Nunc ego resto.* Horatius ea, quae nunc secum reputabat, inde usque ad v. 35. lectoribus aperiens, imitatur actores in Fabulis, qui aversi ab eo, quocum loquuntur, quae secum agitant, spectatoribus aperiunt.

v. 29. *Sabella* — *anus*, apud Sabinos enim, gentem superstitiosam, uti apud Marsos, tam incantandi, quam vaticinandi ars exercebatur; hinc supr. Epod. XVII, 28. *Sabella carmina*, de carminibus magicis.

v. 30. *divina mota urna*, postquam *mota* (quassata, agitata) fuerat *urna divina*, res divinas, sortes, continens; exsiluerat autem ex mota urna sors in hanc sententiam: *Hunc* (Horatium) *neque dira venena, nec hosticus auferet ensis*, (Horatius enim periculum, quod ab hostico ense ei imminebat, celeri fuga, relicta non bene parmula, (Od. II, 7, 10.) effugit.) *Nec laterum dolor*, πλευρῖτις cett. *quando — cunque*, quocunque tandem tempore id accidat, serius ocius.

v. 35. *ad Vestae* sc. aedem; haec enim vox in designandis deorum templis post *ad*, addito tantum dei, de quo sermo est, nomine in genitivo, saepe tam in graeca, quam in latina lingua, praecipue apud Livium (vid. ad eum *Drakenb.* X, 23. *n.*) omitti solet.

v. 36. *respondere vadato*, in iudicio adesse, et respondere ei, qui illum vadatus est, (petitori); sive causam agere in iudicio cum eo, qui illum *vadimonium promittere*, h. e. datis vadibus, (cf. Sat. I, 1, 11.) se certo die in iudicio adfuturum esse, polliceri iussit; *quod ni fecisset*, nisi adfuisset in iudicio, se *perdere litem* (h. e. se damnari) aiebat; sic *per-*

Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
Si me amas, inquit, paulum hic ades. Inteream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia iura;
Et propero, quo scis. Dubius sum, quid faciam, inquit;
Tene relinquam, an rem. Me sodes. Non faciam, ille;
Et praecedere coepit. Ego (ut contendere durum est
Cum victore) sequor. Maecenas quomodo tecum
(Hinc repetit) paucorum hominum, et mentis bene sanae?
Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni

dere litem Cic. de Orat. I, 36. sub fine: *neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum;* et sic *causam perdere* apud eundem in Orat. pro Roscio Comoedo cap. 4. *Hic tu si amplius H-S. nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti.* — *Noeldekius, Vir Clarissimus,* tentabat (in *Bibl. Crit.* 1825. p. 304) *pendere litem,* (nos: *die Prozesskosten bezahlen*) sed hanc locutionem ignorat antiquitas.

v. 38. *si me amas*, non ad metri legem *si m' ămas*, sed sine elisione *mĕ ămas*, et sic Virgil. Eclog. VIII, 108. an *qui amant;* cf. Bentl. ad Od. III, 14, 11. infr. Sat. II, 2, 28. num ădēs.

v. 39. *stare*, stare enim debebant coram iudice causam suam perorantes.

v. 41. *rem*, litem, accusationem, hinc accusatus *reus* dicitur. *me sodes*, sc. relinque.

v. 42. *ut*, siquidem, quandoquidem.

v. 43. *Maecenas quomodo tecum? Hinc repetit*, cett. hunc locum, quem vario modo explicaverunt interpretes, accipio in hunc fere sensum: *Hinc repetit* (de integro incipit garrulus, qui usque ad verba: *Non isto vivimus illic* loquitur) Quomodo tecum versatur Maecenas? Versatur ille cum paucis, et quidem cum eiusmodi tantum hominibus, qui bene sanae mentis h. e. qui bene animo exculti sunt. Hac quidem cum Maecenate versandi fortuna nemo prudentius et dexterius usus est, quam tu, Horati; immo tu primas partes apud Maecenatem agis! (hoc enim ex sequentibus elici et suppleri potest) Si hunc hominem (pro: *me*, garrulus enim digitum intendit in se) commendare et tradere velles Maecenati, haberes per me magnum adiutorem qui secundas partes sustinere posset. Ne vivam, ni brevi omnes alios a Maecenate per me summovisses. — Nunc respondet Horatius: Haec se gerendi ratio, qua alter alterum pellere et submovere studet, apud nos, qui cum Maecenate versamur, haud locum habet, uti tu opinaris cett.

v. 46. *posset qui ferre secundas* sc. partes. Inde a Sophocle tres in scenam prodire solebant actores, quorum primus *primas*, secundus *secundas* et tertius *tertias* partes agerent. Locus classicus de hac re est apud Ciceronem Divinat. in Q. Caecilium cap. 15. ubi Asconius observat haec: *Est persona primarum partium, quae saepius actu regredi-*

Summôsses omnes. Non isto vivimus illic,
Quo tu rere, modo. Domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis: nil mî officit, inquam,
Ditior hic aut est quia doctior; est locus uni-
Cuique suus. Magnum narras, vix credibile. Atqui
Sic habet. Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse. Velis tantummodo, quae tua virtus,
Expugnabis. Et est, qui vinci possit; eoque
Difficiles aditus primos habet. Haud mihi deero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam: tempora quaeram;
Occurram in triviis, deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Haec dum agit, ecce,
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nôsset. Consistimus: Vnde venis? et
Quo tendis? rogat, et respondet. Vellere coepi
Et prensare manu lentissima brachia; nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus

tur; secundarum et tertiarum, quae minus minusque procedunt. Sed lege, quae *Boettigerus* meus more suo doctissime de omni hac re disputavit *Prolus. in Actor. Prim. Secund. et Tert. part. in fabul. Graecis. Vimar.* 1797.

v. 50. *his malis*, per *mala* intelligit malas artes et machinas, quibus alter alteri insidias struit.

v. 53. *Accendis, quare*, accendis animum narrando rem, qua (ob quam) vehementius cupiam ad eos pertinere, qui Maecenati sunt proximi.

v. 55. *et est, qui vinci possit*, et est sane Maecenas vir, qui pro mitioris animi indole vinci possit; *eoque*, et ob id ipsum, quia se facile vinci posse Maecenas intelligit, primi aditus apud eum sunt difficiles.

v. 58. *tempora*, nempe opportuna; *mollissima tempora fandi*, ut loquitur Virgilius Aen. IV, 293. — *deducam*, nobiliores a clientibus, vel ab iis, qui eos venerabantur, in forum deduci et reduci solebant. — *Nil sine magno* cett. lepide garrulus in re levissima usus est sententia *gravissima*, ad quam proxime accedit praeceptum illud vitae, quod tribuitur Epicharmo in Xenoph. Memorab. II, 1, 20. *τῶν πόνων Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί.*

v. 61. *Fuscus Aristius*, grammaticus, poeta et orator, Horatio, ut praecipue ex Epistola 10. in libr. I. apparet, familiarissimus.

v. 63. *rogat, et respondet*, garruli enim et rogare, et, nondum dato responso, ipsi respondere solent.

v. 64. *lentissima brachia*, suaviter homini, qui, dum vellicatur, se id non sentire simulat, *brachia* tribuuntur *lentissima* h. e. omni sensu carentia.

v. 65. *male salsus*, nos: *der lose Spottvogel, der Schelm.*

Ridens dissimulare; meum iecur urere bilis.
Certe, nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum. Memini bene; sed meliore
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vin' tu
Curtis Iudaeis oppedere? Nulla mihi, inquam,
Religio est. At mî: sum paulo infirmior, unus
Multorum. Ignosces; alias loquar. Hunccine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius, et: *Quo tu turpissime?* magna
Inclamat voce, et, *Licet antestari?* Ego vero

v. 66. *me. iec. ur. bil.* — *bilis*, ira, ut supr. Od. I, 13, 4. (*Fervens difficili bile tumet iecur*) sedem suam in iecore habere dicitur.

v. 69. *meliore tempore*, opportuniore; nam hodie sunt *sabbata tricesima*, quibus apud Iudaeos seria tractari non licet; loquitur autem haec Fuscus, quasi ea, quae religiosa essent Iudaeis, haud contemnenda esse existimaret; de *tricesimis sabbatis Iudaeorum* diversa plane tradunt tam veteres Scholiastae, quam recentiores interpretes. Optimum fortasse est, ut ait *Gesnerus*, sequi *Scaligerum de Emend. Temp.* 3. p. 309. et *Selden. de I. N.* 3, 15. et intelligere tricesimum Lunaris Mensis diem, ad praecepta quaedam a Iudaeis celebratum. Sed quaecunque tandem haec *tricesima* Iudaeorum *sabbata* fuerint, certe, diem festum per ea designari, quo nihil rei Iudaeis gerere liceret, ex hoc ipso loco apparet. Sunt igitur *tricesima sabbata* idem fere, quod *dies nefasti*, quibus nihil agi licebat in iudiciis.

v. 70. *Iudaeis oppedere*, susque deque habere, quae Iudaeis religiosa sunt. Vocem, qualis est *oppedere*, plebi relinquere debebat Horatius; sed voluit imitari Aristophanem Plut. 618. et Pac. 547. — *curtis*, pellicula imminutis, recutitis, verpis.

v. 71. *nulla mihi religio est*, mihi quidem eiusmodi res religiosa haud curae est. — *paulo infirmior*, paulo superstitiosior, quasi ab infirmo animo repetenda sit superstitio.

v. 73. *solem tam nigrum*, diem tam infaustum.

v. 74. *me sub cultro linquit*, tanquam mactandam hostiam; inepti enim homines importuna garrulitate *enecare* vel *occidere* aliquem dicuntur. Nos: *und lässt mich im Stiche, und lässt mich unter der Klinge.*

v. 75. *adversarius*, petitor, qui garrulum vadatus erat; *Licet antestari?* licetne te testem facere? his verbis petitor se convertit ad Horatium. *Schol. Acr. antestari i. e. te teste uti* (*te testem facere Schol. Cruq.*). *Nam haec erat consuetudo: si quis vadato non paruisset, adversarius aliquem de praesentibus antestabatur, h. e. tangebat eius aurem et dicebat: licetne antestari? si respondisset ille: licet, tunc iniiciebat vadatus manum in eum, qui non paruisset, et ducebat in iudicium; aliter si iniecisset manum, iniuriarum poterat accusari.*

Oppono auriculam. Rapit in ius; clamor utrinque;
Vndique concursus. Sic me servavit Apollo.

SATIRA X.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,
Defensore tuo, pervincam, qui male factos

v. 77. *oppono auriculam.* Schol. Acr. *solebant* (qui litem alicui intendebant) *testium aures tenere, et ita dicere: memento, quod tu mihi in illa causa testis eris; quod est antestari.*

v. 78. *Apollo*, ut deus averruncus, *ἀλεξίκακος*. Poterat autem Horatius, ut poeta, a deo, in cuius praesidio erat, auxilium expectare. *Heindorfius* comparat Hom. Iliad. XX, 443. *τὸν δ'* (Hectorem cum Achille pugnantem) *ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων Ῥεῖα μάλ' ὥστε θεὸς, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ.*

SATIRA X.

Horatius, dum se defendit contra eos, qui ipsum supra in Sat. IV. inique et invidiose de Lucilii Satiris iudicasse criminabantur, manet in lata de Lucilio sententia, ingenue simul laudans ea, quae iure meritoque in Lucilii satiris laudanda sint. — Ceterum in hac satira vitia, bonis scriptoribus vitanda, tanquam in speculo repraesentantur.

v. 1. *Lucili*, *quam sis mendosus* cett. octo versus, huic satirae praefixi, ideo diversa literarum forma excusi sunt, quia, utrum Horatius eorum auctor fuerit, necne, adhuc sub iudice lis est. Exhibentur quidem hi versus tam in Edit. Princ. bibliothec. Vatic., quam in aliis vetustis editt. *Landinus*, nulla vett. editt. auctoritatis ratione habita, primus eos in edit. Flor. 1482. e textu in subiectas animadversiones relegavit. Idem fecerunt deinde alii. Quid? quod octo illi versus a quibusdam, ut a *Bentleio*, silentio plane praetermissi sunt. At post *Bentleium* extitit *Gesnerus*, qui versus illos, ut dignos Horatio, in sedem, qua pulsi sunt, postliminio restituendos arbitraretur, ita tamen, ut literarum forma a ceteris distinguerentur. Hunc ego secutus eosdem versus diversa literarum forma huic satirae praefigendos curavi, et quidem ob has quatuor rationes: 1) quia illi non tantum in editionibus antiquissimis, sed etiam in multis Codd. apud *Feam* exhibentur: 2) quia ab Horatii scribendi ratione non abhorrent: 3) quia sententia in iis expressa carminis argumento respondet: 4) quia prima huius satirae vox *Nempe*, nisi sententiam aliquam suppleveris, quo referatur, non habet; at habet, si illi versus praemittantur, hoc fere nexu: „Lucilium poetam *mendosum* esse, vel inde probabo, quod Cato, Lucilii defensor, malos ab eo factos versus emendare parat; qui quidem, quo vir est melior, eo lenius et indulgentius de malis Lucilii carminibus iudicat; est autem Cato iudex in hac re multo subtilior illo equite, qui loris et funibus (h. e. vi) adactus est ad doctrinae studium, ut evaderet grammaticus, qui antiquos poetas contra reprehensores defenderet. Sed ut re-

Emendare parat versus. Hóc lenius ille,
Est quo vir melior, longe subtilior illo,

deam *illuc*, scilicet ad *mendosum* poetam Lucilium,"

Nempe incomposito dixi cett.

Has quidem rationes, ex quibus octo illi versus Horatio vindicandi esse mihi videbantur, iam proposui in scriptione aliqua indictae solemnitati scholasticae praemissa; Gothae MDCCCXXII. Sed non probatae illae sunt *Viro*, cuius plurimum apud me valet auctoritas, Celeberrimo *Eichstadio*. Is enim in *Program. Acad. Ien.* MDCCCXXII, rationes a me propositas infirmatum ivit, sed tanta humanitate, tanta comitate et indulgentia, ut huius Viri dissensione nihil mihi accidere posset iucundius, nihil honorificentius. Vtinam omnes viri docti, qui meliora alios docere, et ab erroribus in viam reducere cupiunt, ita cum iis agant, ut mecum egit Venerabilis *Eichstadius*. Nec *Vir Eruditissimus* aegre feret, si nondum ab animo meo impetrare potui, ut omnibus, quae ille acutissime contra octo illos versus a me defensos monuit, accederem. Nam, ut ipse probe scit, difficile est, opinionem ex animo, ubi illa semel radicem egit, evellere. Quod Vir doctissimus observat, veterum Codicum fidem non ex eorum numero, sed ex cuiusque origine et familia metiendam aestimandamque esse, in hac re facile ei assentimus; immo ponamus, in uno tantum Codice octo illos versus repertos esse; iam unius Codicis auctoritas ad probandam, quam de versuum illorum αὐθεντίᾳ tuli, sententiam sufficit; nam cum Cato, cuius in primo versu, ut Lucilii defensoris et eius male factorum versuum emendatoris, mentio fit, Horatii aetate vixerit, (de Catone Valerio, nobili Horatii aetate grammatico, vid. Sueton. de Illustr. Grammat. c. 11. et quem citavit *Eichst.* in laudato Progr. p. 7. *Wernsdorf* in *Poett. Lat. min.* T. III. p. 46 et 61. seqq.) ipsum Horatium versuum illorum auctorem fuisse, sponte apparet. Nam quis vel fingere sibi potest animo, vivo Horatio, extitisse tam perfrictae frontis hominem, qui nobilissimi tum temporis poetae carmini eiusmodi exordium pararet? Iam vero, si quis quaerat, quid sit, quod octo illi versus in quibusdam Codd. omissi sunt? in promptu est, quod ei respondeam. Eques Maecenas, quod Horatius alium equitem, verberibus quasi ad doctrinae studium compulsum, satis acerbe *Grammaticorum Equitum doctissimum* appellavit, non indigne tantum tulisse, sed Horatium quoque, ut versus illos deleret, rogasse et impulisse videtur. Horatius viro, in cuius gratia omnem felicitatem suam ponebat, paruit. Videtur igitur ille Codex, in quo versus illi scripti sunt, integrior fuisse iis, a quibus iidem versus exsulant. Quod dixi de hac Satira ex abrupto cum particula *Nempe* incipiente, id me dixisse nondum poenituit; nam ad particulam *Nempe* supplenda omnino est aliqua sententia; quod non opus est, si octo illi versus huic satirae praefixi leguntur, ut paulo ante ostendimus. Laudavit quidem *Eichstadius* simile initium Satirae tertiae apud Persium (*Nempe hoc assidue?*), sed hoc probat tantum, Persium Horatianarum satirarum exemplum in manibus habuisse, in quo versus illi praetermissi fuerunt. Quis nescit au-

Qui multum puer et loris et funibus udis
Exhortatus, ut esset, opem qui ferre poëtis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Vt redeam illuc:
Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucilî: Quis tam Lucilî fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera; nam sic
Et Laberî mimos, ut pulchra poemata, mirer.
Ergo non satis est, risu diducere rictum
Auditoris; (et est quaedam tamen hic quoque virtus.)
Est brevitate opus, ut currat sententia; neu se

tem, quam saepe imitatores ea, quae minus recta sunt, secuti sint? Ceterum de re, quae nunquam satis ad liquidum perduci potest, equidem nolui pugnare cum quoquam, multo minus cum Viro, quem me et doctiorem et acutiorem esse scio.

v. 4. *Est quo vir melior*, haec est vetus lectio, quam revocavi. *subtilior illo*, acutior illo equite.

v. 6. *exhortatus* passive, vid. quem laudavit *Heind. Vechner. Hellenolex.* I, 1, 9, p. 116. *ed. Heus.* sed *Heindorfius* pro *exhortatus* ex Cod. Berol. dedit *exoratus*. Si quid mutandum sit, malim, quod suspicatus est *H. Glareanus: exornatus*. Huic enim lectioni favet Terent. Heaut. V, 1, 78. *adeo exornatum dabo, adeo depexum* sc. verberibus.

v. 1. *Incomposito*, haud ad rhythmum et numeros composito; moleste enim incedebant versus Lucilii; hinc supr. Sat. I, 4, 8: *durus componere versus*.

v. 2. *quis tam Lucili fautor inepte est*, si ita scripsit Horatius, erit: quis fautor Lucilii tam inepto modo est eius fautor? sed hoc durum. Exempla quidem ad hanc loquendi rationem stabiliendam afferri possunt, v. c. Ovid. Amor. III, 5, 15. *Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus*, (pro: felix.) et Martial. III, 44. *nimis poeta es.* Sed scripsit fortasse ad vulgarem loquendi rationem Horatius: *Quis tam Lucili fautor ineptus?*

v. 4. *charta eadem*, in eodem carmine, scilicet in quarta satira.

v. 6. *Laberi* — Sueton. Caes. 39. *Ludis, Decimus Laberius, eques Romanus, mimum suum egit: donatusque quingentis sestertiis et annulo aureo.* Macrob. II, 7. et VII, 3. *mimos — mimi*, poemata lascivioris et petulantioris ioci plena, vel licentius lasciviam imitantia.

v. 8. *hic quoque*, in hac quoque re, scilicet in movendo risu; — *virtus* (ἀρετή) facultas laude digna.

v. 9. *neu se Imped. v. lass. on. aur.*, neu impedita et molesta reddatur nimia verborum aures fatigantium abundantia.

v. 10. 11. *Interdum urbani*, interdum simplicitatis, urbanitatis, et humilioris scribendi generis studiosus. — Qui simpliciora sectatur, non vires intendit, sed eas extenuat et

Impediat verbis lassas onerantibus aures;
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
Defendente vicem modo rhetoris, atque poetae,
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi, quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque simius iste,
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.

iis parcit. Est igitur *parcere viribus*, quod nos dicimus: *sich herabstimmen.*

v. 11—14. *tristi*, severo. — *Defend. vicem modo*, sustinente modo partes rhetoris, cett. sic *partes actoris defendere* infr. in Epist. ad Pison. v. 194. — *Interdum urbani*, hominis ad urbanitatem, h. e. ad elegantiores mores, ad comitatem et facilitatem compositi; (de voce *urbanus* et *urbanitas* vid. *Ernest.* in Clav. Cic.) is igitur *parcit viribus*, h. e. ea, quae gravius et acerbius dici possint, temperat et *consulto extenuat*; per *vires* intellige dicendi vim et gravitatem.

v. 15. *secat*, dirimit, ut infr. Epist. I, 16, 42. *Quo multae magnaeque secentur iudice lites?* sensus: in rebus magni momenti dirimendis plus saepe iocose, quam salse dictis efficitur. *plerumque*, haud raro, saepe, ut in Epist. ad Pis. 14. et 95.

v. 16. *Illi, quibus — viris*, pro vulgari: illi viri, quibus; plane, ut supra Sat. I, 4, 2. *Atque alii, quorum — virorum*, pro: atque alii viri, quorum; ubi vide quoque de prisca comoedia.

v. 17—19. *Hoc stabant*, in hac re sibi constabant, has partes constanter tuebantur; nisi quis explicare malit: hac re placebant. Sic *Schol. Acr. eo ipso placebant, quod ridicula eo magis morderent, quam si acria protulissent.* Scilicet *fabula stare* dicitur, si ab initio usque ad finem plausum fert. vid. *Heind.* ad h. l. — *pulcher*, fortasse quia Hermogenes Tigellius *pulcher* videri volebat, vel pulchri speciem ridicule affectabat: serio certe Horatius non *pulchrum* appellavit Hermogenem; de *cantore Hermogene Tigellio*, quem poeta supr. Sat. I, 2, 3. ut iam mortuum, nunc, ut vivum adhuc, inducit, vid. *Heindorf.* supr. ad Sat. I, 4, 72. — *simius*, per *simium* poeta designasse videtur aut modulatorem, qui simii instar ridicule imitabatur Hermogenem, aut alium quendam pusilla et foeda forma insignem; posteriorem explicationem confirmat *Schol. Cruq. notat M. quendam Demetrium, quem simium nominat propter deformitatem et brevem staturam; erat autem δραματοποιός h. e. modulator, histrio, actor fabularum;* sic pusillus et deformis homo apud Graecos πίθηκος: exempla dedit *Heindorfius* ad h. l.; de priore explicatione, ubi *simius* vel *simia* de ridiculo imitatore dicitur, exempla collegit *Forcellinus* s. v. *simia.* — *Nil praeter Calv. et doctus cantare Catull.* nulla alia nisi Calvi et Catulli carmina decantare doctus; suavissime haec vertit *Vossius: oder das Aefflein, welches den Calvus allein abtrillerte und den Catullus.* — *C. Licinius Calvus* nobilis fuit poeta, qui carmina iocosa et amatoria composuit. Ovidius quoque in Trist. II, 481. *Calvum* parem et similem *Catullo* facit. Modulatores igitur illi, *Hermogenes* et *simius iste* non carmina graviora et severa, sed leviora tantum et iocosa legere, ediscere et decantare solebant.

At magnum fecit, quod verbis graeca latinis
Miscuit. O seri studiorum! quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.
Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
Scilicet oblitos patriaeque patrisque Latini,
Cum Pedius causas exsudet Puplicola, atque

v. 20. *At magnum fecit* cett. At Lucilius, quod verba graeca latinis immiscuit, fecit aliquid magno poeta dignum.

v. 21. *O seri studiorum*, o vos, qui haud Musarum favore ad bonarum literarum studia sero accessistis! — *quine putetis* cett.? pro vulgari: o vos inepti! — exempla de hoc loquendi usu suppeditavit *Heindorfius.*

v. 23. *contigit*, sc. facere *Rhodio Pitholeonti*, *Vet. Schol. Dicitur Pitholeon epigrammata ridicula* (inepta) *scripsisse, in quibus Graeca verba mixta erant cum Latinis.* — *concinnus*, concinnatus, concinne compositus.

v. 24. *nota Falerni*, vinum Falernum; nota scilicet amphorae vel cado addita docebat, ubi et sub quibus consulibus, h. e. quo anno vinum, in iis conditum, natum esset. cf. supr. ad Od. II, 3, 8.

v. 25—26. *Cum versus facias* cett. sensus: num, quaeso, tum, cum versus facias, suavius esse existimas, verba graeca latinis admiscere, an (*et*) etiam tum, cum gravis causa accusati Petilli (pro quavis causa) tibi peroranda sit? De Petillio, furti, quo coronam auream de capite Iovis Capitolini (unde ille *Capitolinus* dictus est) sustulisse dicitur, accusato et ab iudicibus in gratiam Augusti, cuius amicus erat, absoluto, vid. supr. ad Sat. I, 4, 99. eius causa dicitur *dura*, quia non facile ab insimulato crimine purgari poterat.

v. 27—28. pro *oblitus* dedi cum *Heindorfio* ex elegantissima coniectura *Bentleii: oblitos;* sensus et nexus: Scilicet (ut *videlicet* cum irrisione, ubi contrarium intelligendum est) cum Pedius Publicola atque Corvinus causas in iudicio (*exsudet*) omni virium contentione dicat, tu malis sane, eos, oblitos et terrae, ubi nati sunt, et patris Latini, (soceri Aeneae, tamquam auctoris latini nominis, et latinae linguae) verba ex peregrina (*foris*) lingua petita patriae linguae verbis intermiscere, sicuti Canusini in Apulia linguam graecam et latinam inter se commiscere solent. — Possis quoque *patrisque Latini* accipere in sensu proprio de patre, qui natos patriae linguam (*Muttersprache*) h.

Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atqui, ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit tali me voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera:
„In silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas."
Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
Quae nec in aede sonent certantia, iudice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta

e. latine loqui docuit. *Fea* defendit lectionem: *Scilicet oblitus patriae patrisque; Latine Quum Pedius causas exsudet. Ped. Pupl. — atque Corv. — Schol. Cruq. Fuerunt hi duo, Pedius Publicola et Messala Corvinus, oratores Romae valde insignes. Pedius* quidem *Publicola* videtur *Gesnero* et aliis filius fuisse Q. Pedii illius, qui anno 710 cum Octaviano consul *legem Pediam de percussoribus Caesaris* tulit. Clarior *Pedio* est *M. Valerius Corvinus Messala,* quem Quinctilianus quoque X, 1. ad optimos Romanorum oratores refert; et hinc Horatius eundem infr. Ep. II, 3, 370. *disertum* vocat. de his dictis oratoribus scripsit *Fr. Ellendt. Eloquent. Rom. Hist.* p. CXXX. seqq.

v. 31. *natus mare citra,* non trans vel ultra, sed citra mare, h. e. non in Graecia transmarina, sed in Italia natus, cf. Sat. II, 8, 47.

v. 32. *vetuit me,* sc. versus graecos facere.

v. 33. *cum somnia vera*, de opinione veterum, vera esse post mediam noctem somnia, exempla congessit *Ciofanus* ad Ovid. Heroid. XIX, 195.

v. 36 — 39. *Turgidus Alp. iug. dum Memn.*, dum tumidus poeta, Alpinus, Memnona ab Achille in pugna caesum describit, sed inepta descriptione eum de integro quasi caedit vel iugulat. — Eo fere redit, quod ad h. l. observavit vetus Scholiastes. — Scilicet homo ineptus ineptiis suis alterum *iugulare*, *occidere*, *enecare* dicitur. *Defing. Rh. lut. cap.* pro *defingit* offerunt quoque libri vett. *diffingit*, quam quidem lectionem spectat *Schol. Acr. Non quod luteum caput habet Rhenus, sed quod luteum facit* (diffingit) *ipse describendo male. Defingit* pro: describit, ita tamen, ut *descriptioni* insit simul notio *fictionis.* — Descripsit turgidus poeta Rhenum patrem ita, ut ei *luteum caput* affingeret. — Caeterum Horatius hunc tumidum poetam Alpinum infr. quoque Epist. *ad Pis.* 18, ubi Rheni descriptio ad assutos pannos purpureos refertur, respexisse videtur. — *iudice Tarpa, Schol. Cruq. Metius* (sive *Maecius*) *Tarpa fuit iudex criticus, auditor assiduus poematum et poetarum, in aede Apollinis seu Musarum, quo convenire poetae solebant, suaque scripta recitare, quae, nisi Tarpa aut alio critico probarentur, in scenam non deferebantur.*

Eludente senem, comes garrire libellos,
Vnus vivorum, Fundani; Pollio regum
Facta canit, pede ter percusso; forte epos acer,
Vt nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis melius quod scribere possem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti multa cum laude coronam.

v. 41—42. *Arguta meretrice* cett. sensus: Tu, Fundani, qui inter comoediarum scriptores, qui nunc vivunt, unicus et praestantissimus es, potes comoedias scribere, in quibus astuta meretrix et servus Davus, fraude dominum suum Chremetem circumveniens, garrientes inducuntur. — *argutus*, callidus, astutus, ut infr. Ep. I, 14, 42. *argutus calo. eludente*, fraude senem ludente; *eludere* proprie dicitur de gladiatoribus, ubi alter alterius ictum corporis declinatione effugit: — *comes garrire libellos*, suaviter pro: libellos conficere, in quibus personae garrientes inducuntur. *unus*, praestantissimus in eo, quod sibi sumsit, scribendi genere. Sic infr. Epist. II, 3, 32. *unus faber*, in uno fabrilis artis genere praestantissimus. — de *Fundanio*, ut insigni comoediarum scriptore, aliorum testimonia desunt; mentio eius quoque fit infr. Sat. II, 8, 19. Ad amicos suos *Fundanium* refert Cic. ad Qu. Fr. I, 2, 3. — de *C. Asinio Pollione*, nobilissimo tragoediarum scriptore, cf. supr. Od. II, 1, 9. et Virgil. Eclog. VIII, 10. Accurate de hoc viro summo, et de rebus ab eo gestis scriptisque praeter *Voss.* ad Eclog. III, 8. exposuit *Thorbeckius.* Lugd. Bat. 1820.

v. 43. *pede ter percusso*, versibus trimetris, quorum caesurae pedis ter percussi ictu servari docentur. *Schol. Cruq. i. e. ter dimenso, nam tragoedia trimetris versibus fere texitur. — Schol. Acr. i. e. trimetro iambico, quoniam tres caesuras habet.*

v. 43 — 44. *Varius* — de *Vario*, poeta epico et tragico, Horatii et Virgilii amico cf. supr. ad Od. I, 6, 1. et *Voss.* ad Virg. Eclog. IX, 35. — *forte*, plenum spiritus, quo agitatur et exsurgit poeta epicus; hinc Varius dicitur *acer;* — pro *ducit* scripsit fortasse poeta *dicit*, nam *carmen ducere* vel *deducere* de carmine tenui, ut Epist. II, 1, 225. *tenui deducta poemata filo*, translatum a lana, quae in tenuia fila ducitur vel deducitur; at *dicere* (*λέγειν*) de carmine epico vel sublimi, ut Carm. Saec. v. 8, et sexcenties alibi.

v. 44. *molle*, quod molliore rerum rusticarum descriptione lectorum animos demulcet; *facetum*, quod concinnitate, elegantia et suavitate delectat.

v. 45—49. *Hoc erat* cett. Horatius dixit in v. 37. *haec ego ludo*, h. e. ego scribo satiras; et nunc addit: *Hoc erat* cett. hoc scribendi genus satiricum erat, in quo ego melius Varrone Atacino, frustra id experto et quibusdam aliis versari possem. — *P. Terentius Varro*, Narbonensis, a fluvio Atace *Atacinus* appellatus,

At dixi, fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprêndis Homero?
Nil comis Tragici mutat Lucilius Accî?
Non ridet versus Ennî gravitate minores,
Cum de se loquitur, non ut maiore reprensis?
Quid vetat et nosmet Lucilî scripta legentes,
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus? Etrusci
Quale fuit Cassî rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,

fuit quidem poeta bonus, sed in scribendi genere satirico *infelix* (ut loquitur Noster infr. Epist. ad Pison. 34.).

v. 48. *inventore minor*, postponendus tamen Satirae inventori, Lucilio.

v. 50—51. *At d. fl. h. l. saepe ferent.* cett. at dixi, saepe hunc fluere lutulentum, *ferentem* (secum vehentem, *trahentem*, ut loquitur Horat. v. 70. accommodate ad eum, qui *lutulentus fluere* dicitur) *quidem* (utique), quae recidenda magis quam (*relinquenda*) servanda sint; *tollere*, ut infr. Epist. II, 2, 113. *virtute carentia tollet*; pro: recidere, cf. supr. ad Sat. I, 4, 11.

v. 52—55. Sensus: Tune, qui docte de poetarum pretio iudicare didicisti, nihil in magno Homero reprehendis? *Comisne* (cum irrisione ita appellatur) Lucilius nihil in Tragico Accio mutat? (mutandum censet h. e. reprehendit?) nonne Ennii versus, quibus deest gravitas, ridet? cum Lucilius de se loquitur, nonne ita loquitur, ac si potior esset iis, quos reprehendit? *comis*, in v. 65. addit *urbanus*; fortasse vocabatur ita ab iis, qui eum defendebant. — *Accius*, in tanto honore fuit poeta tragicus, Accius, ut infr. Epist. II, 1, 56. *famam alti senis* (h. e. Sophoclis) *auferre* dicatur.

v. 56—64. *Quid vetat.* cett. Sensus: Quodsi igitur optimi quique scriptores obnoxii sunt reprehensioni, cur non mihi quoque liceat quaerere, num Lucilio ingenium vel difficilis materies denegarit versiculos, elegantiores scilicet (*magis factos*) et mollius fluentes, quam si quis, ut Lucilius, (hoc tantum contentus, aliquid redigere posse in hexametrum) ducentos versus ante coenam, et totidem post coenam deproperasse sibi placeat. — Sed, ut mihi videtur, aptior, simplicior et concinnior huius loci fit sententia, si ea constituatur sic: Quidni et ego, cum negligentius scriptos Lucilii versus lego, quaeram, utrum ingenium magis, vel rerum, quas sibi tractandas sumsit,

Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
Detereret sibi multa; recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur; et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.

difficultas ei denegaverit versus elegantes et mollius fluentes, an *festinatio*; nam in verbis *si quis* cett. usque ad *coenatus*, nihil, nisi *festinatio* expressa est. Exibit autem haec sententia, si in v. 59. pro *ac si*, levissima mutatione *an si* posueris. Sic Horatius (ut supr. Sat. IV. ubi dicit v. 9. 10. *Nam fuit hoc vitiosus, in hora saepe ducentos, Et magnum, versus dictabat, stans pede in uno*, et v. 12. *piger scribendi ferre laborem*) omnia vitia Lucilii versibus exprobranda unice a summa eius festinatione, incuria et negligentia repetit. *Num — an* pro *utrum — an* respondent sibi ut Sat. II, 5, 50. *Num furis, an prudens ludis me, obscura canendo?* et sic saepe. — *illius natura*, ingenii vires, facultates; *rerum dura natura*, rerum scribendarum difficilior materies, sive argumentum, non sine intentiore et molestiore studio tractandum. — *factos* sc. arte elaboratos, expolitos; Cic. de Orat. III, 48. *oratio polita atque facta quodammodo*; cf. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *factus.* — verba *pedibus quid* usque ad *contentus* parenthesi distinxi. — *Etrusci Quale fuit Cassî*, — Cassius Etruscus, quia pariter, ut Lucilius, brevi temporis spatio ingentem versuum numerum temere fundere solebat, poeta fuit vitiosus; at infra Epist. I, 4, 3. ut poeta egregius laudatur *Cassius Parmensis.* Attamen praeter *Scholiast.* *Cruq.* fuerunt, qui per Cassium Etruscum et Parmensem unum eundemque designari contenderent; cf. *Ruhnken.* ad Vellei. II, 88. Sed mihi Horatius addita hic voce *Etruscus*, et infr. *Parmensis* data opera duos Cassios inter se distinxisse videtur, quicunque tandem ille *Etruscus* fuerit; satis notus est *Cassius Parmensis*, non tantum ut poeta tragicus, sed etiam ut Caesaris interfectorum unus. — *capsis quem fama est* cett. ad ingentem librorum, quos Cassius scripserit, copiam designandam eius rogo exstruendo ligni loco ipsius libri librorumque receptacula adhibita esse dicuntur; *ambustum* pro *combustum*, nisi poeta rem nimis auctam proprio vocis *amburere* usu paulum minuere voluit.

v. 64—71. *Fuerit Lucilius* cett. Sensus: Concedam, Lucilium poetam esse comem et urbanum, et limatiorem adeo Ennio, et aliis scriptoribus antiquioribus, sed Ennius, si nostra aetate viveret, non, ut Lucilius, multa, quae tollenda essent, relinqueret, sed detereret atque recideret, nec, sicut Lucilius, brevi temporis spatio multos versus temere effunderet, sed in versu faciendo saepe caput scaberet et vivos ungues roderet, h. e. summam curam et diligentiam in expoliendis versibus poneret. — *auctor* ad Satirae inventorem, Lucilium, cum *Heindorfio* et aliis referri ne-

Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sint,
Scripturus; neque, te ut miretur turba, labores:
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est, equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut cruciet, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigellî?

quit, nam verba inde a *sed ille* nullo modo Lucilii ingenio conveniunt; *auctor* iam est scriptor, et totus versus: *Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor*, eleganter exprimit simplices voces: *Quam Ennius;* Ennius enim est scriptor carminis *rudis* (nondum elegantioribus numeris adstricti, nondum arte elaborati, et mollius fluentis) *et Graecis intacti* (quale non scripserunt poetae Graeci; scripsit enim Ennius Annales Romanorum fide historica.) pro *rudis et* ingeniose tentabat *Casaubonus de Rom. Sat.* p. 255. *Rudius*, ut vocatur Ennius a Cicerone in Orat. pro Arch. c. 10. a patria *Rudiis*, oppido in Calabria. — *vivos*, ad vivum usque.

v. 72—74. *Saepe stilum vertas*, saepe, quae scripsisti, deleas sive emendes: stili enim, quo literae cerae imprimebantur, pars superior erat lata sive plana, ita quidem, ut hac latiore inversi stili parte verba loco suo moveri et induci possent; *iterum quae* cett. ut de integro lectu digniora scribas; repetit hoc aureum praeceptum Horatius infr. Epist. II, 2, 109. sqq. *At qui legitimum cupiet fecisse poema, Cum tabulis animum Censoris sumet honesti; Audebit, quaecunque parum splendoris habebunt, Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur, Verba movere loco, quamvis invita recedant.*

v. 75. *dictari*, a ludimagistris praelegi vel recitari, et a pueris edisci.

v. 77. *explosa Arbuscula*, libertina et mima, tum admodum celebris, ut apparet e Cicerone in Epist. ad Att. IV, 15. *Quaeris nunc de Arbuscula; valde placuit.* aliquando tamen a plebe, ut videtur, explosa est, unde se nihil curare plebem dixit, modo homines cultiores ex ordine equestri sibi applauderent. — *audax*, confidentior, liberius, quae sentiret, pronuncians, nos: *keck*.

v. 78—80. Iam Horatius nominatim quatuor adversarios, Pantilium, Demetrium, Fannium et Tigellium ut homines ineptos et dignos, quos contemnat, producit. Oratio in his tribus versibus est paulo verbosior; iunge: *Mene moveat, aut cruciet, aut laedat, quod cimex Pantilius, quod Demetrius, quod ineptus Fannius, Hermogenis Tigelli conviva, me absentem vellicet?* — *Pantilius* a *cimice*, male olente, et dormientes praecipue vexante atque mordente, ut homo, quem quivis aversetur, carpitur. — *Demetrius*, modulator, ut apparet e vers. 90 et 91. cf. v. 18. ad vocem *simius*. *Fannius*. cf. supr. I, 2, 3.

Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius, et probet haec Octavius optimus, atque
Fuscus; et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata, te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre: simulque
Vos, Bibule et Servi: simul his te, candide Furni:
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo: quibus haec, sunt qualiacunque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,

v. 81—90. Iam Horatius appellat eos, quibus scripta sua placere cupit, viros nempe nobilitate poeseos et doctrinae gloria conspicuos; — *Plotius* cf. supr. I, 5, 40. *Varius* supr. ad Od. I, 6, 1. et Sat. I, 9, 23. *Valgius* cf. supr. ad Od. II, 9, 5. — *Octavius*, de hoc Horatii amico et viro docto nihil aliunde constat; *Octavianus*, quem nusquam Horatius appellavit *Octavium*, intelligi nequit, ut nihil dicam de loco, quem iam poeta nullo modo *Octaviano* inter *Valgium* et *Fuscum* assignaturus fuisset. — *Fuscus*, de *Aristio Fusco* cf. supr. Od. I, 22, 4. *Visc. uterque*, cf. supr. Sat. I, 9, 22. — *ambitione relegata*, sine omni gloriae per nomina vestra mihi captandae studio; ait igitur Horatius, se Pollionem et ceteros, iam non ut viros nobiles, quorum patrocinium iactare possit, sed ut doctos et idoneos carminum suorum arbitros appellare. — *Messala* cf. supr. ad v. 29. *tuo cum fratre*, (*Schol. Cruq.*) *Publicola*. — *Bib. et Ser.* — *Bibulus* e gente Calpurnia et *Servius* e gente Sulpicia; hi non nobilitate solum, sed etiam doctrinae laude insignes fuisse videntur, ut ex hoc loco apparet; *simul his*, pro: una cum his; ut inf. Epist. II, 2, 205. et sic passim. *Furni. Schol. Cruq. Furnius historiarum fide et elegantia claruit.* — *si plac. spe Deterius nostra*, si minus, quam ego spero, placeant, si praeter spem meam displiceant.

v. 90. Postquam Horatius contra obtrectatores, praecipue contra eos, qui Lucilium male ab eo ut poetam vitiosum reprehensum esse clamabant, causam suam peroravit, iam finem carmini impositurus Demetrium et Tigellium, dum eos ut ridiculos obtrectatores missos facit, non, ut alias a nobis discedentes, *valere*, sed salsissime *inter discipularum cathedras plorare iubet; plorare* enim, ut apud Graecos οἰμώζειν et κλαίειν, (exempla vide apud *Heindorfium*) de querelis, quas quis de misera sua sorte fundit, dicitur. Videntur autem Tigellius et Demetrius scholas habuisse, quibus intererant tantum puellae, sedentes in *cathedris*, feminarum sedilibus commodioribus et mollioribus; Martial. III, 65, 7. *Inter femineas tota qui luce cathedras Desidet.* Ad discipulas *Heindorfius* nimis argute, puto, referendos quoque censet in genere feminino *pue-*

Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

ros molles et pathicos. — *I puer.* cett. iubet puerum dictatae satirae statim adiicere verba, quibus valedixit Tigellio atque Demetrio. *Schol. Porphyr. Eleganter, quasi hoc ex tempore dixerit, praecipit puero, ut in libellum suum (in hanc suam satiram) illud conferat, ne pereat tam opportunum et congruum in modulatores dictum.*

Q. HORATII FLACCI SERMONVM SIVE SATIRARVM LIBER SECVNDVS.

SATIRA I.

Sunt, quibus in Satira videor nimis acer, et ultra
Legem tendere opus: sine nervis altera, quidquid
Composui, pars esse putat; similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,

SATIRA I.

Horatius de satiris, quas scripserat, lascivius ab adversariis petitus, cum iam hunc secundum satirarum librum in lucem emissurus esset, Trebatium, virum venerabilem et Iurisconsultum, de satiris in posterum aut scribendis aut non scribendis suaviter secum disputantem inducit. Res redit eo: Horatius tam in laude, quam Caesar bonis carminibus tribuat, quam in cogitatione, homines reprehensione dignos recte reprehendi ab homine integro, acquiescit.

v. 1—4. *sunt, quibus videor.* in paucis librr. vett. *videar,* plurimi codices apud *Feam* tuentur *videor;* exempla, ubi post *sunt, qui* antique et graece ponitur indicativus, dabit *Heindorf.* supr. ad Sat. I, 4, 24. — *acer*, similis fere acri cani, qui omnes allatrat mordetve. — *ultra leg. tend. opus*, ultra modum extendere satiras, vel modum in scribendis satiris, sive in carpendis hominum vitiis excedere; *tendere,* simplex pro composito vel pro: *intendere* Statius Achill. I, 543. *Tende animum vigilem, facundumque erige pectus,* vel pro: *extendere*, ut infr. Epist. I, 5, 11. — *sine nervis*, sine vi et gravitate, *sine pondere et arte*, ut loquitur Noster, infr. Epist. ad Pis. 320. *deduci* cf. supr. ad Sat. I, 10, 44. — *Treb.*, — *Trebatius*, clarus iurisconsultus, a Cicerone, (cuius ad eum scriptae epistolae exstant in Epist. ad Famil. L. VII. inde ab Epist. 6 usque ad 23.) Caesari, Galliarum

Quid faciam, praescribe. Quiescas. Ne faciam, inquis,
Omnino versus? Aio. Peream male, si non
Optimum erat; verum nequeo dormire. Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere: multa laborum
Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,

proconsuli, commendatur his verbis: *De quo tibi homine haec spondeo — probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. Accedit etiam, quod familiam ducit in iure civili, singularis memoria, summa scientia.* — *Quiescas*, abstineas ab opera, quam carminibus scribendis impendis, desine satiras scribere, *nequeo dormire*, temporis igitur (hoc enim supplendum) fallendi causa versus facio. Sed sunt, in quibus est *Heindorfius*, qui *dormire* pro: cessare, inertem esse, explicent, et Trebatium, hac iocosa dilogia deceptum, ad τὸ *dormire*, tanquam in propria significatione positum, respondere opinentur. Mihi quidem eiusmodi iocus indignus videtur Horatio. — *uncti*, supr. Od. III, 12, 6. *Liparaei nitor Hebri Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis.* Gymnasticae, ut observant ad h. l. interpretes, exercitationes, quae in campo Martio a iuvenibus oleo unctis instituebantur, ad eorum corpora recreanda natatione finiri solebant. Sed fortasse ipsius natationis causa, (ut in aliis laboribus, quibus vires et nervi maxime intendebantur,) oleo ungi solebant corpora. Sic Cleobis et Biton, antequam ad iugum matris in fanum vehendae causa accedebant, *veste posita oleo corpora perunxisse dicuntur.* Cic. Quaest. Tusc. I. c. 47.

v. 8. 9. *transnanto*, lepide Trebatius, ut Iurisconsultus, legum formulis adsuetus, quid faciendum sit Horatio, in imperativo praescribit. *Irriguumque mero corpus*, nam, qui vino madent, facile a somno opprimi solent. Caeterum hoc datum Horatio consilium bene respondet ingenio Trebatii, quem et natandi studiosissimum et bonum vini potorem fuisse ex Cic. Epist. VII, 10. et 22. discimus.

v. 11. *Caesaris*, sic Octavianus ab Horatio in Satiris, Epod. et libr. prim. Od. (ut observat *Bentlei.* in praefat. ad Hor.) vocatur; nam Augusti nomen anno demum DCCXXVII assumsit Octavianus; Dio Cass. LIII, 16.

v. 13. *horrentia pilis agmina*, agmina rigentia pilis protensis vel in altum erectis; sic passim *horrentia arma*, Virg. Aen. I, 618. *horrentes hastae* (Virg. Aen. X, 178.), *horrentes comae* cett.

v. 14. *fracta cuspide*, frangebatur enim emissi pili cuspis in corpore defixa; de forma pili, hastilis lignei trium cubitorum, et ferro eiusdem longitudinis muniti vid. *Heindorf.* ad h. l. Caeterum Horatius in hoc ipso loco, ubi se ad carmen epicum componendum viribus destitutum profitetur, versus aliquot fecit poeta epico dignissimos.

Aut labentis equo describit vulnera Parthi.
Attamen et iustum poteras et scribere fortem:
Scipiadam ut sapiens Lucilius. Haud mihi deero,
Cum res ipsa feret. Nisi dextro tempore Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem:
Cui male si palpere, recalcitret undique tutus.
Quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram, Nomentanumque nepotem,
Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.

v. 16—17. *fortem*, quae recta et honesta sunt, strenue peragentem. *Scipiadam* (graece, ut apud Virgil. Georg. II, 170. Aen. VI, 844. pro: *Scipioniadem*) intelligo Scipionem Africanum minorem, cuius haud vulgarem cum Laelio amicitiam celebravit Cicero in *sermone de Amicitia*, — *sapiens Lucilius*, quia sapienter vitam Scipionis sibi describendam sumsit. *Vet. Schol Lucilius Vitam Scipionis privatam descripsit, Ennius vero bella.* — *Haud mihi deero*, (ut supr. I, 9, 55.) id equidem faciam. Qui non negligit facere, quod pro viribus facere potest, is sibi non deest. — *Cum res ipsa feret*, cum ipsa huius rei peragendae se offeret opportunitas.

v. 18—20. *Nisi dextro tempore.* Sensus: Nisi enim carmen a me compositum Augusto tradetur opportuno tempore, quo illud attento animo legere possit, is, (*undique tutus*) ab omni parte contra aditum adulatorum munitus, carmen importuno tempore a me traditum reiiciet. Comparatur Augustus cum equo generoso, qui, a nemine sibi timens, si quis ei (*male*) importuno tempore blandiatur palpando vel mulcendo, recalcitrat. — Hanc comparationem *Heindorfius* duram et inhonestam appellat. At iam Augustus non in universum comparatur cum equo, sed cum ea tantum generosi equi indole, qua se non mulceri patitur importuno tempore. Sic apud Homerum Iliad. XI, 557. Aiax, e pugna, ubi caedi indulserat, lento gressu recedens, non in universum cum asino comparatur, sed egregie ad rem cum asini, e segete, cui depascendae indulget, se aegre repelli patientis, tarditate. In plurimis enim comparationibus, ut iam supr. ad Od. IV, 4, 1. observavimus, ea tantum rei comparatae pars, quam solam respexit quisque poeta, spectanda est. Ad quod si animum advertissent interpretes, rectius saepe de comparationibus a poetis institutis iudicaturi fuissent. Confer, quae olim in hanc rem notavimus ad Catull. LXV, 19 sqq.

v. 21. *hoc*, nempe Caesaris invicti res dicere. — *tristi* (contumelioso et proinde *tristes iras* supr. Od. I, 16, 9. excitante) *laedere versu*, ut fere inf. *atris versibus aliquem oblinere*, pro: sale satirico aliquem perfricare.

v. 22. *Pantol. sc. Nom.* cf. supr. Sat. I, 8, 11.

v. 23. *intactus*, nondum tristi versu laesus. — *odit*, scilicet versus tristes tristiumque versuum auctores.

Quid faciam? saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucilî ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris: neque, si male cesserat, unquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella

v. 24—29. *Quid faciam?* quid ego aliud, quam versus, faciam? Quot enim sunt homines, totidem sua quisque sectantur studia. Milonius saltatione, Castor equorum domandorum studio, Pollux pugilatu gaudent; ego, ut Lucilius, delector scribendis satiris. — *Milonius. Schol. Porph. Milonius scurra illorum temporum, qui cum semel ebrius esset, statim saltare incipiebat.* — *ut semel*, simulac, postquam, *icto*, vino, cuius vis caput quasi percutit, h. e. inebriat. Milonius igitur, verum esse, quod Cicero ait (pro Muren. c. 6.), *neminem fere saltare sobrium*, exemplo suo comprobavit. — *numerusque lucernis*, quia ebrii geminum lucernarum numerum sibi videre videntur, suaviter lucernis numerus accedere dicitur. Iuvenal VI, 304. *Cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis.* — et sic Ovidius in Art. Am. III, 764. *bina videre.* — *Castor gaudet equis*, vide supr. Od. I, 12, 25. 26. *Dicam et Alciden, puerosque Ledae, Hunc equis, illum superare pugnis, Nobilem.* — *Quot capitum* cett. notum est illud Terentii (Phorm. II, 4, 14), *quot homines, tot sententiae, suus cuique mos.* Homeri Odyss. ξ, 228: ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις. — *ped. claudere verba*, sic supr. Sat. I, 10, 59. *pedibus senis claudere.* — *nostrum melioris utroque*, nobilioris utroque nostrum. Quodsi igitur, Horatius vult dicere, Lucilium non puduit satiras scribere, cur me, qui homo sum ignobilis, nec, utrum Lucanus, an Apulus dicendus sim, satis scio, huius rei pudeat? De Lucilii nobilitate *Schol. Cruq.* ad hunc locum observavit haec: *qui melior fuit et me, et te, Trebati, censu*, (ipse Horatius infr. v. 75. *se infra Lucilii censum esse ait*) *et natalibus. Fuit enim vir bonus et valde nobilis, utpote Magni Pompeii avus.* — Hanc Lucilii nobilitatem confirmat alius quoque *Schol.* infr. ad v. 75. sed is, docens, Lucilii sororem aviam Pompeii fuisse, Lucilium non *avum*, sed *maiorem avunculum* Pompeii fuisse ostendit; cf. Vellej. Pat. II, 29.

v. 31—33. *neque, si male cesserat* cett. neque, sive quid male, sive quid bene ei cesserat, usquam alio, nisi ad fidos suos sodales, ad libros, quibus id mandaret, decurrebat. Lucilius scilicet tam laeta, quam tristia, tam recte, quam minus recte facta, tam laudanda, quam carpenda, diligenter notabat, unde eius vita tanquam in tabula votiva descripta dicitur. — pro *cesserat*, quod

Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Apulus, anceps:
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc, pulsis (vetus est ut fama) Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod Apula gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro
Quenquam animantem; et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus; quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater, et rex

defendit optimorum Codd. apud *Feam* auctoritas, in plurimis librr. et editt. legitur *gesserat*; utraque lectio eodem redit, ad *cesserat* supplendum est: *ei quid*, ad *gesserat: quid.* — *votiv. tab. Schol. Cruq. Votiva tabula est, quae ex voto posita est in templo aut aliquo loco publico, in qua descripta h. e. depicta est fortuna alicuius. Ita solent naufragi suum naufragium in tabella depictum circumferre.* — *pateat*, conspiciendam se praebeat, ante oculos posita sit, elegantius pro: *sit.*

v. 34—39. *Sequor hunc*, hunc sequor ego, homo ignobilis, cuius patria utrum ad Lucaniam, an ad Apuliam referenda sit, in ambiguo est; nam colonus in patriam meam Venusiam deductus inter Lucaniam et Apuliam agrum colit, (*ad hoc*) ideo, (*Sabellis*) Samnitibus, ut vetus fama est, pulsis, eo missus, (*Quo ne*) ne hostis per loca *vacua* (non obsessa, non defensa) in Romanum agrum incursionem faceret, sive quod ipsa Apulia, sive infesta Lucania bellum inferret. — *hic stilus*, haec carminum ad Lucilii exemplum scribendorum ratio.

v. 41. pro *destringere* legendum esse *distringere* praeter rem ad h. l. contendit *Heindorfius.* — *distringere* enim est: huc illuc vel in diversas partes trahere; unde aliquis *distringi* dicitur, qui uno eodemque tempore variis et pluribus negotiis *distinetur*, huc illuc trahitur. Sed *destringere* est: ex loco aliquo aliquid stringere vel trahere. Hinc recte nunc in Cicerone Off. III, 31. legitur: *confestim gladium destrinxit*, et in Orat. Tog. Cand. *conantur in rempublicam sicas destringere.* In quam quidem rem *Ernestius in Clav. Cic. s. v. destringere* notat haec: „*Hodie nemo dubitat in his literis paulo versatior, in omnibus, in quibus detrahendi vis exprimenda est, destringere rectum esse, non distringere.*“ Viros doctos, qui idem docuerunt, ibidem laudavit *Ernestius.* Itaque supra quoque Od. III, 1, 17. recte legitur: *Destrictus ensis cui super impia Cervice pendet.* Similiter inter se differunt *deripere* et *diripere*, illud enim dicitur de rebus singulis, quae ex loco aliquo detrahuntur et auferuntur, hinc supr. Od. III, 5, 1. *signa, Punicis adfixa delubris, derepta*, (non *direpta*) dicuntur; hoc de rebus pluribus, quae a pluribus *in diversas partes* (haec enim notio inest voculae *di* vel *dis* in verbis compositis) rapiuntur et auferuntur, ut in bello urbes, loca, castra cett. *diripi* solent a militibus.

v. 42. *O pater et rex Iup.* „tractum hoc, ut observat *Vet. Schol.*,

Iuppiter, ut pereat positum robigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commòrit, (melius non tangere, clamo),
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam;
Canidia Albutì, quibus est inimica, venenum;
Grande malum Furius, si quid se iudice certes
Vt, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc Natura potens, sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem; nil faciet sceleris pia dextera; (mirum
Vt neque calce lupus quenquam, neque dente petit bos;)
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

ex Graeco," scilicet ex Callimachi Frag. p. 378 et 581. edit. *Ernesti.* *Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων τᾶν ἀπόλοιτο γένος.* Quod expressit Catullus de coma Berenices v. 48. *Iupiter, ut Chalybón omne genus pereat.* — *ut*, utinam. — *positum*, depositum, sepositum, vel tectum vagina.

v. 45. *me commórit* sc. ira, me iratum reddiderit, lacessiverit; nam poetae, ut Horatius infr. Epist. II, 2, 102. ait, sunt *genus irritabile;* hinc passim apud Terentium, qui ira fervet, *commotus* dicitur.

v. 46. *flebit*, plorabit, *οἰμώξεται*, h. e. gravi cum dolore poenitebit eum huius stultitiae. *flere* pro: graviter dolere, supr. Epod. V, 74. *O multa fleturum caput.* — *insignis*, insigniter a me notatus.

v. 47—56. Ad sententiam exprimendam: „sua quemque habere arma, quibus aut alios petat, aut ab aliis se defendat" quatuor homines, nequitia, improbitate, fraude et malis artibus tanquam armis, quibus infesti reddantur aliis, instructos, in medium producit. — *Cervius. Schol. Cruq. Cervius, Ascanii libertus, calumniator, accusavit Cn. Calvinum lege de Sicariis.* — *Vrnam*, significanter pro: sententias iudicum, sive quod iudices, nominibus eorum in urnam coniectis, sortitione ad causam aliquam diiudicandam designabantur, sive quod tabellae, in quibus perscriptae erant sententiae iudicum, in urna condebantur, et inde depromebantur. Hinc apud Virgil. Aen. VI, 432. *Quaesitor Minos urnam movere*, et apud Propert. IV, 11, 19. *Aeacus posita urna iudex sedere* dicitur. — *Canidia* (vide de ea in Argum. ad Epod. V.) *minitatur venenum Albuti*, h. e. quali Albutius uxori suae mortem parasse dicitur. *Vet. Schol. hic enim Albutius veneno uxorem suam peremisse dicitur.* — *Grande malum Furius* cett. Furius, si in causa tua iudex sedeat, *grande malum* (tristissimum causae tuae eventum) repete: minitatur. *Schol. Cruq. C. Marcium Furium significat iudicem corruptissimum, qui accepta pecunia pro reis pronuntiare sit solitus.* — *rem aliquam* pro *de re aliqua certare*, ut infr. Sat. II, 5, 27. *Magna minorve foro*

Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu Mors atris circumvolat alis,
Dives, inops, Romae, seu, Fors ita iusserit, exul:
Quisquis erit vitae, scribam, color. O puer, ut sis

si res certabitur olim. — Sensus et nexus sequentis et paulo impeditioris loci inde a v. 50. usque ad 57. est fere hic. Quomodo unusquisque iis, quibus valet, viribus suspectos et sibi infestos terreat, et quomodo natura, cuius magna est vis et potentia, *hoc* (se defendere contra suspectos) imperet, de hac re ita mecum cogita: lupus dente et taurus cornu pro armis utitur; (*unde*) ex qua tandem causa alia, nisi quod interna naturae vis lupum et taurum armis illis uti docuit? Ad Scaeva armis a natura sibi datis, dextera scilicet, ad vim inferendam non utitur; crede enim isti homini nequam et prodigo matrem, diutius, quam optat, viventem, non *pia* (homini scelestissimo per antiphrasin, ut loquuntur Grammatici, *pia dextra* tribuitur) *dextra* scelus faciet, (mirum sane, quomodo aliter agunt animalia, dum neque lupus quemquam calce, sed dente, neque bos dente, sed cornu invadit,) sed veneno anum necabit. — Horatius non elevat scelus Scaevae, quod iste matrem veneno occidit, sed potius illud aeque grave esse, ac si matrem impia dextra occidisset, ostendere vult. — Ceterum quod de naturae potentia affert poeta, id in sequentibus ad se ipsum sive ad satirarum scribendarum impetum, cui resistere nequeat, transfert. Per omnia autem exprimere voluit hoc: natura unumquemque, quibus se defendat, vel alios aggrediatur, armis instruxit; me satirarum, quibus in vitia hominum invehar, scribendarum facultate instruxit; ergo scribam. — *Scaevae. Schol. Cruq. Scaeva luxuriosus quidam fuit, qui matrem dato veneno necavit, propterea quod ei nimis diu viveret.* — *vivac.*; *vivax* iam in propria significatione de eo, cui vita longior contingit. Verba: *mirum* usque ad *petit bos* parentheseos signis distinxi. — *vitiato melle*, admixto melle, per cicutam vitiato.

v. 58. *Mors. atr. circum. alis.* Morti, ut diis plurimis ad celeritatem, qua illi ubique adsunt, designandam tribuuntur alae, et quidem Morti convenienter *atrae.*

v. 59. *Dives* cett. Seu dives sum, seu inops, seu vivo Romae, seu, si fors ita iusserit, exsul sum. Ad *iusserit* supplenda est omissa particula *si*, ut in vernacula: „*will es das Schicksal so.*"

v. 60. *vitae color*, vitae conditio, status, fortuna. infr. Epist. I, 17, 33. *Omnis Aristippum decuit color, et status, et res.* — *o puer, ut sis*, cett. Trebatius voluit dicere: vereor, Horati, ne scribendis satiris gratiam amicorum, ut Maecenatis, cett. perdas; pro eo dixit: *metuo, ut sis vitalis puer;* scilicet non medici, ut observat *Baxterus*, sed parentes et alii, qui puerum aliquem pro aetate nimis ingeniosum et acutum animadvertissent, dicere solebant, solentque: *metuo, ut hic puer vitalis sit*, et hanc ipsam ob causam Trebatius Horatium iam *puerum* nimis ingeniosum appellasse videtur. — *frigore*, dum amicorum favor erga te frigere incipit, *hoc frigore te feriet*, percutiet, vehementius afficiet, tentabit.

Vitalis, metuo; et, maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat. Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Laelius et, qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut laeso doluere Metello?
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit, populumque tributim;
Scilicet uni aequus virtuti, atque eius amicis.
Quin ubi se a volgo, et scena in secreta remôrant
Virtus Scipiadae, et mitis sapientia Laelì;
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec

Notum est illud Terent. Eunuch. II,2, 37. *nimirum hic homines frigent* h. e. *vilipenduntur.* Comparant Horatii imitatorem Pers. I, 109. — *Vide sis, ne maiorum tibi forte Limina frigescant.*

v. 64. *detrahere pellem*, tollere externam hominum speciem, aperta reddere, quae occultantur. — *nitidus*, speciem pulchram et honestam prae se ferens, *speciosus pelle decora.* — *per ora*, in conspectu hominum.

v. 65. *cederet* pro incederet, ut probant exempla a *Bentleio* allata, Plaut. Casin. II, 8, 10. et Pseudol. IV, 1, 45. *introrsum turpis.* simillime infr. Epist. I, 16, 44. *Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota Introrsus turpem, speciosum pelle decora.* Epist. ad Pis. 437. *animi sub vulpe latentes.*

v. 66. *Duxit ab oppressa Carth. nomen*, sc. Africani; sermo est de P. Scipione Africano minore, qui familiarissime vixit cum Laelio.

v. 67. *ingenio offensi* sc. sunt, ut v. 74. *soliti* pro: soliti sunt. — *ingenio*, sale satirico Lucilii. — *laeso Metello*, h. e. Metello versibus famosis lacerato. Intelligendus autem est *Metellus Macedonicus*, a Scipione, Lucilii amico, in republica dissentiens.

v. 68. *Lupo, Heindorfius* cogitat de *L. Cornelio Lentulo Lupo*, anno Vrb. 597. consule cum Q. Marcio Figulo. — *cooperto*, ut *onerare aliquem maledictis* apud Plautum ac Terentium. — *Atqui*, iam vero non Metellum tantum et Lupum, sed alios quoque *primores.*

v. 69. *arripuit*, insectatus est; *arripere* est fere, quod in v. 77. *illidere dentem;* nos: *anpacken.* — *tributim*, per singulas tribus.

v. 70. *aequus*, favens, placidus. — *eius amicis*, virtutis amantibus.

v. 71. *a scena*, a theatro quasi rerum publicarum, a luce publica, a frequentia hominum, *in secreta*, intra privatos parietes, ubi a frequentia hominum secreti vel seiuncti vivimus; intelligi potest villa.

v. 72. *Scipiadae*, vid. ad v. 17. *virtus Scipiadae*, fortis Scipio; ut supr. Od. III, 21, 11. *virtus Catonis* pro ipso Catone virtutis studioso. — *sapientia Laeli*, sapiens Laelius.

v. 73. *nugari*, pueriles iocos miscere, pueriliter iocari, ut infr. Epist. I, 18, 60. — *discincti*, negligentius

Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucilì censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia, et, fragili quaerens illidere dentem,
Offendet solido: nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis. Equidem nihil hinc diffindere possum;
Sed tamen, ut monitus caveas, ne forte negotì
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque. Esto, si quis mala: sed bona si quis
Iudice condiderit laudatus Caesare? si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?

vestiti, ut solent, qui ad res publice gerendas e domo non prodeunt. — *ludere*, (*Schol. Cruq.*) *Scipio Africanus et Laelius feruntur tam fuisse familiares et amici Lucilio, ut quodam tempore Laelio circum lectos triclinii fugienti Lucilius superveniens eum obtorta mappa quasi feriturus sequeretur.* cf. Cic. de Orat. II, 6. — *soliti* sc. sunt, ut v. 67. *offensi.* — *Infr. Lucil. cens.* quamvis Lucilius est *me melior*, h. e. nobilior, ut loquitur Noster supr. v. 29.

v. 76. *cum magnis*, Augusto, Maecenate cett.

v. 77. *et fragili quaerens* cett. et dum livor edax quaerit dentem infigere in corpore facile lacerando, inveniet, se nihil efficere posse in corpore *solido*, non facile perfringendo.

v. 79. *nihil hinc diffindere possum*, mira in hoc loco est lectionis varietas; in vett. librr. enim et editt. pro *diffindere* teste *Fea* legitur vel *diffingere*, vel *diffundere*, vel *diffidere*, vel *defingere*, vel *defindere*, vel *diffigere*, vel *defringere.* — *Bentleius* et *Heindorfius* defendunt *diffingere*, ut sit: mutare, immutare; sed hoc parum respondet verbis praecedentibus: *Nisi quid tu — Dissentis:* ego dedi *diffindere*, quod in eodem sensu, quo *secare* supr. Sat. I, 10, 15. et infr. Epist. I, 16, 42. pro: dirimere, positum existimo.

v. 81. *sanct. inscit. leg.* non leges XII. Tabb. poeta respexit, sed quascunque alias, quibus, ne quis maledicis libris vel ignominiosis carminibus aliorum bonae famae noceret, cautum fuit; *leges sanctae*, sancte omnino cuique observandae.

v. 83. *ius est Iudiciumque*, in ius et iudicium vocatur.

v. 85. *latraverit*, latrando petiverit, allatraverit; cf. supr. Epod. VI. ad v. 1—4. *latrare aliquem* pro *allatrare aliquem* dixit quoque Noster Epod. V, 58. et Epist. I, 2, 66. Ceterum locutio: *latrare* vel *allatrare aliquem* non tantum, ut putat *Bentleius*, de ignavis et timidis, qui vano latratu fortiores petant, sed in universum pro: maledicta alicui ingerere ponitur, conf. Livium a *Gesnero* laudatum XXXVIII, 54. ubi Cato Scipionis magnitudinem *allatrasse* dicitur. Eadem imagine, a canibus acrioribus translata, aliquis *opprobriis mordere* infr. Epist. I, 16, 38. et, qui *mordet* opprobriis, *mordax* dicitur supr. Sat. I, 4, 93. —

Solventur risu tabulae; tu missus abibis.

SATIRA II.

Quae virtus, et quanta, boni, sit vivere parvo,
(Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva

Pro *latraverit* in uno codice apud *Feam* et in aliquot *Lambini* libris reperitur *laceraverit*, quod aperte speciem interpretationis vocis *latraverit* prae se fert. Nihilominus tamen lectionem *laceraverit* praetulerunt *Bentleius* et *Heindorfius*.

v. 86. *Solventur risu tabulae. Schol. Acr. Aut, subsellia solventur, i. e. compago lignorum, aut ipsae leges*, unde *Heindorfius* hunc locum ita in notis germanice interpretatus est: *es wird sich ein solches Gelächter erheben, dass davon die Breter aus einander gehn.* At ex qua tandem causa tanti cachinni extollendi erant, ut eorum sonitu et fragore subselliorum tabulae solverentur? Quis tale quid Horatium nunc exprimere voluisse sibi persuadeat? Imo ex mea sententia Trebatius, qui Horatio respondet, exprimere voluit hoc: Sane, si carmina, quae componis, bona sunt, et tu ipse integer opprobriis tantum dignos perstringis, leges in tabulis perscriptae *solventur* illa vi, quam in maledicos et calumniatores habent, *risu*, non sine risu, dum ipsi iudices ridebunt homines, quorum vitia tu deridenda propinasti; et sic *missus* (impune) ex iudicio *abibis. Lege* aliquis *solvi* dicitur, in quem lex aliqua non exercenda esse iudicatur; infr. Sat. 6, 69. *Solutus legibus insanis.* Liv. X, 13. *tribunique plebis — aiebant, se ad populum laturos, uti legibus solverentur.* — Iam ipsae leges in tabulis perscriptae *solvi* dicuntur, sc. vi, quam leges in eos tantum habent, qui vere contra eas peccant. At Horatius, qui, ipse integer, opprobriis tantum dignos sale satirico perfricuit, non peccavit contra leges, in homines malo animo aliorum bonae famae insidiantes latas; infr. Epist. II, 1, 153. — *quin etiam lex Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam describi.* ergo Trebatius, leges illas *solutum iri*, h. e. non in Horatium exercitum iri, ait.

SATIRA II.

Eos, qui paucis contenti vitam instituere didicerunt, longe feliciores esse hominibus aut luxuriose viventibus, aut avaris, uberius poeta ad praecepta rustici cuiusdam prudentioris, Ofelli, in hac satira docet.

v. 1. *Quae virtus* cett. Sensus: Quanta sit eorum, qui paucis contenti vivunt, virtus atque felicitas, id a sapiente rustico, Ofello, discite, et in huius rei veritatem non inter laetas epulas, quibus animus facile in fraudem inducitur, sed impransi mecum inquirite. — *virtus*, de sapientia, qua quis ea, quae ad vitae felicitatem pertinent, sequitur; *boni* pro vulgari: *carissimi;* appellat poeta lectores vel amicos, quorum animi eiusmodi praeceptis patent.

v. 2. *sed quae*, sed verba sunt, quae. Pro *quae* alii: *quem*, quam lectionem tuetur *Heindorf.*

v. 3. *abnormis sapiens*, h. e. philosophus, qui nulli normae, h. e. nulli philosophorum disciplinae unice addictus, ipse, quae vera sunt, investigat, αὐτοδίδακτος. — *crassaque Minerva*, non philosophica subtilitate, sed rustica simplicitate, non ex artis praeceptis, sed sine arte.

Discite, non inter lances mensasque nitentes,
Cum stupet insanis acies fulgoribus, et cum
Adclinis falsis animus meliora recusat;
Verum hic impransi mecum disquirite. Cur hoc?
Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus iudex. Leporem sectatus, equove
Lassus ab indomito, vel, si Romana fatigat
Militia adsuetum graecari, (seu pila velox,

v. 4. *nitentes*, poculis, vasis argenteis cett.

v. 5. *insanis* retulerim ad insaniam hominum, qui eiusmodi fulgoribus, vasorum scilicet magnificentia, exsplendescere cupiunt.

v. 7. *impransi*, non inter magnificas epulas. — *Cur hoc?* cur non inter magnificas epulas?

v. 8—13. Loci sequentis structura et verborum iunctura videtur prima specie paulo molestior, sed si omnem sententiam recte iunxeris et copulaveris, bene ei respondere verba omnia intelliges. Sententia est fere haec: Causam, si potero, afferam: animus scilicet, ciborum copia et iucunditate captus, veluti iudex auro corruptus, male veritatem perscrutatur. (Is tantum, qui sitit et esurit, non contemnit vulgares cibos.) Quodsi igitur aut venando aut equitando, vel, si magis tibi placent pueriles Graecorum exercitationes, aut pilam aut discum iaciendo, fastidia expuleris, tum sitiens esuriensque non spernes vilem cibum, non mulsum, non pisces appetes, sed panis cum sale bene tibi sapiet.

v. 9. *Leporem sectatus equove.* venandi et equorum domandorum studium pertinet ad militiam Romanam, sive ad ea studia et exercitationes, quibus corpora ad labores in bello ferendos corroborarentur; hinc Horat. supr. Od. III, 24, 54. de Romanis a prisca pueros educandi ratione degeneratis: *Nescit equo rudis Haerere ingenuus puer, Venarique timet.* Locus classicus de venationis apud Romanos laude atque honore est infr. Epist. I, 18, 49. *Romanis solemne viris opus, utile famae, Vitaeque et membris* cett.

v. 10. *si Romana fatig.* cett. si haec militaris Romanorum vires exercendi ratio molesta est tibi, ludicris Graecorum exercitationibus assueto; — *graecari* (ἑλληνίζειν), Graecorum more pilae et disci iactu exerceri; de *disco* vid. supr. ad Od. I, 8, 11. — *vel*, (*si-graecari;*) *seu pila* cett. iunge et explica: vel, (si mavis *graecari*,) sive pilae lusus tibi magis placet, pila lude, sive magis te delectat discus, discum iace, tum, cum hic labor fastidium e stomacho expulerit, sitiens esuriensque sperne, si potes, vilem cibum, h. e. non spernes, non bibere cupies mulsum; tum, si promus, qui cibum tibi suppeditet, non domi est, si

Molliter austerum studio fallente laborem,
Seu te discus agit, pete cedentem aëra disco)
Cum labor extuderit fastidia; siccus, inanis,
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta; foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare; cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Vnde putas, aut
Quì partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere

piscium capturam in mari tempestas impedit, panis cum sale famem leniet.

v. 12. *Molliter austerum* cett. versus elegantissimus! dum is, quem pilae studium agitat, tam suaviter inter ludendum afficitur, ut ne sentiat quidem graviorem virium intentionem. — *studio fallente*, dum pilae studium, ludentes ita recreat, ut eos fallat labor, i.e. ut ludentes laborem cum pilae lusu coniunctum ne sentiant quidem.

v. 13. *cedentem aëra*, dum discus aëra penetrat, aër ei cedit.

v. 14. *extuderit*, tundendo eiecerit, pepulerit; sed *Bentleius*, quia *extundere* ea, qua nunc positum est, significatione alibi non occurrat, pro *extuderit* unici Codicis auctoritate recepit: *expulerit*, quae tamen lectio recte iam aliis interpretatio τοῦ *extuderit* visa est.

v. 15. *nisi Hymett. m. Fal. ne biberis*, bibe tum nihil aliud, nisi *mulsum*; sic enim vocatur potus e vino et melle optimo confectus; sicut autem vinum, in agro Falerno sub monte Massico natum, ad vina praestantiora, ita mel ab apibus in monte Hymetto in Attica collectum (cf. supr. Od. II, 6, 14.) ad mella optima referebatur. Laudant de *mulsi* confectione Macrob. Sat. VII, 12. p. 668. edit. *Zeun. unde est illud proverbium, quo gulones utuntur: Mulsum, quod probe temperes, miscendum esse novo Hymettio, et vetulo Falerno.* cf. Colum. II, 41.

v. 17. *Defendens pisces*, cum tempestas saevit in mari, pisces capi nequeunt; tempestas igitur pisces defendit ab hominum insidiis. — *hiemat*, (χειμάζει,) tempestate agitatur; sic *hiems* (χειμών) tempestas.

v. 18. *Vnde putas, aut Quì partum?* (ut v. 7. *cur hoc?*) Vnde, aut qua tandem re alia, nisi fame, hanc felicitatem, qua panis cum sale tibi bene sapit, partam esse putas?

v. 19. *in caro nidore*, in multi pretii cibis, quorum odore nares cupedias appetentium *supinantur*, ut loquitur Noster infr. Sat. II, 7, 38.

v. 20. *tu*, de vi pronominis *tu* in formulis, quibus praecepta dantur, exempla ad hunc locum collegit *Heindorfius*. — *pulm. quaer. Sudando*, pro vulgari: labora et suda, ut esurias, suaviter Horatius dixit: sudando quaere pulmentaria; nam cui stomachus post laborem bellum indicit, ei vilis cibus est pro pulmentariis, is pane sicco aeque delectatur ac pulmentariis, et proinde per famem quaerit sibi quodammodo pulmentaria. Sunt, qui in hoc loco Horatio obversatum esse dicant Socratem, qui, cum usque ad vesperam (sunt verba Ciceronis in Quaest. Tusc. V, 34.) contentius ambularet, quaesitumque esset ex eo, quare id faceret

Sudando; pinguem vitiis albumque neque ostrea
Nec scarus, aut poterit peregrina iuvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis, et picta pandat spectacula cauda:
Tanquam ad rem adtineat quidquam. Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?
Carne tamen, quamvis distat nihil, hac magis illa!

responderit, se, quo melius coenaret, obsonare ambulando famem. — *pulmentaria* sive *pulmenta*, de variis cibis, quibus prisca aetate praeter pultem, et postea praeter panem, fruebantur homines, et proinde de cibis quoque lautioribus et iucundioribus.

v 21. *pinguem vitiis*, obesum ob vitam mollem, ignavam et luxuriosam; *albumque*, hominum enim lautius et mollius viventium vultus albi fere coloris esse solet. Hinc infr. v. 76. *vides, ut pallidus omnis Coena desurgat dubia.* — *ostrea* (*Auster*) duabus syllabis, ut supr. Sat. I, 8, 45. *cerea*, pronunciandum. — *scarus*: vide supr. ad Epod. II, 50. — *peregrina lagois. Schol. Porphyr. avis leporini coloris;* — (*Schol. Acr.*) *Lagois avis, quae carnem leporis habere perhibetur. Aut est genus piscis, quod in mari Italo non invenitur.* De pisce, qui apud nos dicitur *Seehase, Cyclopterus Lumpus, Linn.* vix cogitari potest, quia ne esculenta quidem est eius caro.

v. 23—26. *Vix tamen eripiam* cett., nihilominus tamen, si pavo una cum gallina in mensa appositus sit, vix te retineri patieris, quin pavonis potius, quam gallinae carne palatum permulcere cupias, deceptus scilicet vana ob externam rerum speciem opinione, quia rara avis magno retio veneat, et quia pavo, cum caudam pulcherrimis coloribus distinctam pandit, iucundum spectaculum praebeat. *Vix tamen eripiam* cett., scil. tibi, h. e. ex animo tuo evellam vanam illam opinionem, qua pavonis (quia carior est, et pulchrioribus coloribus distinctus) carnem gallinae carni praeferendam existimas.

v. 25. *vanis rerum*, vanis rebus h. e. externae rerum speciei vanitate; (nos: *vom trügerischen Schein der Dinge verblendet.*) *vana rerum*, ut *vitia rerum*, *ficta rerum, abdita rerum, amara curarum, ardua montium*, *strata viarum* et similia.

v. 26. *pict. pand. spect. cauda*, eleganter pro vulgari: pictam caudam pandat spectaculo.

v. 27. *Tanquam ad r. adtin. quidquam*, tanquam haec pavonis raritas et pulchritudo quidquam (*ad rem*) ad saporem adtineat.

v. 28. *nŭm ădest*, litera *m* a sequentis vocis vocali non absorpta corripitur, ut supr. Sat. I, 9, 38. *si mĕ ămas*; alia quaedam exempla ex Ennio et Lucretio attulit *Lambinus*. — *honor*, pictae caudae pulchritudo.

v. 29. hic versus mirum in modum vexavit omnes interpretes, nec quisquam commodum sensum inde elicuit; ego eum ita interpretor: *Carne tamen hac* pavonis, *quamvis distat nihil, magis* (potius quam) *illa* gallinae carne palatum tergere vis! Iam *Ges-*

Imparibus formis deceptum te patet. Esto!
Vnde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet? pontesne inter iactatus; an amnis
Ostia sub Tusci? Laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video; quo pertinet ergo.

nerus ad *carne* supplendum esse ex v. 26. *vesceris* suspicatus est; sententia postulat: tamen carnem pavonis gallinae carni praefers! et haec sententia exit, si mecum ex v. 24 suppleveris: *palatum tergere vis;* aliter vix ex hoc loco te expedias. — *vesceris* — *magis* vix fert latinitas.

v. 30. *Imparibus formis*, diversa pavonis et gallinae forma, h. e. externa specie. *esto!* sit itá. — Sed ulterius progrediuntur lautarum epularum aestimatores, dum de interna quoque ciborum bonitate subtiliter iudicant.

v. 31—33. *Vnde datum sentis* cett., unde, quaeso, tibi datus est hic sapor subtilior, ut discernere possis lupum in Tiberi captum ab eo, qui in mari captus sit? *Schol. Cruq. unde nosti, quo sensu percipis, quod iste lupus potius est marinus, quam fluviatilis? At, qui palati subtilitate gloriantur, melioris saporis aiunt esse pisces illos, qui rapidiore unda exercentur* (circumaguntur), *quam qui languidiore torpescunt; idcirco dicuntur lupi esse meliores, qui inter duos pontes* (pontem Milvium et sublicium), *ubi aqua concitatior est, quam qui in ostiis Tiberis.* — *lupus*, λάβραξ, (nos: *Meerwolf*) *Perca Labrax. Linn.* — *captus hiet*, significantius pro: captus sit; nam *hiant* fere pisces in patina appositi.

v. 33—38. *laudas, insane, trilibrem Mull.* cett. Poeta transit ad aliud genus insaniae, qua ab hominibus luxuriose et magnifice viventibus ciborum genera, quae rarius proveniunt, rariusque inveniuntur, in magno pretio ponuntur; at alia, licet eiusdem saporis, quia sunt vulgaria, ab iisdem contemnuntur; sic *mullus* (qui piscis apud nos dicitur *Rothbart, mullus barbatus, Linn.* vulgo *Heringskönig*), cui natura modicum corpus tribuit, si ad eam usque magnitudinem accreverat, ut esset *trilibris*, immenso pretio a Romanis emi solebat, (vid. *Heindorf.*) at *lupus*, qui natura sua est *procerus*, (h. e. longior) et grandioris ponderis, ab iisdem vilipendebatur. — *insane*, Ofellus appellat aliquem insaniae, de qua sermo est, consortem.

v. 34. *singula pulmenta* explicat *Heindorfius* de singulis dissecti mulli partibus, sive frustis, quae cuique convivae offerebantur; sed hanc explicationem non admittit vox *pulmentum:* nam per *pulmenta* intelliguntur obsonia, ex carne assa vel elixa, ex piscibus et aliis ciborum generibus confecta (nos: *Gerichte, Schüsseln*), cf. supr. ad v. 20. et infr. Epist. I, 18, 48. Nec iam sermo esse videtur de convivio aliquo, sed potius de homine aliquo luxurioso, qui comparatum sibi forte magno pretio mullum trilibrem, quia solus eum una coena consumere nequit, in plures coenas sive *in singula pulmenta*, (*in einzelne Portionen*) dividere debet. — Alii convivatorem in ipsa coena trilibrem mullum in singulas offas dividentem intelligunt.

v. 35. *ducit*, trahit, capit, inducit, decipit. — *quo pertinet — lupus?* quid igitur in causa est, quod nihil curas proceri corporis lupos? *Ofellus* ipse respondet: *quia scilicet natura illis* (lupis) corpus longius et grandius, *his* (mullis) brevius et minoris ponderis, dedit. Laudatur autem et praefertur a lautarum epularum aestimatoribus mullus *trilibris*, quia excrevit in magnitudinem insolitam. (*Ille* nonnunquam ad proximum, *hic* ad remotius refertur: vid. *Duker.* et *Drakenb.* ad Liv. XXIV, 28, §. 3.) Haec igitur est causa, cur stomachus ditiorum, qui *raro ieiunus* fit (raro esurit), vulgaria et proinde vulgaris magnitudinis lupos contemnit. *Heindorfius* pro: *raro* vel *rare* malebat cum *Schol. Acr. rari*, scilicet, ut *ieiunus rari* iam sit: cupidus rari, allato exemplo ex Iustin. XXXVIII, 6. *animos divitiarum avidos ac ieiunos habere;* modo hoc exemplum non ex scriptore serioris aetatis petitum esset.

Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis
Maiorem natura modum dedit, his breve pondus.
Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.
Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos
Praesentes, Austri, coquite horum obsonia! Quamquam
Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum, cum rapula plenus

v. 39—40. *Porrectum magno* cett. „Equidem vellem, me oculis meis metiri posse mullum magnum in magno catino porrectum“ dicere solet homo gulosus, monstrosis istis et rapacibus avibus, Harpyiis, aequiparandus. De foeda Harpyiarum forma, voracitate et rapacitate est locus classicus apud Virg. Aen. III, 219 seqq. ubi confer *Excurs. Heynii* VII.

v. 41. *At vos praesentes, Austri,* cett. at vos, Austri, adeste, et vi vestra efficacissima horum hominum gulosorum obsonia putrefacite. — *praesentes*, qui, cum adsunt, statim vim exercent, quam exercere possunt. cf. supr. ad Od. I, 35, 2.

v. 42. *quamquam Putet — recens*, quamquam vel recens aper rhombusque *putet*, non proprie quidem, sed quia, quasi *puteat*, nauseam creat; observa suave ὀξύμωρον in *recens* et *putet.* — pro: *rhombusque* malim: *rhombusve;* saepissime enim in *que* et *ve* peccatum est a librariis; vid. *Drakenb.* ad Liv. XXIV, 10, §. 2. hinc supra quoque Sat. I, 4, 75. pro: *quique lavantes* tentabam: *quive lavantes.* — de *rhombo* (*Butte, Schollenfisch.*) cf. supr. Sat. I, 2, 116. et Epod. II, 50.

v. 42. 43. *m. cop. qu. Aegr. sol. stom.* — *quando* (quandoquidem, quia) *mala* (nimia, noxia) *copia* (sc. ciborum) *sollicitat* (commovet, turbat, torquet, tentat) *aegrum* (langventem, marcescentem) *stomachum;* an pro: *mala* Horatius fortasse scripsit *male? male sollicitat*, male afficit, male commovet, concitat. — *rapula* (*Radieschen*), quae ad excitandum edendi desiderium sumuntur. *plenus* sc. ciborum, satur; *plenus* passim omissa re, cuius quis plenus est. Sic infr. Epist. II, 1, 100. puella *plena* sc. ludi, ludo exsatiata. cf. Epist. I, 20, 8. et Epist. II, 2, 154.

Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido;
Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo,
Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana iuventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello

v. 44. 45. *acidas inulas* (*Alant*). *Schol. Acr. Non quod acida est haec herba, sed quod, cum coquitur, aceto conditur.* — *Necdum omnis ab. Paup. ep. reg.* suaviter pro vulgari: necdum omnes cibi, quibus pauperes vescuntur, exclusi sunt ab epulis *regum*, beatiorum, ditiorum, ut supr. Od. I, 4, 14. et Sat. I, 2, 86.

v. 46—50. *Nigrisque oleis*, nigri coloris oleas, ut observat *Gesnerus*, ad condiendum commendat Colum. XII, 48, 49. cf. *Voss.* ad Virg. Georg. II, 86. — *Haud ita pridem* cett., non ita pridem praeco *Gallonius*, quod praeter censum et disciplinam, tanquam esset homo dives et nobilior, magni pretii acipenserem in mensa apponi iusserat, notam sibi contraxit infamiae. — *Schol. Cruq. Gallonius praeco primus* (inter praecones) *acipenserem piscem suae mensae apposuit, quare eius mensa a Lucilio quoque taxatur.* Versus Lucilii servati sunt apud Cic. de Fin. II, 8. *O Publi, o gurges. Galloni, es homo miser*, inquit, *Coenasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista Consumis squilla atque acipensere cum decumano.* — *Piscis acipenser* (*Stör*) apud nos quidem non, ut olim, (vid. *Heind.* ad h. l.) ad lautiores epulas refertur. Plinius quoque in Hist. Nat. IX, 26. miratur, quod *piscium apud antiquos nobilissimus* apud suae aetatis homines in parvo sit pretio. Nec Horatius sive Ofellus laudat *acipenserem*, sed potius de mutabili in hac re hominum ingenio agit; nam paulo post in v. 51. dicit: *Si quis nunc mergos suaves edixerit assos, Parebit pravi docilis Romana iuventus.* — *Tutus erat rhombus*, cett., nemo rhombo, nemo ciconiae pullis insidiabatur. — *docuit*, sc. ciconiae pullos comedere, *praetorius*. (*Schol. Cruq.*) *Asinius Sempronius Rufus praetorius instituisse creditur, ut ciconiarum pulli manducarentur; quare, cum in praetura petenda repulsam tulisset, tale epigramma meruit: Ciconiarum Rufus iste conditor Hic est duobus elegantior Plancis; suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem.* Salse dicitur *praetorius*, qui in praetura petenda repulsam tulit.

v. 51. *edixerit*, tanquam praetor vel homo praetorius, sicuti Asinius Sempronius Rufus, cum irrisione pro vulgari: docuerit assos mergos suaves esse; — *mergus* (*Taucher*), avis macilenta et insipida.

v. 53—55. *Sordidus a tenui* cett., Ofellus, qui adhuc disputavit de hominibus gulosis et luxuriose viventibus, dum commendat victum tenuem, eum a victu sordido diligenter distinguendum esse monet; eum enim frustra vitare *vitium illud*, luxuriam puta, qui perverso animo ad vitium contrarium, ad sordidam avaritiam, transeat, supr. Sat. I, 2, 24. *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* — *te* — *pravum*, te ut hominem prava et deteriora sequentem; eodem redit lectio *pravus*, quam defendit *Bentleius*. — *alio*, ad aliud vitium.

Iudice; nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus,
Cui Canis, ex vero ductum, cognomen adhaeret,
Quinquennes oleas est et silvestria corna,
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; et,
Cuius odorem olei nequeas perferre, (licebit
Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum

v. 55—62. *Avidienus*, nomen, ut videtur, fictum. — *ex vero*, a spurcitia scilicet et impudentia, *ductum* tractum, vel, ut alii legunt, *dictum* (inditum). est (ἐσθίει), edit. infr. Epist. I, 2, 39. *si quid est animum.*

v. 58. *Ac, nisi mut.* cett., ac vinum, nisi est vitio corruptum et in acetum fere mutatum, (cf. infr. Sat. II, 8, 50.) — *parcit defundere*, exquisite pro: parce defundit. sc. ex dolio in amphoram, vel cadum; alias *parcere* cum infinitivo eleganter pro: *non*, nolle, cunctari, a se impetrare non posse. Supra Od. III, 28, 7. *Parcis deripere horreo Cessantem Bibuli Consulis amphoram*, ubi vide, quae notavimus. *defundere*, quod nos dicimus: *abziehen.*

v. 59—62. *licebit*, pro: licet, quamvis, ut supr. Epod. XV, 19. *Sis pecore et multa dives tellure licebit.* — *repot.* per *repotia* designari videtur *potationis repetitio*, sive die post nuptias proximo, sive septimo. Festus p. 137. Lind. *Repotia: postridie nuptias apud novum maritum coenatur, quia quasi reficitur potatio.* — *Schol. Acr. Repotia dicuntur septimus dies, quo nova solet nupta redire ad parentes suos.* vide *Wernsdorf. de repotiis veterum.* 1780. — *albatus*, indutus alba veste, quam, qui solemnibus epulis intererant, gerere solebant. Cic. in Orat. in Vatin. c. 13. *cum ipse epuli dominus, Q. Arrius, albatus esset.*

v. 62. ad *instillat* elice ex antecedentibus *oleum*, verba enim iungenda sunt sic: et oleum, *cuius odorem perferre nequeas, ipse* sordidus convivator, non servus, *cornu bilibri* (ex gravioris ponderis amphora cornea vel vasculo corneo; elegantiora enim vascula non inveniri solent apud homines sordidos) *instillat caulibus.* — *veteris n. parc. aceti*, quia vetustate corrupto aceto ne avarus quidem facile parcit.

v. 63. *utrum horum*, utrum ex his duobus, quos descripsi, Galloniumne, qui splendide, an Avidienum, qui sordide vivit.

Vtrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis angit.
Mundus erit, qui non offendat sordibus; atque
In neutram partem cultùs miser. Hic neque servis,
Albutî senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit, neque, sicut simplex Naevius, unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.

v. 64. *hac urget lupus*, *hac canis angit;* pro *aiunt* dedi *angit*, quod est in omnibus apud *Feam* codicibus. Sane si legeris: *aiunt*, haberi omnino haec verba debent pro proverbio. Sed, ut nihil dicam, huius proverbii apud nullum alium scriptorem exstare vestigium, ipse sensus, qui ei inesse debet, rei, de qua sermo est, plane non convenit. Nullus enim alius sensus ex hoc proverbio elici potest, nisi hic: ego ab utraque parte premor et in angustias detrudor; inops igitur sum consilii, quid faciam. Sed *sapiens* (h. e. prudens, *der Verständige*) interrogatus, quali victu usurus, utrumne luxuriosum, an avarum imitaturus sit, non inops erit consilii, quid faciat, sed statim, se neutrum imitaturum esse respondebit. Et haec responsio expressa est verbis: *Hac urget lupus*, *hac canis angit;* comparatur scilicet homo luxuriosus (cuius gula in v. 40. dicitur *digna rapacibus Harpyiis*) cum lupi voracitate, et homo sordide avarus (*Avidienus*, *cui Canis*, *ex vero ductum*, *cognomen adhaeret*) cum canis spurcitia et impudentia; sensus igitur: Neutrum imitabitur sapiens, luxuriosus enim lupo, et avarus cani est similis. — *urget*, imminet, infestus est, molestus est.

v. 65—69. *Mundus erit* cett., transit ad laudes victus tenuis, quo sapiens utitur. Sensus: Sapiens eatenus recte dicetur *mundus*, quatenus convivas non offendat sordibus; idemque, quod ad externum convivii cultum spectat, in neutram partem (*miser erit*) nimius vel reprehendendus erit, h. e. neque in mundiore cultu modum excedet, neque sordibus convivium inquinari patietur; hic igitur neque in servos, dum sua cuique ministeria adsignat, ad Albutii exemplum, si quid peccaverint vel commaculaverint, saeviet, neque, sicut candidus et mitioris animi Naevius, indulgebit servis, si aquam impuram et sorde pollutam convivis praebuerint; haec quoque indulgentia ad vitia pertinet.

v. 65. pro: *qui* — *Bentleius*, secutus *Schol. Acr.*, dedit *qua* (quatenus), sed eodem redit *qui* cum coniunctivo.

v. 66. *Heindorfius* iungit *cultus* in genitivo cum *miser*, quod est durissimum; nam exempla, ab eo allata, huc non quadrant; ego *cultus* in genitivo ad *in neutram partem* refero, et *miser* pro: nimius, explico.

v. 67. *Albut. senis.* (*Schol. Porph.*) *Hic est Albutius*, *qui et avarus et elegans conviviorum apparator saevus est habitus in servos*, (*Schol. Cruq.*) *asper in exigenda a singulis pensi ratione castigandoque, adeo, ut servos nonnunquam castigaret prius, et caederet, quam peccassent, dicens, vereri se, ne, cum peccassent, caedere tunc ei non vacaret.*

v. 68. *unctam*, sorde inquinatam, hinc infr. de servis Sat. II, 4, 78. *Magna movent stomacho fastidia, seu puer unctis Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit.*

Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene: nam variae res
Vt noceant homini, credas, memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit; at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo divinae particulam aurae.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam,
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus, ubive

v. 71. *variae res*, varia ciborum genera; opponitur *esca simplex.*

v. 72. *escae*, *Quae simplex olim tibi sederit*, in stomachum demissa nihil ibi molestiae et taedii excitaverit; tenuis enim et simplex victus quiete et sine molestia sedet in stomacho; nos: *einfache Speise, die dir sonst wohl bekommen ist.* — *at simul* cett., at si elixa simul assis, conchylia (*Muscheln*) simul turdis miscueris; in *miscueris* ultima syllaba per caesuram producitur.

v. 76. *pituita*, tribus syllabis pronunciandum, ut infr. Epist. I, 1. *vers. ult.*

v. 77. *coena dubia*, ob magnam lautissimarum epularum copiam, ubi conviva, quid potissimum sumat, dubitet; locutio Terentiana Phorm. II, 2, 28.

v. 78. *vitiis*, suaviter de cibis, qui praeter modum sumuntur et hoc vitio in ventre inamarescunt.

v. 79. *div. partic. aurae*, coelestis originis animum. Iam Pythagoras et post eum Stoici hominum animos divinae mentis et animae mundi σπέρματα quasi et ἀποσπάσματα esse statuebant. Virgil. Aen. VI, 730. *Igneus est ollis vigor et coelestis origo Seminibus*, ubi vid. *Heyn.* et *Lambin.* ad h. l. et quae olim notavimus in Eclog. Vett. Poett. ad Sil. Ital. v. 71. p. 263.

v. 80. *dicto citius*, hae voces non ad vocem *sopori*, sed ad *curata membra* referendae sunt; sermo iam est de coena frugali, quae *coenae dubiae* opponitur; post coenam frugalem dicto citius peractam somnus et placida quies capitur.

v. 82—84. *Hic tamen*, cett. Verum enim vero hic, qui tenui victu contentus vivit, poterit (*quondam*) nonnunquam *transcurrere ad melius*, transire ad victum meliorem sive lautiorem, poterit nonnunquam lautius vivere.

v. 84. *tenuatum*, attenuatum laboribus et exhaustum viribus. Notum est illud Ovidii (de Art. Am. I,

Accedent anni et tractari mollius aetas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus praesumis, mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat; sed, credo, hac mente, quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum Tellus me prima tulisset!
Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupet humanam? grandes rhombi patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus. Adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti

735.) *Attenuant iuvenum vigilatae corpora noctes.* — pro: *ubique* legendum esse *ubive* (pro: vel quando) conieceram, antequam notas *Bentleii* inspexi; cf. supr. ad v. 42.

v. 86—88. *Tibi quidnam* cett. Quomodo ad molliorem vitam, quam, iam puer et aetate valida praecipis, nova tibi in morbo aliquo vel in senectute accedere potest iucunditas? nam iucunditas illa iam praecepta est.

v. 90—92. *credo*, ut *puto*, *scilicet*, *videlicet*, de rebus, quas ridemus. — *vitiatum*, vitio mali odoris corruptum, rancidum. — *commodius*, opportunius, ne deesset, quod dominus apponeret tardius advenienti hospiti, praecipue, quod rancidi apri caro ad lautiores epulas referebatur. — *integrum*, recentem, nondum vitiatum; nam aper *integer* opponitur *rancido*.

v. 93. *Hos utinam inter Heroas nat. Tell. m. p. tulisset!* Vtinam vixissem aetate illa Heroica! — Id non serio dicit, sed ridet aetatem stultam hominum rancidum aprum prae recente laudantium. *tellus prima*, antiquissima, supr. Sat. I, 3, 99. *Cum prorepserunt primis animalia terris.* ubi cf. not.

v. 94. *quae carmine gratior aur. occup. Schol. Porph. Hoc Antisthenes dixisse traditur. Is enim, cum vidisset adolescentem luxuriosum acroamatibus* (hominibus convivas inter coenam cantu dictisque exhilarantibus) *deditum, ait, miserum te, adolescens, qui nunquam audisti summum acroama, laudem tuam.* Huc pertinet locus Ciceronis a *Lambino* allatus pro Arch. c. 9. *Themistoclem dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cuius vocem libentissime audiret: eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.*

v. 95. *rhombi*, vid. supr. ad Epod II, 50.

v. 96. *cum damno*, cum rei familiaris iactura.

v. 97. *Iratum patruum*, *patruae verbera linguae*, ut Horat. supr. Od. III, 12, 3. de patruo, ut severo morum castigatore, loquitur; ubi cf. not. — *te tibi iniquum*, te tibi ipsi irascentem.

As, laquei pretium. Iure, inquit, Trausius istis
Iurgatur verbis: ego vectigalia magna
Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Ergo,
Quod superat, non est, melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua deûm? cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Vni nimirum tibi recte semper erunt res!
O magnus posthac inimicis risus! Vterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic, qui
Pluribus assuerit mentem corpusque superbum?
An qui, contentus parvo metuensque futuri,
In pace, ut sapiens, aptârit idonea bello?

v. 99. *As laquei pretium*, ad emendum enim laqueum, quo gula frangatur, vel as sufficit. Comparant apposite Plaut. Pseudol. I, 1, 86. *Ps. Sed quid de drachma facere vis? Ca. Restim Mihi emere. P. Quam ob rem? Ca. Qui me faciam pensilem.* — *inquit*, sc. aliquis. *Heindorf.* malit: *inquis*, vid. de utriusque lectionis usu *Bentlei.* supr. ad Sat. 1, 4, 79. Sensus et nexus: Haec ad me non pertinent, inquit aliquis dives, qui luxuriose vivit; Trausius istis verbis iure obiurgatur, quo ego sum longe ditior; nam ego *vectigalia magna*, h. e. magnos reditus, cett. ut supra Od. III, 16, 40. *parva vectigalia*, de modicis reditibus; ubi vid. notata.

v. 102. *superat*, pro superest; non raro enim *superare* pro superesse. — *non est*, non habes? — *melius*, prudentius, rectius.

v. 103. *indignus*, supple: qui egeat; homo, qui non debebat egestate premi.

v. 104. *templa antiqua*, supr. Od. III, 6, 3. vocantur *aedes labentes deorum.*

v. 105. *Non aliquid*, cett. Tune a te impetrare non potes, ut ex tantis divitiis conferas aliquid in publicum carae patriae commodum? — suaviter dives, quasi modiis metiatur pecuniam, repraesentatur.

v. 106. *nimirum*, ut *scilicet*, *videlicet*, et vers. 90. *credo*, inservit irrisioni, ubi eius, quod affirmatur, contrarium intelligendum est. — *tibi recte semper erunt res*, res semper tibi salvae erunt, non mutabili fortunae obnoxiae erunt!

v. 107. *posthac*, si expertus fueris fortunae inconstantiam. *magnus risus*, pro vulgari: magno risui eris. Similiter aliquis *ludus iocusque* esse dicitur.

v. 109. *pluribus*, rerum abundantiae. — *superbum*, fastidiosum ut infr. 6, 86. *dens superbus.*

v. 110—111. *An qui*, an is, qui in rebus secundis prudenter vitae paucis contentae assuefactus, ut sapiens, ad res adversas perferendas se praeparaverit? Suaviter paucis contentus comparatur cum eo, qui ad hostem, qui forte contra se exsurgat, repellendum iam in pace idoneis armis se instruit.

Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae;
Ac mihi, seu longum post tempus venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque hoedo; tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat culpa potare magistra;

v. 112. *his*, quae praecepit Ofellus.

v. 113. *novi* pro: cognovi, vidi. — *latius*, liberius, largius, profusius. Iuvenal. XIV, 234. *adeo indulgent sibi latius ipsi.*

v. 114. *Videas*, videre tibi nunc eum licebit; *metato in agello. Schol. Acr. Iste Ofellus proscriptus est, quia erat in parte Cassii, et possessio eius tradita est militibus Augusti, quam Ofellus postea ab iis conduxit. Hinc metato* (passive, ut supr. Od. II, 15, 15. et apud Livium XLIV, 7.) *in agello* (agri enim pertica metati sive ad mensuram decempedarum veteranis tradebantur) *nunc opus faciebat miser Ofellus, ab eo, cui cedere debuerat agrum suum, mercede conductus.*

v. 115. *fortem*, gnavum et robustum, infr. Epist. II, 1, 139. *Agricolae prisci, fortes, parvoque beati.* Tibull. II, 2, 14. *Fortis arat valido rusticus arva bove.*

v. 116. *luce profesta*, dies profesti (nos: *Werkel-Tage*) opponuntur diebus festis, ut infr. Sat. 3, 144. *Qui Veientanum festis potare diebus Campana solitus trulla, vappamque profestis.* et supr. Od. IV, 15, 25.

v. 119. *operum vacuo*, mihi, cui ob imbrem rusticis laboribus operam dare non licebat. — *vicinus*, diebus enim pluviosis vicini vicinos in agris invisere solent.

v. 120. *bene erat*, *non piscibus* cett., genio indulgebamus, non quidem ad piscium urbe petitorum, sed ad hoedi atque pulli ferculum; *bene esse aliqua re*, bene se habere alicuius rei fructu.

v. 121. *pensilis uva*, uvae, quas diutius integras servare volumus, nunc quoque filis suspendi solent in aedibus.

v. 122. *cum duplice ficu*, intellige ficus bifidas; ficus enim in duas partes divisae siccabantur, et tunc aridae in mensa secunda apponebantur; vid. Pallad. de Re Rust. IV, 10, 35. et ibi *Schneid.* et Veget. I, 38, 6. et I, 56, 17.

v. 123. *culpa potare magistra*, ita quidem, ut is, qui contra leges convivii magistras culpam aliquam sibi contraxisset, cyathorum numerum quendam *pro poena potare* iuberetur.

Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.
Saeviat atque novos moveat Fortuna tumultus:
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam propriae telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit; nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris,
Postremo expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Vmbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus erat, nulli proprius, sed cedit in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

SATIRA III.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,

v. 124. *Ac venerata Ceres, ita* cett. *venerata* (passive) sc. libatione, ut *ita* (sc. venerata, ob hanc venerationem) *culmo surgeret alto*, segetem alte excrescere iuberet.

v. 128. *nituistis*, suaviter pro: nutriti estis; nam bene nutriti, praecipue rustici, *nitent* vultu et corpore; Tibull. II, 1, 21. *Tunc nitidus, plenis confisus rusticus agris, Ingeret ardenti grandia ligna foco.* Phaedr. III, 7, 4. *unde sic nites?* — *ut*, postquam, ex quo tempore; — *novus incola*, advena, novus agelli nostri possessor, cuius nomen, ut ex versu 133. discimus, fuit Vmbrenus, Virgil. Eclog. IX, 2, 3. *O Lycida, vivi pervenimus,* (sc. ad hanc tristem sortem) *advena nostri* (*Quod nunquam veriti sumus*) *ut possessor agelli Diceret: haec mea sunt, veteres migrate coloni.*

v. 129. *propriae*, ut propria cuique maneat et perpetua quasi possessio. hinc v. 134. *ager nulli proprius.*

v. 131. *nequities*, vita nefaria et flagitiosa, qua quis bona sua perdit. — *vafri*, refer ad vafritiem hominis, qui ius callida interpretatione in rem suam detorquet; hinc supr. Sat. I, 3, 130. iurisconsultus Alfenus dicitur *vafer.*

v. 132. *vivacior*, longius altero vivens; supr. Sat. II, 1, 35. *vivax mater.*

v. 135. *fortes*, ut viri, qui forti animo Fortunae iniquitatem et vicissitudinem perferunt; supr. Od. I, 7, 30. *O fortes, peioraque passi Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas.*

SATIRA III.

Horatius loquentem secum inducit Damasippum, qui ex mercatore, bonorum naufragium passo, factus est philosophus circumforaneus. Hic igitur, praecepta, quae ex ore Stertinii imbiberat, exponens, cum Horatio de sententia Stoicorum, „*omnes homines, et ipsos Stoicos insanire,*“ disputat.

Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? At ipsis
Saturnalibus huc fugisti! Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis: incipe: nil est!
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis natus paries dìs atque poetis.
Atqui vultus erat multa et praeclara minantis,

v. 1—4. *sic raro*, raro, et quidem tam raro, *ut* cett. *scribis*, sc. carmina. — *scriptorum quaeque retexens*, omnia, quae scripsisti, retractans, emendans, expoliens, et, quae displicuerint, expungens; quod fiebat in palimpsesto, sive tabula cerata, unde scripta referebantur in *membranam*. Retexebat igitur Horatius scripta sua ad illud ab ipso datum praeceptum: (Epist. ad Pis. v. 388.) *nonumque prematur in annum*. — *retexere*, translatum sane est a tela texta, quae resolvitur; num vero poeta de Penelope cogitaverit, nolim equidem contendere cum interpretibus. — *vini somnique benignus*, ad largiores vini haustus et ad vitam desidem propensus. *benignus* cum genitivo, ut *largus lacrimarum* apud Plaut. Asin. III, 1, 30.

v. 4. *dignum sermone*, memoratu dignum (λόγον ἄξιον). *Quid fiet?* quid igitur facies? scribesne tandem, necne?

v. 5. *at ipsis Saturnalibus huc fugisti!* at videris certe ad scribendum appulisse animum, quia *ipsis Saturnalibus* ex strepitu urbis, ubi nunc omnes laetitiae genioque suo indulgent, (*huc*) in otiosam tuam villam Sabinam te recepisti. — De *Saturnalibus*, quae in memoriam aureae aetatis, ubi sub auspiciis Saturni communi libertate et aequalitate fruebantur homines, per aliquot dies inde a d. XIV. Calend. Ianuar. licentius fere et luxuriosius celebrari solebant, nota sunt omnia. — *sobrius ergo*, ergo in villa tua, ubi ab urbana luxuria remotus nunc sobrie vivis, *dic aliq. dign. promissis*, cane carmen, quod respondeat excitatae expectationi; nam Horatius, se aliquid scribere velle, *si* (ut v. 10. dicitur) *vacuum tepido cepisset villula tecto*, promisisse quasi videtur, certe *vultum multa et praeclara minantis* in villa sua prae se ferebat.

v. 6. *incipe*, et mox, quasi aliquamdiu, sed frustra expectasset, addit: *nil est*, nihil in medium profers.

v. 7. *immeritus paries laborat*, male se habet, male tractatur, sc. a poeta, qui, se nihil versuum proferre posse, indignans, *in parietem innocentem* iram effundit, eumque vel capite, vel pedibus, vel manibus petit pulsatque; *paries immeritus*, ut supr. Od. I, 17, 28. *vestis immerita* scindi dicitur.

v. 8. *Iratis natus paries dìs atq. poet.* quod ad tristem sortem natum est, diis iratis natum esse dicitur; paries autem, qui iram poetarum experitur, non tantum *diis iratis*, sed etiam, quod iocose additur, *poetis iratis* natus dicitur.

v. 9. *vultus erat minantis*, pro vulgari: videbaris minari, speciem minantis prae te ferebas; — *minari* neque ad satiras minaces referendum, neque cum ironia de malis versibus dictum; sed simpliciter pro: meditari, promittere, moliri. Simillime infr. Epist. I, 7, 3. *Si quaeret, quid agam, dic multa et pulchra minantem Vivere nec recte nec suaviter.*

Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere, miser: vitanda est improba Siren,
Desidia: aut, quicquid vita meliore parâsti,
Ponendum aequo animo. Dî te, Damasippe, deaeque,
Verum ob consilium donent tonsore: sed unde

v. 10. *Si vacuum tep. cep. vill. tecto* — elegans est huius versus structura et numerus; *vacuum* (pro te) sc. rerum, quibus adhuc poeta in urbe distentus fuerat; in carmine praecedente Ofellus, rusticus, *vacuus operum* dicebatur. — *tepido*. *Schol. Cruq. Amavit enim Horatius focum luculentiorem; idcirco sub hiemem solebat se transferre in villam propter lignorum copiam.* Sed nec in urbe, puto, lignum deficiebat Horatium, qui villam suam ideo potius dixisse videtur „*tectum tepidum*,“ h. e. gratum, iucundum, quia ibi in modico conclavi melius corpus fovere et a frigore tueri poterat. Hinc Horatius infr. Epist. I, 7, 12. cum esset hiems, se *legere velle* ait *contractum* sc. in cubiculum tepidum et angustum.

v. 11. *Quorsum pertinuit* (spectavit) *τὸ stipare*, pro vulgari: in quem finem, quo consilio stipasti. — *stipare* iam est: arctius colligare, compingere et inter se iungere, quod fit, si libros quoquam portandos vel vehendos curamus. — *Menandro*, Atheniensi, Comoediae novae auctori, ad cuius exemplum Afranius (Epist. II, 1, 57.) et Terentius se composuere. Caeterum hic locus memorabilis est, cum ex eo discamus, quorum praecipue scriptorum lectione Horatius animum pascere solitus sit.

v. 12. *Eupolin*, cf. supr. ad Sat. I, 4, 1. — *Archilochum*, Parium, carminis Iambici principem, cuius imitatorem se ipsum profitetur Horatius infr. Epist. I, 19, 23. — *educere*, ex urbe tecum ducere, *tantos*, tantae famae.

v. 13. *Invidiam — virtute relicta*, tune, intermisso satiras scribendi studio, invidiam, quam eo tibi conflasti, placare studes? Satiras scribendi studium vocatur *virtus*, quia illud in carpendis hominum vitiis, et proinde in virtute commendanda versatur.

v. 14. *miser*, ut miserae conditionis homo, qui otio indulget ignavo.

v. 15. *quicquid* sc. laudis, *vita meliore*, ubi non diffluebas ignavo otio, sed strenue tempus in deridendis hominum vitiis vel in universum in bonis artibus collocabas.

v. 16. *ponendum*, deponendum, dimittendum.

v. 17. *te — donent tonsore.* Horatius simulat, se nescire, Damasippum, tanquam philosophum, Stoicorum more barbam pascere; (nam

Tam bene me nôsti? Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis: olim nam quaerere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset:

Damasippus causam, cur barbam alat, infra demum v. 35. aperit;) optat igitur Horatius, ut Damasippo tonsor contingat, qui eius barbam, squallore sine dubio et sordibus inquinatam, demetat. Et sic Horatius satis acerbe cum Damasippo tanquam cum homine agit, cuius foedus adspectus miserationem moveat.

v. 19. *Omnis res mea — fracta est*, omnis res mea familiaris comminuta et fracta est, ut navis, quae vi tempestatis in mari frangitur; hinc qui bona sua perdiderunt, dicuntur apud Ciceronem in Catilin. I, 12. *naufragi*. sic apud Graecos *ναυαγεῖν* et *ναυαγός*; vid. *Iacobsii* doctam notam ad Anthol. Graec. T. II, 1. p. 137 seqq. — *ad Ianum medium*, erat in foro Romano vicus Iani, (a Iani bifrontis vel templo, vel signo, vel a tribus perviis transitionibus, *Iani* appellatis, ita dictus; de perviis transitionibus sive *Ianis* vid. *Interpretes* in Sueton. Aug. 31.) in cuius *media* parte, (prima huius vici pars *primus* seu *summus Ianus*, media *medius Ianus*, infima *infimus* vel *imus Ianus* dicebatur, cf. inf. Epist. I, 1, 54.) quae fuisse videtur frequentissima, foeneratores, ad mensas vel tabernas argentarias sedentes, (Cic. de Offic. II, 25. *Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris* (foeneratoribus), *ad medium Ianum sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur.* cf. Cic. Philipp. VI, 5.) res suas agebant. Ibi igitur Damasippus in vasis antiquis, ut ipse paulo post narrat, et aliis rebus insano pretio coemendis nimius, versuram apud foeneratores faciendo bonorum naufragium passus est. — *aliena negotia*, quod aliis prosit, res aliorum. sic *aliena negotia* infr. Sat. II, 6, 33.

v. 20. 21. *Excussus propriis*, perditis nimirum bonis, nihil, quod ad ipsum spectaret, curandum habebat Damasippus. — *quaerere amabam, Quo — aere*, pro vulgari: *quaerere aes* (aerea vasa) *quo* cett. Iam Damasippus, edisserens, quomodo olim antiqua vasa conquisiverit, et sua cuique pretia statuerit, se elegantem veteris artis spectatorem iactat; — *quaerere* paulo latius iam patet; est enim non tantum, sibi aliquid acquirere, comparare, sed etiam in aliquid inquirere, aliquid examinare, diiudicare; Damasippus acquirere sibi olim studuerat aeream pelvem, qua Sisyphus pedes lavisset; tum *quaesiverat*, inquisiverat et diiudicaverat: *Quid sculptum infabre, quid fusum* (nos: *geschmolzen, gegossen*) *durius esset*. Caeterum Damasippum veterum statuarum amatorem fuisse, discimus quoque ex Cicerone in Epist. ad Familiares VII, 23. *Sisyphus*, filius Aeoli, rex Ephyrae et Corinthi conditor, astutia inprimis notus, unde ille nunc *vafer*. Apud Homerum Iliad. VI, 53. *κέρδιστος ἀνδρῶν* vocatur. De poena, ob latrocinia et alia dolose perpetrata facinora apud inferos ei perferenda, locus classicus est apud Homerum, Odyss. XI, 592 seqq.

Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro nôram; unde frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita. Novi,
Et morbi miror purgatum te illius. Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisque dolore;
Vt lethargicus hic, cum fit pugil, et medicum urguet.
Dum ne quid simile huic, esto ut libet. O bone, ne te

v. 22. *infabre*, haud ad artis fabrilis scientiam, ineleganter; contrarium est *affabre*. — *durius*, minus purgatum ab asperitate; contrarium est *mollius*. Virgil. Aen. VI, 847. *Excudent alii spirantia mollius aera.*

v. 23. *Callidus*, ut homo veteris artis et veterum monumentorum recte aestimandorum bene peritus, subtilis iudex, ut infr. Epist. I, 7, 101. *Subtilis veterum iudex et callidus audis.* — *huic*, huic et illi, cuidam, ut v. 30. *Vt lethargicus hic*, aliquis, et sic passim *hic*. — *ponebam* constituebam pro mea in his rebus scientia — *millia centum*, sc. nummûm.

v. 24. *hortos — mercarier unus Cum lucro nôram*, hinc Cicero quoque a Damasippo hortos emere voluit. Epist. ad Attic. XII, 29 et 33.

v. 25 — 26. *frequentia compita*. Schol. Acr. *Auctiones fere in compitis fiunt, ex quibus se quaedam emere solitum et vendere significat. Compita dicuntur viae latae, ad quas ex multis regionibus convenitur.* — *Merc. impos. mihi cogn.* me vocarunt alterum Mercurium, mercaturae praesidem.

v. 27. *morbi illius*, insani illius emendi vendendique studii. *morbus*, ut *νόσος* apud Graecos, non raro de vitiis et cupiditatibus. — *purgare*, Graece (*ἀποκαθαίρειν*) cum genitivo, ut apud Livium XXXVII, 28. *Quibus purgantibus civitatem omnis facti dictique hostilis adversus Romanos.*

v. 28. *novus*, novum studium, nempe philosophiae Stoicae; novum igitur insaniae genus; nam Stoici quoque insaniunt.

v. 29. *Traiecto — dolore*, Damasippus vult dicere: postquam ex animo meo nimium omnia coemendi studium expuli, novae rei, philosophiae Stoicae, studio me abripi passus sum; pro eo, ut sibi constet in metaphora, dixit: ex pleuritico factus sum cardiacus; *traiecto*, nos etiam in vernacula dicere solemus: *Die Krankheit wirft sich auf einen andern Theil des Körpers.* — *miseri*, misere, h. e. valde, male affecti.

v. 30. *Vt lethargicus hic* cett. Sensus: Vt fere (*hic* vid. ad v. 23.) aliquis, qui lethargia laborat, cum ex lethargico factus est phreneticus, pugilis instar ruit in obstantes et impetum in medicum facere minatur. Vult igitur Damasippus huiusmodi aegroti comparatione ostendere, novum, quo nunc agitetur, studium longe illo vetere esse ferventius.

v. 31. *Dum ne quid*, sis, per me licet, quicunque esse cupis, modo ne quid facias simile (*huic*) phrenetico pugili, h. e. modo ne te furor in me agat. Possis quoque *huic*, dum Horatius digitum in se intendit, pro

Frustrere; insanis et tu stultique probe omnes,
Si quid Stertinius veri crepat; unde egò mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore, quo me
Solatus iussit sapientem pascere barbam,
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam male re gesta, cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit, et: Cave faxis
Te quidquam indignum: pudor (inquit) te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere; hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia, et quemcunque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges,

mihi explicare. Sic supr. Sat. I, 9, 47. *Hunc hominem* pro: me.

v. 32. *stultique prope omnes*, excepto sapiente.

v. 33. *Si quid Stertinius veri crepat*, si quid veri profert Stertinius in maxima, quos de Stoicorum philosophia scripsit, librorum copia; nam ut refert Scholiastes infr. ad Epist. I, 12, 20. *Stertinius philosophus ducentos et viginti libros Stoicorum latine scripsit.* — *crepare*, significanter de hominibus nimis verbosis et loquacibus. — *unde*, a quo, ex cuius ore.

v. 35. *me sapientem*, me futurum philosophum.

v. 36. *a Fabricio ponte. Schol. Cruq. Hic pons Fabricius dictus est a Fabricio consule conditore, qui nunc Lapideus nominatur.* — *non tristem*, bono animo.

v. 37. *male re gesta*, perdita re familiari; qui rem familiarem male eam administrando et collocando perdunt, *rem male gerere* dicuntur. — *mittere operto Me capite in flumen*, sic apud Livium IV, 12. *Multi ex plebe, spe amissa, potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus obvolutis se in Tiberim praecipitaverunt.* Scilicet qui se morti offerebant, caput velare vel obvolvere solebant; vid. *Heind.* ad h. l.

v. 38. *dexter stetit*, tanquam deus aliquis, qui mihi faveret, adfuit. — *Cave* pertinet ad ea secundae coniugationis verba, quorum ultima, praesertim in disyllabis in imperativo (ut in *vide, vale*), nonnunquam corripitur.

v. 39. *pudor malus*, importunus, ineptus.

v. 43. *stultitia mala*, perversa, perniciosa.

v. 44. *Chrysippi porticus et grex.* Chrysippus (cf. supr. ad Sat. I, 3, 127.) et alii omnes Stoici; — *porticus*, στοά, ubi Zeno eiusque disciplinae addicti docebant. — *Autumat*, habet, declarat.

v. 45. *haec formula*, haec insani hominis definitio; Cicero de Offic. III, 14. *Formulae Aquillii de dolo malo*, definitiones, quibus accurate constitutum erat, qui dolus dicendus esset *malus*. Ibidem sequente

Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit;
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
Error, sed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis; ut ignes,
Vt rupes, fluviosque in campo obstare queratur:
Alterum, et huic varum, et nihilo sapientius, ignes
Per medios fluviosque ruentis, clamet amica,
Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:
Hic fossa est ingens! hic rupes maxima! serva!
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
„*Mater te appello*,“ clamantibus. Huic ego vulgus

capite pergit Cicero: *Quodsi Aquilliana definitio vera est.* — *populos*, civitates; *magnos reges*, potentissimos vel summos quosque, qui civitatibus praesunt. — *tenet*, complectitur, continet.

v. 48—53. *Velut silvis* cett. Sensus et nexus: Quemadmodum fieri solet in silvis, ubi non raro ibi palantes a recta via aberrant, hic sinistrorsum, ille dextrorsum; uterque errat, sed diverso modo; ita (*hoc modo*) te quoque crede insanum, cum is, qui te deridet, nihilo te sapientior sit, et proinde, pariter ac tu, ut insanus ab aliis derideatur.

v. 53. *caudam trahat*, antiquitus aeque ac nunc pueri vel in lusibus puerilibus vel extra lusus ei, quem ludere et aliorum derisui exponere volebant, clanculum a tergo caudam animalis alicuius adsuisse vel adfixisse videntur, unde is, qui deridetur vel ludibrio habetur, proverbiali fere locutione *caudam trahere* dici videtur. Sic de hac locutione iam sensit *Schol. Porph.*, qui notavit haec: *ex consuetudine puerorum sumtum pro: deridetur; solent enim pueri deridentes nescientibus a tergo caudam suspendere, ut velut pecus caudam trahant.*

v. 54. *timentis*, iunge: *unum stultitiae genus est* hominis *timentis*; *ut ignes*, ita quidem, ut ignes cett.

v. 56. *huic varum* h. e. dispar, dissimile, diversum; translatum ab hominibus *varis*, qui pedes in diversum flexos habent.

v. 57—62. *ruentis*, iunge: *alterum* stultitiae genus est hominis *ruentis*. — *clamet amica*, cett. is, licet amica, mater, cett. clamet: Hic fossa est — cave tibi, tamen non magis audierit, quam olim ebrius Fufius cett.

v. 59. *serva* sc. te a praesente periculo. Imago hominis, per praecipitia ruentis nec ullam dehortan-

Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo;
Integer est mentis Damasippi creditor? Esto.
Accipe, quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam,

tium vocem auscultantis, Stertinio in memoriam revocat facetam historiam de Fufio histrione, qui, cum ebrius in Tragoedia Iliona personam matris dormientis Ilionae ageret, tam alto in scena sopore oppressus est, ut ab alio histrione, Catieno, qui Vmbram vel Polydori vel Deiphili agens, dormientem Ilionam appellabat, ne intentissima quidem voce e somno excitari posset. Pacuvius scilicet ad exemplum Hecubae Euripideae tragoediam, *Iliona* inscriptam, composuit; at quae ap. Euripidem *Hecuba* vocatur, ea apud Pacuvium erat *Iliona*. Secundum mythographos autem *Iliona* erat filia Priami, cum Polymnestore matrimonio iuncta; cuius discrepantiae expediendae duplex ab interpretibus proponitur ratio: una, quod Hecuba etiam Iliona appellata fuerit: altera quod Pacuvius aliam, quam Euripides, secutus sit fabulam. Et haec quidem altera longe probabilior. Narrat enim Hyginus, ex vetere procul dubio, ut solet, tragoedia Fab. CIX. *Priamo Polydorus filius ex Hecuba cum esset natus, Ilionae filiae suae dederunt eum educandum, quae Polymnestori regi Thracum erat nupta, quem illa pro filio suo educavit. Deiphilum autem, quem ex Polymnestore procreaverat, pro suo fratre educavit, ut, si alteri eorum quid foret, parentibus praestaret. Sed cum Achivi, Troia capta prolem Priami exstirpare vellent, — ad Polymnestorem legatos miserunt, qui ei Agamemnonis filiam, nomine Electram, pollicerentur in coniugium, et auri magnam copiam, si Polydorum, Priami filium, interfecisset; Polymnestor legatorum dicta non repudiavit, Deiphilumque filium suum imprudens occidit, arbitrans, se Polydorum, filium Priami, interfecisse.* — Itaque in Tragoedia Pacuvii non Polydorus matrem Hecubam, ut est apud Euripidem, sed Deiphilus Ilionam in somno compellabat. — *Ilionam edormit*, Ilionam dormientem agens vere dormit. — *Catienis mill. duc. clamant.*, Catieno histrione, qui Vmbra Deiphili prodibat, tanta vocis intentione clamante, ut mille ducenti Catieni clamare viderentur; clamabat autem: *mater te appello.* Versus Pacuvii, qui huc pertinent, servati leguntur apud Ciceronem Tusc. Quaest. I, 44. *Mater te appello, tu quae curam somno suspensam levas, Neque te miseret: surge, et sepeli natum.*

v. 62—63. *Huic ego vulgus err. — docebo*, iunge: *Ego docebo cunctum vulgus* (omnes homines) errorem *insanire, similem* **huic**, de quo dixi, *errori*, sensus: Ego ostendam, omnes homines non certum modum tenere, sed eum excedere, similesque aut stulte timido, aut cum furore audaci homini alicui, se stultos insanosque praebere; *insanire errorem*, ut infr. Epist. I, 1, 101. *insanire solemnia*, et Senec. de Vit. Beat. 12. *insanire insaniam hilarem.*

v. 64—66. Verum esse, quod Stoici contendunt, *omnes homines insanire*, exemplis comprobare Damasippus pergit. Ego, ait, insanio,

Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors
Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutae
Nodosi tabulas centum; mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in ius malis ridentem alienis,

quod veteres statuas coemo; sed insanit quoque is, qui mihi pecuniam ad emenda ea, quibus delector, credit. — Qui, quod sponte oblatum esset, hac conditione proposita, ut nunquam reddatur, repudiaret, pro insano haberetur. Insaniunt foeneratores, qui pecuniam in foenore ponunt apud homines improbos; ab his enim illi, quamvis summa circumspectione per scriptas tabulas sibi cavent, circumveniuntur. Insanit is, qui immensis usuris foenori dat pecuniam, quam debitor reddere nequit.

v. 65. *esto*, sit ita.

v. 68. *quam praesens Mercurius fert?* quam nunc offert Mercurii favor, h. e. praesens lucrandi occasio.

v. 69. *Scribe decem a Nerio* cett. Ad orationis nexum animo complectendum supple fere haec: Annon insanus est foenerator, qui malae fidei debitori summam aliquam pecuniae credit? nam, quamvis providus foenerator quovis vinculi genere fallacem debitorem nectat, tamen hic illum eludet. — Alloquitur igitur Damasippus providum foeneratorem: *Scribe* versipelli debitori *decem tabulas* (syngraphas, chirographas,) vel a *Nerio*, foeneratore callidissimo, conceptas et contra omnem fraudem munitas, (*non est satis;*) *adde centum tabulas* foeneratoris *Cicutae nodosi* (verborum laqueis quasi nodisque debitoris fidem constringentis; nos diceremus eiusmodi hominem: *einen, der die Schuldbriefe recht zu verklauseln versteht;* lepide *nodosum Cicutam* vertit *Vossius*, *den Knotenstricker.*) *mille adde catenas,* mille cautionum genera, quibus, tanquam catena, creditori obstringitur debitor. — In versu 71 malae fidei debitor comparatur cum *Proteo*, quia sicut ille, fallendi causa omnes formas induit; eiusmodi hominem Plautus vocat *versipellem.*

v. 72. *malis ridentem alienis.* locutio *malis alienis ridere* multum negotii facessivit interpretibus, nec quisquam eorum commodam eius explicationem attulit. Omnes comparant *γναθμοῖς γελᾷν ἀλλοτρίοις* apud Homerum Odyss. XX, 347. Sed apud Homerum sermo est de risu invito, simulato, Sardonico; sic non ridet malus debitor. Rectam huius locutionis explicationem mihi suppeditare videtur versus tam praecedens, quam subsequens; malus debitor in versu praecedente vocatur *Proteus*, quia, sicut Proteus, modo hanc, modo illam formam assumit; nonnullae autem formae, in quas mutari solet Proteus (cf. Hom. Odyss. IV, 456 sqq.), in versu subsequente commemorantur; quodsi igitur malus debitor Protei more in alienam formam mutatus ridet, non suis genis, non suo ore, sed genis vel ore alienae formae, quam induit, ridet; bene igitur Horatius locutionem *malis alienis ridere* accommodavit tam praecedenti, quam proximo versui; imagine enim sive com-

Fiet aper, modo avis, modo saxum, et cum volet arbor.
Si male rem gerere, insani est; contra bene, sani;
Putidius multo cerebrum est (mihi crede) Perillî,
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire, atque togam iubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,
Dum doceo insanire omnes vos, ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

paratione mali debitoris cum Proteo sublata *malis ridentem alienis* erit: modo hoc, modo illo callide invento, modo hac, modo illa dolosa arte eludentem. Caeterum *Wielandus*, qui non raro *Bentleios*, *Gesneros* et alios alto supercilio damnat, in hoc quoque loco, ut in pluribus aliis, haud leve commisit vitium; vertit enim: *der über andrer Schaden lacht*; ex metri enim ignorantia *māla* a *mălum* non distinxit; uti alibi ex *hēros* fecit *hĕrus*.

v. 75. *Perilli* — *Perillius*, ut ex sequentibus apparet, foenerator fuit avarissimus, qui pro nummis in foenore positis usuras omnem modum superantes exigebat, vel, quod supr. Sat. I, 2, 14. dicitur, *quinas mercedes capiti exsecabat*.

v. 76. *Dictantis*, pecuniam mutuo sumentem scribere in syngrapha iubentis; — *rescribere* (quod oppositum est *τῷ scribere*, h. e. scripta syngrapha se debitorem profiteri) est: solvere, reddere debitum; vid. imprimis *Bentl.* infr. ad Epist. II, 1, 105.

v. 77. Narrata adhuc Stertinii praecepta ad ipsius, qui ea narravit, Damasippi insaniam pertinent; nunc Damasippus, quasi diceret, *paulo maiora canamus*, transit ad ea, quae ad omnes homines spectant; itaque omnes attente se audire, et, toga modeste collecta, sibi dicenti adsidere iubet. — *togam componere.* *Schol. Acr. Nam qui male composita toga sedet, videtur negligenter audire.*

v. 78. *pallet*, eleganter pro: agitatur; avari enim, qui habendi cupiditate curisque de iis, quae possident, cruciantur, *pallere* solent.

v. 80. *calet*, aestuat, ut fere febri correpti, eleganter pro vulgari: laborat.

v. 82. *helleb.* — *helleborum* (*Nicswurz*), cuius imprimis ferax fuit insula Anticyra, ad sinum Corinthiacum sita, cerebro purgando adhibebatur.

v. 83. *Nescio an Antic. r. ill. dest. omn.* pro: sine dubio ratio illis destinat omn. Ant. — De locutione *nescio* vel *haud scio an*, qua non sine modestia aliqua, nonnunquam etiam cum aliqua irrisione dubitanter loquimur de rebus, quas nullo modo in dubitationem vocamus, erudite egit in peculiari libello *G. Ph. Schuppius Progr. schol. Hanov.* 1820. Omnes ac singulos, (quorum haud exiguus numerus est) qui ante *Schuppium* et post eum de formula *haud scio* vel *nescio an*, copiose et subtiliter disputarunt, diligentissime indicavit Vir Doctissimus *Kraftius* ad Select. Mureti Epist. et Orat. p. 307. usque ad pag. 313. Nec tamen illi de ratione, ex qua post *haud scio* vel *nescio* aut simpliciter *an* aut *an non* subiiciendum sit, satis inter se consentiunt. — *ratio*, gravioris morbi, quo avari laborant, scientia sive cognitio. *Anticyram omnem*, quicquid hellebori in tota insula Anticyra nascitur.

Haeredes Staberî summam incidere sepulcro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arrî,
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prave,
Seu recte hoc volui; ne sis patruus mihi. Credo
Hoc Staberî prudentem animum vidisse. Quid ergo
Sensit, cum summam patrimonî insculpere saxo
Haeredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius; ut, si
Forte minus locuples uno quadrante perîsset,
Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,

v. 84—102. Iam Damasippus insaniam eorum, qui in magnarum divitiarum possessione et splendore summam felicitatem ponunt, divitis cuiusdam *Staberi* exemplo probat; cui opponit *Aristippum*, quem ut hominem in pecuniae contemtu nimium pariter ad insipientes refert. — Staberus scilicet, ut divitiarum, quas moriens reliquerat, magnitudo hominum sermonibus celebraretur, haeredes in testamento earum summam sepulchro incidendam curare iussit, hac adiecta conditione, ut, nisi hoc fieret, haeredes Arrii cuiusdam, hominis luxuriosi, arbitrio centum paria gladiatorum, epulum et ingentem frumenti copiam populo dare tenerentur. Suavior fit haec narratiuncula ipsius Staberi interposito sermone.

v. 84. *summam*, scil. haereditatis.

v. 86. *Damnati*, obstricti. *Arri* — Arrius, homo luxuriosus, sive unus ex duobus fratribus, quorum mentio fit infr. v. 243, sive pater Q. Arrius.

v. 87. *frument. quant. met. Afr.* supr. Od. I, 1, 10. *Quidquid de Libycis verritur areis.* — *Sive ego prave* cett., hoc ego sive male sive bene volui, ne sis huius voluntatis meae severus censor. — Loquitur nempe ipse Staberus, sed verba, quibus utitur, sapere mihi videntur antiquam formulam, quam fortasse testamentorum conditores ad monendos haeredes, ut omnia, quae iussa essent, sine omni recusatione exsequerentur, testamentis adiicere solebant. — *patruus*, obiurgator, vituperator; vid. supr. ad Sat. II, 2, 97. et Od. III, 12, 3.

v. 89—92. *Credo, Hoc Stab. prud. an. vidisse*, Staberum hoc arbitror praevidisse, sc. fore, ut haeredes summam patrimonii saxo insculpere recusent, *prave*, id iussum esse iudicantes. — *Quoad* una syllaba pronunciandum. — *ingens Paup. vitium* supr. Od. III, 24, 42. *Magnum pauperies opprobrium.*

v. 94. *videretur*, pro vulgari: visus esset; vid. *Bentl.* ad h. l. —

Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus. — Sapiensne? Etiam! et rex,
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti
Graecus Aristippus, qui servos proiicere aurum
In media iussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Vter est insanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharae, nec Musae deditus ulli;
Si scalpra et formas non sutor; nautica vela
Aversus mercaturis: delirus et amens
Vndique dicatur merito. Quî discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?

omnis enim res cett. locus classicus de divitiarum potentia; *Lambinus* praeter alia comparat Theogn. 519.

v. 97. *Sapiensne?* infr. Epist. II, 2, 152. — *Audieras, cui Rem dii donarint, illi decedere pravam Stultitiam.*

v. 98. *Hoc, vel. virt. par.*, has veluti virtute constructas divitias.

v. 99. *Quid simile isti Graec. Arist.*, quid fecit Aristippus, quod simile sit isti Stabero, vel Staberi istius facto? pro vulgari: quam dissimilis est Aristippus Stabero! Damasippus scilicet *frontibus adversis* (ut supr. Sat. I, 1, 103. Horatius loquitur) *secum pugnantia* componit. — *Aristippus*, Cyrenaeus, Socratis discipulus, Cyrenaicae disciplinae auctor.

v. 101. *irent* pro: ibant; non raro particula *quia* ponitur cum coniunctivo, ut docet magna exemplorum copia, quae congessit *Drakenb.* ad Liv. II, 8. §. 5.

v. 103. *Nil ag. ex. lit. qu. lite resolvit.* — *litem*, rem in litem vocatam, *lite*, alia re pariter in litem vocata, *resolvit*, dissolutum, diremtum it. Sensus: Ad rem aliquam reprehendendam nihil valet alius rei pariter reprehendendae exemplum. *Staberi* nimius divitiarum amor non carpi debet *Aristippi* nimium pecuniam contemnentis exemplo.

v. 105. *nec Musae deditus ulli*, nec ulli arti musicae vel canendi generi deditus; designatur homo ab artis musicae studio plane alienus, ἄμουσος.

v. 106. *scalpra*, (nos: *Kneif, Schuhahle.*) — *formas*, formulas, καλοπόδια, (nos: *Leisten.*)

v. 108. *undique*, ab omni hominum, quibuscum vivit, parte, ab omnibus.

v. 110. *compositis*, comparatis, partis, collectis; Virg. Aen. VIII, 317. *nec iungere tauros, Aut componere opes norant, aut parcere parto.* Tibull. I, 1, 77. *Ferte et opes; ego composita securus acervo, Despiciam dites, despiciamque famem.*

Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste; neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
Si, positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, ter centum millibus! acre
Potet acetum: age, si et stramentis incubet unde-
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius, aut etiam haec libertus ut ebibat haeres,
Dis inimice senex, custodis? ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
Vnguere si caules oleo meliore, caputque
Coeperis impexa foedum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Vndique? tun' sanus? Populum si caedere saxis
Incipias, servosve, tuo quos aere parâris,
Insanum te omnes pueri clamentque puellae:

— *velut cont. sacr.* cf. supr. Sat. I, 1, 71.

v. 116. *nihil est*, ut v. 17. *non est satis*, in correctionibus pro: immo; quid dico *mille*, immo *ter centum millibus.*

v. 117. *age*, audi porro. — *undeoctoginta* per tmesin poeta distinxit.

v. 120. *nimirum*, per ironiam, ubi contrarium intelligendum est; cf. supr. ad Sat. II, 2, 106.

v. 121. *iactatur*, de vi morbi, qui aegrotum circumagit, nec eum quiescere sinit; comparatur *morbus* cum tempestate; sic apud Graecos νόσοις χειμάζεσθαι. *iactatur* igitur gravius, quam *tentatur.*

v. 122. *libert. ut ebib. haeres*, supr. Od. II, 14, 25. *Absumet haeres Caecuba dignior Servata centum clavibus.*

v. 123—126. *Dis inimice*, quasi ipsi dii irascantur avare, exsecrabilis. — *custodis*, significanter pro: servas; nam avari tanquam custodes summa vigilantia bonis suis assident vel incubant; cf. v. 51. *ne tibi desit?* eone consilio, ne quid in posterum ad vitam sustentandam tibi desit? bono sis animo! nihil tibi deerit; quam pauxillum *enim* divitiarum summae quotidie decurtabitur, si coeperis ungere caules meliore oleo; ergo non rancido et male olente, quale in Satira praecedente v. 59. Avidienus caulibus instillasse dicitur; — *impexa*, sc. crinibus, qui propter porriginem pecti nequeunt.

v. 127. *si quidvis satis est*, si res tenuis et modica ad vitam sustentandam sufficit; — *periuras*, *surripis*, *aufers*, en avari descriptionem gravissime tribus verbis expressam!

v. 130. *omnes pueri et puellae*, pro: omnes et singuli, ad unum omnes, ut supr. Sat. I, 1, 85.

Cum laqueo uxorem interimis, matremque veneno;
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens genitricem occidit Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin ex quo habitus male tutae mentis Orestes,
Nil sane fecit, quod tu reprêndere possis;
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
Electram; tantum maledicit utrique, vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,

v. 131. *matremque veneno*, respexisse videtur Hor. Scaevam, qui supr. Sat. II, 1, 53. ut homo nequam et luxuriosus (*nepos*) matrem vivacem veneno interemisse dicitur. Pro *matremque* malim: *matremve*, ut modo v. 129. *populum servosve*, non enim dixisse videtur Hor. *uxorem* et simul *matrem*, sed *uxorem* vel *matrem*; cf. ad Sat. praeced. v. 84., ubi pro *ubique* legendum est *ubive*.

v. 132. *Quid enim?* cur enim non sis incolumi capite vel sana mente? Stertinius scilicet simulat, se caussam matricidae agere velle, et sic cum irrisione per *quid enim?* concedit, quod pro maximo scelere habet. Pro: *Quid enim* dedit *Bentleius* ex nonnullorum Codd. auctoritate *Quidni?* sed hanc lectionem pro interpretatione τοῦ *Quid enim* habuerim. — *Argis*, ubi Orestes ad patris Agamemnonis caedem ulciscendam matrem suam Clytaemnestram occidit.

v. 133. pro *occidit* alii *occidis*; utraque lectio eodem redit.

v. 134. *occisa ins. par.*, caede demum peracta, ut est in fabulis, furore correptum esse?

v. 136. *tepefecit*, epica sublimitate pro: defixit, sic hasta *tepefacta traiecto cerebro haerere* dicitur apud Virg. Aen. IX, 419.

v. 137. *Quin ex quo*, quin Orestes ab eo inde tempore, quo, caede perpetrata, a Furiis agitatus esse dicitur; — *ex quō habitus*, neglecta elisione, ut supr. Sat. I, 9, 38. — *male tutae*, male sanae; vid. *Bentl.*

v. 139. *Pyladen*, amicitia, quae ei cum Oreste intercedebat, nobilissimum.

v. 141. *Hanc Furiam*, cf. Euripid. Orest. v. 259. *hunc aliud, iussit quod splendida bilis*, hunc vocando aliud quidpiam, h. e. in hunc iaciendo aliud convicii genus, quod suppeditavit honestior vel generosioris animi furor. Sic fere *splendide mendax* dicitur Hypermnestra supr. Od. III, 11, 35. Sed *Heindorfius*, nimis argute *splendida* trahit ad naturam *atrae*, vel, ut nunc medici loquuntur, *piceae bilis*, ex qua, habente aliquid *splendidi coloris*, furor proficiscatur.

v. 142. *Opimius*, homo avarus, *argenti et auri intus positi* (in arca reconditi) dicitur *pauper*, quia is, qui pecuniam, tanquam rem sacram, contingere metuit, et proinde nullum inde usum capit *magnas inter opes*, ut Noster loquitur supr. Od. III, 16,

Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut haeres
Iam circum loculos et claves laetus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto; mensam poni iubet atque
Effundi saccos nummorum; accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit: addit et illud:
Ni tua custodis, avidus iam haec auferet haeres.
Men' vivo? Vt vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venae te, ni cibus atque

28. *inops* est. Hinc Auct. ad Herenn. IV, 17. *Egens aeque is, qui non satis habet, et* (an fortasse pro *et* legendum est *atque?* (pro *ac* sequente vocali), quia praecedit *aeque*) *is, cui nihil satis esse potest.*

v. 143. *Veientanum. Schol. Porphyr. pessimum vinum in Veiento* (Veientano agro) *nascitur. Martial.* I, 104, 9. pariter de homine avaro: *Et Veientani bibitur faex crassa rubelli.* — *trulla Campana*, non ex auro et argento, sed e terra Campana h. e. *fictili*, ut supr. Sat. I, 6, 118. *Campana supellex.* — *trulla* est vas, vino hauriendo et poculo infundendo inserviens; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *trulla*; — *trulla* igitur *potare* est potare vinum, quod e fictili trulla infunditur. — *profestis*, vid. supr. ad Sat. I, 2, 116. — *lethargo*, veterno.

v. 147. *multum celer*, sc. in consilio capiendo vel remedio aliquo excogitando, hinc *celere consilium* apud Terent. Phorm. I, 4, 1.

v. 150. *hominem sic erigit*, hac re efficit, ut homo, e lethargo excitatus, caput e lecto exserat.

v. 151. *custodis*, cf. ad v. 123.

v. 152. *ut vivas igitur, vigila*, respondet medicus: sed in eo, quo nunc es, statu, lethargo scilicet oppressus, vix vivere videris; *ut vivas igitur*, ut morbo libereris, *vigila*, cura. — *hoc age*, hoc tibi vel maxime sit curae, sc. ut vivas; possis quoque sic explicare: medicus accedit ad lethargicum, et medicamen, quod commemoratur in v. 155. ei porrigens, dicit: *hoc age*, hoc sume; favent certe huic explicationi sequentia: *Quid vis. Quid vis?* Quid te manere putas? *Tu cessas? agedum, sume hoc* cett.

v. 153. *Defic. inop. ven. te*, vires te miserum et opis egentem vel sine ope cubantem deficient, ni cett. Egregie sane poeta expressit sermonem, quo medici apud aegrotos uti solent. — *ingens fultura* de eo, quod stomachum fulcit, sustentat, corroborat. Commode *Bentleius* comparat Lucret. II, 1147. *Et fulcire cibis atque omnia sustentare.* et IV, 865. *Propterea cupitur cibus, ut suffulciat artus.* Columella VI, 24. *Vinum quoque potentissime reficit et fulcit venas deficientes.* — *ruenti*, sc. ad interitum, in miserum statum, pro: deficienti, infirmo, accommodate ad vocem *fultura.* Silius Ital. XI, 234. *Solusne ruentem Fulcire et revocare paras a funere Romam?*

Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.
Quanti emtae? Parvo. Quanti ergo? Octussibus. Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis pereamve rapinis!
Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus?
Stultus et insanus. Quid? si quis non sit avarus,
Continuo sanus? Minime. Cur, Stoice? Dicam.
Non est cardiacus (Craterum dixisse putato,)
Hic aeger. Recte est igitur, surgetque? Negabit;
Quod latus aut renes morbo tententur acuto.
Non est periurus, neque sordidus: immolet aequis
Hic porcum Laribus. Verum ambitiosus et audax:
Naviget Anticyram: quid enim differt, barathrone
Dones, quicquid habes; an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusî duo praedia, dives
Antiquo censu, natis divîsse duobus
Fertur, et haec moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: Postquam te talos, Aule, nucesque

v. 155. *hoc ptisanarium oryzae*, intellige sorbitionem ex oryza (nos: *Reis*) confectam. Plin. Hist. Nat. XVIII, 13. *Maxime oryza gaudent* (Indi), *ex qua ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo.* — Ex *ptisana* Horatius fecit diminutivum *ptisanarium*, apposite sane ad morem medicorum, mollioribus verbis omnia apud aegrotos elevantium.

v. 158. pro: *Quid avarus?* legitur in vet. libr. apud *Feam Quis avarus?* quod non displicet, quia dixerat modo Horatius: *Quisnam igitur sanus?*

v. 160. *cur*, *Stoice?* Stertinius se ipsum ut Stoicum appellat.

v. 161. *cardiacus*, qui stomachi, quem veteres Graeci *καρδίαν* appellabant, doloribus affligitur. — *Craterum*, *Schol. Acr. Craterus fuisse dicitur illis temporibus opinatissimus medicus.*

v. 162. *recte est igitur*, recte igitur ille se habet. — *negabit*, sc. Craterus.

v. 163. *morbo acuto*, acuti et acrioris doloris.

v. 166. *naviget Anticyram*, cf. ad v. 83. — *barathrone Don. quicquid hab.*, utrum opes tuas ambitionis et gratiae captandae causa dones populo, qui barathro h. e. immensae voragini omnia absorbenti et deglutienti est similis, an cett.

v. 169. *dives Antiquo censu*, pro ratione, qua aliquis antiquitus dives censebatur.

v. 171. *talos*, quod de iis, quae ad talorum et tesserarum ludum spectant, scire opus est, breviter et accurate exposuit *Ernest.* in Clav. Cic. s. voce *talus*.

v. 171—175. *postquam te talos*. Sicut hodie, ita olim quoque pueri talis, *nucibus* pro praemio *positis*. *ludere* solebant. Hinc sponsi die nuptiali *spargebant nuces*, (Virg. Eclog.

Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem:
Extimui, ne vos ageret vesania discors;
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
Quare per divos oratus uterque penates,
Tu cave, ne minuas; tu, ne maius facias id,
Quod satis esse putat pater, et natura coërcet.
Praeterea, ne vos titillet gloria, iure-
Iurando obstringam ambo: uter aedilis, fueritve
Vestrûm praetor, is intestabilis et sacer esto.
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,

VIII, 30. *sparge, marite, nuces.*) se puerilia nunc deponere velle, significantes. — *Oppidii* alter filius, *Aulus*, paulo levior et ad liberalitatem propensior, aperte in togae *sinu laxo* (latius extenso) portabat nuces, quas vel obviis sodalibus donabat, vel iis ludebat, ita quidem, ut brevi tempore nihil ei restaret de nucibus; alter, *Tiberius*, paulo ad rem attentior et ad avaritiam proclivior, saepius numerabat nuces, easque *tristis* (severo et sollicito animo) in latebrosis locis abscondebat; hinc extimescebat pater, ne Aulus aliquando prodigus, Tiberius avarus extiturus esset.

v. 173. *cavis*, de locis excavatis sive latebris, ut infr. Sat. II, 6, 81. et Epist. I, 7, 33.

v. 174. *vesania discors*, aliter enim insanit *prodigus*, aliter *avarus*.

v. 175. *Nomentanum*, vappam et nebulonem, Sat. I, 1, 102 et 104. nepotem Sat. II, 1, 22. *Cicutam*, cf. v. 69. et Sat. II, 6, 6.

v. 177. *maius facias*, auctius facere et amplificare studeas.

v. 178. *et natura coërcet*, et naturae legibus, immodica quaeque coercentis et cohibentis, consentaneum est; vel supple ad *coercet* intra certos terminos.

v. 181. *intestabilis*, interprete *Unterholznero* apud *Heindorfium*, dicitur, qui neque testamentum facere, neque ex facto aliquo testamento bona accipere, neque faciendo testamento testis adesse poterat; fuit igitur homo omnium contemtui expositus, homo nefarius et detestabilis; hinc apud Tacitum Annal. XV, 55. *intestabilis* et *consceleratus*, et Histor. IV, 42. *intestabilior* et *saevior* iunguntur. — *sacer*, exsecrabilis, cui diras imprecamur.

v. 182—186. *In cicere* cett. Iam pater primum alloquitur Aulum in hunc fere sensum: Nonne tu insanis, Aule, quod ad populi gratiam captandam bona tua perdis largitionibus, ut superbe in Circo incedens digitis a populo monstreris, vel ut in liberalitatis tuae memoriam statua collocetur, dum hac vanitate nudaris omni tuo patrimonio? tum se convertit ad Tiberium: Nonne tu quoque, Tiberi, insanis, quod, ut tibi pariter atque Aedili Agrippae applaudatur, sicuti astuta vulpes, quae ingenuum leonem imitatur, congestam pecuniam in ea, quibus populus delectatur, impendendo pusillus homo magnum et generosioris animi Agrippam imitaris? — *In cic. fab. lup.* (*Schol. Cruq.*) *Antiquis temporibus, ubi pauperiores erant Romani, haec*

Latus ut in circo spatiere, et aëneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet, ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?
Ne quis humâsse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?
Rex sum. Nil ultra quaero plebeius. Et aequam
Rem imperito: at, si cui videor non iustus, inulto
Dicere, quod sentis, permitto. Maxime regum,
Dî tibi dent capta classem reducere Troia!

dabantur et spargebantur in vulgus ab his, qui ludos Florales exhibebant, ad plausum et favorem populi captandum. Posuit largitionis quoddam genus, quamvis antiquius, pro omnibus aliis.

v. 183. *Latus ut in circo spat.* per *latus* (nos: *gross und breit*) lepide hominis superbi et simulatam dignitatem prae se ferentis incessus describitur. Sic supra Epod. IV, 5. *superbus* quidam *ambulare et viam Sacram cum bis trium ulnarum toga emetiri* dicitur.

v. 185. *Scilicet*, ut *nimirum*, *videlicet*, cum irrisione. — *Agrip.* — *M. Vipsanius Agrippa*, cum V. C. 721. sponte aedilis factus, tam ludis Circensibus et spectaculis magnificentissime apparatis, quam publicis aedificiis pulcherrime exstructis, et pluribus aliis operibus omnes alios aediles longe superasset, a toto populo Romano, ubicunque in eius conspectum venerat, ingenti plausu exceptus est; vid. Dio Cass. XLIX, 43. Plin. H. N. XXXVI, 13.

v. 186. ad *astuta vulpes* supple particulam comparationis veluti, saepius ab Horatio omissam; vid. infr. ad Epist. I, 2, 42. Apud Pindarum quoque Ol. X, 20. generosioris animi leo astutae vulpi opponitur.

v. 186—223. *Ne quis humasse* cett. Iam Stertinius, Oppidium, qui de duplice insaniae genere duobus filiis cautum ivit, excipiens, transit ad aliud genus insaniae, ad insaniam scilicet, qua Agamemnon filiam suam, Iphigeniam, pro vitula Dianae hostiam oblaturus erat in Aulide; sed ita transit, ut, sicut poeta aliquis in Dramate spectatores, ita auditorem in mediam rem rapiat. Inducit hominem quendam plebeium, qui, postquam Agamemnon, ab eo interrogatus, cur Aiaci sepulturam denegaverit, responderat: „iustam irae suae in Aiacem causam esse furorem, quo ille correptus mille ovium morti dederit, et se Vlyssem, Menelaum et Agamemnonem occidere clamaverit," ipsum Agamemnonem tum, cum filiam suam, Iphigeniam, Dianae immolandam destinasset, multo Aiace se insaniorem praebuisse, probatum it.

v. 188. *Rex sum*, ego pro regia mea potestate id fieri iussi, nec cuiquam de iis, quae fieri iubeo, reddenda mihi est ratio; satis superbe et regie hoc dictum! Respondet plebeius modeste et breviter: *Nil ultra quaero, plebeius*, ne indigneris mihi de eo, quod ex te quaesivi; scio me esse plebeium, et ego nil ultra sortem meam quaero, sive: ego non pergo ulterius quaerere.

v. 189. *inulto*, impune.

v. 191. *Di tibi dent. Schol. Cruq. Homericum hoc est* (Iliad. I, 18.):

Ergo consulere, et mox respondere licebit?
Consule. Cur Aiax heros ab Achille secundus
Putrescit, toties servatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?
Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Vlyssem
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? Quorsum insanus? Quid enim Aiax
Fecit, cum stravit ferro pecus? Abstinuit vim

Ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, Ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι. — pro: *reducere* sunt, qui metri suffulciendi causa scribant: *redducere*, ut *relligio* pro *religio*, *rettulit* pro *retulit*, et in similibus, sed recte iam diu missa est haec scribendi ratio, cum syllaba *re* modo producatur, modo corripiatur.

v. 192. *Ergo consulere* cett. ergo licebit, me te consulere, et te mihi respondere; — *consulere*, quaerere de iure, ex quo aliquid fit vel fieri debet; — *respondere*, sc. ad id, de quo quaesitum est; iurisconsulti ab iis, qui eos adeunt, *consuluntur*, et ii consulentibus *respondent*.

v. 194. *Putrescit*, de corpore inhumato.

v. 195. *Gaudeat ut popul. Pri.*, Homericum. Iliad. I, 255. *Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες.*

v. 197. *Mill. ov. insanus* cett. Aiax, cum arma Achillis, quae iure suo se postulare posse putabat, ab Agamemnone, vel potius secundum Homerum a Troianis iudicibus, Vlyssi adiudicata essent, furere et insanire coepit. In hoc furore in armenta et greges, tanquam Vlyssem, Agamemnonem et Menelaum occisurus (Sophocl. Aiax v. 235.) ense ruit, donec ense ipsius manu per pectus adacto periit. Sophocl. Aiax. v. 925. Ovid. Met. XIII, 391.

v. 200. *improbe*, lenius pro: impie, sceleste. cf. infr. Sat. II, 6, 29.

v. 201. *Rectum animi servas?* animi integritatem tueris? sanaene mentis es? idem quod v. 213. *Stas animo?* et v. 220. *integer est animi?* — *Quorsum insanus?* interrogationis signum, quod exhibetur post *quorsum* plurimis in editt., transtuli post *insanus*; nam si poeta *insanus* retulisset ad sequentia, haud dubie pro *insanus* scripsisset *insani*. Sensus: cuius tandem rei respectu habito, sive, cur tandem Aiax a te appellatur *insanus?* (sic enim Agamemnon Aiacem in v. 197. appellat) ideone, quod pecus ferro stravit? quid enim fecit, dum pecus ferro petiit? prudens sane hoc modo vim abstinuit uxore et gnato — nec inimicis suis vim intulit; — *quorsum* pro: cur; ut apud Ciceronem saepius: *quorsum* (quem in finem) *haec disputo?* — *uxore* — *uxor*, ut passim *coniux*, de femina, quae uxoris loco habetur. *Tecmessa* enim, ex qua Aiax *Eurysacem* procreavit, non sensu proprio eius uxor fuit.

Vxore et gnato, mala multa precatus Atridis.
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Vlyssem.
Verum ego, ut haerentes adverso in littore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine divos.
Nempe tuo, furiose. Meo, sed non furiosus.
Qui species alias veri scelerisque, tumultu
Permistas, capiet, commotus habebitur; atque,
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Aiax, cum immeritos occidit, desipit, agnos;
Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est vitio tibi, cum tumidum est, cor?

v. 203. *mala multa precatus*, diras imprecatus.

v. 204. *non aut — aut* pro: neque — neque. — *Teucrum*; eodem patre, *Telamone*, cum Aiace usum. — *ipsum*, cuius causa Aiax furebat.

v. 205. *haerentes naves*, naves enim ob iram Dianae, quae ut cervam ipsi sacram ab Agamemnone percussam ulcisceretur, omnem ventorum flatum comprimendum curaverat, Aulide *haerebant*, h. e. solvi non poterant. — *adverso littore*, (*Schol. Cruq.*) *inimico*, *unde navigare non poterant*; perperam *Heindorfius* exponit: haerebant naves *littore*, quod Troadis littori, quo tendebant Graeci, *adversum*, h. e. ex adverso, e regione, situm fuit; immo Aulidi non Troadis littus, sed littus Euboeae adversum est.

v. 206. *divos*, praeter Dianam intelligo deos, qui in gratiam Dianae, quae rogati ab ea fuerant, faciebant.

v. 208. *Qui species alias veri* cett. Sensus: Qui diversas rerum species (ideas, imagines, cogitationes), *alias veri* (rei aequae atque rectae), alias *sceleris* (rei scelestae) *tumultu* (affectuum vi et impetu) inter se *permistas*, *capiet* (animo concipiet), is *commotus* (affectuum vi correptus et perturbatus', sive insanus) *habebitur* (dicetur); atque unum idemque erit, utrum aliquis stultitia, an ira peccet; scelera enim commissa manent scelera. Locutionem *speciem alicuius rei capere* optime illustrat locus Livii IX, 17. *senatus ille*, *quem qui ex regibus constare dixit*, *unus veram speciem Romani senatus cepit*, h. e. veram imaginem senatus Romani animo concepit; vid. ad h. l. *Crevierium*. — *Tumultus* de vehementiore mentis perturbatione; sic supr. Od. II, 16, 9. *miseri mentis tumultus*; refer omnem rem ad Agamemnonem, qui rem bonam et simul scelestam animo conceperat.

v. 212. *ob titulos inanes*, quibus Agamemnon hoc scelestum filiam suam Dianae devovendi consilium, tanquam rem egregiam, apud posteros in annalibus et publicis monumentis celebratum iri sperasse videtur. — *scelus admittere* est: scelus in animum admissum, h. e. animo conceptum committere; hinc saepe *admittere* pro: *committere*.

v. 213. *et purum est* cett., et, cum animus *tumidus est*, (inflatur, impellitur, concitatur, sc. inanibus titulis, vana gloria, affectionum vi,) eum vitii (insaniae) expertem esse putas?

Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem ut gnatae paret, ancillas paret, aurum,
Rufam et Pusillam appellet, fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat ius
Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi! ne dixeris. Ergo, ubi prava
Stultitia, hic est summa insania: qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum.
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.

v. 214. *Si quis lectica* cett. Vt levius insaniae genus distinguat a graviore sive a scelere, narrat rem, ad ridicula potius insaniae genera, quam ad scelera pertinentem; apposite autem agna in lectica gestata opponitur filiae Agamemnonis, pro agna arae admotae. — *gestare amet*, animi delectandi causa gestet.

v. 215. *aurum*, sc. factum; intellige armillas, fibulas, acus, annulos, cett. ex auro conflatos.

v. 216. *Rufam et Pusillam*. mirum in modum in his nominibus variant vett. librr. alii *Rufam et Posillam*; alii *Rufam* et *Rufillum*; alii *Pupam* aut *Pupillam* cett. Sed quis in examinandis et constituendis eiusmodi nominibus, blandiendi causa fictis, operam perdat? De appellationibus mollioribus et blandioribus est locus supr. Sat. I, 3, 45 sqq.

v. 217. *Huic* (sic insanienti) *praetor omne ius* (omnem liberum bonorum usum) *adimat interdicto*. — *Interdictum* iam est decretum, certis formulis conceptum, quo praetor aliquid fieri vel iubet vel vetat. vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *interdictum*.

v. 218. *Et ad sanos abeat tutela propinquos*; scilicet ad legem in duodecim Tabb., quam profert Cicero de Invent. II, 50. *Si furiosus est, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.*

v. 219. *pro muta*, bruta, rationis experte; cf. supr. Sat. I, 3, 100.

v. 220 — 223. *Ergo*, *ubi* cett. Ergo qui stulte sectatur prava, rectissime insanus; qui perpetrat scelera, non solum sceleratus, sed etiam *furiosus* appellabitur; qui virtutis bellicae gloria exsplendescere cupit, eum Bellona *gaudens* (χαιρέκακος) rebus cruentis furore vel (ut loquitur de Bellona Iuvenal. IV, 123.) oestro percutit.

v. 222. *Et furios.* — *Et* pro: etiam, adeo. — *Vitrea*, splendida; vid. supr. ad Od. I, 17, 20.

v. 223. *circumtonuit*, circumtonare solet; — *cruentis*, sc. rebus vel spectaculis.

v. 224. *Nunc age*, iam *Stertinius*, nepotes et prodigos quoque insanire docturus, redit ad Nomentanum, quem iam v. 175. produxit. — *Arripe*, ad sententiam a nobis iudicibus audiendam tanquam prehensum reum adesse iube. cf. Sat. II, 1, 69.

v. 225. *Vincet*, evincet, argumentis probabit. Cic. pro Cluent. 44.

Hic simul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Vnguentarius, ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes.
Verba facit leno: quicquid mihi, quicquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum: et vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contra iuvenis responderit aequus:
In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum

Vince, virum bonum fuisse Oppianicum.

v. 228. *Tusci turb. imp. vic. Schol. Cruq. Tusci aliquando ab Aricinis pulsi contulere se Romam et vicum — insederunt, cui nomen suum dederunt;* cf. Liv. II, 14. s. fin. — *Impia turba* Plaut. Curcul. IV, 1, 21. *In Tusco vico sunt homines, qui ipsi sese venditant*, h. e. quaestum corpore faciunt. — *Fartor*, vel farciminum confector (nos: *Wurstmacher*), vel avium saginandarum curator (nos: *Hühner-Stopfer*).

v. 229. *Cum Velabro*, cum omnibus, qui in vico Velabro (ubi olim paludes erant, per quas ex urbe in montem Aventinum ituri navicula vehebantur, vel, ut Propertius IV, 9, 6. de Velabro loquitur, *velificabant*,) varia escarum genera venalia habebant.

v. 230. *domum* sc. suam, ad se.

v. 230. *Quid tum?* Quid tum factum est? Paruerunt edicto, et, quod exspectari poterat, *Venere frequentes.* Vividiore igitur oratione pro vulgari: Et hi quidem frequentes venerunt. Commemoranda tamen est elegans lectio, quam *Bentleius* in textum recepit: *qui cum venere frequentes, Verba facit leno.* Hanc lectionem secutus quoque est Vir Acutissimus *Vossius: Da nun sie gekommen in Heerschaar, führt der Kuppler das Wort.*

v. 231—232. Lenoni non sine causa facundi oratoris, qui et suas, et omnium, qui aderant, merces officiosissime commendaret, partes demandatae sunt; — *Quicquid mihi* cett. quicquid ego, quicquid et hi, quos tibi adesse vides, domi venale servant, *id crede tuum*, nos: *steht dir ganz zu Befehl.* Respondet Nomentanus, primum ad venatorem, deinde ad piscatorem, denique ad lenonem conversus.

v. 233. *aequus*, per *aequitatem* (nos: *Billigkeit*, *Gutmüthigkeit*) malam in partem designatur hominis luxuriosi et prodigi levitas.

v. 234. *In nive Lucana*, in Lucania enim capiebantur apri praestantiores; hinc infr. Sat. II, 8, 6. *Inprimis Lucanus aper.* Nomentanus singulos separatim alloquitur; aptissima igitur orationis est emendatio *Bentleii: Tu nive* vel *Tu in nive* pro: *In nive;* nam sic mox quoque: *Tu pisces — verris; — pisces verrere*, pisces capere reti, quo mare quasi *verritur;* nos: *die Fische mit dem Streich-Netz fangen;* hinc retia quoque piscatoria dicuntur: *verricula, everricula.* — *Hiberno ex aequore*, ubi non sine magna opera pisces capi possunt; hinc supr. Sat. II, 2, 17. *mare*, cum *hiemat*, *pisces* a captura *defendere* dicitur

Cocnem ego; tu pisces hiberno ex aequore verris;
Segnis ego, indignus, qui tantum possideam: aufer!
Sume tibi decies; tibi tantundem; tibi triplex,
Vnde uxor media currit de nocte vocata.
Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies solidum absorberet, aceto
Diluit insignem baccam; quî sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen, iaceretve cloacam?
Quinti progenies Arrî, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemtas.
Quorsum abeant? Sani ut creta, an carbone notandi?

v. 236. *Aufer*, superbe et cum pecuniae contemtu.

v. 237. *Tibi decies*, Nomentanus decies centum millia sestertium venatori, tantumdem piscatori, lenoni autem, primas partes apud se agenti, triplicem summam destinat.

v. 238. *Vnde*, e cuius (lenonis) domo. — *Currit*, gressus geminat prae quaestus faciendi cupiditate.

v. 239—242. *Filius Aesopi* cett. Plinius in Hist. Nat. IX, 59. post narrationem de insania, qua Cleopatra, ut ostenderet, ingentem pecuniae summam brevissimo temporis spatio in ventrem demitti posse, immensi pretii margaritam, aceto dilutam, (h. e. maceratam, liquefactam,) sorbuisse dicitur, agit quoque de re, quae ad hunc locum Horatii spectat: *Prius* (ante Cleopatram) *id fecerat Romae in unionibus magnae taxationis Clodius, tragoedi Aesopi filius, relictus ab eo in amplis opibus heres, — ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritae; atque, ut mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones conviris quoque absorbendos dedit.* — *Metellae. Schol. Acr. Hic* (Clodius) *Metellae. quae cum deperibat, ablutum unionem et aceto dilutum sorbuit.* — *Metellam* mulierem admodum divitem fuisse, ex hac ipsa de illa narratione satis apparet. Sed, cum plures huius nominis fuerint mulieres vel matronae, quam potissimum iam designaverit poeta, manet in ambiguo. Sunt, qui de *Metella*, (cuius mentio fit apud Cic. Epist. ad Attic. XI, 23.) Dolabellae et Aesopi pellice, cogitent.

v. 240. *solidum*, totum, integrum, non in partes quasdam divisum, sed in unum coniunctum; ergo integram decies centenorum millium HS summam uno haustu absumsit.

v. 241. *Quî sanior*, quomodo, cum hoc decies solidum absorberet, sanior fuit, ac si idem in rapidum flumen cloacamve iaceret?

v. 243. *Quinti progenies Arri*, cf. supr. ad v. 86.

v. 244. *Nequitia*, luxurie; — *nugis*, dementia, insipientia. — *gemellum*, simillimum.

v. 245. *impenso*, h. e. immenso, sc. pretio. — *Prandere*, comedere, ut infr. Epist. I, 17, 13. *prandere olus.*

v. 246. *Quorsum abeant?* scil. *isti nepotes.* — *Sani ut creta* cett., cretane ut sani, an carbone ut insani notandi sunt? fausta *albo*, infausta

Aedificare casas, plostello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet amare,
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores: quaero, faciasne, quod olim
Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,

nigro colore notantur; hinc nota illa locutio: diem faustum *albo*, infaustum *nigro lapillo insignire.* Hoc iam ad homines aut bonae aut malae notae transfertur. Horatium imitatus est Persius V, 108. *Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim, Illa prius creta, mox haec carbone notasti?*

v. 249. *amentia verset*, sc. barbatum, hunc amentia vexari et agitari dicas.

v. 250 seqq. Stertinius transit ad insaniam eorum, qui delicias faciunt in amoribus. — Sententia, quam pulchre exornavit et amplificavit poeta, est fere haec: Si ratio evincit, eos, qui amoribus indulgent, ludos ludere pueriliores iis, de quibus modo dixi, nonne satius fuerit, illos imitari Polemonem, et, mutato animo, prudentius vivere? Locus imprimis de vario et mutabili animo eorum, qui amant, comparato cum puerorum mutabilitate et inconstantia, est longe suavissimus. — *Amare*, amandi sive meretrices sectandi studium.

v. 251. *Vtrumne*, pro simplice *utrum*, ut supr. Epod. I, 7. et infr. Sat. II, 6, 73. et passim alibi. — *trimus Quale prius*, quale olim lusisti trium annorum puerulus.

v. 254. *Mutatus Polemon. Schol. Cruq. Polemon vel Polemo iuvenis fuit Atheniensis perditae luxuriae. Is cum ebrius incederet per urbem, fertur audisse Xenocratis vocem disputantis; deinde introiisse coronatus et unguentatus ad eum deridendum. Senex autem perseveravit, et invectus in luxuriam coegit Polemonem poenitere sui et coronas abiicere: qui postea tantus in philosophia (Academica) extitit, ut dignus existimatus sit, qui Xenocrati succederet.* Cf. Diog. Laert. IV, 16. Lucian. Bis Accus. 17. Val. Max. VI, 9, 1. — *Mutatus*, factus ex homine luxurioso probus et temperans. — *Ponas insignia morbi*, deponas et abiicias externa signa mollioris vitae, ut infr. Epist. I, 1, 35. *magnam partem morbi deponere.* — *Morbus* saepe, ut νόσος apud Graecos, de vitiis, cf. supr. v. 27. iam est insanus quo quis, tanquam morbo, laborat, amor. — *Fasciolas, cubital, focalia*, hominum molliorum et mulierum ornamenta. — *Fasciolae*, vincula et ligamina, quae placendi studio a delicatis adolescentibus brachiis vel pedum cruribus circumvolvebantur. Sic *purpureae fasciolae*, ut muliebria ornamenta, apud Ciceronem Harusp. 21. Clodio exprobrantur. — *Cubital*, pulvillus cubito coenantium suppositus; hinc in Sat. seq. v. 39. *convivae in cubitum se reponere* dicuntur. — *Focalia*, (quasi *faucalia*) colli tegumenta. *Schol. Cruq. Collaria, a collis dependentia, ad*

Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero cum poma, recusat:
Sume, Catelle! negat: si non des, optat. Amator
Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? Ne nunc, cum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? non, si obsecret. Ecce
Servus, non paulo sapientior: O here, quae res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult: in amore haec sunt mala; bellum,

fovendum collum et fauces contra frigus muniendas.

v. 256. *ex collo*, in laetioribus conviviis vel comissationibus convivae duas coronas gestabant, alteram in capite, alteram in collo. Cic. in Verr. III, 27. *coronam habebat unam in capite, alteram in collo.*

v. 257. *Impransi*, sobrii.

v. 258. *Porrigis irato* cett. redit ad pueros, quibuscum amore insanientes contenduntur.

v. 259. *Sume, Catelle*, suaviter vertit has pueris blandientium voces *Vossius: Nimm, mein Wieselchen.*

v. 260. *Amator Exclusus* cett. Perfectissimum misere amantis exemplum proposuit Terentius, Phaedriam scilicet in Eunucho Act. 1. Sc. 1. In Phaedria enim (uti fere in Alexi apud Virgilium in Ecloga secunda,) egregie expressa est summa vis et summus animi impetus, quo huc illuc agitentur et ad insaniam paene adigantur perdite amantes. Hunc igitur locum Terentianum (qui, quod ad descriptionem hominis *cum ratione* in amore, ut ait Parmeno apud Terentium, *insanientis* attinet, ad consummatissima antiquitatis loca referendus videtur,) Horatius dignum habuit, quem paene totum in hexametros transferret. Comparent hunc locum tirones cum Terentio, animumque ad artem, qua numeri in eiusmodi locis mutari possint, advertant. Caeterum Horatium imitatus est Pers. V, 161 seqq. — *Agit secum*, secum deliberat, reputat.

v. 261. *Haeret Invisis foribus*, apud fores, quas invisas sibi esse videri vult, tanquam terrae adfixus stat.

v. 262. *Ne nunc* pro: *ne nunc quidem*, quod dixit Terentius; nec desunt loca, ubi simplex *ne* pro: *ne — quidem* ponitur; vid. *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *ne. Drakenb.* ad Liv. XXXIII, 49. §. 3. *Burm.* ad Sueton. Aug. 37. et quem *Heindorfius* laudavit *Ruhnk.* ad Rutil. Lup. p. 129.

v. 263. *Dolores*, significanter pro: amores cum doloribus coniunctos; nam, ut canit Ovidius Art. Am. II, 519. *Littore quot conchae, tot sunt in amore dolores.*

v. 266. *Neque consilium*, neque consilio se regi patitur.

Pax rursum, haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, et caeca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.
Quid? cum Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid? cum balba feris annoso verba palato,
Aedificante casas quì sanior? Adde cruorem
Stultitiae, atque ignem gladio scrutare modo, inquam.

v. 268 — 270. *haec si quis* cett., si quis haec natura sua in amore tempestatis prope more mutabilia, incerta, et caecae sorti obnoxia, ad certam rationem regere et compescere laboret, *is nihilo plus explicet*, expediat, proficiat, *ac si* cett.

v. 272 — 273. *Quid? cum Picenis* cett. Pergit Stertinius ad aliud in amore insaniae genus, scilicet ad superstitionem, qua, qui amant, se aut faustum aut infaustum amoris sui eventum exquirere posse opinantur. Huc refert morem, ex quo amantes pomorum semina vel nucleos duorum primorum digitorum compressione et impulsu ideo in altum agebant, ut inde, si semina illa ad conclavis laquear usque exsiluissent illudque percussissent, faustum amoris sui augurium caperent. Rem narrat Pollux Onom. IX, 128. — *Picenis* epitheton ornans, quia in agro Piceno praestantiora poma nascebantur. — *Penes te es?* sanaene mentis es? *penes se esse*, ut apud Terent. Heaut. V, 1, 48. *apud se esse*, mentis suae esse compotem.

v. 274. *cum balb. fer. ann. verb. palato*, inversa constructio (cuius multa, praecipue apud Virgilium, exempla reperiuntur,) pro vulgari: *verbis balbis annosum palatum feris*; non palato enim verba feriuntur, sed verba, cum pronunciantur, *feriunt*, percutiunt, *palatum*. Simplicior sane esset oratio, si Horatius pro: *feris* scripsisset: *seris*; nam *balba verba serere* est: balbutire, h. e. *lenes susurros*, ut Horatius loquitur supr. Od. I, 9, 19. (ὀαρισμοὺς, ψιθυρίσματα) edere. Apposite cum Horatio comparant Tibull. I, 2, 91. *Et sibi blanditias tremula componere voce, Et manibus canas fingere velle comas.*

v. 275. *Quí sanior?* (ut v. 241.) quomodo is sanior puero, qui casas aedificat?

v. 275. 276. *adde cruor. Stult.*, adde, quod illa stultitia interdum ad caedem rapit.

v. 276. *atque ignem*, pectus amoris igne accensum; nisi quis ob sequens statim exemplum *Helladis* per *ignem* intelligere malit *puellam*, quae amoris ignem immittit. Parmeno quoque apud Terentium in loco, ei, quem Horatius hexametris expressit, vicino, Thaidem *ignem* vocat, Act. 1. Sc. 2. 5. *Accede ad ignem hunc (Thaidem), iam calesces plus satis.* Virg. Eclog. III, 66. *meus ignis Amyntas.* — *Gladio scrutare*, ense percute, transfige. Lucan. VIII, 557. *Quid viscera nostra Scrutaris gladio?* — *modo* refer ad *adde.* — *Adde modo* (insuper) ad hanc in amore stultitiam multo magis cognoscendam caedis atrocitatem, vel scelus.

Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
Cerritus fuit? an commotae crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat: et, Vnum,
Quiddam magnum addens, unum me surpite morti,
Diis etenim facile est, orabat; sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus,
Exciperet dominus cum venderet: hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit foecunda in gente Meneni.

v. 277. *Hellade percussa Marius.* *Schol. Acr. Marius quidam ob amorem Helladem quandam puellam occidit, cum ab ea contemneretur, et se postea praecipitavit.*

v. 278. *mentis commotae*, furore percitae, ut v. 209. *commotus.*

v. 279. *Sceleris damnabis eundem.* Nam ut v. 210. dicitur: *Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.*

v. 280. *cognata vocabula*, cognationem aliquam inter se habentia. *Schol. Acr. diversa quidem, sed non multum distantia*; ut in sermone patrio: *Hitze und Raserey, Leidenschaft und Tollheit.*

v. 281 — 287. Stertinius denique hominum insaniam per ea, quae praeter sortem suam appetunt, et per vota, quae animo concipiunt, exemplis probat.

v. 281. *circum compita*, ubi dii domestici publice colebantur. *Schol. Acr. Iusserat Augustus in compitis deos Penates constitui, ut studiosius colerentur.* — *Siccus*, sobrius, qui mane nihildum cibi potusve sumsit. Supr. Od. IV, 5, 39. *Dibimus integro Sicci mane die.*

v. 282. *Lautis manibus*, *Schol. Cruq. quia solebant precaturi deos manus et pedes abluere.* Interpretes in hanc rem laudant Hesiod. Op. et D. 724. Hom. Iliad. I, 449. VI, 266. Odyss. III, 440.

v. 283. *Quiddam magnum addens*, quid illud *magnum* fuerit, quod libertinus ad deos sibi conciliandos precibus addiderit, divinationi relictum est; fortasse solemni exsecratione se totum diis devovit, vel aliquid, quod *magnum* esse putabat, pronunciavit. *Fea* ad fidem nonnullorum Codd. edidit: (*Quid tam magnum? addens*) sed id per verba, quae sequuntur: *Diis etenim facile est* exprimitur. — *surpite* pro: surripite.

v. 285. 286. *ment. nis. lit. Exc. dom. cum venderet.* dominus, nisi is est litigiosus et fraudulentus, cum eiusmodi hominem venderet, *mentem exciperet* h. e. libere, eum non sanae mentis esse, diceret. *Schol. Porph. Qui vendunt mancipia, solent hoc adiicere: Sanus corpore et animo.* Cic. de Offic. III, 17. *In mancipiorum venditione venditoris fraus omnis excipitur.*

v. 287. *Hoc quoque vulg. Chrysipp.* — *Meneni*, hos quoque, qualis libertinus ille erat, e vulgo homines ad foecundam Menenii gentem Chrysippus refert; vixit enim tum temporis tam stultae mentis homo, *Me-*

Iuppiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses iam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi stabit: casus medicusve levârit
Aegrum ex praecipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concussa? timore deorum.
Haec mihi Stertinius sapientum octavus amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.

nenius, ut stultorum esset quasi paterfamilias, vel stultae stirpis princeps.

v. 289. *cubantis*, aegrotantis; cf. supr. ad Sat. I, 9, 18.

v. 291. *illo Mane die, quo. Schol. Porphyr. die Iovis;* hic dies enim sacer fuit deo, a quo nomen accepit. — *Tu indicis ieiunia*, te iubente indicuntur ieiunia; apud Livium XXXVI, 37. *ieiunia*, Cereri instituenda, ex libris Sibyllinis a Decemviris indicuntur. De *ieiuniis apud veteres* copiose disputavit *Spanhemius* ad Callim. H. in Cer. v. 6. *De ieiuniis die Iovis a Iudaeis institutis* laudat *Gesnerus Selden.* de I. N. III, 15. Obiter fortasse Horatius iam risit stultitiam eorum, qui Iudaeorum ritus imitarentur.

v. 292—94. *In Tiberi stabit* expiationis causa immersus. *Heindorfius*, qui hunc expiandi ritum orientalis originis esse ait, comparat Iuvenal. VI, 522. — *cas. med. lev. Aegr.* Si forte levaverit aegrotum *casus*; casum, quem ponere videtur in naturae viribus, praeponit *medicis*; *ex praecipiti*, ex vitae periculo; Celsus quoque II, 6. gravi morbo laborantem *in praecipiti esse* dicit. — *Necabit*, vix in sensu proprio accipi potest; sequitur enim *febrimque reducet;* erit igitur: *paene necabit*, dum corpus pueri, qui modo convaluerat, tam graviter gelida aqua afficietur, ut fixus in ripa pedem inde promovere nequeat; *febrimque* simul *reducet*. Sic *occidere* passim pro: *paene occidere*, supr. Epod. XIV, 5. inf. Epist. II, 2, 138. Si *necabit* in sensu proprio accipiendum sit, tum (nisi hysteron proteron esse statuas) pro: *febrimque* legendum mihi videtur: *febrimve;* mater puerum necabit, aut certe febrim reducet.

v. 295. *concussa*, insania, quae mentem concuteret, abrepta: sensus: Quidnam fuit illud, quod matrem ad hanc insaniam adigeret? Respondetur: *timor deorum*, h. e. votum stulta mente susceptum, quod mater commota *timore*, ne, re, quam promisisset, intermissa, deorum iram moveret, nunc exsolvendum putabat. Stoicus igitur de hac quoque re ridet hominum insaniam.

v. 296. *Haec mihi Stertinius* cett. Damasippus, postquam praecepta Stoica ex ore Stertinii sublecta et descripta (v. 34.) enarravit, nunc sermonem cum Horatio inchoatum continuat.

v. 297. *Arma dedit*, per *arma* intellige praecepta Stoica, quibus

Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris:
Qua me stultitia (quoniam non est genus unum)
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
Quid? caput abscissum manibus cum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio? Accipe; primum
Aedificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis; et idem

Damasippus ad se defendendum ab illis, qui se impugnaturi h. e. insanum compellaturi (carpturi, vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *compellare*) sint, se tanquam armis uti velle ait. Stoici enim docent, omnes insanire, ideoque eos ipsos insanire, qui alios insanire dicant. Hinc pergit Damasippus: *Dixerit insanum qui me, totidem audiet*, h. e. qui me insanum dixerit, is, quoties id dicet, toties idem a me audiet, h. e. toties vicissim eum insanum compellabo.

v. 299. *atque Respic. ign. disc. pen. terg.* atque discet respicere ad ea, quae in ipsius tergo pendere ignorat; — *tergum ignotum*, sc. ei, qui, quod in tergo suo gerat, non videt. Supr. Sat. I, 3 22. *Heus tu, Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis Verba putas?* Catull. XXII, 21. *Suus cuique attributus est error: sed non videmus manticae quod in tergo est.* Nota est fabula Aesopi de duabus peris, quam tractavit Phaedrus IV, 9. cf. Pers. IV, 24.

v. 300—302. *Stoice*, cett. Sensus: Dic mihi, quaeso, Stoice, quo stultitiae genere tu me insanire putas? (*sic*) quod si mihi dixeris, optabo, ut post bona tua olim perdita omnia in posterum maiore pretio vendas. — *Post damnum*, Damasippus enim olim mercator res suas male gesserat, ut ipse profitetur supr. v. 19. *Postquam omnis res mea Ianum Ad medium fracta est.* De particula *sic*, sive de hac optandi formula cum conditione, cf. supr. ad Od. I, 3, 1.

v. 303—304. Damasippus respondet: Nec Agave furiosa sibi videbatur, cum concitata furore, a Baccho sibi iniecto, filio Pentheo, quem pro leone habebat, caput abscinderet. cf. Euripid. Bacch. 1236. vid. Ovid. Met. III, 712 sqq. Hygin. Fab. 184. — Pro: *abcissum demens* dedi cum *Fea* ad fidem plurium Codd. *abscissum manibus*, nam *demens* ob sequens *furiosa* putide abundat.

v. 308. *Aedificas*, videtur tum Horatius in villa sua amplificanda occupatus fuisse. — *Long.*, ditiores et beatiores, ad quos praecipue pertinebat Maecenas, iocose Damasippus *longos*, Horatium vero, pauperem et in re tenui natum, (vid. infr. Epist. I, 20, 20.) *bipedalis corporis* hominem appellat. Et vere fuit Horatius *exigui corporis* homo, ut ipse profitetur loc. laud. v. 24.

Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum: quî ridiculus minus illo?
An quodcunque facit Maecenas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis,
Vnus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliserit: illa rogare,
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?
Maior dimidio. Num tanto? Quum magis atque
Se magis inflaret; non, si te ruperis, inquit,
Par eris. Haec a te non multum abludit imago.
Adde poemata nunc (hoc est, oleum adde camino);
Quae si quis sanus fecit, sanus facis et tu.

v. 310. *Turbonis.* (*Schol. Porphyr.*) *Turbo, gladiator, fuit parvo corpore, sed animosus pugna.* — *corp. mai. spir.* spiritus maior fuit corpore, h. e. Turbo spirabat grandiora, quam in eius corpore latere videbantur.

v. 311. *qui ridic. min. illo?* Si Turbo est ridiculus, num tu minus es?

v. 312. *Te quoque* (facere) *verum est*, aequum et rectum est; sic *verum* infr. Epist. I, 7. vers. ult. et I, 12, 23. *Nil Grosphus nisi verum orabit et aequum*, et sic *verum* saepissime apud Livium, ubi haec vox ab iis interpretibus, qui eius notionem ignorarent, perperam in *aequum* mutata est; vid. ad Liv. II, 48. III, 40. §. 11. et ad XXIII, 11. §. 12.

v. 313 *Tanto minorem*, inferiorem, tam imparem, *certare*, quod attinet ad *certare cum Maecenate* pro: in certamine; infr. Epist. I, 10, 35. *donec minor in certamine longo.*

v. 316. *ingens bellua*, nos: *ein grosses Thier.* — *cognatos*, iam pro: una secum natos, suaviter pro: caeteros pullos.

v. 317. *num tantum — magna fuisset*, *Tantum* pro: *tam* explicant, quod latinitatem ferre negat *Fea*, qui pro *tantum* exhibuit: *tandem*; sed nec haec particula primae statim quaestioni matris convenit; equidem levi emendatione difficultati succurri posse puto, si pro: *tantum* legeris: *in tantum;* mater quaerit, num bellua illa *magna fuisset in tantum*, h. e. tantae magnitudinis, quantam nunc, postquam se efflaverat, ostendebat; de locutione *in tantum* non pauca exempla collegit *Forcellinus* in *Lexic. s. v. tantus.* Nisi placet *in tantum*, explicari certe debet *tantum* pro: *in tantum*, ut simplex *tantum* explicat *I. Fr. Gronovius* apud Livium XXXVII, 57. *Id quum aegre paterentur tot nobiles, novum sibi hominem tantum praeferri.*

v. 321. *Adde poem.* ad hanc insaniam adiunge aliam: fac versus, hoc est: igni oleum adde (insaniae nova alimenta praebe).

v. 322. *Quae si quis sanus* cett. nam, ut Horatius infra dicit in Epist. ad Pisones v. 290. *excludit sanos Helicone poetas Democritus.*

Non dico horrendam rabiem. Iam desine. Cultum
Maiorem censu. Teneas, Damasippe, tuis te.
Mille puellarum, puerorum mille furores.
O maior tandem parcas, insane, minori.

SATIRA IV.

Vnde, et quo Catius? Non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis praeceptis, qualia vincunt

v. 323. *Non dico* (praetereo) *horrendam rabiem;* ipse Horatius vim rabidi furoris, quo ad scribendos criminosos iambos se abripi passus sit, gravissime descripsit supr. Od. I, 16. — *cultum maiorem censu*, non dico sumtus, quos ultra rei tuae familiaris modulum in externo cultu facis.

v. 324. *Teneas*, *Dam. tuis te*, contineas te intra tua, h. e. intra ea, quae ad te ipsum spectant, nosce te ipsum. Nos: *kehre nur vor deiner Thür.*

v. 326. *O parcas* cett., o tu, insane, cuius insania maior est mea, parcas tandem mihi, cuius insania minor est tua; sive: o insane, parcas tandem mihi minus te insanienti.

SATIRA IV.

Ad deridendos eos, qui felicitatis partem stulte in lautis epulis ponunt, artis coquinariae praecepta, quae Catius quidam se ex ore magni in arte coquinaria magistri hausisse fingit, mira diligentia refert.

Catius sine dubio est nomen fictum. Horatius, qui saepius inter coenandum apud Maecenatem non sine magna molestia audivisse videtur convivam aliquem vel plures multa verba facientes de lautarum epularum sapore, natura, raritate, confectione cett. eorum iam in hac Satira vanitatem et importunitatem derisurus, inducere omnino debebat aliquem, qui stultos illos sermones accurate exponeret. Hunc Horatius appellavit *Catium*, sed cur eum ita appellare poetae placuerit, id nunc nescimus, nec id scire cuiusquam, puto, Horatii lectoris multum interest. Horatius enim hanc satiram scripsit, non ut Catium, sed ut homines Catio similes rideret. Amicissimus *Manso* in libro inscripto: *Schriften und Abhandlungen* p. 59. in *Catio* fortasse *Matium*, equitem Romanum et re coquinaria nobilem latere suspicatur; certe haec suspicio caeteris, quae ab interpretibus allatae sunt, praeferenda videtur.

v. 1. 2. *Vnde et quo Catius?* vulgaris obvios alloquendi formula. supr. Sat. 1, 9, 62. *Vnde venis, et quo tendis?* Similiter fere Virgilius exorditur Eclogam nonam: *Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?* — *Non est m. t. aventi P. s. nov. pr.*, iam tecum confabulandi deest mihi tempus, festinanti scilicet nova, quae modo audivi, praecepta consignare literis; — *ponere signa*, cum delectu, ut videtur, pro vulgari: literis mandare; — *nova praecepta* versabantur in designando rerum, e quibus lautae epulae parentur, modo, vel mensura, pondere cett. ita quidem, ut plura fortasse brevius, *signo* tantummodo aliquo

Pythagoran, Anytique reum doctumque Platona.
Peccatum fateor, cum te sic tempore laevo
Interpellarim: sed des veniam bonus, oro.
Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive est naturae hoc, sive artis, mirus utroque.
Quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
Vtpote res tenues, tenui sermone peractas.
Ede hominis nomen, simul et, Romanus an hospes.
Ipsa memor praecepta canam; celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Vt succi melioris et ut magis alma rotundis,

posito, notarentur, uti fere medici nostri componendis miscendisque medicaminibus *signa* tantum *ponere* solent; — *nova*, qualia a nemine adhuc proposita sunt.

v. 3. *Anytique reum*, Socratem; *Anytus* enim unus Socratis accusatorum fuit.

v. 4. *laevo*, importuno.

v. 6. *interciderit*, animo exciderit, effluxerit.

v. 7. *Sive est nat.* cett., sive haec in memoriam audita revocandi facultas est res insiti tibi ingenii, *sive artis*, exercitationis, studii, tu sane in utroque excellis; cogitasse videtur poeta de arte memoriae, cuius inventor Simonides fuisse traditur. (Cic. de Invent. II, 86.)

v. 8. 9. *Quin id erat curae, quo* cett. Quin hoc ipsum iam agebam, ut omnia mihi tradita praecepta memori animo reponerem; — *res tenues*, subtiles, subtiliter excogitatas; sic v. 36. *tenuis ratio saporum*; infr. Epist. ad Pis. 45. *In verbis etiam tenuis cautusque serendis*; exempla Ciceroniana, ubi *tenuis* pro: subtilis ponitur, vide in *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *tenuis.* — *peractas*, traditas, expositas.

v. 10. *hominis*, sc. apud quem res illae subtiles tractatae sunt.

v. 11. *celabitur auctor*, quis fuerit ille, cuius nomen poeta reticet, vix eos, qui tum vivebant, latere potuit. Fuit fortasse vir quidam nobilior, cuius iram contra se irritare noluit. Caeterum hic ipse subtilis saporum iudex et experientissimus praestantiorum epularum aestimator atque magister huic scribendae satirae omnem materiem suppeditasse videtur.

v. 12. 13. *Longa quibus fac. ov.* cett. Satis constat, in coenis apud Romanos primum *ova* et postremum *mala* apposita esse, unde natum est illud proverbium: *ab ovis usque ad mala.* (supr. Sat. I, 37.) Itaque, qui nunc de epulis subtiliter aestimandis atque diiudicandis verba facit, servato, quo illae in coena se excipere solebant, ordine, primum sententiam suam fert de *ovis.* — *Ova longae faciei* putabantur et adhuc putantur *vitellum marem* continere, (vid. Plin. H. N. X, 74. et Columell. VIII, 5, 11. ibique *Gesner.*) et quia vitellum marem circumfluit resina callosior, vel liquor spissior et crassior (nos: *ein galligter, steiferer Schleim*), ova longa, ut melioris saporis et ut plus

Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,
Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam musto mersare Falerno;
Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis
Natura est: aliis male creditur. Ille salubres

alimenti praebentia rotundis praeferebantur. — *magis alma*, nos: *mehr nährend, nahrhaft*; veterem lectionem *magis alba* defendit *Fea*, addita explicatione: „magis abundantia albumine“ sed hanc explicationem vix fert latinitas.

v. 14. *Ponere*, apponere. — *cohibent*, dum *callosa* vitellum quasi in aequilibrio continent, eleganter dicuntur eum *cohibere*, sc. a vaga mobilitate.

v. 15—16. Iam transit ad olera sive caules (nos: *Kohl oder Gemüse, was einen Stängel hat*); iunge: *Caulis, qui in siccis agris crevit, est dulcior caule suburbano*, h. e. in horto suburbano nato; hinc addit: *irriguo nihil est elutius horto*, h. e. terra nullibi magis per aquam est eluta (nullibi magis est humida), quam in hortis suburbanis, sive quod siti illi erant in locis humidis, sive quod rivuli in eos deducebantur; Ovid. Fast. II, 703. *Hortus odoratis suberat cultissimus herbis, Sectus humum rivo lene fluentis aquae*; olera autem in locis humidis nata fatui saporis esse credebantur.

v. 18—19. *Ne gall. malum* cett. *gallina dura*, gallina, quae, postquam sub improviso hospitis adventu caesa est, statim coquitur, manet *dura*, ideoque parum respondere potest exspectationi hospitis, non duram, sed teneram carnem edere cupientis. — *malum* explicari omnino debet pro: male, sed exemplum, ubi *malum* pro: male, positum sit, frustra investigavi; suspicor igitur Horatium pro: *malum* scripsisse *parum.* nisi quis malit statuere, *malum responsare* dictum esse, ut *dulce ridere*, *dulce loqui* Od. I, 22, 24. *perfidum ridere* Od. III, 27. 26. *canere indoctum*, *dulce bibere*, Epist. II, 2, 9. *blandum ducere* Od. I, 12, 11. — *palato*, eleganter et significanter pro: *expectationi*, et hinc *parum responset*, parum grata, ingrata, insipida sit. — *Doctus eris mersare* pro: praeceptis meis edoctus mersabis; *mersare* iam pro: mersando suffocare. — *musto Falerno*, pro vulgari lectione *misto* vel *mulso* egregie ad rem *Bentleius* in textum recepit *musto.* — *Mustum* enim apud Romanos ita condebatur, ut per integrum ferme annum recens et dulce servaretur, varioque culinae usui adhiberetur. Laudant in hanc rem Cat. de R. R. CXX. Colum. XII, 29. Plin. XIV, 11.

v. 21. *aliis male creditur*, non ideo tantum, quod fungi, qui in silvis nascuntur, natura sua deteriores sunt pratensibus, sed etiam, quod in silvis simul inveniuntur fungi mali et valetudini admodum infesti, qui ob similitudinem, quam cum bonis habent, facile fraudi esse possunt.

Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno;
Mendose; quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni praecordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obstantia conchae,
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.
Lubrica nascentes implent conchylia lunae;
Sed non omne mare est generosae fertile testae.
Murice Baiano melior Lucrina peloris:
Ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini;

v. 22. *qui nigr. prand. mor.*, iam adsperguntur quaedam praecepta, ad illa, quae ante solemnem coenam sumenda sint, spectantia.

v. 24. *forti — Falerno.* Aufidius, homo gulosus, cuius gentem nosse nihil attinet, reprehenditur, quod *mulsum* (nos: *Meth*) ex melle et *Falerno forti*, (h. e. fervido, ut infr. Sat. II, 8, 38. *vina fervida*,) nos: *aus starkem und feurigem Falerner Weine*, miscebat; hinc paulo post v. 26. commendatur *mulsum lene*.

v. 25. *Mendose*, male sane hoc fecit, *quoniam* cett. — *vacuis — venis*, ergo ante coenam.

v. 26. *praecordia* (proprie de visceribus, quae praetenta vel vicina sunt cordi) eleganter pro: te. Virg. Aen. I, 739. *ille impiger hausit Spumantem pateram et pleno se proluit auro.* Supra Sat. I, 5, 16. *Multa prolutus vappa nauta.*

v. 27. *dura alvus* (nos: *Hartleibigkeit*) *morabitur*, obstaculo erit emittendis excrementis.

v. 28. *Mitulus* vel *Mytilus*, concharum esculentarum genus, τελλίνα vid. *Heindorf.*

v. 29. *lapathi* (ex genere *Ampfer — Rumex scutatus* vel *R. Patientia. Linn.*) *brevis herba*, supr. Epod. II, 57. *Aut herba lapathi prata amantis et gravi Malvae salubres corpori.* — *brevis*, (*Schol. Cruq.*) *parva, non excrescens in altum* — *albo non sine Coo*, cui admiscebatur aqua marina. vid. Athen. I, 35. et *Heind.* ad h. locum.

v. 30. *conchylia*, nos: *die Schalthiere, Schalfische*, — *lubrica*, mucoso liquore obducta vel madentia; epitheton ornans; *nascentes lunae implent*, carnosiora reddunt. Plin. H. N. II, 41. *Lunari potestate ostrearum conchyliorumque et concharum omnium corpora augeri et rursus minui — exquisivere diligentiores.* — Caeterum observent et sentiant tirones in hoc hexametro tam verborum collocationem vel dispositionem aptissimam, quam numerorum decursum suavissimum.

v. 31. *generosae testae — generosa* vocantur animalia testacea, quae esculenta sunt.

v. 32. *Muric. Bai. mel. Lucr. pel. — peloris*, concharum, in sinu Lucrensi inter Puteolos et Baias captarum, genus praeferebatur muricibus in sinu ad Baias in Campania captis.

v. 33. *Ostrea Circeiis.* Plin. H.

Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.
Nec sibi coenarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione saporum.
Nec satis est, cara pisces averrere mensa
Ignarum, quibus est ius aptius, et quibus assis
Languidus in cubitum iam se conviva reponet.
Vmber et iligna nutritus glande rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.

N. XXII, 21. *Circeiensibus ostreis neque dulciora, neque teneriora esse ulla compertum est.* — *Circeii*, oppidum in Latio et promontorium in mare Tyrrhenum procurrens. — *Miseno* promontorio, et eiusdem nominis oppido, in Campania. — *echini*, testaceorum genus, toto corpore spinis munitum, nos: *Seeigel.*

v. 34. *Pectin.* — *pecten*, κτείς, (nos: *Kamm-Muschel*). vide, quos laudant: Athen. III. p. 88. B. Aristot. H. N. IV, 4, 3. Plin. Hist. N. IX, 51. XXXII, 53. — *patulis* refer ad pectinum formam concavam. — *molle Tarentum*, ab ingenio hominum, mollius et luxuriosius ibi viventium; hinc infr. Epist. I, 7, 45. *Tarentum imbelle*, vid. *Interpretes.*

v. 36. *Non prius exacta* cett. qui non antea subtiliter exploraverit saporum rationem. — *tenui*, subtili, ut v. 9.

v. 37—39. *Nec satis est* cett. Sensus: Non satis est pisces caros emere, sed opus quoque est scire, qui eorum elixi quive assi melius et iucundius sapiant. — pro: *averrere* nonnulli Codd. apud *Feam* offerunt *avertere*, plurimi tamen tuentur *averrere*, et hoc mihi ut aptius et elegantius praeferendum videtur; *averrere* iam est: manum alicui rei cupide iniicere eamque auferre, nos: *wegschnappen*, *wegfischen*, *wegkapern, wegrapsen.* — *caram mensam* accipio de mensa in macello, in quo *cari* vel magni pretii *pisces* venales expositi sunt; ex hac igitur mensa cupidi lautiorum epularum emtores, dum alter alteri mercem quasi ex manibus eripit, *pisces averrunt*; egregie autem *averrere* respondet τῷ *verrere*; quod pro: pisces capere dicitur supra Sat. II, 3, 235. *tu pisces hiberno ex aequore verris*, h. e. captos aufers. Hanc explicationem amplexus quoque est *Vossius*, qui hunc locum vertit sic: *dass Fische von theurer Bank du hinwegrafst.* At *avertere* adiunctam notionem furti vel violentiae habet. — *ignarum*, eum, qui ignorat; — *et quibus assis Languidus in cub. i. s. conv. repon.* versus elegantissimus: et assorum piscium adspectu conviva iam fere satur de integro ad edendum allicietur; — *se reponere in cubitum*, laevo cubito in pulvinari posito ad edendum se componere; hinc supr. Od. I, 27, 8. *Et cubito remanete presso.*

v. 40. *iligna* (ilignea) *glande*, ilicis, (*der Stecheiche.*)

v. 41. *curvet*, pondere gravet et deprimat, pro: impleat, — *vitantis*, eius, qui recusat, — *inertem*, insipidam, fatuam, nihil, quod palatum suaviter afficiat, habentem.

v. 42. *pinguis*, saginatus.

Vinea submittit capreas non semper edules.
Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
Ante meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt, quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis in re una consumere curam:
Vt si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat pisces securus olivo.
Massica si coelo supponas vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet faece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo;
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis et Afra

v. 43. *submittit*, capiendas offert, suggerit.

v. 44. *sapiens*, subtilioris palati homo, boni saporis probe gnarus. — *sectabitur*, appetet. — *armos*, intellige carnem, quam lepus inde a dorso vel spina usque ad lumbos habet.

v. 45—46. *Piscibus atque avibus* cett. Qualis esset piscium aviumque natura et bonitas, et qua aetate cuiusque caro optime saperet, id nullius ante me palato exploratum est, sive, id pro palati mei subtilitate primus docui. — *ante meum palatum*, lepide pro: ante me novum escarum bene sapientium magistrum.

v. 47. *Sunt, quorum ingenium — promit* pro: promat, post *sunt*; vid. *Heindorf.* supr. ad Sat. I, 4, 24.

v. 48. *Bentleius* in hoc versu vocem *est* excidisse suspicatur, quia *satis* simpliciter pro: sufficit, nusquam dicatur. Sane, si haec vox omnino opus sit, ei vel ante *satis*, vel post *una*, vel in fine versus locus adsignari potest.

v. 50. *securus*, nihil laborans.

v. 51. *Massica vina*, cf. supr. Od. I, 1, 19.

v. 54. *vitiata*, significanter pro: liquata, destillata, percolata, quia vina, dum liquantur per lineum sacculum, *vitium* trahunt.

v. 55. *Surrentina — vina*, nata in iugis prope oppidum *Surrentum* in Campania. *Schol. Cruq. Surrentina debilia sunt, Falerna acria et robusta* (fortia potius ut v. 24.), *itaque ex faece* (*Weinsteinsalz* vel potius *Weinmutter*) *Falerni Surrentina fiunt gratiora et mollia.* — *vafer*, prudens, providus.

v. 56—57. *columbino limum* cett., ovo columbino iniecto (*limum*) sordem faecis (*bene*) bono eventu *colligit* et contrahit, (*Quatenus*) quandoquidem *vitellus* ovi columbini (*volvens aliena*) ea, quae vinum turbidum reddunt, secum trahens, (*ima petit*) ad ima defertur.

v. 58. *marcentem potorem*, vino cibisque confectum; sive: languen-

Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho: perna magis ac magis hillis
Flagitat immorsus refici; quin omnia malit,
Quaecunque immundis fervent allata popinis.
Est operae pretium duplicis pernoscere iuris
Naturam. Simplex e dulci constat olivo,

tem potoris stomachum. — *squillis*, exilis sed longioris corporis cancris marinis (*cancer squilla* Linn. nos: *Garneele*, vel *Granate*).

v. 59. oratio cohaeret sic: squillis et cochleis recreabis marcentem stomachum, non lactuca; lactuca igitur tibi abstinendum erit, *nam lactuca* (nos: *Lattich*) *innatat post vinum acri stomacho;* nempe stomachus, in quo esca *natat*, male se habet, at bene, in quo esca (ut Horatius loquitur supr. Sat. II, 2, 73.) *sedet.* — *acri*, vini fervore acriter quasi affecto.

v. 60. *hillis* — *Schol. Cruq. hilla significat intestinum salsum, vel, ut alii dicunt, fartum salsitium.* Intelligendum est haud dubie genus quoddam farciminum fumo duratorum. Rectissime, ut videtur, vertit *Vossius: Knackwurst.*

v. 61. *Flagitat immorsus refici*, stomachus, fortioribus potius cibis, perna et hillis, vellicatus et incitatus, languore refici cupit; — *immorsus* significanter pro: mordendo incitatus; salsamenta enim vel cibi sale macerati mordent, urunt et pungunt stomachum, et sic novum incitamentum ei immittunt; qui pro: *immorsus* malunt legi: *in morsus*, elegantiam huius loci non percepisse videntur.

v. 62. *quin omnia malit, Quaecunque* cett., h. e. imo marcens stomachus *omnia fercula, quaecunque ex immundis popinis allata fervent, malit*, quam lactucam; — *allata fervent*, elegantius *fervent* pro vulgari: afferuntur ferventia, h. e. vaporantia.

v. 63—69. *Est operae pret. dupl. pern. iur. Nat.* iam sapiens rei coquinariae doctor noster ad praecepta, quae de iure duplice daturus est, tanquam ad rem gravioris momenti animum advertere iubet discipulum, dicens: *Est operae pretium — pernoscere;* Horatium in hac loquendi formula: *est operae pret. pern.* imitatum esse Ennium, cum *Heindorfio* contendere nolim; sponte Horatius in hanc vulgarem locutionem incidere poterat, uti post Horatium Iuvenal. VI, 474. et Pers. VI, 9. Aliter se habet supr. I, 2, 37. *Audire est operae pretium, procedere recte*, nam totus hic versus est Ennii, ut ibi ex *Schol. Acr.* et *Porph.* discimus. — Quod attinet ad descriptionem *iuris duplicis et simplicis*, ego maneo in sententia, quam, nondum inspectis aliorum interpretationibus, de hoc loco susceperam. — *Ius* (quod apud nos appellatur *Brühe*, et voce Francogallica *Sauce*) *simplex* est, quod constat e dulci oliva, pingui mero, muriaque Byzantina. At *hoc ius simplex*, ubi sectis et admixtis quibusdam herbis inferbuit, croco conspersum aliquamdiu stetit, et insuper additum est oleum Venafranum, non amplius *ius simplex*, sed *duplex* vocatur.

v. 64. *e dulci*, h. e. recente, non rancido.

Quod pingui miscere mero muriaque decebit
Non alia, quam qua Byzantia putuit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranae quod bacca remisit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia succo;
Nam facie praestant. Venucula convenit ollis;
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.

v. 65. *pingui mero*, nos quoque vinum crassius et tenacius in vernacula vocamus: *fetten*, *klebrichten Wein;* vinum igitur *pingue et plenum*, cui opponitur *tenue* Cels. I, 6. *nunquam vinum salsum bibere expedit, ne tenue quidem aut dulce, sed austerum et plenius.* — *muriaque*, et liquamine ex piscibus, nominatim ex thynnis; (*Lake von Thunfischen*) hinc additur:

v. 66. *Non alia, quam qua Byz. put. orca*, pro vulgari et simplice: sed muria Byzantina; *orca* (testa), in qua muria servabatur, a thynnis ad Byzantium captis dicitur *Byzantia*, — *quam qua putuit*, quam muria, cuius graviore odore testa Byzantia oluit.

v. 67. *Hoc ubi* cett., *ubi hoc* ius simplex *sectis herbis confusum* (permixtum et compositum) *inferbuit* (ad ignem fervere et aestuare coepit).

v. 68. *Corycio*, epitheton ornans, ab oppido et eiusdem nominis promontorio *Coryco* in Cilicia, ubi optimus *crocus* nascebatur. Plin. H. N. XXI, 6, 17. — *stetit*, scilicet aliquamdiu, dum deferbuit; sed fortasse explicari quoque potest: stando coagulatum vel coactum est. In hanc explicationem *Gesnerus:* „*Stetit*, videtur indicare consistentiam, quam vocant, et crassitudinem iuris a coctura et admixtis rebus siccis" et *Turnebus* in *Advers.* I, 28. „*Stetit eleganter dixit; nam quae liquidiora erant et humidiora, ubi aliquam adepta sunt coquendo concretionem, stare dicuntur.*" apud nos quoque conficiuntur cibi, quos appellant: *Gestandenes.* Fuit fortasse *ius duplex* simile fere cibo, qui voce Francogallica dicitur: *Crême.*

v. 69. *Pressa Venafr. quod bac. remis. olivae*, elegante periphrasi pro: oleum Venafranum; optimum enim oleum exprimebatur in agro Venafrano in Campania; cf. supr. ad Od. II, 6, 16. Plin. H. N. XV, 3. *remisit*, emisit, submisit. Infr. Sat. II, 8, 45. *His mixtum ius est: oleo, quod prima Venafri Pressit cella.*

v. 70. *Picenis pomis*, cf. supr. Sat. II, 3, 272. — *Tiburtia*, Tibure (nunc *Tivoli*) nata.

v. 71. *Nam facie praestant*, nam Tiburtia externa tantum specie, non succo, praestant. — *Venucula*, uva, quae in ollis condi solebat, nos: *Topfrosinen.* conf. Plin. H. N. XIV, 14, 6. hinc eiusmodi *uvae* dicuntur *ollares* Colum. III, 2. Martial. VII, 19. in scriptura huius vocis vett. librr. variant: *venucula, venuncula, vennucula, venicula, vernucula.*

v. 72. *Rect. Albanam — uvam.* cf. infr. Epist. II, 8, 26. — *duraveris*, durabiles reddideris, h. e. servaveris.

Hanc ego cum malis, ego faecem primus et allec,
Primus et invenior piper album, cum sale nigro
Incretum, puris circumposuisse catillis.
Immane est vitium, dare millia terna macello,
Angustoque vagos pisces urguere catino.
Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit;
Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.

v. 73—75. *Hanc ego* cett. egregie Horatius iam expressit ingenium et sermonem eorum, qui se primos alicuius rei inventores esse iactant crepantque, Ego, ait, sapiens ille lautarum epularum instructor, *ego primus hanc* (uvam Albanam) cum pomis, *ego primus* faecem et allec, et primus piper album cum sale nigro per cribrum adspersum puris catillis in mensa circumposuisse invenior, sive inventor circumposuisse laudor. — *faec.* — *faex*, — idem quod infr. Sat. II, 8, 9. *faecula Coa*, h. e. faex usta (*gebrannter Weinstein*) vid. quos laudat *Heind.* fuit autem condimenti genus, quod addebatur *alleci.* — *alec, halec, allex* vel *alex* (libri variant, ut infr. Sat. II, 8, 9.) vilioris pretii genus quoddam gari, ex visceribus scombrorum praecipue, fortasse halecum quoque et aliorum piscium marinorum confecti, vid. Plin. H. N. XXXI, 8, 44. — *incretum*, (*Schol. Acr.*) *admixtum*, sc. cribro; nam *incernere* est, aliquid per cribrum alicui rei adspergere. — *puris catillis*, bene doctrinae, ad coenam instruendam spectantis, professor noster commendat munditiem, quia immundities stomacho fastidia movet, de qua mox agit inde a vers. 78. — *circumposuisse*, apud nos quoque *catilli* (*les assiettes*) in mensa convivali huc illuc circumponi solent. Quod putat *Lambinus*, singulos catillos singulis convivis appositos fuisse, non probabile videtur.

v. 76. — 77. *Immane est vitium*, at pisces magno pretio emere eosque in angusto catino apponere, ad maxima coenae vitia pertinet, ut v. 82. *ingens flagitium*, rem ridicule exaggerat praeceptor, dum ea, quae inepte fiunt, ad immania vitia et ingentia flagitia refert. — *vagos*, suaviter de piscibus, qui ante in amplo mari liberius circumvagantur, nunc in angusto catino coarctati et compressi iacent. — *urguere*, ita condensare et constipare, ut alter alterum premat, alter alteri impositus sit.

v. 78. *unctis*, sorde pollutis et inquinatis, ut supr. Sat. II, 2, 68. *uncta aqua.*

v. 79. *dum furta ligurrit*, dum aliquid escae furtim e patina manibus surreptae deglutit, et sic manus inquinat.

v. 80. *gravis limus*, sermo est de vetere et obsoleta cratera, quae longa annorum serie multum limi, sordis vel robiginis contraxerat; nisi fortasse *gravis* ad graveolentiam contractae sordis referendum sit, ita, ut *gravis* iam sit: foedus.

v. 81. *scopis* ad pavimentum purgandum; — *mappis*, ad os vel manus in coena detergendas, hinc *mappa* ab eius usu infr. I, 5, 8. dicitur *sordida.* Virgilius *has mappas*

Vilibus in scopis, in mappis, in scobe, quantus
Consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes,
Oblitum, quanto curam sumtumque minorem
Haec habeant, tanto reprêndi iustius illis,
Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?
Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocunque, memento.
Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantundem iuveris; adde
Vultum habitumque hominis; quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.

vocat Aen. I, 702. *mantelia.* — *in scobe*, *scobs* vel *scobis* de partibus minutissimis, quae vel e ferro, quod limatur, vel e ligno, quod serratur dolabrave perforatur, decidunt (nos: *Hammerschlag*, *Eisenfeil*, *Sägespäne*); spargebatur autem *scobs*, ut, dum pavimenta scopis purgabantur, vel sordem secum traheret, vel loca humida exsiccaret, vel lacunas pavimenti expleret. — *quantus*, quam parvus et modicus, quantillus.

v. 83. *Tene — radere* cett. elegans loquendi ratio, Terentio praecipue familiaris; infinitivus pendet ab eiusmodi fere verbis omissis: decetne, licetne, estne fas, probarine potest, estne credibile cett. *te radere* supra Sat. I, 9, 72. *Hunccine solem Tam nigrum surrexe mihi!* — *varios*, variis coloribus distinctos.

v. 84. *Et Tyr.* cett. iunge: *et illota toralia dare circum vestes Tyrias.* — *toralia* sunt externa integumenta, vestem stragulam tori vel lecti tricliniaris a sorde munientia; — *illota*, quorum adspectus fastidium movet; hinc infr. Epist. I, 5, 21. *turpe* dicitur illotum *toral.*

v. 85—87. *oblitum*, *quanto* cett. Sensus: non cogitantem, ea, quae ad munditiem spectant, quo minorem curam sumtumque requirant, in eo maiorem, si negligantur, reprehensionem incurrere, quam si desint illa pretiosissima epularum genera, quae non nisi in divitum mensis apponi queant.

v. 89. *auditum*, scil. praecepta, quae iam enarrasti. *perges quocunque*, quacunque tandem via ad eum, cuius nomen celas, perges.

v. 91—92. *interpres*, qui refert, quod audivit. — *habitumque*, scil. corporis, ad dignitatem et gravitatem praecepta dantis compositi.

SATIRA V.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
Responde: quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides? Iamne doloso
Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates
Adspicere? O nulli quidquam mentite, vides ut
Nudus inopsque domum redeam, te vate, neque illic
Aut apotheca procis intacta est, aut pecus; atqui
Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior alga est.
Quando pauperiem, missis ambagibus, horres,
Accipe, qua ratione queas ditescere. Turdus,
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet, domino sene; dulcia poma,

SATIRA V.

Horatius Vlyssem cum Tiresia apud inferos colloquentem, et ex eo, quibus artibus perditas opes recuperare possit, quaerentem inducit. Tiresias, id optime per haereditates callidis artibus captandas fieri posse, respondens, Romanorum misere depravatos mores carpit et ante oculos ponit.

v. 1. *Hoc quoque*, *Tiresia*, cett. Horatius lectorem in rem mediam rapit, nimirum in colloquium Vlyssis cum caeco illo vate Thebano, Tiresia, de arte ditescendi habitum. Ante oculos habuit Homerum in Odyss. XI, 137. ubi Tiresias apud inferos sciscitanti Vlyssi futuram eius sortem aperit. *Hoc quoque — praeter narrata*, Vlysses iam de aliis rebus consuluerat Tiresiam, vid. Hom. l. c. v. 90 seqq. et nunc transit ad novam rem ab illo exquirendam.

v. 3. *Quid rides?* risisse videtur Tiresias de hominum, nunquam sorte sua contentorum, ingenio. Vlysses enim, qui in dulcissima spe, se brevi ad suos rediturum esse, acquiescere debebat, nunc artes et modos, quibus amissas res reparare possit, discere cupit, ipse omnium fallaciarum peritissimus. — *doloso* eleganter et graviter pro: tibi. Sic enim designatur Vlysses talis, qualis erat, *πολύτροπος*, ut ab Homero in primo statim versu Odysseae vocatur.

v. 6. *Te vate*, ut tu ipse vaticinatus es. Hom. Odyss. XI, v. 110 seqq.

v. 7. *apotheca*, cella vinaria, in superiore aedium parte, fumo, quo contraheretur vino maturitas, pervia; hinc cadi *fumosi Falerni* apud Tibull. II, 1, 27.

v. 8. *Et genus, et virtus, nisi cum re* sc. familiari; hinc supr. Sat. II, 3, 95. — *omnis enim res*, *Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris Divitiis parent.* — *vil. alga est.* — *alga* proverbiali locutione de re vilissima. Virg. Eclog. VII, 42. *proiecta vilior alga.*

v. 11. *Sive al.* cett. vel si tibi est aliud quiddam *privum*, peculiare, singulare, de eo, quod alicui est proprium, quod aliquis prae aliis habet; ergo aliquid rari, (nos in vita communi dicere solemus: *etwas de-*

Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
Qui, quamvis periurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.
Vtne tegam spurco Damae latus? haud ita Troiae
Me gessi, certans semper melioribus. Ergo
Pauper eris. Fortem hoc animum tolerare iubebo:
Et quondam maiora tuli. Tu protinus, unde
Divitias aerisque ruam, dic augur, acervos.
Dixi equidem, et dico. Captes astutus ubique
Testamenta senum: neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem praeroso fugerit hamo,

likates, *besondres*,) quale pro munusculo amicis mitti solet, ut *turdus*, qui ad rariores escas pertinet, et, quae sequuntur, fructuum in hortis fundisque primitiae. Eodem redit a *Gesnero* defensa lectio *primum*, quae nostrae lectionis videtur esse interpretatio. — *dabitur tibi*, tibi continget. — *devolet*, accommodate ad alatum quasi munus *turdi*.

v. 13. *honores*, fructus insigniores, scilicet primitias, quae offerri solebant Laribus.

v. 16. *fugitivus*, servus nequam, qui clam e domo heri aufugit.

v. 17. *illi exterior*, a sinistro illius latere; *exterior*, quasi adsit ad defendendum interiorem, cuius sinistrum latus *tegit* vel *claudit*, *interiore* est inferior; sive, is, qui it *exterior*, *interiorem* sibi vel auctoritate, vel dignitate, vel honore anteire, ostendit. (*Schol. Acr.*) *exterior*, *sinisterior*, *in sinistra parte positus*.

v. 18. *Vtne tegam* cett. tune me (*exteriorem*) sinistrum latus spurci alicuius hominis, cui servo ante nomen *Damae* fuit, claudere iubes?

v. 19. *melioribus*, me praestantioribus, fortioribus, ut Achille, Aiace.

v. 21. *Et quondam maiora tuli*, Hom. Odyss. V, 223. ubi Vlysses: *Ἤδη γὰρ μάλα πόλλ' ἔπαθον καὶ πόλλ' ἐμόγησα Κύμασι καὶ πολέμῳ.*

v. 22. *Ruam*, eruam, effodiam, respectu habito loci, ubi aurum, argentum, aera latent, sub terra scilicet, unde debent *erui*, effodi; itaque *ruam* iam significanter pro vulgari: mihi parem, colligam, *aeris acervos ruam*, aes (pecuniam) coacervem; *ruere* pro: *eruere* passim. Lucil. apud Non. IV, 389. *ruis haec et colligis omnia furtim.* Lucret. I, 293. et VI, 726. ubi est: *arenam ruere.* Virgil. Aen. I, 35. et XI, 211. ubi moerentes *cinerem et ossa ruere* (colligere) dicuntur.

v. 24. 25. *unus et alter*, cett., si ditiorum senum unus et alter paulo acutior et prudentior haeredipetae insidias effugerit et eluserit; nota imago, ducta a piscibus, qui escam hamo affixam praerodunt quidem, sed, illa praerosa, aufugiunt, nec se capi patiuntur. Munera, ab haereditatum captatoribus missa, com-

Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
Defensor: fama civem causaque priorem
Sperne, domi si gnatus erit foecundave coniux.
Quinte, puta, aut Publi (gaudent praenomine molles
Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum:
Ius anceps novi, causas defendere possum:
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemtum cassa nuce pauperet: haec mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis iocus: ire domum atque
Pelliculam curare iube: fi cognitor ipse.

parantur cum esca, qua capiuntur pisces. Hinc Martial. VI, 63, 4. *Munera magna quidem misit, sed misit in hamo*, sed misit tanquam escam ad te, tanquam piscem in hamo, capiendum.

v. 27. *si olim*, si quando, si quo forte tempore; nos: *wenn irgend einmal.* Sic infr. Epist. ad Pison. 386. *Si quid tamen scripseris olim.*

v. 28—29. *Vivet uter* — *uter* certantium *locuples vivet sine natis*, homo caeterum *improbus*, qui *audax meliorem* (probiorem) *in ius vocet ultro*, non iniuria aliqua provocatus, sine ulla causa.

v. 30—31. *fama civ.* cett. At civem, si ei filius aut foecunda coniux erit, licet is tam bona fama quam causa, ex qua litem alicui intendit, sit potior, *sperne*, h. e. defensor ei adesse noli.

v. 32—38. *Quinte, puta, aut Publi* cett. Nexus: Divitem senem autem, quem officiis tuis capere et tibi devincire cupis, eiusmodi verbis blandioribus alloquere: Existima, mi Quinte, aut mi Publi cett. — *gaud. praenomine moll. auric.*, mollius et suavius ad aures accidere videtur *praenomen*, quo familiariter se invicem appellare solent amici atque propinqui. Commode in hanc rem *Gesnerus* attulit locum Ciceronis Epist. ad Fam I, 9. — *quoniamque illi haberent suum Publium* (Clodium), *darent mihi ipsi alium Publium* (Vatinium), *in quo possem illorum animos* — *repungere* (vicissim pungere).

v. 34. *Ius anceps*, e quo duplicem sensum elicit callida interpretatio, sive de quo in utramque partem disputatur; hinc ius supr. Sat. II, 2, 131. dicitur *vafrum*.

v. 37—38. *ire domum* cett. Nexus: Postquam eiusmodi oratione propensum tibi reddidisti divitis senis animum, iube eum domum ire et ibi corpori molliter tractando atque recreando securo animo operam dare. — *fi cognitor ipse*, ipse partes eius, qui praesens coram iudicibus causam suam perorare debet, suscipe. *Ascon. Pedian. Qui defendit alterum in iudicio — cognitor est, si praesentis causam novit ac sic tuetur*

Persta, atque obdura, seu rubra canicula findet
Infantes statuas; seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.
Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet), ut patiens! ut amicis aptus! ut acer!
Plures annabunt thunni, et cetaria crescent.
Si cui praeterea validus male filius in re
Praeclara sublatus aletur, ne manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Adrepe officiosus, ut et scribare secundus
Haeres, et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro haec alea fallit.

ut suam. vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *cognitor* et *Heind.* ad h. l.

v. 39—41. *Persta, atque obdura,* Ovidius Am. III, 11, 7. molliore numero: *Perfer et obdura,* — *seu rubra canicula* cett. Sensus: Sive solis ardor, sive hiemis frigus tibi perferendum est; ad hanc sententiam exprimendam, ut obiter rideret tumidum poetam, *Furium Bibaculum,* duas ineptas locutiones ex Furii carminibus depromtas risui exposuit; *statuae* enim recens ex ligno, quod solis aestu findi solet, factae ridicule dicuntur: *infantes:* et in versu illo Furii, a *Schol. Acr.* ex *Pragmatia belli Gallici* producto, *Iupiter hibernas cana nive conspuit Alpes*, Iovi aliquid tribuitur, quod a dei maiestate abhorret. Confer Quinctil. VIII, 6, 17. Alios quosdam Bibaculi versus putidi tumoris plenos servavit Aul. Gellius XVIII, 11. — *Infantes statuas* non disertis quidem verbis Horatius tribuit Furio, sed cum ne una quidem vocula aliquid de hac inepta locutione monuerit, eam pariter ad poetam, quem nominavit, *Furium*, referendam esse, non sine veritatis specie colligi posse videtur. Nec tamen eos, qui Horatium alium quendam tumidum poetam, tum satis cuique notum, in animo habuisse contendant, errare dixerim. — *Pingui tentus omaso*, ipsam Furii, adipem prae se ferentis, corporis figuram ridiculam exhibet Horatius. *Sch. Acr. Furius poeta immanis ventris, qui nivem spumam* (sputum) *Iovis dixit. Ideo hoc eius personae dedit, tanquam ipse spuat.* — Sane, quod Horatius in sequente Furii versu ex *Iupiter* fecit *Furius*, in hac Furii irrisione videtur lepidissimum.

v. 44. *Plures annabunt thunni* cett. Pro vulgari: Hac arte plures ditiorum senum capies, et sic res tuae crescent; divites senes comparantur cum thunnis, accommodate ad vers. 25., ubi divitiarum insidiatores comparantur cum piscium insidiatoribus.— *cetaria*, stagna, piscinae marinae, in quibus capti pisces aluntur; unde etiam dicuntur *vivaria.* cf. supr. ad Od. II, 15, 4. et III, 1, 33. et vide infr. ad Epist. I, 1, 79.

v. 45. *validus male*, imbecillioris valetudinis; *male validus* pro: invalidus, ut *male sanus* pro: insanus.

v. 46—50. *sublatus aletur*, suscе-

Qui testamentum tradet tibi cunque legendum,
Abnuere, et tabulas a te removere memento:
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu; solus, multisne cohaeres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

ptus educabitur, *ne manif. Caelib. obs. nud. te,* ne nimis apertum, quo vidui senis gratiam captas, obsequium (*nudet te*) artem tuam prodat; — *caelebs* tam de eo, qui semper uxoris expers vixit, quam de eo, qui nunc uxore caret; — *leniter*, leni et molli ratione, qua consilium tegitur, suspenso quasi pede *adrepe in spem* (*adrepere in spem* significanter de haeredipetis, unde illi apud nos dicuntur: *Erbschleicher*), et assequi stude hoc, ut (*et*) non solum secundus haeres scribaris, (*et*) sed etiam, si forte accidat, ut filius prius patre moriatur, vacuefactum primi haeredis locum occupes; *primus haeres* (*Vniversal-Erbe*), in primo testamenti versu; *secundus haeres*, cohaeres, cui certa tantum haereditatis summa legatur, in secundo testamenti versu scribitur. Sic non opus est, ut in v. 48. pro: *ut et scribare* cum *Heindorfio* legatur: *uti scribaris.* — *haec alea*, haec ars, hoc ditescendi periculum; — qui alea ludunt, periculum faciunt, an possint lucrum facere.

v. 53—54. *limis rapias*, obliquis oculis raptim legas. — *quid prim. sec. Cera vel. versu*, quid in secundo versu primae tabulae ceratae (ubi tam primus quam secundus haeres scriptus est) scriptum sit. *Schol. Cruq.* — *prima cera*, *prima tabula; nam in primae tabulae secundo versu haeredis* (immo cohaeredis) *nomen continetur.* — *solus, multisne cohaeres*, utrum solus, an cum multis cohaeres sis. *Vossius* vertit: *Nur dass du schnell hinschielst, was die Anfangsseit' in dem zweiten Absatz eigentlich woll'; ob allein, ob mit mehreren theilend?*

v. 55—57. *Plerumque recoctus* cett. Sensus: Non raro enim fieri solet, ut senex callidus, sicuti Coranus, ex quinqueviro scriba factus, haereditati inhiantem deludat, et sic eum, ut Coranus socerum suum, Nasicam, derideat. — Res de Corano et Nasica narratur in sequentibus inde a vers. 62. — *Plerumque*, non raro, nonnunquam, ut supr. Sat. I, 10, 15. et infr. in Epist. ad Pis. v. 14. — *recoctus*, vafer, astutus, callidus, experientia prudentior factus, ut apud Catull. LIV, 5. *senex recoctus Fuffitius.* Similiter in Phaedr. Fab. IV, 1, 27. *mus retorridus* non simpliciter est macilentus, pelle corrugata obsitus, sed simul callidus, experientia cautior factus, nam additur: *Qui saepe laqueos, et muscipula effugerat, Proculque insidias cernens hostis callidi;* in voce igitur sive adiecto *recoctus* latet causa, ex qua senex a corvo hiante se non deludi patiatur; at haec causa tollitur, si *recoctus* pro: *factus* vel *refectus* contra omnem loquendi usum cum *Heindorfio* et aliis explicueris; immo *factus* commode ad *scriba ex quinqueviro* suppleri potest. — *quinqueviro*, — *quin-*

Num furis? an prudens ludis me, obscura canendo?
O Laertiade, quicquid dicam, aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
Tempore quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque
Vt legat, orabit: multum Nasica negatas

queviri vel coloniis deducendis, vel agris dividendis vel aliis rebus curandis atque administrandis ex civibus Romanis deligi solebant. — *corvum hiantem*, similiter haeredipeta apud Catullum LXVIII, 124. *vulturius* vocatur.

v. 58. *Num furis?* cett. Num te, ut vatem, furor agit, an, dum canis obscura, consulto me ludis?

v. 59 — 60. *O Laertiade* cett. Sensus: Non ego te, Vlysse, ludo; quicquid dicam, futurum esse, id fiet; at quicquid dicam, non futurum esse, id non fiet; nam divinandi facultatem magnus Apollo mihi donat. — Elegantissima quidem huius loci est emendatio, quam ab *Illustrissimo Eichstadio* profectam proposuit *Haberfeldtus* in Editis Horatii Carm. Tom. III. p. 413. *O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut non Divinare mihi magnus donavit Apollo.* sed cum vox *etenim* deleta et in deletae vocis sedem vox *mihi* transposita, denique vox *donat* in *donavit* mutata sit, nimiam vim Horatio adhibitam esse existimans, in ea, quam dedi, explicatione acquiesco.

v. 61. *tamen*, haec particula inservit transitioni ad aliam rem, ut fere sit: attamen his missis, vel ante omnia nunc *ede, quid sibi velit ista fabula*; Virg. Eclog. I, 19. *Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.* — *fab.* rem, quam Tiresias obscure attigerat, Vlysses vocat *fabulam.*

v. 62. *iuvenis*, Octavianus; si haec satira, ut putat *Heindorfius*, DCCXIX — DCCXXI. scripta est, Octavius tum undetriginta ferme annos natus fuit, in qua quidem aetate recte ille dici poterat *iuvenis* adhuc. — Caeterum mira arte Horatius iam breviter inserit Augusti laudes, quibus vix locum praebitura videbatur haec satira.

v. 63. *ab alto Demiss. gen. Aen.*, qui originem suam ab augusta stirpe Aeneae repetit. Octavianus enim, a Iulio Caesare adoptatus, factus est consors *gentis Iuliae*, cuius auctor *Iulus* vel *Ascanius*, Aeneae filius, esse dicitur.

v. 65. *metuentis reddere soldum*, non sine anxia cura de reddendo soldo cogitantis, sive ex avaritia, sive ob rei pecuniariae difficultatem; magis probabile posterius ob vers. 69. — *metuere* aliquid non simpliciter pro: nolle dicitur, sed adiuncta notione horroris, quo aliquid refugimus. nos: *ein Grauen vor etwas empfinden.* — *reddere soldum*, (pro: solidum) integram alicuius sortis summam solvere.

Accipiet tandem et tacitus leget; invenietque
Nil sibi legatum praeter plorare suisque.
Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius: laudes, lauderis ut absens:
Adiuvat hoc quoque; sed vincit longe prius ipsum
Expugnare caput: scribet mala carmina vecors?
Laudato: scortator erit? cave te roget: ultro
Penelopen facilis potiori trade. Putasne?
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?
Venit enim magnum donandi parca iuventus,
Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinae;
Sic tibi Penelope frugi est: quae, si semel uno

v. 69. *praeter plorare*, praeter sortem miseram et deplorandam; hinc supr. Sat. I, 10, 91. *iubere aliquem plorare, οἰμώζειν.* Simplicissimum fortasse: praeter ploratus in funere ciendos. — Caeterum praepositio *praeter* Graecorum more cum infinitivo iungitur.

v. 71. *temperet*, regat, et in manu sua habeat.

v. 73. *vincit*, omnes Interpretes explicant: praestat, κρατεῖ, et *prius* ad *expugnare* referunt; ego *prius* in accusativo accipio, et hunc locum ita explico: *sed, ipsum caput expugnare* (ipsum senem vel herum blandis artibus capere, captumque temperare), id *longe vincit* et superat *prius*, priorem rationem, qua te socium dolosae mulieri libertove accedere iussi.

v. 76. *facilis*, commodus, officiosus. — *potiori*, tanquam ei, qui tibi praeferendus sit; supr. Od. III, 9, 2. *Nec quisquam potior brachia candidae Cervici iuvenis dabat*; ubi cf. not. — *Putasne?* serione id mihi suades? verene putas me esse tam facilem maritum et Penelopen meam tam levem et vulgarem mulierem? Posui post *Putasne* signum interrogationis; hoc enim sublato sequi debebat: *perduci posse tam pudicam.*

v. 77. *perduci* — *perducere*, quod alias de lenone, meretrices ad libidinosos perducente, nunc de marito, diviti seni uxoris suae copiam faciente; unde, qui hoc faciunt, dicuntur *perductores*; vid. *Graev.* ad Cic. in Verr. I, 12. — *tam frugi*, tam proba et casta.

v. 79. *Venit enim* cett. hic versus, licentius a *Bentleio* tractatus, commode, puto, explicari potest sic: Noli mirari de eo, quod a recta via non abducta sit Penelope tua; nam, qui ad eam ventitabant, non erant divites senes, sed iuvenes, qui, nondum bona possidentes, tam parce vivere debebant, ut magna munera, quibus Penelopen tuam a recto cursu depellerent, dare non possent; *iuventus parca donandi magnum* iam non est vere vel studiose parca, sed quae, necessitate ad vitam parcam adacta, quibus dona faciat, non habet.

v. 81. *Sic tibi Penelope frugi est*,

De sene gustârit tecum partita lucellum,
Vt canis a corio nunquam absterrebitur uncto.
Me sene quod, dicam, factum est: Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver
Vnctum oleo largo nudis humeris tulit haeres:
Scilicet elabi si posset mortua, credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito:
Neu desis operae, neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendes garrulus. Vltro
Non etiam sileas. Davus sis comicus, atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare: mone, si increbuit aura,
Cautus uti velet carum caput: extrahe turba
Oppositis humeris: aurem substringe loquaci.

ob hanc igitur causam Penelope, quia iuvenes eius castitatem non labefactare poterant magnis donis, proba adhuc et casta mansit.

v. 83. *Vt canis* cett. nunquam a sene illo absterrebitur, sicuti canis ab uncto corio semel gustato se nunquam absterreri patitur. Veteres igitur iam usi sunt proverbio, quod nunc quoque in Germania non raro repeti solet: *an Riemen lernt der Hund Leder kauen;* scilicet canes, *cupiditates semel incitatas crescere,* exemplo suo nos docere debent. — *uncto,* quod madet oleo vel adipe.

v. 84. *improba*, non ad vetulae mores, sed ad festivum eius ingenium, sive ad mandatum, ingeniose in testamento ab ea excogitatum, referendum; apud nos quoque non sensu proprio, sed iocose nonnunquam aliquis vocatur: *gottlos.*

v. 87. *Scilicet si posset,* eo scilicet consilio, num forte posset.

v. 88. *Cautus adito*, idem, quod v. 48. *leniter adrepe.*

v. 89. *neve immod. abundes*, sc. opera, neve in hac opera, in officiorum praestandorum studio posita, sis nimius, (ut ille, qui viventi vetulae nimium institerat,) nos: *aber übertreibe es nicht.*

v. 90. *difficilem*, fastidiosum.

v. 91. *Vltro non etiam sileas,* nec tamen sileas data opera, sive consulto. — *comicus*, in comoedia adumbratus.

v. 92. *capite obstipo*, ad terram inclinato; expressum est σχῆμα hominis servili verecundia adstantis, et, quid iubeatur, expectantis. — *multum metuenti*, multam verecundiam prae se ferenti; — *metuere* passim pro: vereri, praecipue de servis. Cic. de Senect. c. 11. *metuebant servi, verebantur liberi*, *carum omnes habebant.*

v. 93. *Obsequio grassare*, dum quovis obsequii genere placere studes, procede et perge ad metam propositam, sc. ad divitis senis animum tibi conciliandum.

v. 95. *aurem substringe loquaci,* si est loquax, *substrictas*, h. e. arrectas aures loquaci accommoda; *loquaci*, garrulo, garrulitate molesto. *aures substringere* iam est: aures ad aliquid accuratius percipiendum

Importunus amat laudari? donec, Ohe iam!
Ad coelum manibus sublatis, dixerit, urge, et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Cum te servitio longo curaque levârit,
Et certum vigilans, Quartae esto partis Ulysses,
Audieris, haeres: ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?
Sparge subinde: et, si paulum potes illacrimare. Est
Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum,

canum et aliorum animalium more sursum trahere, h. e. arrigere, vel, quod supr. Od. II, 19, 4. dicitur *aures acuere*, nos: *die Ohren spitzen.*

v. 96—98. Sensus: si, ut homo importunus, (molestus enim et ineptus est, qui praesens laudes suas audire cupit,) a te laudari avet, cumula et obrue eum tam diu laudibus donec, sublatis in coelum manibus, *ohe iam* satis est, dixerit; — *manus ad coelum tollere* solemus, cum insignis alicuius rei admiratione percellimur. Dives senex, qui inducitur, quamvis, dum laudes suas audit, virtutum suarum admiratione ita percellitur, ut manus ad coelum tollat, tamen laudatorem, tanquam in celebrandis ipsius laudibus nimium, tacere (non serio, sed simulanter) iubet. — en egregie adumbratam eiusmodi vani hominis imaginem! — *ohe iam!* ut supr. Sat. I, 6, 12. *Ohe iam satis est!* — *urge et* cett. eleganter pro vulgari: persequere et imple vanum hominem ventosis laudibus; — lepide laudator, qui vanas laudes spargit vel adflat, cum vento, laudatus vero qui vanas laudes recipit et iis intumescit, cum utre, cui ventus immittitur, comparatur.

v. 99—103. *Cum te servitio levarit.* Sensus et nexus: Quodsi vero senex mortuus fuerit, et tu, non somnians de haereditate, sed re vera vigilans audieris haec: *Vlysses quartae partis haeres esto*, tum sparge subinde eiusmodi querelas: „Ergo sodalis meus Dama nusquam in hac terra amplius reperitur? unde alium mihi tam fortem et fidelem parabo? — et, si paulum potes illacrimare, illacrima. — *Audieris*, non ex ore moribundi (statim enim subiungitur: *sparge subinde: Ergo nunc Dama sodalis Nusquam est?*) sed aperto testamento. — *unde mihi*, supple: sumam, exquiram, parabo, inveniam. — *Heindorfius*, posita post *potes* distinctione, *illacrimare* pro imperativo accipit, laudato exemplo Ciceronis, (de Nat. D. III, 33.) *illacrimari* in forma deponentis usi. Equidem vero post *illacrimare* recte imperativum *illacrima* suppleri posse existimo. Nam in sermonibus, qui familiariter miscentur, verbum aliquod, ut saepe apud Terentium, data opera nec sine vi aliqua reticeri solet, quod a quovis facile suppleri potest, uti modo in versu praecedente verbum aliquod, a quo pendent accusativi *fortem* et *fidelem*, supplendum erat.

v. 104. *Est gaud. prod. vult. celare*, (*est*, ἔστι) licebit lacrimando (tu poteris lacrimando) animi laetitiam de haereditate in vultu expressam occultare.

Permissum arbitrio, sine sordibus exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte cohaeredum senior male tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua seu fundi sive domus sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina; vive valeque.

SATIRA VI.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
Et paulum silvae super his foret: auctius atque
Dì melius fecere. Bene est! nihil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.

v. 105. *sine sordibus*, sine sordida avaritia; splendide igitur et magnifice.

v. 107. *male tussiet*, mala tussis enim non raro propinquae mortis index est; *mala tussis* apud Catull. XLIV, 7. nos quoque: *ein böser Husten.*

v. 105—109. *huic tu Dic — addicere.* Sensus: huic tu dic, te, sive ille fundi, sive domus ex tua haereditatis portione emtor esse velit, (*gaudentem*) promto paratoque animo (nos: *mit Vergnügen*) ei vilissimo pretio addicere velle. Eiusmodi emtio, quae reapse erat donatio, oblato *nummo* (sestertio) rata et firma fiebat. vid. *Bentl.* supr. ad Sat. I, 4, 14.

v. 110. *Imperiosa Proserpina*, Vmbrae scilicet ex Orco in lucem emissae ex imperio saevae Proserpinae dicta hora in Orcum redire debebant.

SATIRA VI.

Horatius, cum ei contigisset, quod maxime in votis habuerat, modicus ager, hortus et paulum silvae, se nunc, quae ad vitae iucunditatem spectent, habere omnia, grato animo profitetur. Decantat igitur in hoc carmine laudes vitae rusticae, et causas, ex quibus vita rustica longe urbana sit iucundior, ante oculos ponit.

v. 1—3. *modus agri non ita magnus*, cuius ambitus non magnae, sed exiguae mensurae est. — *iugis aquae*, iugiter fluentis, perennis aquae, ut infr. Epist. I, 15, 17. sic *iugis aqua* de aqua fontana, apud Sall. in Iug. cap. 90. — *Super his*, (*Schol. Cruq.*) *insuper*, *praeterea*; sed fortasse: super horto, tecto et fonte; villa enim Horatii in agro Sabino sita fuit in valle montibus cincta; hinc v. 16. *Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi*, et infr. Epist. I, 16, 5. *Continui montes, nisi dissocientur opaca Valle.*

v. 5. *Maia nate*, Mercurius enim (*parens lyrae curvae* supr. Od. I, 10, 6.) praesidio suo poetas fovet, unde poetae supr. Od. II, 17, 30. *viri Mercuriales* vocantur. Idem ut *dator bonorum insperatorum* (δώτωρ ἐάων, κερδῷος) colitur. — *propria* de iis, quorum usus et fructus nunquam imminuitur, quae manent et durant, quae sunt perpetua. Virg. Aen. VI, 872. *propria haec si dona fuissent*, ubi plura de hac vocis *proprius* significatione exempla dabit *Cerda.*

Si neque maiorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem;
Si veneror stultus nihil horum; „O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,
Thesauro invento qui mercenarius agrum,
Illum ipsum mercatus, aravit, dives amico
Hercule;“ si, quod adest, gratum iuvat, hac prece te oro,
Pingue pecus domino facias, et caetera, praeter
Ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,

v. 6—7. *Si neque* cett. si neque foedo lucrandi genere rem meam augere et amplificare studui, neque eam vitii h. e. turpis luxuriae culpa imminuam atque profundam.

v. 8—15. *Si veneror* cett. Sensus: si non sum unus horum hominum, stulte ita precantium: „O si angulus ille vicini agri ad meum accedat, quem nunc angulus ille contra normam aequalis longitudinis deformat! O si qua sors urnam argenti mihi monstret, ut illi mercenario, qui thesauro, Hercule favente, invento dives factus illum ipsum agrum, quem mercenarius aravit, mercatus est,“ si grato animo iis, quae possideo, contentus vivo; oro te hac prece, ut mihi domino pecus quidem pingue facias, et caetera, quae in agris pinguescere debent, sed non meum ingenium, quod *pingue* esse nolo; et ut maximus mihi, ut soles, Mercuri, custos adsis. *veneror*, precor, Livius VIII, 9. *Iane, Iupiter*, cett. *vos precor*, *veneror*, *veniam peto feroque*, *uti populo Romano prosperetis.* cf. *Brison.* de Formul. I. p. 71.

v. 10. *O si fors quae*, pro: si qua fors; exempla vid. apud *Heindorf.*

v. 13. *amico Hercule*, dum ei favebat Hercules, divitiarum dator, πλουτοδοτήρ, *Schol. Acr.* — *Ideo, quia* (Hercules) *thesauris praeest, et sunt, qui eundem incubonem* (qui thesauro, quem custodit, incubat) *esse velint, unde putant, quod et res rustica in tutela sit eius* (rem rusticam quoque in eius tutela esse). — *gratum*, me, grati animi hominem, eleganter pro simplici: me.

v. 15. *praeter ingenium*, ludit in voce *pingue*, primum proprie de corpore, deinde per translationem de *ingenio* posita; ingenium *pingue* est tardum, hebes et ineptum, quia corpus quoque *pingue* tardum et rebus agendis ineptum est. Similiter fere *homo obesae naris.* — *custos*, patronus, nos: *Schutzgott*; sup. Od. I. 28, 29, *Neptunus*, *custos Tarenti.*

v. 16. *Ergo ubi* cett., quodsi igitur votorum meorum compos et sorte mea contentus cett. *et in arcem*, per *arcem* designavit Horatius villam suam, tanquam *locum perfugii*, ubi poeta a vitae urbanae molestiis, curis et negotiis remotus in tuto vivebat. *in arcem*, refer ad v. 3. *paulum silvae super his.*

(Quid prius illustrem satiris Musaque pedestri?)
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster
Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Iane libentius audis,
Vnde homines operum primos vitaeque labores
Instituunt, sic dis placitum, tu carminis esto
Principium. Romae sponsorem me rapis. Eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge!
Sive aquilo radit terras, seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.

v. 17. *Quid prius* cett. recte hunc versum parentheseos signis inclusit *Gesnerus;* Horatius sensu memoratae felicitatis, qua sibi ex urbe in villam suam secedere liceat, percussus, sibi temperare non potest, quin media in oratione hanc sententiam interponat: „Quam tandem rem hac rusticationis meae felicitate prius carmine celebrem! „*Satiris Musaque pedestri*, pedestri sermonum meorum Musa. — Musa *lyrica* curru vehitur; *tragica* cothurno nixa incedit; *satirica* nudis pedibus ambulat.

v. 18. *mala ambitio*, molestum gratiae captandae studium. — *plumbeus*, quia *Auster*, omnia exsiccans (*Sirocco*) homines reddit *plumbeos* h. e. inertes.

v. 19. *Auctumnusque gravis*, valetudini ob aëris gravitatem infestus. supr. Od. III, 23, 8. *auctumni grave tempus*, ubi cf. not. — *Libitinae quaest. acerbae*, quia auctumnus ob multa hoc anni tempore funera Libitinae, in cuius templo ad mortuorum sepulturam necessaria aut vendebantur, aut locabantur, quaestus, sive quaestuosus (*einträglich*) fuit.

v. 20—22. Nexus orationis: In urbe a prima diei luce infinita officiorum negotiorumque genera modo huc modo illuc me rapiunt truduntque. *Tu carminis esto principium*, a te h. e. a rebus, quae primo mane fiunt, carmen meum capiat exordium. — Horatius igitur iam matutina in urbe negotia narraturus, in rei narrandae principio, uti fere poeta epicus Calliopen vel aliam Musam, significanter *Matutinum Patrem, Ianum*, invocat; — Ianus *Matutinus* dicitur, quia eius favori non uniuscunque anni tantum, sed etiam uniuscunque diei principium et incepta commendabantur; *pater*, ut infr. Epist. I, 16, 59. — *seu Iane libentius audis*, cumulant poetae dei, quem laudant, nomina, supr. Carm. Saec. v. 15. *Sive tu Lucina probas vocari, sive Genitalis.* — *Unde*, cuius favore.

v. 23. *Rom. sp. me rapis*, Ianum dispertientem quasi et assignantem cuique diurnos labores appellare pergit: Si in urbe versor, mane statim me sponsorem in forum properare iubes: *eia*, ais, *urge*, ne quis te prior huic officio satisfaciat; *eia — urge*, idem est, quod Virgilius Aen. IV, 569. dicit: *Eia age, rumpe moras.*

v. 25—26. *radit*, significanter pro vulgari: perflat; nam dum Auster terras perflat, sordes abradendo eas quasi polit, purgat et exsiccat. Supr. Epod. XVI, 55. *ut neque largis Aquosus arva radat* (inundatione abradat, deterat) *imbribus*. — *brum. Int. d. gyr. trahit*, bruma dies, quibus terra

Postmodo, quod mî obsit, clare certumque locuto
Luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
Quid tibi vis, insane, et quam rem agis? improbus urget
Iratis precibus. Tu pulses omne, quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras.
Hoc iuvat, et melli est, non mentiar. At simul atras
Ventum est Exquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. Ante secundam
Roscius orabat, sibi adesses ad Puteal cras.

nive contegitur, contrahit, contractiores et breviores reddit; — *gyro interiore*, minimo, brevissimo. Aratus apud Ciceronem de Nat. D. II, 41. de Cynosura: *Nam cursu interiore brevi convertitur orbe.* Et sic *gyrus* in circo metae proximus dicitur *interior*.

v. 27—28. Sensus: Postmodo, ubi clara voce et certa fide promisi, quod mihi damno esse possit, (sponsio enim damno est sponsori, si ei vere praestandum est, quod se pro aliquo praestare velle promisit,) redeunti mihi e foro luctandum est in turba hominum, vi submovendo eos, qui tarde procedunt.

v. 29—30. *et quam rem agis?* Sensus huius loci: Tum homo quidam inportunus et inficetus, quem e via removi, me insectatur imprecationibus et opprobriis his. *Quid tibi vis, insane, et quam rem agis?* Ad hanc igitur explicationem mutavi huius loci distinctionem, quam exhibuerunt *Gesnerus* et *Heindorfius: Quid tibi vis, insane, et quam rem agis improbus?* — *improbus*, significatio huius vocis, quae late patet, accommodanda est rei, de qua sermo est; iam *improbus* est: *importunus*; homo plenus ruris et inficetiarum. cf. supr. Sat. II, 3, 200. — *tu pulses* cett., tu velis vel ausis omnes in via tibi obstantes pulsare, (nos: *du möchtest wohl gern alles aus dem Wege stossen*) quoties tibi domus Maecenatis, semper animo tuo obversantis, celeri cursu repetenda sit.

v. 32—34. *Hoc iuvat* cett. nihil sane, fateor, contingere mihi potest hoc ad Maecenatem reditu iucundius, nihil dulcius. — *atras Exquilias*, in Maecenatis aedes, sitas in *atris Exquiliis*. — *Exquiliae* dicuntur *atrae*, quia antea *commune sepulchrum plebi*, ut Noster loquitur supr. Sat. I, 8, 10., ibi *steterat*; — *aliena*, pro aliis suscipienda. — *Per cap. et circ. sal. latus*, me obruunt et premunt, vel, ut Terentius loquitur, *circumvallant*. — *per caput salire* est, quod nos dicimus, *durch den Kopf laufen*. — Caeterum cum loco sequente tirones comparasse iuvabit Epist. Mureti, (in Selectis Mureti Epistolis a Clariss. *Kraftio* editis XXXI. p. 49) ubi Muretus diversissimorum negotiorum molestias, quibus unoquoque die obrutus et pessime vexatus sit, suavissime enarravit.

v. 35—39. *Ante secundam*, apud nos: *gegen sieben Uhr*. — *Roscius orabat* — cogita, servum aliquem Horatio sub eius in domum Maecenatis adventu iam referre, qui adfuerint in eius absentia, et quid precibus ab eo impetrare voluerint. — *Puteal* (proprie putei operculum), murus, qui puteum cinxisse videtur, in for-

De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quincte, reverti.
Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.
Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit et instat.
Septimus octavo propior iam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero, duntaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus: Hora quota est? Threx est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos iam frigora mordent:

mam quadrati, vel in formam altaris exstructus, uti *puteal Libonis* in nummis expressum conspicitur apud *Lambinum*. Fuerunt autem Romae in foro duo putealia, ut docet *Salmas.* ad Solin. p. 802., alterum in *Comitio*, ubi ius dicebat Praetor, alterum ad *arcum Fabianum*, a Scribonio Libone iussu senatus excitatum, ubi foeneratores convenire, et foenus exercere solebant; Ovid. de Rem. Am. 561. vid. quos laudat *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *puteal:* ad posterius, quod infr. Epist. I, 19, 18. plenius *puteal Libonis* dicitur, respexit iam Horatius, ubi Roscio in re pecuniaria adesse debebat.

v. 36. *de re communi*, ad omnes scribas pertinente; — *reverti*, sc. in decurias scribarum, ut commune cum iis *de re magna et nova* consilium caperes. Horatius enim ipse fuit *scriba*, et quidem *Quaestorius;* de honestate *scribarum publicorum*, in decurias descriptorum, et mercedem ex aerario accipientium vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *scriba.*

v. 38. *Imprimat his* cett. porrigit alius Horatio tabellas, rogans, ut eas a Maecenate consignandas curet. — Maecenas enim nomine Augusti, a quo annulum signatorium acceperat, (vid. *Heind.*) tabellis sigillum imprimere, sive eas consignare solebat.

v. 39. *Dixeris*, pro: si dixeris, et hoc pro: si ego dixerim: *experiar*, periculum faciam, num satisfieri possit tuis precibus; nos: *ich will zusehen, ob es geht.*

v. 40. *Septimus octavo* cett. elegans versus pro vulgari: Iam octo ferme anni praeterlapsi sunt; *fugerit*, nisi fallor, fugit; nos: *es werden nun wohl beinahe acht Jahre verflossen seyn.*

v. 42. *duntaxat ad hoc, quem* cett. eo tantum consilio, ut essem, quem iter faciens, *rheda* secum *tolleret*, sive quem, cum rheda vectus iter faceret, comitem sibi adiungeret; sic apud Livium XLI, 3. *equites* dicuntur *pedites in equos secum tollere.*

v. 44. *Hoc genus*, eiusmodi, exempli causa. — *Threx est Gallina Syro par?* num gladiator Gallina corporis viribus et agilitate *par est* gladiatori *Syro?* Plura fuerunt gladiatorum genera; — *Threces*, (Θρῇκες) ab armis Thraciis ita dicti; *Samnites*, ab armatura Samnitica; *Mirmillones*, ab insigni piscis cuiusdam, (cui nomen fuit *μορμύρος* vel *μορμυρίων*,) cuius imaginem gerebant in galea. Iam vero cum *Threces* praecipue componi solerent cum *Mirmillonibus*, *Syrus* fuisse videtur *Mirmillo.*

v. 45. *parum cautos*, qui contra frigus non veste crassiore se munit

Et quae rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
Invidiae. Noster ludos spectaverat una,
Luserat in campo; Fortunae filius! omnes.
Frigidus a Rostris manat per compita rumor;
Quicunque obvius est, me consulit: O bone, (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet,)
Numquid de Dacis audisti? Nil equidem. Vt tu
Semper eris derisor! At omnes dì exagitent me,
Si quicquam. Quid? militibus promissa Triquetra

is parum sibi cavet. — *mordent* — *mordere*, non tantum, ut *urere*, *adurere*, de vehementiore frigore, sed etiam de vehementiore solis aestu, ut infr. Epist. I, 8, 5.

v. 46. *bene*, secure; sermo est de rebus nullius momenti, quae securo animo et sine omni cura deponi possunt in *aure rimosa*, h. e. pervia, quae tribuitur homini, qui, quae audivit, temere effutit; in animo habuit Horatius notissimum illud Terentii (Eunuch. I, 2, 25.) *Plenus rimarum sum, huc atque illuc perfluo.* — *auribus rimosis* opponuntur *aures tutae* supr. Od. I, 27, 18.

v. 47 — 49. *Per totum hoc* cett. hunc locum ego interpretor sic: Ab eo inde tempore in diem et horam magis magisque expositus fui invidiae; si Maecenas una mecum ludos spectaverat, vel una mecum in Campo Martio luserat, et sic singularem mihi favorem probaverat, tum omnes: *Horatius Fortunae est filius*, clamabant. Sic *παῖς τῆς Τύχης* Sophocles Oed. Rex. 1073. et Euripides ap. Plutarch. de solert. animal. p. 965. — Recte Maecenas ab Horatio simpliciter vocari poterat *Noster*, *non* ideo tantum, quod Maecenas Horatium *in numero suorum habere coeperat*, (v. 41.) sed etiam, quod is, qui nobis favet, simpliciter *Noster* appellari solet; ut ipsi dii *nostri*, qui nobis, *tui*, qui tibi, *mei*, qui mihi favent, dicuntur; vid. *Burmannus* ad Ovid. Trist. IV, 4, 23. — Ad *spectaverat* et *luserat* suppleri debet particula *si*, ut mox versu sequente ad *manat*, et sexcenties alibi. — *Bentleiana* huius loci lectio et distinctio, quam dedit *Heindorfius*, est haec: *Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam Invidiae noster. Ludos spectaverit una, Luserit in campo.* Sed quis in hoc sententiarum nexu explicationem vocis *noster* pro: ego, et omnem latinitatis asperitatem ferat?

v. 50. *Frigidus*, qui frigus et horrorem incutit, h. e. tristior, v. c. de Dacis rebellantibus, de funesto proelio aliquo cett. — *a Rostris*, ob maximam hominum ibi convenientium frequentiam.

v. 52. *deos*, Maecenatem et Augustum.

v. 54. *derisor*, qui, quod scit, se nescire ait, et hac dissimulatione alios ludit, (*εἴρων*,) ut infr. Epist. ad Pis. v. 453. — *At omnes dì exagitent me*, formula iurandi, *me exagitent*, me insectentur, persequantur, vexent, pro vulgari: perdant.

v. 55. *si quicquam*, sc. audivi. — *Quid? militibus* cett. Caesarne praedia militibus promissa in Sicilia an

Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?
Iurantem me scire nihil, mirantur ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silentî.
Perditur haec inter misero lux, non sine votis:
O rus, quando ego te adspiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?
O quando faba Pythagorae cognata, simulque
Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes coenaeque deûm, quibus ipse meique
Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus. Prout cuique libido est,

in Italia daturus est? Respicitur, ut probatum ivit *Bentleius* in *Praef.* ad Horat. s. fin., agrorum divisio, quae, Sexto Pompeio in freto Siculo victo V. C. DCCVIII. et Lepido ad deditionem adacto, DCCXXI facta est. — *Triquetra*, (*Schol. Cruq.*) *Sicilia, quod in tres partes seu promontoria diducta est, Graece Trinacria, a tribus promontoriis, Pachyno, Lilybaeo et Peloro.* — *Triquetra* (a *Triquetrus, a, um*) non ad *praedia*, sed ad *tellure* referendum.

v. 57. *unum*, prae aliis omnibus; vid. *Bentl.* infr. ad Epist. ad Pis. v. 32.

v. 59. *misero*, elegantius pro: mihi. — *non sine votis*, iis scilicet, quae sequuntur.

v. 61. *somno*, sc. securo, qui non officiis in urbe subeundis interrumpitur; — *inertibus horis*, noli *horas* inertes referre ad ignavum otium et desidiam, cui Horatius in agro indulgere voluerit, sed ad vitam, qua Horatius in villa sua non aliis, sed sibi tantum vivebat. Tibull. I, 1, 5. *Me mea paupertas vitae traducat inerti.*

v. 62. *ducere*, imbibere, et quidem pleno haustu. cf. supr. ad Od. I, 17, 22. — *oblivia*, Horatius cogitasse videtur de *Lethe*, e quo advenientes Umbrae apud Virg. Aen. VI, 714. *securos latices et longa oblivia potare* dicuntur; supr. Epod. II, 38. post enarratas vitae rusticae iucunditates: *Quis non malarum, quas amor curas habet, Haec inter obliviscitur?*

v. 63. *faba Pythagorae cognata*, inter causas, e quibus Pythagorae disciplinae addicti *fabis* abstinere debebant, affertur quoque haec, quod Pythagoras *fabas* ad animarum mortuorum receptacula retulerit. *Schol. Cruq.* — *dubitabat enim Pythagoras, an in eo corpore* (faba) *lateret anima patris sui, an alterius propinqui, qua de re ridet eum Horatius et eius sequaces* (discipulos); iocose certe huius rei respectu habito Horatius *fabas* vocat *Pythagorae cognatas.*

v. 65. *meique*, familiares, vicini, vernae.

v. 66. *procaces*, lascivientes, verniles iocos miscentes. Supra quoque Epod. II, 66. ad iucundos in agro adspectus referuntur *positi vernae circum renidentes Lares.*

v. 67. *libatis dapibus*, adesis a domino, quarum reliquias vernae inter

Siccat inaequales calices conviva solutus
Legibus insanis, seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit laetius. Ergo
Sermo oritur non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati?
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos?
Et quae sit natura boni, summumque quid eius?
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
Asper et attentus quaesitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille

coenam et post coenam comedebant. — *Prout* una syllaba pronunciandum.

v. 68. *inaequales*, sive grandiores, sive minores.

v. 69. *Legibus insanis*, quibus compotationis rex sive modimperator (vid. supr. ad Od. I, 4, 18.) compotores praescriptum cyathorum numerum uno tenore exhaurire iubebat; cf. supr. ad Sat. II, 2, 123. — *acria pocula*; proprie, qui fortiter potant, dicuntur *acres potores*, ut infr. Sat. II, 8, 36. nos: *starke Trinker*; idem igitur nunc *poculis*, quod potoribus, tribuitur.

v. 70. *uvescit*, uvidus (ὑγρός) est, madet, cf. supr. ad Od. II, 19, 18.

v. 72. *Lepos*, (*Schol. Cruq.*) *nomen insignis saltatoris, Caesari grati, Archimimi, qui sic appellatus est, quod iucunde et molliter saltaret.*

v. 75. *usus*, utilitas; *rectum*, virtus, honestas.

v. 77—79. *Cervius haec inter* cett. Et dum haec de rebus ad nos pertinentibus familiariter disputamus, Cervius, vicinus, aniles fabellas (*ex re*) rei, de qua loquimur, accommodatas, interserit. Nam si quis exempli causa Arelli opes laudat, ignorans, quanta cum divitiarum possessione coniuncta sit sollicitudo, sequentem fabulam narrat. — *Arellus* in vicinitate fuisse videtur homo dives, et, ut omnes fere divites, de secura opum suarum possessione admodum *sollicitus*; tota enim fabula referenda est ad sollicitudinem, qua misere cruciantur divites.

v. 81. *paupere cavo*, — *cavus*, vel *cavum* de latibulo muris, ut infr. Epist. I, 7, 33. de latibulo nitedulae. *paupere*, ut infr. Epist. I, 10, 32. *sub paupere tecto.*

v. 82. *Asper*, vitae asperae et durae adsuetus. — *ut tamen arct. Solv. hosp. an.*, hactenus tamen, ut animum arctis rebus intentum hospitii officiis aperiret.

Sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia coena
Vincere tangentis male singula dente superbo:
Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te iuvat, inquit, amice,
Praerupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?
Carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga. Quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus;
Vive memor, quam sis aevi brevis. Haec ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde

v. 84. *Neque ille Sep. cic. n. l. invid. avenae*, plenius ad vulgarem loquendi rationem dixisset: „neque ille hospiti invidit ciceris et avenae fructum," sed usus est forma Graeca: *φθονεῖν τινί τινος*, vid. *Heind.*

v. 87. *male* referunt ad *tangentis*, ut sit: vix tangentis; equidem iunxerim: *male superbo*, h. e. admodum superbo, ut Sat. praeced. v. 107. *male tussire*, et Sat. I, 3, 45. *male parvus*, ubi cf. not.

v. 88. *pater ipse domus*, lepide mus rusticus iam ut hospes muris urbani *pater domus* (paterfamilias, herus) vocatur; *palea in horna*, nuper demum in huius anni messe collecta, recente.

v. 89. *Esset*, comederet; *ador*, nos: *Dinkel, Spelt*; — *lolium* (bromus), nos: *Lolch*. — *relinquens*, reservans hospiti.

v. 91. *patientem*, (*καρτεροῦντα*) sc. vitae asperae et durae sortem; *pati*, non raro omissa re, quam quis patitur, vel de qua sermo est. Ovid. Amor. I, 14, 13. *At, si passa fores*, sc. crines a natura tibi datos; ubi vid. *Burm.* et ad Lucan. V, 313.

v. 93. *mihi crede*, ego suppleo: te, ut sit: trade te meae fidei meoque praesidio. — *terrestr. quando Mort. an. viv. sort.*, quandoquidem ii, qui in terris vivunt, mortales animas sortiti sunt. Lepide mus urbanus, proposita Epicureorum opinione, *animum cum homine mori et interire*, murem rusticum ad arripiendos iucundioris vitae fructus exhortatur; sic *Voluptas* apud Sil. Ital. XV, 45. ad animum P. Corn. Scipionis Africani sibi conciliandum, *Umbram non sensuram esse, quid gesserit*, ait.

v. 95. *aut magno, aut parvo*, Propert. III, 20, 25. *Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo.* cf. supr. ad Od. I, 4, 13.

v. 98. *pepulere*, moverunt; Cicero de Fin. II, 10. *At ille pellit, permulcet sensum voluptate;* sic passim simplex verbum *pellere*; vide inprimis *I. Fr. Gronov.* ad Liv. III, 30, §. 4. p. 660. in edit. *Drakenb.*

Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni subrepere. Iamque tenebat
Nox medium coeli spatium, cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia; rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula coena,
Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem: veluti succinctus cursitat hospes,

v. 99 — 101. *urbis av. Moen. subrepere*, itinere peracto cum mures urbem adeundi subiret cupiditas, latenter noctu subter moenia arrepere coeperunt. — *nocturni*, nocturno tempore; ut *nocturnus lupus* apud Virgil. Georg. III, 537., et *vespertinus ursus* supr. Epod. XVI, 51. — *Iamque tenebat Nox med. spat.* lepide Horatius in re levi ad epici poetae sublimitatem exsurgit. Nox apud poetas post Solis occasum ab oriente surgit et curru vecta per coelum Solis vestigia legit; vid. *Heynii* ad Virgil. Aen. II. Excurs. II.

v. 102. *In locuplet. dom.* — *domus locuples* opponitur *pauperi cavo* in v. 80. — *vestigia*, pedes; Catull. LXIV, 162. *Candida permulcens liquidis vestigia lymphis*, ubi vid. notata. — *cocco* — *coccum* est ex opinione veterum granum, reapse autem vermiculus (*Coccus Ilicis* L.) inhaerens cortici arboris e genere quercus (*quercus coccifera, Q. Ilex. L.*). Hos vermes conglomeratos (qui Francogallis *vermillon*, nobis *Kermes, Scharlachbeere* vocantur,) ramis abradunt, et inde parant colorem coccineum, qui quidem, quia propius accedit ad colorem purpureum, poni fere solet pro *purpureo*; certe eadem vestis stragula, quae iam *cocco tincta* dicitur, paulo post in v. 106. est *purpurea*.

v. 103. *canderet*, fulgeret, splenderet; — *candere* proprie de fulgore, quo rutilat *ignis*, vel de candore, quo lucet *ebur*. Catull. LXIV, 45. *candet ebur soliis.*

v. 105. *procul exstructis*, explicant: in altum exstructis; sed exemplum, ubi *procul* pro: *in altum* dictum sit, deest. Immo *procul* iam est: non ita procul, scilicet a mensa, ubi coenatum fuerat, ideoque pro: in propinquo; plane ita *procul* apud Virgil. Eclog. VI, 16. *Serta procul tantum capiti delapsa iacebant.* Aen. X, 835. *Procul* (iuxta, in propinquo) *aerea ramis Dependet galea.* — *exstructis*, ob magnam reliquorum ferculorum, quae servantur in canistris, copiam, ut *mensa exstructa*, in qua splendide disposita est magna epularum copia.

v. 106. mus rusticus, qui ante porrectus iacuerat in horna palea, cubat nunc in veste purpurea. Sane in hac vitae urbanae, qua nunc gaudebat mus rusticus, descriptione non sine animi voluptate contendes singula cum singulis, quibus antea vita eius rustica adumbrata est.

Continuatque dapes, nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, praelambens omne, quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
Rebus agit laetum convivam: cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: Haud mihi vita
Est opus hac, ait, et valeas: me silva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

SATIRA VII.

Iamdudum ausculto, et cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformido. Davusne? Ita. Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi, quod sit satis; hoc est,
Vt vitale putes. Age, libertate Decembri,

v. 108—109. *Continuatque dapes*, continenter, uno tenore alias atque alias dapes apportat. — *verniliter ips. Fung. offic.*, *ipsis*, ipsis, quibus vernae fungi solent, fungitur officiis; — *praelambens*, non raro enim vernae cibos, quos apponunt, praelambere solent. Pro *praelambens* duorum Codd. auctoritate *Bentleius* dedit: *praelibans;* cibi certe a convivatore *praelibari* solebant in urbanis conviviis.

v. 110—111. *cubans*, cubando pelliculam curans. — *bonisque rebus*, et rerum bonarum fructu, constitutus quippe in rebus prosperis. — *agit laetum convivam*, partes laeti convivae agit, laetum convivam se praebet.

v. 114. *Molossis canibus*, cf. supr. ad Epod. VI, 5.

v. 117. *ervo*, leguminis quodam genere; *tenui ervo*, ad tenuem victum ervi.

SATIRA VII.

Davus, servus, quem Horatius pro libertate, die Saturnalium servis concessa, paulo audacius secum loquentem inducit, sapientiae praecepta ad levem et instabilem hominum animum spectantia, quae Crispini philosophi ianitorem secum communicasse ait, in hac Satira exponit, simulque in herum eiusque vitia liberius invehitur.

v. 1—4. *Iamdudum ausculto*, cett. Finge tibi Horatium ad se vocasse servum suum Davum; — audit Davus, respondens: Iamdudum aures ad vocem domini me vocantis arrigo; nam cupio pauca (sc. rectioris vitae praecepta) tibi referre, sed, quia servus sum, id facere reformido. Davusne, servus meus, pauca mihi dicere minatur? Sane ego Davus, servus tuus; nam ego dominum meum amo, et, quantum satis est, bo-

Quando ita maiores voluerunt, utere: narra.
Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum: pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe notatus
Cum tribus annellis, modo laeva Priscus inani,
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas,
Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste:
Iam moechus Romae, iam mallet doctor Athenis
Vivere; Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra

nae frugis servus sum, ita quidem, (*ut vitale putes*) ut credere possis, me non ante diem moriturum esse. (Ante diem enim mori putabantur optimi quique et praestantissimi; Ovid. Amor. II, 6, 39. *Optima prima fere manibus rapiuntur avaris.* Iocosa igitur modestia Davus bonus tantum servus, non optimus, videri vult.) — Sic mihi in huius satirae principio, de quo a *Bentleio*, qui hanc cum praecedente satira in unam conglutinare volebat, et ab aliis interpretibus multum disputatum est, omnia bene sibi respondere videntur.

v. 4—5. *libert. Decemb.* — *utere*, utere, quae servis mense Decembri, Saturnalibus, dari solet, libertate; *Schol. Acr.* — *Habeas licentiam et libertatem dicendi, quae velis, quia Saturnalibus libertas servis concedebatur, et omnes exaequabantur, ut saeculi aurei, quo Saturnus regnavit, esset imitatio. Decembri autem mense* (a. d. XIV. Calend. Ian.) *celebrantur, et immutatio fit conditionis, nam et liberi ex servis et servi ex liberis fiunt.*

v. 6. *constanter*, eadem semper pertinacia.

v. 7. *Propositum*, rem semel propositam, licet inhonestam. — *Natat*, huc illuc agitatur, fluctuat, mutabilis est. Cic. de Nat. D. III, 14. *In quo tu mihi magis natare visus es.*

v. 8—15. *notatus*, observatus et derisus. — *Vixit inaequalis* cett. Iunge et explica: Priscus, saepius modo tres annulos, modo nullum plane annulum in laeva manu gerens, vixit tam inaequalis, ut in horas modo tunica laticlavia, modo angusticlavia prodiret, modo ex magnis aedibus (*se conderet*) se reciperet et abderet parvis et humilioribus aedibus, unde vix libertinus paulo cultior decenter exiret. De vario apud Romanos annulorum usu vid. *Kirchmann de Annul.* et quae huc spectant, cap. 15 seqq. — *Inaequalis*, inconstans; supr. Sat. I, 3, 9. *Nil aequale homini fuit illi.*

v. 14. *Vertumnis* — *Vertumnus*, antiquissimus Tuscorum deus, in omnes formas, ut Proteus apud Graecos, se *vertens*, unde Tibull. IV, 2, 14. *Mille habet ornatus, mille decenter habet.* Sed cf. inprimis Elegiam in Vertumnum Propertii IV, 2. Pro vulgari igitur: *diis iratis*, accommodate ad naturam *Vertumni* dixit *iniquis Vertumnis*, quasi nato Prisco ex ira Vertumni data sit mutabilitas.

v. 15. *iusta*, quam Volanerius culpa sua sibi contraxerat, ut *poena iusta.*

Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto constantior idem
In vitiis, tanto levius miser ac prior illo,
Qui iam contento, iam laxo fune laborat.
Non dices, hodie quorsum haec tam putida tendant,
Furcifer? Ad te, inquam. Quo pacto, pessime? Laudas
Fortunam, et mores antiquae plebis, et idem,
Si quis ad illa Deus subito te agat, usque recuses:
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis, et haeres,
Nequidquam coeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas; absentem rusticus Vrbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus

v. 16. *Contudit articulos*, labefactavit, confregit, infirmos et inutiles reddidit.

v. 17. *in phimum*, fritillum, in quo tali vel tesserae concutiebantur, et inde per pyrgum sive turriculam mittebantur in tabulam lusoriam.

v. 18. *pavit*, aluit.

v. 19—20. *levius*, paulo minus. — *prior illo*, potior illo, melioris fere conditionis, quam ille, *Qui iam cont. i. lax. fun. labor.*, qui inconstantia laborat, dum modo vires intendit, modo languori indulget, modo severus, modo levis est. Virium *contentio*, vel acre studium, cum *fune contento*, virium *remissio*, vel incuria, negligentia, levitas, *cum fune laxo* comparatur.

v. 21. *hodie* — *Heindorfius* cum aliis pro: *statim* accipit; equidem accipio pro: hoc die Saturnalium, quo tibi omnia libere dicere licet, vel pro: tandem hoc die, quia Davus diem perdere videbatur ambagibus, quas morae impatiens Horatius ferre amplius nolebat: hinc ea, quae adhuc dixit Davus, vocat *tam putida*, tam molesta et fastidiosa, scilicet ob longam rei, quam relaturus erat Davus, circuitionem. — *Furcifer*, notum dominorum in servos convicium. Terent. And III, 5, 12. *Tibi ut ego credam, furcifer?* ubi Donatus: *Furciferi dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a domino ignominiae magis quam supplicii causa circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus*; hinc v. 66. *Ibis sub furcam.*

v. 24. *ad illa*, sc. quae laudas, *te agat*, te auferat, transferat.

v. 25. *Aut quia non sentis, quod* cett. Aut quia, quod rectum esse ore clamas, non animi sensu complecteris; vana enim sunt praecepta, quae non sentiuntur, h. e. quorum veritas non percipitur.

v. 26. *non firmus*, non firmo pectore, non severo studio. — *defendis*, tueri studes, exerces; — *haeres*, sc. in vitio, quod comparatur cum coeno, e quo pedes, qui in eo haerent, non facile expediri possunt.

v. 28. *absentem*, a rure remotam. — *levis*, inconstans et varius.

Ad coenam, laudas securum olus; ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Iusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam: nemon' oleum fert ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, furisque.
Mulvius, et scurrae, tibi non referenda precati,
Discedunt. Etenim, fateor me, dixerit ille,

v. 30. *securum*, quo quis in securo otio vescitur. — *velut usquam vinctus eas*, quasi obtorto collo ad coenam rapiaris, quasi non in arbitrio tuo positum sit, utrum tibi coenare placeat, an minus placeat.

v. 31. *ita*, si non vocatus es, — *amasque*, et, ut ais, tibi gratum est, quod cett.

v. 32—42. *Iusserit ad se Maecenas* cett. Nexus et sensus: Sed vide, quam parum tibi in hac quoque re constes! Quodsi enim Maecenas te apud se coenare iusserit, alta statim voce servos convocas, res necessarias afferri iubes, et celeri pede ad coenam properas. Id cum vident scurrae, nunc a te discedere iussi, te, licet vitium decoris verbis tegas, ut hominem, nequitia sibi haud cedentem, rident carpuntque. — *Serum convivam*, qui sero, h. e. vespertino tempore venit; *ut vespertinus hospes.* Sat. II, 4, 17. *Sub lumina prima*, ut infr. Epist. II, 2, 98. *ad prima lumina*, de primis tenebris, ubi lumina in domibus accendi solent.

v. 34. *oleum*, lucernae scilicet, quae tempore noctis euntibus viam illustret, infundendum.

v. 35. *blateras*, — *blaterare* de iis, qui incondita verba *iaciunt*, modo hoc, modo illud fieri iubent, ut solent heri festinanter e domo abituri. — Pro *furisque* in pluribus Codd. *fugisque*, sed in lectione *furisque* imago hominis prae festinatione huc illuc discurrentis et tumultuantis vividius expressa est.

v. 36. *Mulvius, et scurrae*, Mulvius et praeter eum alii scurrae. — *tibi non referenda precati*, scurrae, quia, discedente ad Maecenatem Horatio, ipsi, nunc coena apud eum delusi, discedere debebant, de hac re indignantes conviciis persequebantur Horatium, non quidem palam et coram ipso, sed clam et inter se; et hinc *non referenda* (indigna, abominabilia.) *precati* (imprecati) dicuntur.

v. 37. *Etenim — dixerit ille*, iam sequuntur verba illa *non referenda*, quibus scurrae coenatum euntem Horatium insectati dicuntur; — *Dixerit ille*, illum (Mulvium) his fere verbis usum esse puta: fateor, me esse scurram et hominem inertem, qui humili arte aliorum coenas appetit, sed tu, Horati, qui tanquam melior me tractas insolentius, idem, quod ego, sed sub specie honestiore, facis, et fortasse me es nequior. — *me Duci ventre levem*, me esse hominem levem, qui ventre se duci patitur ad humilem artem, qua scurra ego mensis ditiorum adhibear; — *nasum nidore supinor;* Graece pro: nasus nidore (nidorem h. e. suavem ciborum odorem captando) supinatur, sursum trahitur.

Duci ventre levem; nasum nidore supinor:
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, quum sis, quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior? verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere; manum, stomachumque teneto;
Dum, quae Crispini docuit me ianitor, edo.
Te coniux aliena capit; meretricula Davum:
Peccat uter nostrùm cruce dignius? Acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quaecunque excepit turgentis verbera caudae,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,

v. 39. *si quid vis*, *adde*, potes quoque addere; pro vulgari: praeterea; commode de hac loquendi formula laudant Cic. ad Attic. VII, 2. *Tironem Patris aegrum reliqui, adolescentem, ut nosti, et adde, si quid vis, probum: nihil vidi melius.* — *popino*, quem venter in popinas ducit.

v. 40. *ultro*, insuper, vid. *Drakenb.* ad Liv. XL, 12. § 4. et *Graev.* ad Cic. pro Quinct. 23. Sed possis quoque *ultro* explicare: sponte, pro animi arbitrio, sine causa, ut: *ultro accusare*, *ultro iniuriam facere*, Terent. Adelph. IV, 3, 3. — *Insectere*, sc. me.

v. 41. *verbisque decor. obvolv. vit.* et, quod tibi ipsi vitio verti possit, ingens scilicet apud Maecenatem coenandi desiderium, decora amicitiae, quae tibi cum Maecenate intercedat, specie excuses et occultes?

v. 42—45. *Quid, si me stultior* cett. Iam Davus, oratione, quam contra Horatium habuisse fingitur Mulvius scurra, finita, in iis, quae liberius se Horatio dicere velle professus est, pergit. Sed nimiam primorum verborum acerbitatem *Quid, si me stultior deprenderis?* non aequo animo ferre poterat Horatius. Vultum igitur torvum et minacem ostendit. Quod cum animadvertit Davus, *aufer*, inquit, *me vultu terrere; aufer* h. e. parce, noli vel omitte me vultu tuo terrere velle. — *Man. stom. teneto*, manum et iram a vi mihi inferenda cohibeto.

v. 45. *Crispini ianitor*, ut eo maior Crispino paretur gravitas, facete ianitor adeo eius praecepta cupide imbibisse et propagasse fingitur.

v. 46. *Te coniux aliena capit* cett. Noli ex animo dimittere, Davum iam referre praecepta, in scholis Crispini ab eius ianitore sublecta; sed haec praecepta callide et data opera ita proponit, quasi ad se ipsum et dominum suum Horatium spectent; quod tamen aliter se habere, aperte docet versus 53. Horatius enim non *annulum equestrem*, neque *insignia* magistratus gerebat; Davus igitur ex more, qui nunc quoque valet in orationibus, appellat aliquem in singulari, dum omnes alios, qui ita, ut ait, agunt et sentiunt, intelligit.

Dimittit neque famosum, neque sollicitum, ne
Ditior, aut formae melioris, meiat eodem.
Tu, quum proiectis insignibus, annulo equestri
Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
Non es, quod simulas? Metuens induceris, atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri virgis, ferroque necari
Auctoratus eas; an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis,
Contractum genibus tangas caput? Estne marito
Matronae peccantis in ambo iusta potestas,

v. 51. *Dimittit*, ea me dimittit.

v. 54. *Romanoque habitu*, togatus. — *prodis ex iudice Dama Turpis*, a dignitate iudicis descendis ad servilem humilitatem: facis, quod abiectioris conditionis servus facere solet; pro: *servus* posuit servile nomen, *Dama*.

v. 55. *odoratum*, unguentis bene olentibus delibutum; capita enim sive crines hominum elegantiorum unguentis nitere et odores spargere solebant. — *obscurante*, obtegente, occultante *lacerna*, crassioris pallii genere, quo tempore frigido vel pluvioso se involvere solebant servi; vid. *Ferrar. de Re Vest.* P. II. L. I. c. 1. 6 seqq. *Ruben.* I, 6.

v. 56. *Non es, quod simulas?* nonne tum revera es id, quod simulas? servus scilicet, ἀνδράποδον. — *induceris*, in domum matronae.

v. 57. *Altercante libidinibus*, pugnante cum libidinibus; — *pavor*, retinet, deterret; *libido*, impellit, incitat.

v. 58—67. *Quid refert* cett. Sensus: Quid tandem est discriminis, utrum incedas vel sis *auctoratus*, (homo, certo pretio, *auctoramento*, domino alicui vel lanistae in servitutem, vel ad gladium addictus,) ut pro domini vel lanistae arbitrio virgis uraris et ferro neceris, an adulter, ut in adulterio deprehensus rem omnem, vitam et famam, cum corpore perdas? — *Auctoratus*, (*Schol. Acr.*) *qui se vendunt ludo* (gladiatorio), *auctorati vocantur; auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum.* — *Vri virgis*, ut infr. Epist. I, 16, 47. *loris uri;* de formula, qua, qui se auctorabant, emebantur, laudant Petron. c. 117. *In verba Eumolpi sacramentum iuravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari, et quicquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissime addicimus.* Cfr. amici mei *Iacobsii* Lectt. Stobens. p. 148.

v. 60. *conscia peccati herilis*, ancilla, ut supr. Sat. I, 2, 130.

v. 61. *Contr. gen. tang. caput?* genibus contingas caput contractum et deflexum? caput enim eorum, qui in arca aliqua absconduntur, ad genua deflecti et detorqueri debet. — *Estne*, nonne est?

v. 62—64. *In ambo*, in adulterum et in adulteram. — *Iusta potestas*, non

In corruptorem vel iustior? Illa tamen se
Non habitu, mutatve loco, peccatve superne,
Quum te formidet mulier, neque credat amanti.
Ibis sub furcam prudens; dominoque furenti
Committes rem omnem, et vitam, et cum corpore famam.
Evasti? credo, metues, doctusque cavebis.
Quaeres, quando iterum paveas, iterumque perire
Possis, o toties servus! quae bellua ruptis,
Quum semel effugit, reddit se prava catenis?
Non sum moechus, ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Praetereo sapiens argentea. Tolle periclum:
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.

tantum apud Athenienses, sed etiam antiquiore tempore apud Romanos maritis deprehensos adulteros occidere licebat; vid. Gell. X, 23. Sed in *lege Iulia de adulteriis* poenae, quam mariti ab adulteris sumerent, modus praescriptus est. — Posui post *iustior* signum interrogationis, ut verba: *In corruptorem vel iustior* cum praecedentibus cohaereant sic: *Nonne peccantis matronae marito in ambo iusta, iustior vel* (adeo) *in corruptorem* (adulterum) *potestas est?* — *Illa tamen* cett., licet enim matrona quoque peccet, *illa tamen se non mutat habitu*, (non, sicut tu, caput lacerna obvolvit,) *mutatve loco* (neque e domo sua in tuam se confert,) *peccatve superne* (neque eo modo peccat, quo mares peccant).

v. 65. *Quum te formidet* cett., cum te timore aliquo refugiat, nec sine cura tibi amanti se tradat.

v. 66. *Ibis sub furc. pr.* dum matronas sectaris, (*prudens*) sciens volensque servi, servilibus poenis (*furcae*, cf. ad V, 22.) obnoxii, personam indues; *dominoque furenti*, apposite ad servilem conditionem, quam subit libidinosus, matronae maritus nunc *dominus* vocatur.

v. 67. *cum corpore*, supr. Sat. I, 2, 43. *Dedit hic pro corpore nummos*, cf. ibid. vers. 45.

v. 68—71. *Evasti?* an forte tibi contigit periculum evadere? — *credo, metues* cett., metues igitur, puto, in posterum, quod effugisti, periculum, et prudentior factus evitabis! — *Quaeres*, *quando* cett. Non ita, immo opportunum tempus, (*quando*) quo iterum contremiscas, et iterum te miserum reddere possis, quaeres! — *quae bellua* — *prava* cett. quae bellua prava, tanta stultitia et mentis caecitate depravata est, ut ruptis catenis de integro se reddat et restituat?

v. 72. *Non sum moechus*, *ais.* Davus alium in singulari alloquitur, per quem designat omnes, qui non virtute, sed poenae vel periculi metu a flagitiis absterrentur. Egregia sane, quam Crispinus docuisse fingitur, sententia!

v. 73. *sapiens*, ex poenae metu.

Tune mihi dominus, rerum imperiis, hominumque,
Tot tantisque minor? quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet?
Adde super dictis, quod non levius valeat: nam,
Sive vicarius est, qui servo paret (uti mos
Vester ait) seu conservus: tibi quid sum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser; atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent;

v. 75—77. *Tune mihi dominus* cett. Sensus: Tune, qui ipse (*minor*) subiectus es tot tantisque rebus atque hominibus, quorum imperio serviliter pares, qui, licet ter quaterque manumissus sis, tamen a misera formidine h. e. servili conditione et sentiendi ratione nunquam libereris, tune, inquam, mihi dominus esse potes? — *Vindicta*, (*Schol. Cruq.*) *virga praetoris*, *qua percutiebantur servi, dum liberi fiebant, manumittebanturque capiti imposita: tribus namque rebus fit manumissio*, *Vindicta*, *Censu*, *Testamento.* — *Privet*, liberet; *privari dolore, exilio, iniuria, molestia* apud Ciceronem; exempla dabit *Forcellinus* in Lex.

v. 78—82. *Adde super*, distinctione post *super* posita explicant: adde insuper, quod iis, quae modo dixi, non levius valeat; nos post *dictis* posuimus distinctionem, ut sit: Superadde iis, quae dixi, — *nam Sive* cett. Sensus: Nam sive is, qui alius servi, cui paret, vices obit, *vicarius*, ut vos domini eum appellare soletis, sive *conservus* (alterius in servitio sodalis) est, quid ego tibi sum? vel, quomodo ego appellandus sum? Scilicet tu, qui dominus mihi imperas, (*miser*) ut miserae conditionis homo servitium praestas aliis, atque te regi pateris, uti fere mobilis ex ligno contexta figura non vi propria, sed alienis nervis sive fidiculis regitur. — *Qui servo paret*, servus paret servo, qui ad eius vices suscipiendas mercede conducitur.

v. 82. Per *lignum mobile* intellige signum vel simulacrum ad imaginem hominis vel animalis cuiusdam e ligno exsculptum et conformatum, cuius membra movebantur nervis sive funiculis. Eiusmodi figuras, *νευρόσπαστα*, (apud nos: *Marionetten*,) lucri faciendi causa circumferebant et conspicienda expediebant homines, qui apud Graecos dicuntur *νευροσπάσται.* Vide ad h. l. *Heindorf.*, qui in hanc rem attulit locum ex Apul. de Mundo p. 70. ed. *Elmenhorst. Illi, qui in ligneolis hominum figuris gestus movent*, *quando filum membri, quod agitari solet, traxerint*, *torquebitur cervix*, *nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium praesto erunt*, *nec invenuste totus* (sc. qui repraesentatur) *videbitur vivere.* vid. imprimis *Ruhnk.* ad Timaei Lex. Plat. p. 140 et 141. sub voce *θαύματα.*

v. 83. *sibi qui imperiosus*, qui in se ipsum imperium exercet, se ipsum temperat et moderatur, se ipsum in manu sua habet.

Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis; en in se ipso totus, teres, atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper Fortuna. Potesne
Ex his ut proprium quid noscere? Quinque talenta
Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum
Perfundit gelida; rursus vocat: eripe turpi
Colla iugo. Liber, liber sum, dic age. Non quis:
Vrget enim dominus mentem non lenis, et acres
Subiectat lasso stimulos, versatque negantem.
Vel quum Pausiaca torpes, insane, tabella,
Quî peccas minus atque ego, quum Fulvî Rutubaeque,
Aut Placideiani contento poplite miror
Proelia, rubrica picta aut carbone; velut si

v. 85. *Responsare cupidinibus — Fortis*, ex noto graecismo: fortis in responsando. *Responsare* non est, ut explicat *Gesnerus:* detrectare imperium; sed *responsare* vel *respondere cupidinibus* dicuntur ii, qui cupidinibus coercendis pares sunt; sic infr. in hac satira v. 103. *virtus — coenis responsat opimis*, opimis coenis contemnendis par est; Epist. I, 1, 68. *Fortunae superbae responsare*; Epist. II, 2, 48. *arma Caesaris Augusti non responsura* (non paria futura) *lacertis.*

v. 86—87. *in se ipso totus*, unico defixus in se ipso explorando, omnia ad internum animi cultum referens; Cicero Paradox. 11. *Nemo potest non beatissimus esse, qui totus aptus est ex sese, qui in se uno ponit omnia.* — *teres atque rotundus* — *Vossius* vertit: *gerundet und kuglicht*; causa, cur is, qui *totus est* in interno animi cultu, aequiparari possit *tereti* et *rotundo* globo vel sphaerae, statim subiicitur, *ne quid externi* (externae sordis vel labis, pravitatis) *valeat per leve* (per teres et rotundum corpus levigatum) *morari*, sedem invenire, residere, adhaerere; Horatium imitatus est Ausonius Idyll. XVI.

v. 88. *In quem manca ruit semper Fortuna*, in qualem semper fortuna *manca* (imbecillis, impotens, irrito conatu) impetum facit.

v. 89. *Potesne Ex his, ut propr. qu. nosc*, potesne ex his, quae dicta sunt de sapientis virtutibus, animadvertere aliquid, quod tibi proprium sit, vel quod in te cadat?

v. 90. *vexat*, contumeliose te tractat; *probris et maledictis vexare aliquem* dixit Cic. p. Flacc. c. 20.

v. 91. *gelida* sc. aqua.

v. 92. *Non quis*, non potes ut servus, qui paret domino, h. e. animo, qui libidine se regi et corripi patitur.

v. 94. *lasso*, languere in amore incipienti, — *versatque negantem*, et repugnantem commovet, incitat.

v. 95—98. *Vel*, ut aliud exemplum de hominum insania afferam; de hoc usu particulae *vel* vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *vel.* — *Quum Pausiaca* cett. Sensus: Quomodo tu, insane, cum in contemplatione

Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri? Nequam, et cessator Davus; at ipse
Subtilis veterum iudex et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante; tibi ingens
Virtus, atque animus coenis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est: cur?
Tergo plector enim; quî tu impunitior illa,

tabellae Pausiacae stupore torpes, minus peccas, quam ego, cum nobilium gladiatorum statum vel gradum, et proelia, rubrica aut carbone picta, miror. — *Pausiaca tabella*, de nobilissimo pictore *Pausia*, Sicyonio, vid. Pausan. Corinth. 27. p. 173. Plin. H. N. XXXV, 11. Interpretes commode cum Horatio comparant Cic. Parad. V, 2. *Echionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. Mitto, unde sustuleris, et quomodo habeas. Intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum video, servum te esse ineptiarum omnium iudico.* — *torpes*, stupidus detineris, ut Cicero in l. c. loquitur. — *Fulvius, Rutuba* et *Placideianus*, gladiatorum tum insignium nomina. — *contento poplite*, exprimitur status vel gradus, quo gladiatores invicem se petunt; dum gladiator altero pede firmiter insistit, alterius pedis poples contenditur. — *Proelia picta*, Plin. XXXV, 7, 33. *Pingi autem gladiatoria munera, atque in publico exponi coepta a C. Terentio Lucano. Is avo suo — triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianae posuit.* — *rubrica* (nos: *Röthel*) *aut carbone;* levi igitur opera et negligenter; cum his tabulis, quae ad indicendos ludos gladiatorios publicari solebant, comparari quodammodo nostra aetate possunt illae, quas e. g. equorum domitores Anglicani ad indicenda artis equestris spectacula una cum sua et equorum effigie satis inepte vel crassa Minerva adumbrata in vicis affixas proponunt.

v. 100—101. *Nequam, et cess.* cett. Si talibus mirandis tempus impendo, vocor ego homo nequam et *cessator* (qui ultra tempus cessat, nec iusto tempore redit,); at tu subtilis et bene peritus (*callidus*) veterum iudex celebraris; in eodem sensu *callidus* supr. Sat. II, 3, 23.

v. 102—103. *Nil ego, si* cett. Si ego libum fumans appeto, nullius pretii homo (nos: *Taugenichts*) dicor; tune pro ingente tua virtute et animo par es contemnendis coenis opimis? tune coenis opimis abstines? De voce *responsare* cf. ad v. 85.

v. 104—108. *Obsequium ventris* cett. Sensus: Quod ego ventri satisfacturus fumanti libo cupide manus iniicio, mihi perniciosius est: cur? quia tergo poenas luo; quomodo tu epulas illas, quae parvo pretio parari non possunt, captas *impunitior?* Sed ne tu quidem impune inde abis! Epulae scilicet sine fine petitae *inamarescunt*, in amaritudinem versae stomachum corrumpunt, (quia, ut Horatius supr. Sat. II, 2, 43. loquitur, *mala copia aegrum stomachum sollicitat*, vel quia, ut ibidem v. 75. *dulcia se in bilem vertunt stomachoque tumultum movent*) *pedesque illusi* (quibus una cum cor-

Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili? qui praedia vendit,
Nil servile, gulae parens, habet? Adde, quod idem
Non horam tecum esse potes; non otia recte
Ponere: teque ipsum vitas fugitivus, et erro,
Iam vino quaerens, iam somno fallere curam:
Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem.
Vnde mihi lapidem? Quorsum est opus? Vnde sagittas?

pore crebrae epulae fraudi sunt) *vitiosum corpus* (supr. Sat. II, 2, 78. *corpus onustum hesternis vitiis*) *ferre recusant*, h. e. officio suo fungi nolunt.

v. 106. *obsonia*, (ὀψώνια,) praecipue de magni pretii piscibus; cf. supr. Sat. II, 2, 41. deinde de quibusvis epulis aliis.

v. 108. *Illusique pedes*, non male *Landinus:* „qui, cum stare se posse credunt, vacillant."

v. 109—111. *An hic peccat* cett. An hic (*puer*) servus, qui sub noctis tenebras (ne deprehendatur) oblata furtiva strigili uvam accipit, peccat? ille vero, qui, (*gulae parens*) ut luxuriose vivat, praedia vendit, non pravae suae cupiditati tanquam servus subiectus est? — *Puer uvam mutat strigili; mutare* vel *permutare aliquid aliqua re* pro: cum aliqua re, saepius; iam de mutandis mercibus (*Tauschhandel*); *mercem merce mutare* est, tam vendere, quam emere; supr. Sat. I, 4, 29. *Hic mutat merces.* — *strigilis*, στλεγγίς, (*Schol. Cruq.*) *instrumentum est aeneum, quo sudorem solent in balneis homines detergere deradereque.* vid. *Boettiger Archaeolog. der Malerei* p. 219.

v. 112. *Tecum esse*, ad te redire, et qualis sis, tecum reputare, tibi vivere. Similiter is, qui non sui compos est, *non apud se* esse, apud Terentium dicitur. Nec in patrio sermone hac loquendi ratione: *nicht bei sich sein*, abstinemus.

v. 113. *teque ipsum vitas*, te ipsum explorare, in te ipsum descendere refugis; supr. Od. II, 16, 20. *Quis exsul Se quoque fugit.* — *Fugitivus, et erro,* — *Fugitivum* et *erronem* ita distinguunt, ut ille sit, qui nunquam rediturus aufugit, hic, qui circumvagatur, tempus in vanis rebus terit, nec iusto tempore redit, ita quidem, ut *fugitivus* sit, qui apud milites *desertor*, *erro* vero *emansor*. — Sed Horatius exprimere tantum voluit hoc: qui te ipsum fugis, et in hac fuga et errore tuo modo huc modo illuc ageris. Hinc admodum arridet lectio, quam ex auctoritate Codd. quorundam in textum recepit *Fea: teque ipsum vitas fugitivus et e r r a s;* nam *vitas fugitivus* dictum est pro simplice *fugis.* — *Cruqius* ex Codd. protulit: *fugitivus, ut erro.*

v. 115. *nam com. atr. prem. seq. fugacem*, supr. Od. III, 1, 40. *Post equitem sedet atra cura.*

v. 116—118. *Vnde mihi lapidem*

Aut insanit homo, aut versus facit. Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

SATIRA VIII.

Vt Nasidieni iuvit te coena beati?
Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic
De medio potare die. Sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. Da, si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca.
In primis Lucanus aper (leni fuit Austro

tanquam iratus non addit verbum: petam, sumam, rapiam. — *Opera*, operarius, opus servile faciens; — *nona*, ergo familia Horatii constiterat adhuc ex octo servis.

SATIRA VIII.

Lautioris coenae apud hominem quendam divitem Nasidienum descriptione ante oculos ponit ingenium eorum, qui medias inter opes sordida avaritia ridiculi fiunt. Agit autem de hac re cum amico Fundanio, iam supr. Sat. I, 10, 42. commemorato, qui superiore die apud Nasidienum coenaverat.

v. 1. *Vt te Nasidieni*, in pluribus editt. ut metro consuleretur, *te* post *Vt* exhibitum est; sed in nomine *Nasidienus i* post *d* ut consonans vel ut *j* pronunciandum est; ut Nasidieni iam non quinque, sed quatuor syllabarum vox sit, ad exemplum ăriete, ăbietĭbŭs, pariete cett., vid. *Bentl.* Quis sordidus iste homo, *Nasidienus Rufus* (ut v. 58. dicitur) fuerit, vel quis alius sub eius nomine lateat, malo equidem cum ignorantibus ignorare, quam vanae divinationi indulgere. — *Vt*, quomodo, *te* sc. Fundani, qui versu 19. demum nominatur. — *beati*, divitis, ut saepissime apud Horatium.

v. 2—3. *Nam mihi quaerenti* cett. nam mihi te heri ad coenam vocanti tu apud Nasidienum de medio die potare dictus es; — *here*, antiquius pro: *heri.* — *de medio die*, a medio statim die, ut de *nocte surgere* pro: statim a media nocte, apud Cic. pro Muren. 33. eiusmodi convivia, quae de die incipiebant, et in multam noctem producebantur, vocantur *tempestiva*, cf. *Ernest.* in Clav. Cic. sub vocibus *de* et *tempestivus.* An post *die* excidit fortasse *es?* Nam finalis litera *e* et initialis *s* facile vocem *es* absorbere poterant. — *Sic*, sc. me iuvit coena Nasidieni.

v. 4. *Da*, narra, notum est illud Virgilii Eclog. I, 19. *Sed tamen iste deus qui sit, d a, Tityre, nobis.* Terent. Heaut. Prol. 10. *paucis dabo.* Lectionem *da* confirmant optimae notae Codd. apud *Feam;* altera lectio *dic* glossam sapit.

v. 5. *placaverit*, accommodate ad *iratum* pro: esurientem, vel (ut supr. Sat. II, 2, 17.) *latrantem;* hinc supr. Sat. I, 5, 8. Horatius, non habens, quod edat, se *ventri bellum indicere* ait.

v. 6. *Lucanus aper*, quia apri in Lucania ob pastum in quercetis sunt admodum opimi, hinc supr. Sat. II, 3, 234. *In nive L u c a n a dormis ocreatus, ut a p r u m Coc-*

Captus, ut aiebat coenae pater); acria circum
Rapula, lactucae, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, halec, faecula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit, quodcunque iaceret inutile, quodque
Posset coenantes offendere; ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes,
Caecuba vina ferens, Alcon Chium maris expers.

nem ego. In eadem laude est *aper Umber* supr. Sat. II, 4, 40. — *leni fuit* cett., en *patrem coenae* (convivatorem, herum, parochum) escarum, quae apponuntur, praestantiam superbo vultu commendantem; ridicula certe est eiusmodi commendatio ex ore hominis avari profecta; — *leni Austro captus*, quia caro aprorum, qui Austro nimis fervente capiuntur, brevi fit rancida putetque, *leni Austro* contra caro fit mollior.

v. 7. *circum*, sc. posita; in mensa aliquid *catillis circumponere*, supr. Sat. II, 4. 75. — *acria*, quae, ut mox sequitur, *lassum* (languentem, cibos fastidire incipientem,) *stomachum pervellunt* (pungunt, vellicant, acuunt).

v. 8. *Rapula* (*Radieschen*), cf. supr. Sat. II, 2, 43. *lactucae* (*Lattich*), supr. Sat. II, 4, 59. *radices*, raphani (*Rettig*).

v. 9. *siser* (*Sium sisarum* Linn. nos: *Zuckerwurzel*), Plin. XX, 5, 17. *Siser — stomachum excitat, fastidium abstergit.* — *halec*, *faecula Coa*, cf. supr. ad Sat. II, 4, 73. — *faecula* est fere, quod Francogallico nomine dicimus *compôte*.

v. 10. *puer alte cinctus*, scilicet ut ipsi servi externo habitu ministerii sui in convivio tam splendido gravitatem vel sedulitatem ostenderent. — *acernam. Schol. Cruq. Et hoc notat Nasidieni sorditiem, quod pro divitiis non habuerit mensam citream aut vermiculatam.*

v. 11. *Gausape purp.* — *gausape, is* et *es*, *gausapa, ae*, et *gausapum, i*, linteum ab altera parte villosum; apud ditiores ex lana molliore et colore splendido; quo in hoc loco servus ad mensam pertergendam utitur. vid. *Boettiger. Sabin.* Tom. II. p. 102.

v. 12. *Sublegit*, versus qui *sublegit*, (*Schol. Cruq.* ἀνελέξατο) *quodcunque iaceret inutile, quodque Posset coenantes offendere*, (intellige ciborum adesorum reliquias, frustula, micas, ossa, cett.) dicebatur *analectes* vel *analecta*.


v. 13 — 15. *ut Attica Virgo cum sacris Cereris*, sacerdos Cereris. (*Schol. Cruq.*) *Illas vult, quas Tullius in Verrinis* (IV, 3.) *canephoras ait* (vocat), *quae sacra Cereris sublatis supra caput manibus in sportulis* (canistris) *portare solebant. Ridet nimiam pompam in tenui apparatu*; de *canephoris* vid. *Spanhem.* ad Callim. H. in Cerer. 127. — *fuscus*, fusci ex India coloris. — *Chium maris expers*, cui nihil aquae marinae admixtum est. *Schol. Acr. id est sine aqua marina. In Graecia enim solet vino aqua marina admisceri, ut non facile corrumpatur.* Fortasse vinum Chium aquae marinae expers, h. e. purum et integrum, in maiore laude fuit.

Hic herus: Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat: habemus utrumque.
(Divitias miseras!) Sed quis coenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
Summus ego et prope me Viscus Thurinus et infra,
Si memini, Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,

v. 18. (*Divitias miseras!*) hae voces, quas parentheseos signo inclusi, per appositionem referendae videntur ad *utrumque*. Poeta, qui Fundanii orationem excipit, vini Albani et Falerni possessionem *miseras divitias* appellat, quia Nasidienus iactat quidem, se habere vina generosiora, sed ut ea apponat, non impetrare potest ab avaritia. Hinc ille v. 35. expallescit, cum convivae maiores calices poscunt. — *una*, sc. tecum.

v. 19. *nosse laboro*, scire vehementer cupio.

v. 20 — 23. Iam Fundanius describit ordinem, quo quisque mensae accubuerit. Tres lecti, ut satis constat, ad mensam collocabantur, unde locus, ubi coenabatur, nomen accepit *triclinium*; in unoquoque lecto tres, ad summum quatuor discumbebant; unus lectus *summus*, secundus *medius*, tertius *imus* vocabatur; unum mensae latus cibis per servos subministrandis vacuum relinquebatur. Totus hic locus Horatii facilius, puto, perspicietur, si hanc fere mensae et in lectis accumbentium ordinis ob oculos tibi posueris figuram:



In *medio lecto primum* et caeteris omnibus in tota mensa honoratiorem locum occupabat *Maecenas*, *secundum* et *tertium* adducti a Maecenate Vmbrae *Servilius Balatro* et *Vibidius*, scurrae, ut se gerunt in convivio; in *summo lecto* (*Summus ego*, h. e. primus in summo lecto) *primum* locum *Fundanius*, *secundum Viscus Thurinus*, *tertium Varius*; in *imo lecto primum* locum (nam medius locus in unoquoque lecto erat primus)

Ridiculus totas simul obsorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito: nam caetera turba,
Nos, inquam, coenamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum,
Vt vel continuo patuit, cum passeris assi et
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.
Post hoc me docuit, melimela rubere minorem
Ad lunam delecta. Quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti;

coenae pater *Nasidienus* (super *ipsum*, *αὐτόν*, dominum), secundum *Nomentanus*, tertium *Porcius*, Nasidieni parasiti.

v. 24 *Ridiculus totas*, qui ridiculus fuit eo, quod totas placentas uno haustu deglutiebat.

v. 25 — 30. *Nomentanus ad hoc* cett. Hunc locum paulo obscuriorem ita interpretor: Nomentanus ad id negotii aderat, (*qui*) ut, si quid forte lateret convivas, vel si quid ciborum convivae non animadverterent, indice digito monstraret; nam caetera turba, nos, inquam, coenamus aves, conchylia, pisces, succum, ut docebat Nomentanus, noto longe dissimilem celantia; ut vel continuo patuit cett. — Sed fortasse tam oratio, quam sententia aptius cohaeret, si verba: *nam caetera turba*, *nos*, *inquam*, *coenamus*, parentheseos signo distinxeris, ut sensus sit: Nomentanus agebat id, ut, si quid epularum convivae non observarent, (nos caeteri enim omnes, dum Nomentanus nomenclatoris partes sustinet, coenamus) indice digito monstraret exempli causa aves, conchylia, pisces, tanquam continentia succum longe a vulgari succo differentem, ut vel continuo apparuit, cum passeris atque rhombi ilia nondum mihi gustata porrexerat; — *indice digito*, (*Schol. Porph.*) *hoc ideo, quia certis nominibus digiti nominantur. Et sunt haec nomina, pollex, index, famosus* (*medius*), *medicus* (*medicinalis*, Macrob. Sat. VII, 13. vel *annularis* apud Gell. X, 10.), *minimus.*

v. 29. *passeris*, piscis parum a rhombo discrepantis, (nos: *Stachelflunder*).

v. 31. *melimela* (*μελίμηλα*), propter saporis dulcedinem, nos: *Honigäpfel.* — *minorem Ad lunam*, ad decrescentem lunam.

v. 32. *quid hoc intersit*, utrum melimela decrescente, an crescente luna sint lecta.

v. 34. *damnose*, facete pro: fortiter, immodice, *in damnum* scilicet et ultionem Nasidieni, stolida vanitate, sordida avaritia et ridicula iactantia convivas occidentis. — *moriemur inulti*, quod Aeneas apud Virg. Aen. II, 670. fortissimi animi sensu dicit, *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*; lepide Horatius ad rem iocosam transfert.

Et calices poscit maiores. Vertere pallor
Tum parochi faciem, nil sic metuentis, ut acres
Potores, vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus; imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur squillas inter muraena natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus: Haec gravida, inquit,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His mistum ius est: oleo, quod prima Venafri
Pressit cella; garo de succis piscis Iberi;

v. 35. *maiores*, capaciores.

v. 36. *parochi*, nos quoque tam eum, qui pro mercede cibos *suppeditat*, quam convivatorem vocamus *Wirth.* cf. supr. Sat. I, 5, 46. — *acres potores*, acri cupiditate potantes, largius vino se ingurgitantes; hinc supr. Sat. II, 6, 69. *acria pocula.*

v. 38. *subtile exsurdant palatum*, subtilioris palati sensum obtusum et hebetem reddunt; vanus enim iste homo Nasidienus de appositis epulis exquisitioribus, subtili palato diiudicandis, laudari cupiebat.

v. 39. *Invert. Allif.* cett. Vibidius et Balatro totos vini cados invertunt ad implendos calices capaciores Allifanos, pro vulgari: totos vini cados exsiccant. — *Allifanis*, (*Schol. Cruq.*) *calicibus et poculis maioribus. Est autem Allifanum dictum ab Allife, oppido Samnii, ubi maiores calices fiebant.* — pro: *invertere* (inclinare lagenam ad infundendum) supr. Od. III, 29, 2. dixit *vertere* — *non ante verso cado.*

v. 41. *imi Convivae lecti*, Nomentanus et Porcius, *nihilum nocuere lagenis*, scilicet, ut abstinentia sua placerent avaro coenae patri, pepercerunt lagenis; *vino non nocere*, ut nos in vernacula: *dem Wein keinen Schaden thun.*

v. 42. *muraena*, nos: *Meeraal.* — *squillas* (*Seekrebse, See-Garnele*), cf. supr. Sat. II, 4, 58. — *natantes*, in liquamine muraenae addito.

v. 43. *porrecta*, ad designandam eius longitudinem. — *sub hoc*, iam allata muraena.

v. 44. *deterior carne*, quae, quod attinet ad eius carnem, pro: cuius caro, si illa, antequam caperetur, peperisset, futura fuisset deterior, pro vulgari: cuius caro ante partum melius sapit.

v. 45 — 50. *His mist. ius est:* pergit loqui herus: liquamen muraenae commixtum est rebus his: primum oleo praestantiore Venafrano, *quod prima Venafri Pressit cella*, quod primum, h. e. praestantius Venafri expressum est, in *cella*, h. e. in loco, ubi oleum exprimitur, vel, quod Venafri expressum est in *cella prima*, in loco, ubi optimum oleum exprimitur, supr. Sat. II, 4, 69. de vulgari oleo Venafrano: *Pressa Venafranae quod bacca remisit olivae.*

v. 46. deinde *ius mistum* est *garo de succis piscis Iberi*, scombri (*Makrele, Scomber-scomber Linn.*) prope

Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur; (cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud) pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere, illotos Curtillus echinos,
Vt melius muria, quam testa marina remittit.
Interea suspensa graves aulaea ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus, posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum

Hispaniam capti; de *garo*, liquoris exquisiti genere, quod ex piscium intestinis sale maceratis miscebatur, Plinius H. N. XXXI, 43. *garum olim conficiebatur ex pisce, quem Graeci garon vocabant. — Nunc e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariae* (Hispanicae) *cetariis.*

v. 47. *citra mare nato*, Italo, cf. supr. ad Sat. I, 10, 31.

v. 49. *pipere albo* repete ex v. 45. *ius mistum est.*

v. 50. *Quod Methymn. vitio mutaverit,* (vitiaverit, corruperit) *uvam*, quod ex vino Methymnaeo mutatum sit in acetum; sic *vinum mutatum* supr. Sat. II, 2, 58. *Methymna* oppidum in insula Lesbo, melioris notae vino nobili; per *uvam Methymnaeam* igitur intellige vinum Lesbium.

v. 51. *Erucas*, apud nos: *Kresse* — *inulas*, nos: *Alant;* cf. supr. ad Sat. II, 2, 44. — *ego primus monstravi*, Nasidienus se iactat rei culinariae magistrum, et rationis, qua nonnulli cibi componendi, permiscendi et coquendi sint, inventorem, uti doctor ille artis coquinariae supra Sat. II, 4, 74. *ego faecem **primus** et allec, **Primus** et invenior piper album* cett.

v. 52. *illotos*, non ablutos, non salsugine sua purgatos; *echinos*, vid. ad Sat. II, 4, 38. — *Curtillus*, heluo.

v. 53. *Vt melius*, ut id, quod fit melius muria (*Lake*), cf. supr. Sat. II, 4, 65. — *testa marina*, intellige pisces testaceos, ostreas cett.

v. 54. *suspensa aulaea*, cf. supr. ad Od. III, 29, 15. *Vossius* pulchre vertit: *der wölbende Baldachin.*

v. 55. *pulveris atri*, supple: tantum; ut Sat. II, 3, 87. *Frumenti quantum metit Africa.*

v. 57. *maius*, maiorem ruinam.

v. 58. *erigimur*, animum recipimus. — *posito*, demisso, inclinato, ex more lugentium, nos: *mit niedergesenktem Haupte.*

v. 59. *immaturus*, praematura morte. — *quis esset* pro: fuisset, et *tolleret* pro: sustulisset, ut supra Sat. I, 3, 5—7. *Caesar, qui cogere posset* (potuisset), *Si peteret* (petiisset) *per amicitiam patris atque suam, non Quidquam proficeret* (profecturus fuisset).

v. 60. *sapiens Nomentanus*, sa-

Tolleret: Heu, Fortuna quis est crudelior in nos
Te deus? Vt semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso:
Haec est conditio vivendi, aiebat; eoque
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum? ne panis adustus,
Ne male conditum ius apponatur? ut omnes
Praecincti recte pueri comtique ministrent?
Adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
Vt modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae.
Nasidienus ad haec: Tibi dî, quaecunque preceris,
Commoda dent: ita vir bonus es convivaque comis:
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres

pientia Nomentani iam posita fuit in calliditate et simulatione, qua de subita aulaeorum ruina, quasi ad se ipsum, ut herum, pertinente, Fortunae crudelitatem incusat.

v. 61. *tolleret*, erigeret.

v. 63. *mappa* (*Serviette*).

v. 64. *suspendens omnia naso*, omnia ridicula reddere studens; cf. supr. ad Sat. I, 6, 5.

v. 65. *Haec est conditio vivendi*, haec sunt mala, quibus hominum vita est exposita! hae sunt miseriae, quae premunt homines! — *eoque*, ideoque.

v. 66. *tuo — labori*, tuis, Nasidiene, studiis, curis et molestiis, quibus de aliis, uti iam de nobis, quos splendido convivio accepisti, bene meres.

v. 68. *Tene — torquerier*, num aequum est cett., cf. de hac constructione supr. ad Sat. I, 9, 72.

v. 70. *Praecincti*, supr. v. 10. *puer alte cinctus.* vid. *Boettigeri Sabin.* Tom. II, p. 25.

v. 71—72. *Adde hos praet. casus*, adde porro (*hos*) eiusmodi casus, qui te sollicitudine torqueant, si, ut modo factum est, aulaea ruant; — *agaso* qui iumenta curat et agit, nos: *Stallknecht*, et quoniam agasones aliis rebus cum dexteritate quadam agendis minus apti esse solent, *agaso*, convicii quodam genere de homine plumbeo vel stupido (nos: *Tölpel*) iam positus videtur.

v. 74. *nudare*, detegere, aperire; sane res adversa, h. e. fracta per aulaea delapsa patina aperuit Nasidieni convivatoris animum, dum ob hunc casum in tristissimas effundebatur lacrimas.

v. 77. *Et soleas poscit*, et surgit de mensa, eo, ut videtur, consilio, ut tam aulaea in locum suum restituenda, quam caeteras epulas a servis ex ordine adferendas curaret;

Stridere secreta divisos aure susurros.
Nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
Redde, age, quae deinceps risisti. Vibidius dum
Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula; dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo:
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam; deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo non sine farre;
Pinguibus et ficis pastum iecur anseris albae;
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit; tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes;

hinc paulo post redeuntem ad coenam herum servi secuti esse dicuntur. — *Soleas*, calceamenti genus, quo plantae tantum pedum tegebantur, tam feminae, quam viri, praecipue domi et in conviviis gestare, mensae autem accubituri, ne strata lecti commacularent, deponere, et eas servis custodiendas tradere solebant; vid. Martial. LXII, 98. Hinc *soleas poscere* pro: a coena surgere dictum est. — *videres*, videre licebat, cf. supr. ad Sat. I, 8, 50.

v. 78. *Stridere secreta divisos aure susurros*, versus ornatissimus pro: alterum in alterius aurem secreto aliquid insusurrare. — *auris* eleganter dicitur *secreta*, in qua res quaedam secreta vel clandestina deponitur; — *susurri* autem dicuntur *divisi*, qui modo huic, modo alii auri, sive diversis auribus committuntur; similitudinem quandam habet locutio supr. Od. I, 36, 6 *oscula dividere*, modo huic, modo alii osculum dare, et *aures dividere* apud Catull. LXII, 15. *Nos alio mentes, alio divisimus aures.*

v. 83. *Ridetur fictus rerum.* pro: rebus fictis; dum convivae de avaro et inepto convivatore risus tollunt, alias causas, ex quibus rideant, fingunt. *Balatrone secundo*, adspirante, adiuvante.

v. 85. *arte Emendaturus fortunam*, sic apud Terentium, a *Gesnero* laudatum, Adelph. IV, 7, 23. *arte corrigere, quod cecidit forte*, sc. male.

v. 86. *Mazonomo*, lance grandiore, in qua non tantum *μάζα*, sed etiam aliae escae tostae elixaeve, ut in hoc loco, afferebantur; — apud Francogallos: *Terrine.*

v. 87. *non sine farre*, per *far* equidem non farinam, sed minutas panis ex farre cocti particulas (nos: *geriebenes Brod oder Semmel*) intellexerim.

v. 88. *ficis pastum*, *ἧπαρ συκωτόν*, cum iam olim anseris iecur ad lautissimas epulas referretur, olim quoque anseres, ut nunc, varii generis cibis, quibus eorum iecora tam grandiora, quam pinguiora redderentur, pasci solebant. vid. *Niclas.* ad Geopon. XIV, 22. p. 1023.

v. 89. *leporum — armos*, cf. supr. ad Sat. II, 4, 44.

Suaves res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus, quem nos sic fugimus ulti,
Vt nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset peior serpentibus Afris.

v. 92. *si non causas* cett., nihil enim eiusmodi vano et avaro convivatore, ciborum originem, pretium et naturam identidem explicante, molestius atque intolerabilius.

v. 94. 95. *illis*, appositis cibis. *Canidia*, satis nota ex Sat. I, 8. et Epod. V. et XVII. — *afflasset*, sc. venenum; — *peior*, venenatior.

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLARVM
LIBER PRIMVS.

EPISTOLA I.
AD MAECENATEM.

Prima dicte mihi, summa dicende Camoena,
Spectatum satis, et donatum iam rude, quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo?

EPISTOLA I.

Ad Maecenatem.

Horatius a lusibus, quibus adhuc indulserat, ad seria transit, dum ad verae sapientiae praecepta se vitam in posterum dirigere velle profitetur. (*Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum.* v. 11.)

v. 1—3. *Prima dicte mihi* cett. Sensus: Tu, Maecenas, quem ego in primo cuiusque generis (odarum, epodôn et satirarum) carmine ante omnes alios ut patronum meum celebravi, et qui mihi in extremo, quod scripturus sum, carmine celebrandus es, (sive: Tu, Maecenas, cui, quae scripsi, dedicavi carmina, et, quae porro scripturus sum, dedicabo) ad ludum, in quo iam satis vires meas periclitatus sum, h. e. ad carmina, quibus iam satis me exercui, de integro scribenda me impellis. — *Camoena*, ut saepius Musa, pro carmine; *prima*, non primum tantum carmen Odarum, sed etiam Epodôn et Satirarum respexisse videtur; in his tribus enim carminibus poeta pariter Maecenatem, ut summum suum patronum, appellavit. — *summa*, extrema, ut *summum carmen* supr. Od. III, 28, 13. — *spectatum satis*, Horatius se comparat cum gladiatore, qui, postquam in ludo gladiatorio iam satis spectante et favente populo artem suam probaverat, *rude*, sive baculo, libertatis signo, donatus, non amplius pugnae periculum subire tenebatur. Horatius igitur, non *rude* quidem, sed *lauro* donatus, se ut militem in castris Musarum emeritum vel exauctoratum declarat. — *spectatum*, gladiator *spectatur*, cum in conspectu populi pugnat; poeta

Non eadem est aetas, non mens. Veianius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Est mihi, purgatam crebro qui personet aurem:
Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.
Nunc itaque et versus et caetera ludicra pono:

spectatur, cum ars et ingenium in eius carminibus cognoscitur. — *quaeris iterum antiquo me includere ludo*, locutione gladiatori, cui Horatius se aequiparat, accommodata pro: cupis me repellere ad poeseos, cui olim operam dedi, exercitium, revocas me ad scribenda carmina; gladiatores pugnabant in ludo, muro vel cancellis incluso. Post *ludo* posui cum *Fea* signum interrogationis; sic certe oratio fit vividior, habetque aliquid speciosae exprobrationis.

v. 4—6. *mens*, sentiendi ratio; aliter enim in iuvenili, aliter in virili, aliter in senili aetate sentimus. — Caeterum hic locus, Horatium tum, cum hanc epistolam primam scriberet, iam aetate provectum fuisse, aperte docet, licet annus, quo illa scripta sit, certo constitui nequeat. — *Veianius, armis* cett. Iam nominatim inducit gladiatorem Veianium, qui, postquam arte gladiatoria se nobilitaverat, ut per reliquam vitam securus esset ab omni rei gladiatoriae periculo, agro abditus latuerit. Ille igitur arma sua in foribus templi Herculis, in cuius praesidio erant gladiatores, fixisse dicitur, uti milites post peractam militiam arma sua, tanquam ἀναθήματα, Marti consecrare solebant. Iam vero, cum Veianio, relicto ludo, rusticari licuerit, eum iam rude donatum, sive gladiatorem rudiarium fuisse, sponte apparet. Sed libertate quoque donati pro animi arbitrio porro intererant pugnis gladiatoriis. Hi igitur non tantum victi vitae veniam, sed etiam, dum in arenam descendebant, favorem populi sibi expetiisse videntur. Hinc *Ne populum* cett. *extrema arena*, extrema parte vel ora loci, ubi gladiatores pugnabant; *arena* pro loco arena tecto vel consperso.

v. 7—9. *Est mihi* cett. Nexus et sensus: Vt ego faciam, quod fecit Veianius, non deest mihi monitor, scilicet animus meus, aurem meam crebro his implens vocibus: Tibi senescenti exemplo sit senescens equus, qui, nisi mature eum curru et laboribus solveris, turpiter se dabit, et spiritus trahendi difficultate laborabit. — *est mihi, qui*, ἔστιν ὅς. — *purgatam*, sc. sorde, et proinde melius et clarius audientem, elegantius pro: meam. — *aurem personare* iam est: aurem sonis, vocibus clarisonis, implere; sic apud Virgil. Aen. VI, 417. Cerberus *regna latratu personare* dicitur. — *senescentem*, *Lambinus* comparat Enn. Fragm. apud Cic. de Senect. c. 5. *Sicut fortis equus, spatio qui forte supremo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.* — *sanus*, prudentior. — *ilia ducat*, anhelet et lumbos trahat macie et senio confectus.

v. 10. *Nunc itaque*, nunc igitur, dum monitori, animo meo, pareo. — *vers. et caet. lud. p.*, scribendis versibus et caeteris lusibus, quibus iuve-

Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum:
Condo et compono, quae mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles:
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor,
Et mihi res, non me rebus subiungere conor.

niliter indulsi, abstineo; *versus* ad carmina lyrica et *ludicra* ad satiras equidem cum interpretibus referre nolim.

v. 11. *omnis*, totus, toto animo (πᾶς καὶ ὅλος).

v. 12. *Condo et compono*, recondo animo praecepta philosophiae, et recondita (*compono*) in ordinem redigo.

v. 13. *quo me duce, quo lare tuter*, quem ducem in philosophia sequar, cuius sectae auctoritate me tuear; — *lar* iam est secta, ut *familia*; Cic. de Divin. II, 1. *familia Peripateticorum*, et *domus*; supr. Od. I, 29, 14. *domus Socratica.*

v. 14. *Null. add. iur. in verb. mag.*, scito, me ita addictum (deditum) esse philosophiae, ut in nullius magistri verba iurem, h. e. nullius philosophi auctoritate me decipi et in errorem induci patiar, sed ea tantum, quae mihi vera esse videntur, amplectar: — *addictus* — *iurare*, graeca (qua saepius Horatius praecipue in carminibus Lyricis usus est) constructio, pro: addictus, ut iurem.

v. 15. *Quo me cunque rap. t.* cett. eleganter Horatius imagine a navigatione translata exprimit hoc: ad quemcunque philosophum me rapit impetus, apud eum sum hospes, et hospes maneo, non eius scholae vel sectae me addico, sed ea tantum, quae mihi probantur, deligo. Voluit igitur Horatius philosophum agere, quem dicunt eclecticum.

v. 16—19. *Nunc agilis fio*, sensus: Nunc, Stoicae disciplinae praecepta sequens, gnavam operam do (*agilis fio*) rebus gerendis civilibus, et earum mole obruor, dum veram virtutem severa cura custodire et defendere studeo; nunc furtim ad Aristippi, voluptate summum bonum metientis, disciplinam retro feror, et res mihi, non me rebus subiicio, h. e. et facio, quod lubet, non quod facere iubeor. — *Nunc agilis fio*, diligens scilicet rerum gerendarum et virium exercendarum studium iubebat Stoicorum sapientia; *Lambinus* comparat locum Ciceronis, qui de Fin. III, 20. Catonem Stoicum ita loquentem inducit: *Cum autem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam.* — *et mersor civilibus undis*, et obruor rerum civilium undis; paulo sublimius *curae*, quibus pectus quasi undat et aestuat, vocantur *undae*; Catull. LXIV, 62. *et magnis curarum fluctuat undis.* In sequente Epistola V, 22. *adversis rerum immersabilis undis.* Virgil. Aen. IX, 19. *magno curarum fluctuat aestu*; et sic *Aesonides* apud Val. Flacc. V,

Vt nox longa, quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis:
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,

303. *undans curis* dicitur. Oppian. Hal. 505. νόος δέ οἱ ἠΰτε κῦμα ελλεῖται. vid. *Drakenb.* ad Sil. Ital. IX, 527. Qui lectionem *versor* nostrae lectioni *mersor* praeferunt, elegantiam huius loci parum perspectam habent. Nec vocem *versor* fert latinitas; notissima enim locutio *versari in aliqua re* nomini *undis* (quod postulat omnino *mersor*) accommodari nequit. Cf. Catull. LXVIII, 13. *Accipe, queis merser fortunae fluctibus ipse.* — *Aristippi* — Aristippus, Cyrenaeus, Cyrenaicae disciplinae auctor, summum bonum in voluptate ponendum esse statuebat.

v. 20—26. Cum Horatius, qui, celeres progressus in virtutis exercitio facere cupiebat, rem parum procedere et nimis longum tempus in ea consumendum esse intelligeret, iam comparat se cum iis, quibus prae cupiditate aliquid adipiscendi vel perficiendi interiectum tempus longissimum videtur. — *diesque longa*, pro: *longa Bentleius* auctore *Barthio* in Advers. XXXVII, 19. ideo in textum recepit *lenta*, ut variatis epithetis maior conciliaretur elegantia: *longa nox, lenta dies, piger annus.* — *opus debentibus*, iis, qui pensum sive opus diurnum vel pro mercede vel ex officio perficere debent. — *custodia matrum*, cum pupilli non essent sub tutela matrum, per custodiam intellige severam curam, qua bonae matres filios a luxuriosa vita cohibitos ad parsimoniam adigere studebant; eiusmodi autem *matrum custodia dura* erat filiis luxuriose et licentius vivere cupientibus.

v. 24. *morantur*, impediunt, extrahunt.

v. 27—31. *Restat ut* cett. Sensus: Rebus sic se habentibus, haec quasi philosophiae initia et vitae praecepta me regant et animum meum confirment: „Noli aliquid assequi, quod pro facultatibus a natura tibi datis assequi non potes, sed ea, quae habes, diligenter cura et tuere.“ Hanc sententiam duobus exemplis illustravit: „Quis est tam demens, ut, quia oculorum acie non penetrare potest eo, quo penetrasse dicitur Lynceus, oculorum, quibus gaudet, curam negligat, vel, quia ei non contigit Glyconis corpus robustissimum, ab eo, quo instructus est, corpore morbos avertere non studeat?“

v. 28. *oculo contendere*, — *contendere* (συντείνειν) *aliquid* est: contentis vel intentis viribus aliquid assequi et perficere studere; *iter contendere* apud Cic. pro Rosc. Am. 34. intentis viribus iter facere; *labore aliquid contendere* apud Cic. Offic. III, 2. *Quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere* (assequi) — *tantum fac, ut*

Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus?
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.

efficias; itaque *oculo contendere — quantum* erit: intentis oculis assequi tantum, quantum Lynceus assecutus esse dicitur; vox *tantum* ante *quantum* non raro omittitur.

v. 29. *Non tamen idcirco*, non tamen ideo, quia Lynceus te visu longe vincit, oculorum tuorum, minus acutorum, curam abiicies. De *Lynceo*, acutissima oculorum acie celebratissimo, vid. supr. ad Sat. I, 2, 90. — *inungi*, sc. collyriis. — per *lippum* non intelligo proprie ita ab oculorum morbo dictum, sed minus tantum acute cernentem; *lippus* enim iam opponitur *Lynceo*. — Scilicet Horatius, ut iam supr. ad Sat. I, 1, 120. et Sat. I, 5, 30. suspicati sumus, ex nulla alia causa tam saepe *lipporum* mentionem fecisse videtur, quam ut adversarios, lippitudinis vitium ipsi exprobrantes, de hoc absurdo convicii genere rideret.

v. 30. *inv. Glyc.*, videtur *Glyco* fuisse nobilis athleta, ob corporis robur et vastitatem invictus.

v. 31. *Nodosa*, tuberosa, sic apud Ovid. Ex Pont. I, 3, 23. *podagra* dicitur *nodosa*.

v. 32. *Est quad. prodire* cett., licet (*Est*, ἔστι pro: ἔξεστι) ad certum usque finem progredi, si ulterius progredi non licet; — lectionem *quadam tenus* pro vulgari lectione *quodam* vel *quoddam* — *tenus* recte defendit *Bentleius; tenus* enim, ubi pronominibus iungitur, ablativum in genere feminino exigit, ut in *hactenus, eatenus, quotenus, aliquatenus;* — de *quadamtenus* affert *Bentl.* exemplum Plin. XIII, 7, 15. *Huic similis quadamtenus, quae vocatur Cypria ficus.*

v. 34. *verba et voces*, philosophiae praecepta, quibus homines avaritiam ex animo pellere iubentur, iam vocantur *verba et voces*, respectu, ut observant Interpretes, habito *carminum* et *cantationum*, quibus morbi ex corporibus abigi atque emoveri posse putabantur; vid. *Lambinum*, qui comparavit quoque cum Horatio Euripidem Hippol. 491. *Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ, καὶ λόγοι θελκτήριοι· Φανήσεταί τε τῆςδε φάρμακον νόσου.*

v. 35. *morbi*, avaritiae; *morbus*, ut *νόσος*, de vitiis hominum; cf. supr. Sat. II, 3, 27. et 254.

v. 36 — 37. *tumes?* pro vulgari: plenus es? agitaris? et sic *tumor* de quavis graviore affectione et cupiditate, qua totus animus *intumescit;* vid. *Bentl.* infr. ad Epist. ad Pis. v. 197. — *sunt certa piacula, quae te* cett., sunt certa remedia, quibus laudis cupiditatem, qua pectus tuum turget, compescere et comprimere potes, saepius scilicet et puro animo legendo libellos philosophorum,

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator?
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Virtus est vitium fugere, et sapientia prima
Stultitia caruisse. Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore:
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:
Ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis?
Quis, circum pagos et circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,

quorum praeceptis aeque ac piaculis purgari atque expiari potes.

v. 38. *amator*, qui mulieres sectatur, homo libidinosus.

v. 40. *culturae*, praeceptis, quibus animus excolatur.

v. 43. *exiguum censum*, exiguum rei familiaris modum. *census brevis* supr. Od. II, 15, 13. *census longus*, infr. Epist. I, 7, 56.

v. 44. *capitis*, vitae; hinc apud Liv. II, 12. *capite dimicare* pro: de vita dimicare; *labore*, discrimine, periculo; et sic apud Livium passim *labores* et *pericula* iungi solent; Lib. IV, 35. *pericula ac labores exhaurire;* Lib. XXIX, 27. *terra marique laboribus periculisque interesse.*

v. 46. *per ignes*, per summa quaeque vitae pericula; ex proverbiali locutione, qua iam apud Graecos is, qui summum quodque periculum subire audet, *διὰ πυρὸς βαίνειν* dicitur; cf. supr. ad Od. IV, 14, 24. et ad Sat. I, 1, 38.

v. 47. *Ne cures ea* cett., ut contemnas ea, quae stulte magni facis, et possidere cupis, id tu non vis, vel philosophorum libros legendo, vel philosophos docentes audiendo discere et (*meliori*) prudentiori fidem habere? — *melior*, doctior, prudentior; in Epist. seq. v. 68. *Nunc adbibe puro Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.*

v. 49 — 51. *Quis circum pagos* cett. Quis est, qui non malit coronari in ludis Olympicis, praecipue, si palmam in illis ludis (*sine pulvere*) sine pugna consequi possit, quam athletae circumforanei more circum pagos et compita pugnare? Expressit autem Horatius hac adumbrata imagine sententiam hanc: Quis est, qui humilia, qualia sunt divitiarum et honorum studia, quam virtutem, quae sine vitae discrimine, sine curis et laboribus exerceri potest, curare malit?

v. 50. *Magna coronari Olympia*, graeca constructione (*στεφανοῦσθαι Ὀλύμπια*) pro: coronari in *magnis* (celebratissimis) *Olympiis;* in hunc loquendi modum ab Hephaestione profertur Simonidis versus hic: *Ἴσθμια, δὶς Νέμεα, δὶς Ὀλύμπια ἐστεφανώθην.* Sic *vincere Olympia* pro: vincere in Olympiis, dixit Ennius apud Cic. de Senect. 5. *Sicut fortis equus, spatio qui saepe supre-*

Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
O cives, cives! quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos! haec Ianus summus ab imo
Prodocet: haec recinunt iuvenes dictata senesque,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.

mo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit. vid. *Hemsterh.* ad Lucian. Tom. I. p. 338.

v. 51. *Cui sit conditio palmae*, cui sit propositum dulce palmae praemium, *sine pulvere*, (Plin. H. N. XXXV, 11, 40. *citra pulveris iactum, quod vocant ἀκονιτί.* Gell. V, 6. *sine pulvere, ut dici solet, incruentaque victoria*) h. e. sine pugna; a pugnantibus enim colligebatur excitatus pulvis; hinc supr. Od. I, 1, 3. *pulverem Olympicum colligere.* Fieri autem poterat, ut aliquis in ludis Olympicis victor coronaretur sine pulvere, sine pugna, si nemo adesset, qui cum eo certamen inire auderet. Hoc transfer ad expressam sententiam: virtutem exercenti non, ut divitiarum congerendarum cupido, pugnandum esse cum laboribus et periculis.

v. 52. *Vilius argentum* cett. si viliori praeferendum est melius, auro et divitiis praeferri debet virtus.

v. 53—56. *O cives, cives!* cett. At nostra aetate morum magistri clamant et praecipiunt: o cives, cives, ante omnia quaerenda est pecunia, et post quaesitam pecuniam demum virtus; haec (*dictata*) praecepta in Iano summo et imo, ubi foeneratores sedent, publice docentur; eadem iuvenes senesque repetunt, dum, sicut pueri in scholam euntes, tabulam et loculos secum portant. — De *Iano summo et imo* vid. supr. ad Sat. II, 3, 19. — in lectione *Prodocet* variant vett. librr. alii *perdocet*, alii *praedocet*. Sed recte *Lambin. Cruq. Bentl. Bart. Gesn.* et *Fea* defendunt *Prodocet* (ἐκδιδάσκει) h. e. publice, palam docet, nam particula *pro* in compositis notat fere: palam, foris, publice, aperte, ut *producere, proferre, prodire* cett.

v. 56. *Laev. suspensi — lacerto*, hunc versum elegantissimum, quo supra Sat. I, 6, 74. pueros cum tabula et loculis in scholam, ubi numeros subducere discant, euntes descripsit, Homeri et aliorum poetarum exemplo Horatius opportune nunc repetit. Non video igitur, quomodo hic versus a *Cunninghamo* et ab iis, qui eum secuti sunt, pro panno assuto haberi potuerit. Vt meliore nexu hic versus cum praecedente cohaereret, *Marklandus* (in *Explicatt. aliquot vett. auct. locorum ad Euripid. Supplices* p. 255.) post *senesque* copulam *et* adiiciendam esse suspicatus est, suffragantibus *Wakefieldio, Eichstadio*, et aliis. Sed quis pueros, a divitiarum coacervandarum cupiditate adhuc alienos, foeneratorum illam in Iano cantilenam: *quaerenda pecunia primum est, virtus post nummos*, una cum iuvenibus et senibus repetiisse sibi persuadeat? Imo Horatius iuvenes et senes, in subducendis numeris et rationibus plane defixos, lepide per appositionem v. 56. designat ut pueros, qui in scholam se conferunt, loculos cum tabula et calculis gestantes.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, et lingua fidesque,
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si recte facies. Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia (dic sodes) melior lex, an puerorum est
Naenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis et decantata Camillis?

v. 57—59. *Si quadring.* cett., sensus: si quadringentis millibus HS. (quam summam possidere debebat in ordinem Equestrem recipiendus) sex vel septem millia desunt, quamvis es vir bonus, honestus, disertus et probus, tamen ad ordinem plebeium relatus, non frui potes honore, quo equites fruuntur. Sic profecto non opus est, ut v. 55. 57. 58. mutato ordine cum *Bentleio* et aliis legantur sic: *Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque, Sed quadringentis sex septem millia desunt.* — De pretio *sestertiûm*, et de ratione, qua eorum summa designatur, vide, quae observavimus ad Ciceronis *Auserlesene Reden* p. 17. et 18. — *At pueri ludentes*, pueri contra, cum ludunt, non ditiori, sed ei, *qui recte facit*, qui alios arte superat, summos in ludo honores deferunt, *regem* eum appellantes. Cf. Pollux IX, 7.: ὁ μὲν ἡττώμενος ὄνος ἐκαλεῖτο — ὁ δὲ νικῶν βασιλεύς. Quod ludorum puerilium genus poeta respexerit, vix certo constitui potest. Apud nos quoque in pluribus puerorum ludis et in aliis certaminibus (praecipue in iis, ubi alter alterum iaculando vel globulos ad certam metam mittendo vincere studet) viget hic mos, ut is, qui caeteris palmam praeripit, *regis* titulo insigniatur.

v. 60—61. *Hic murus* cett., dum poeta de pretio, non divitiis, sed recte factis statuendo loquitur, inserit gravissimam sententiam hanc: „Nullius rei male factae sibi conscium esse, de nullo flagitio pudore suffundi, hoc firmissime pectus munire, et ab iis, quae turpia sunt, avertere debet.“ Cic. ad Divers. VII, 3. *vacare culpa magnum est solatium.*

v. 62—64. *Roscia* (*dic sodes*) cett., sensus: dic, quaeso, num lex Roscia (secundum quam Equiti, ut quingentorum HS. possessori, sedem in spectaculis honoratiorem in quatuordecim gradibus sive cuneis, orchestrae, in qua senatores sedebant, proximis, occupare licebat) praeferenda sit puerorum cantilenae: *Rex eris, si recte facies?* h. e. utrum auro an virtuti maius tribuendum sit pretium? — De lege theatrali Roscii Othonis cf. supr. ad Epod. IV, 16. — *Naenia*, proprie de cantu lugubri, sed passim quoque *naeniae* de carminibus ludicris, puerilibus et nugatoriis, e. c. de iis, quibus nutrices ad somnum pellicere solent infantes. Hinc apud Arnob. VII, 237. *naeniae lenes.* — *Et maribus Cur. et dec. Cam.*, qua cantilena Curius quoque et Camillus non aetate tantum puerili, sed etiam (*mares*) aetate virili usi sunt, non divitias possidentibus, sed *recte facientibus* applaudentes; — *mares* iam de generosioris animi et masculae virtutis viris; infr. Epist. ad Pis. 402. *mares*

Isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis, recte; si non, quocunque modo rem,
Vt propius spectes lacrimosa poemata Pupi;
An, qui fortunae te responsare superbae
Liberum et erectum praesens hortatur et aptat?
Quodsi me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, sic iudiciis fruar isdem,
Nec sequar, aut fugiam, quae diligit ipse, vel odit:
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: *Quia me vestigia terrent*
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.
Bellua multorum es capitum: nam quid sequar? aut quem?

animi, fortiter et viriliter sentientes; — de Curio Cic. de Senect. cap. 16. *Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt; non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare.* — de rebus a Camillo gestis vid. Liv. V, 44 seqq.

v. 65—69. *Isne tibi* cett. Sensus: Meliusne suadet tibi is, qui tibi suadet, ut opes colligas, aut bono modo, aut, si bono modo fieri non possit, quocunque demum modo, donec tantum divitiarum tibi collegeris, ut tibi Equiti in sede propiore et honoratiore spectare liceat Pupii tragoedias? An melius tibi consulit is, qui (*praesens*) gravi voce te ut hominem liberioris et erectioris indolis fortunae superbius contra te insurgenti non cedere iubet, et ad illam sustinendam te (*aptat*) aptum reddit et confirmat? — *rem facere*, rei familiaris augendae operam dare; vox *res* ter repetita egregie exprimit ingenium suasoris, qui, quod suadet, iterum iterumque id repetendo graviter inculcare vult. — *Lacrimosa poemata Pupi*, (*Vet. Schol.*) *Pupius, Tragoediographus, ita affectus spectantium movit, ut eos flere compelleret. Inde istum versum fecit: Flebunt amici et bene noti mortem meam: Nam populus in me vivo lacrymatu est satis.* — *fort. responsare superbae*, ut supr. Sat. II, 7, 85 *responsare cupidinibus*, ubi vid. not. — *praesens*, praecepta scilicet, quae viva voce a doctore praesente dantur, gravius auditoris vel discipuli animum impellere solent.

v. 70—75. *Quodsi me populus* cett. Sensus: Quodsi forte me roget populus, cur ego, sicuti communibus ambulacris sub porticibus, non ita quoque communi cum populo sentiendi et de rebus iudicandi ratione utar, cur ego non sequar, quod populus sequitur, non fugiam, quod populus fugit, respondebo, quod cauta vulpes aegroto leoni (vulpem ad se in cavernam invitanti) respondisse dicitur: *Quia me vestigia terrent Omnia te adv. spect., nulla retrorsum.* Vulpes leonis insidias extimescit, poeta populi Romani pravitatem corruptosque mores exhorrescit.

v. 76. *Bellua multorum es capitum*, populum Romanum, modo hoc, modo illud vitiorum genus sectantem alloquitur ut monstrum multorum capitum, (θηρίον πολυκέφαλον,) quale fere fuit hydra Lernaea, cui in unius ab eius corpore desecti capitis locum duo alia vel plura subnascebantur.

Pars hominum gestit conducere publica: sunt, qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant:
Multis occulto crescit res foenore. Verum,
Esto, aliis alios rebus studiisque teneri;
Iidem eadem possunt horam durare probantes?
Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis,

v. 77. *conducere publica*, intellige inprimis vectigalia, unde, qui ea conducebant, praecipue Equites, dicti sunt *publicani;* erudite et copiose omnem hanc rem tractavit *Petr. Burm.* de *Vectig. Pop. Rom.* Sed multa alia, quae ad *publica* pertinebant, conducebantur a mancipibus et redemtoribus; hinc Iuv. Sat. III, 31 seqq. *Quis facile est aedem conducere, flumina, portus, Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver.* Huc refer *parochos*, de quibus supr. ad Sat. I, 5, 46.

v. 78. *Crustis*, per *crustum* intellige particulam vel frustum placentae; nos: *ein Stückchen Kuchen.*

v. 79. *Excipiantque senes*, et insidiose capiant senes; *excipere* (ἐκδέχεσθαι), verbum venaticum. — *vivaria* sunt loca, ubi in futurum usum *viva* animalia, quadrupedes, aves, pisces, cochleae cett. servabantur. Lepide igitur capti senes, ut haeredipeta post eorum mortem captatae haereditatis fructus capiat, *mitti* ab eo dicuntur *in vivaria.* Hinc supra Sat. II, 5, 44. senes, quorum divitiis insidiantur haeredipetae, comparantur cum thunnis, quibus adnatantibus cetaria (vivaria) crescere dicuntur.

v. 80. *occulto*, quod avari occulta fraude et clandestinis artibus faciunt.

v. 82. *Iidem eadem — probantes*, num iidem in iisdem, quae modo probabant, per unam horam perstare vel sibi constare possunt? — *durare aliquid* dicuntur, qui firmo animo, quod susceperunt, sustinent, firmo animo in re suscepta perstant; vel refer *eadem* ad *probantes*, ut sit: num vel unam horam patienter transigere possunt probantes eadem?

v. 83—87. *Nullus in urbe sinus* cett. Horatius iam exempla levitatis et mutabilis hominum animi affert; sensus: Simulac homo aliquis dives dixit: „Nullus in toto terrarum orbe sinus Baiis amoenis pulchrius exsplendescit," statim ille amorem, quo Baiarum amoenitate captus est, declarat festinatione, qua iam (*herus*) dominus et locator in littore domum in mare procurrentem fundare et exstruere incipit; at si hoc repentinum consilium ortum sit ex sola libidine, cui inconsideranter indulgebat, tum mutato consilio iam postero die fabrilia instrumenta (in alium locum) Teanum (ut ibi potius domum aedificet) transportari iubebit. Huc pertinet locus supr. Od. II, 18, 19 seqq. *Tu — struis domos, Marisque Baiis obstrepentis urges Submovere littora, Parum locuples continente ripa*, et Od. III, 1, 34 seqq. *Contracta pisces aequora sentiunt, lactis in altum molibus; huc frequens Caementa demittit redemtor Cum famulis, dominusque terrae Fasti-*

Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri; cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium: cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est:
Nil ait esse prius, melius nil coelibe vita;
Si non est, iurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? ride: mutat coenacula, lectos,
Balnea, tonsores: conducto navigio aeque
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.

diosus. — *Baiis praelucet amoenis*, amoenitate anteponendus est Baiis.

v. 84. *amorem*, iniectam subito cupiditatem exstruendi amoenis Baiis aedificium; *amor* simpliciter non raro eam, de qua sermo est, cupiditatem designat, sic supr. Epod. II, 37. *Quis non malarum, quas amor curas habet, Haec inter obliviscitur*, cf. Epist. seq. 37.

v. 86. *Teanum*, Sidicinum, oppidum Campaniae, non confundendum cum Teano, oppido Apuliae.

v. 87. *Lect. gen. in aula est*, si lectus coniugalis collocatus est in atrio; pro vulgari: si quis est maritus. — *lectus genialis* (Festus p. 70 Lind.), *qui nuptiis sternitur in honorem Genii, unde appellatur.*

v. 89. *Si non est*, si lectus genialis non in aula est positus, si ei non est uxor.

v. 90. *Quo teneam* cett. Quo vinculo divitem, formas, quas induit, Protei instar mutantem, constrictum teneam? h. e. quomodo compescam mutabilem divitis animum? supr. Sat. II, 3, 71. malus debitor sub variis formis, h. e. callidis artibus creditorem eludens, *Proteus* vocatur, ubi vid. notata; cf. quoque de fabula Protei Virg. Georg. IV, 387. seqq. et quae ibi disputat *Heynius*. Apud Virgil. v. 369. Cyrene filium suum Aristaeum alloquitur sic: *Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus* (sc. Proteus); et v. 405. *Verum, ubi correptum manibus vinclisque tenebis*; hanc igitur fabulam de Cyrene et Aristaeo, ut iam observavit *Gesnerus*, respexisse videtur Horatius.

v. 91. *Quid pauper? ride:* cett. Quomodo autem se gerit pauper? ride mecum Maecenas; pauper enim ridiculo modo aeque inconstans est, ac dives; *mutat* enim *coenacula*, cett. *coenaculum* (ὑπερῷον), superior aedium pars (*obere Etage in einem Hause*), ubi habitabant coenabantque inquilini sive pauperes; Liv. XXXIX, 14. *Coenaculum super aedes est datum.* Cicero Agr. II, 35. *Roma coenaculis suspensa atque sublata;* pauperes igitur, aeque mutabiles ac divites, *mutant coenacula*, modo hoc, modo illud conducunt. vid. Varr. de L. L. IV. p. 65. — *lectos*, quibus discumbitur.

v. 92. 93. *Balnea*, intellige publica, quibus utebantur pauperes; nam divites in suis quisque domibus exstructa habebant balnea; — *tonsores*, cum plures in foro paterent tonstrinae tonderi cupientibus, aliam cum alia illi pro animi arbitrio mutare poterant. — *conduct. navig. aeque*

Si curtatus inaequali tonsore capillos
Occurro, rides: si forte subucula pexae
Trita subest tunicae, vel si toga dissidet impar:
Rides. Quid? mea cum pugnat sententia secum?
Quod petiit, spernit, repetit, quod nuper omisit?
Aestuat, et vitae disconvenit ordine toto?
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis?
Insanire putas solemnia me, neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A praetore dati, rerum tutela mearum
Cum sis, et prave sectum stomacheris ob unguem

Naus. ac l., pauper aeque ac locuples, rerum, quibus utitur, oppletur fastidio; quemadmodum enim divitem triremis, quam sibi ipsi paratam possidet, ita pauperem navigii, quod sibi conduxit tantum, capere solet satietas; — *Nauseat*, hinc supr. Od. III, 1, 37. *dominusque terrae Fastidiosus*; et Od. III, 29, 9. *Fastidiosam desere copiam.* — *privus* de rebus, quarum propria est alicui possessio; vid. *Lamb.*

v. 94 — 105. Sententia, quam poeta in sequentibus amplificavit, est haec: Si quid apud me animadvertis, Maecenas, quod externae vivendi rationi repugnet, rides; at, si ego homo sum varius et inconstans, dum me ad solemnes hominum errores agere putas, non rides. — Horatius iam, ut passim alias, ad se refert, quod non proprie ad ipsum, sed ad unumquemque, qui ita, ut scribit, in publicum prodeat, vel inconstantiae, qualem describit, culpam sibi contrahat, referendum est. — *curtatus capillos*, ex noto graecismo, pro: capillis a tonsore curtatis. Ego lectioni *curatus* praetuli *curtatus*; non enim qui *curatus* sed qui *curtatus* a tonsore *capillos* incedit, ut homo ridiculus aliorum oculos ad se advertit. — *inaequalis* est tonsor, qui inaequaliter capillos tondet.

v. 95. *subucula*, vestis interior, quae geritur subter tunica; — *Trita*, detrita, nihil amplius lanae habens, (*abgeschabt*,) opponitur tunicae *pexae*, lana comta adhuc obtectae, adhuc villosae. Martial. II, 58. *Pexatus pulchre rides mea, Zoile, trita.*

v. 96. 97. *vel si toga dissidet impar*, altera parte togae demissa, altera sursum tracta. — *mea cum pugn. sent. sec.* cett., cum mihimet ipsi, modo hoc, modo illud appetenti, repugno, cum sperno, quod petii, repeto, quod modo omisi, cum animi impetu et fervore huc illuc agitor, cum totum vitae ordinem disturbo cett.

v. 101. *insanire solemnia*, ad solemnem hominum morem insanire. *insanire aliquid*, ut supr. Sat. II, 3, 63. *insanire errorem.* Epist. I, 2, 14. *quicquid delirant reges.*

v. 103. *curatoris a praetore dati*, mente captis, nisi eorum curam gererent agnati et gentiles, rei familiaris curator a praetore dari solebat; cf. supr. ad Sat. II, 3, 218.

v. 104. *prave*, male, inepte, negligenter. *pr. sect. ob unguem*, ob rem levissimam, quae recedit ab externa elegantia; in versu 94. Mae-

De te pendentis, te respicientis amici!
Ad summam, sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;
Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

EPISTOLA II.

AD LOLLIVM.

Troiani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi;
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,

cenas ob capillos inaequaliter resectos *ridere*, nunc ob male sectum unguem *stomachari* dicitur.

v. 105. *De te pendentis*, *te resp. am*, amici a nutu tuo plane pendentis, te in oculis gestantis vel gratiam tuam sequentis; sic certe *respicere* apud Iul. Caes. B. C. I, 1. *Sin Caesarem respiciant atque eius gratiam sequantur.*

v. 106. 107. *Ad summam*, ut rem in pauca conferam, similiter supr. Sat. I, 3, 137. *Ne longum faciam.* — iam videtur poeta subiicere fere voluisse hoc: „Solus is, qui ad sapientiae praecepta vitam componit, felix et beatus est,“ pro eo posuit verba, quibus philosophiae suae praeconia decantare solebant Stoici: *sapiens uno minor est Iove*, h. e. sapiens uni Iovi dignitate cedit: de locutione *minor est aliquis aliquo* exempla dedit *Lamb.* — *rex denique regum*, cf. supr. Sat. I, 3, 125. et 136.

v. 108. *Praecipue sanus*, ergo corporis quoque sanitatem referebant Stoici ad bona, quae disciplinae suae *praecipue* deberent; sed addit salse: *nisi cum pituita molesta est*, nam, qui pituita laborant, rebus subtiliius examinandis et perpendendis haud apti sunt; hinc, ut observavit *Gesnerus*, *hebetiores*, apud Graecos *κορυζῶντες*; *sanus* igitur iam sensu ambiguo tam de mente, quam de corpore dictum videtur. Caeterum vox *pituita* tribus syllabis, ut supr. Sat. II, 2, 76. pronuncianda est.

EPISTOLA II.

Ad Lollium.

Postquam poeta vitae praecepta, quae in Homero continentur, planiora et meliora iis, quae philosophi tradunt, esse docuit, ipse aurea praecepta, ad quae vita dirigenda sit, pueris praecipue propinat.

v. 1—4. *max. Loll.* — *Lollius*, M. Lolli Palicani, ut videtur, consulis cum Q. Aemilio Lepido, filius. — *maxime*, sc. natu, ut recte *Gesnerus* observat; nam infra in Epistola 18. ad eundem Lollium scripta v. 63. fratris alicuius fit mentio.

v. 2. *declamas*, Homeri versus decantas, in Homeri lectione te exerces, vel Homericas meditationes et declamationes instituis. — *Praeneste*, eo enim Horatius secedere ibique sibi Musisque vivere solebat; vid. supr. Od. III, 4, 3.

v. 3. *quid sit pulchrum* (*καλόν*), honestum; — *turpe*, *utile*, de quibus disputant philosophi.

Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet aestus.
Antenor censet belli praecidere causam:
Quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi;

v. 4. *Planius*, maiore perspicuitate. pro *planius* alii legunt *plenius*. Librarios certe in scribendis vocibus *planus* et *plenus* saepe peccasse, docent exempla collecta a *Drakenborgio* ad Liv. IV, 32. §. 10. — *Chrysippo*, de eo vide supra ad Sat. I, 3, 127. — *Crantore*, Xenocratis discipulo, nobili philosopho Academico.

v. 6 cett. Iis, quae nunc sequuntur, pulchre Horatius exornavit sententiam hanc: Homerus exemplis tam stultitiae, sceleris, libidinis et irae, quam prudentiae, pietatis, virtutis et continentiae egregie adumbratis, et ante oculos positis, planius et melius, quam philosophi, *quid sit pulchrum*, *quid turpe*, *quid utile*, docuit.

v. 6—8. *Fabula, qua* cett. Homeri Ilias, ubi insertis fabulis enarratur bellum propter Paridis amorem sive propter Helenae raptum inter Graecos et Troianos exortum et in decem annos extractum, tam principum, quam populorum stulta consilia et insaniam ante oculos ponit. — *Barbaria* a Graecis quaevis regio extra Graeciam, et a Romanis quaevis regio extra Italiam sita, nominatim Phrygia, appellatur. — *collisa* gravius et significantius pro: commixta; qui invicem se petunt, *colliduntur*; caeterum hic versus tam ob hanc locutionem, quam ob priscam vocem *duellum* prodere videtur Ennium.

v. 8. per *aestum* intellige vehementiores animi affectiones et vitia in v. 15. commemorata.

v. 9. *Antenor censet* cett. Antenor, senex Troianorum prudentissimus, censet causam, ex qua bello a Graecis petantur Troiani, e medio tollendam esse; censebat scilicet Antenor, Helenam reddendam esse, Hom. Il. VII, 348 seqq. — ad *praecidere* supple: Troianos debere.

v. 10. 11. *Quid Paris?* Quid Paris ad hanc Antenoris sententiam? repugnat, et ut, reddita Helena, salvus regnet et beatus vivat, persuaderi omnino nequit. — *Cogi posse negat*, non dixit quidem Paris, se cogi non posse, sed convenienter his dictis egit; itaque *cogi posse negat* iam est: adduci et permoveri non potest.

v. 13. *Hunc* (Achillem) *amor* (Briseidis) — *urit*, accendit, inflammat.

v. 14—16. *Quicquid delirant* cett. Omnium stulte et insipienter ab Agamemnone, Menelao, Achille cett. captorum consiliorum poenam

Seditione, dolis, scelere, atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur, et extra.
Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem;
Qui domitor Troiae, multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit; latumque per aequor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces et Circae pocula nôsti;
Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique,

Achivi exsolvunt; insaniunt autem peccantque tam Graeci Troianos obsidentes, quam Troiani a Graecis obsessi.

v. 17. *Rursus*, at idem Homerus in Odyssea, quam in v. 21. designat; pro: *rursus* ad sibilum repetitae syllabae finalis *us* in sequente voce *virtus* evitandum, *Bentleius* ad unius Codicis fidem dedit *rursum*. Sed tam religiosus in molliore versuum numero non fuit Horatius.

v. 19. *providus*, nam qui hominum mores et ingenia diligentius cognoscere studet, is hac cognitione sibi providet et fit prudentior. — *mult. urb. Et mor. hom. insp.* expressit tertium versum Odysseae: *Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω*; similiter infr. in Epist. ad Pis. 142. *Qui mores hominum multorum vidit et urbes.*

v. 22. *immersabilis* (*ἀβάπτιστος*, Pind. Pyth. II, 145.), elegante imagine pro vulgari: adversae fortunae impetu se vinci et deprimi non passus; violentiae alicui exprimendae passim adhibetur *undarum* vel *fluctuum* impetus; in praecedente Epist. v. 16. *mersor civilibus undis*, ubi plura de hoc vocis *unda* et *fluctus* usu.

v. 23. *Siren. voces*, Hom. Odyss. XII, 39—54. et 182—200. *et Circae*, Hom. Odyss. X—XII.

v. 25. *turpis*, pudendae conditionis, homo abiectus; — *excors*, sanae mentis expers.

v. 26. *can. imm.* vixisset mutatus in canem immundum.

v. 27—31. *Nos numerus sumus* cett. Sensus et nexus: nos igitur, qui non virtutis et sapientiae exemplum, quod Vlysses dedit, sequimur, nos, qui in iuventute vitae molliori nimis indulgemus, qui ad multam usque lucem dormire, et curas ex animo ad citharae cantum pellere pulchrum esse opinamur, nos, inquam, non ad res gerendas, sed ad fruges consumendas et ad numerum tantum hominum explendum nati videmur, similes procorum Penelopae, nepotes et luxuriosi, qualis describitur Alcinous apud Homerum. *Nos numerus sumus* (*ἡμεῖς ἐσμὲν πλῆθος ἄχρειον*), nos enim inertes, luxuriosi et libidinosi, praeterquam quod in nume-

In cute curanda plus aequo operata iuventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.
Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones;
Vt te ipsum serves, non expergisceris? atqui,
Si noles sanus, curres hydropicus: et, ni

rum hominum referimur, nihil omnino pretii habemus; loci in hanc loquendi formulam a *Lambino* e scriptoribus Graecis allati huc non pertinent; ibi enim sermo est de hominibus, qui in numerum aliquem recipiantur, indignis, (*οὐκ ἀριθμητοῖς*). aptiora in hanc rem exempla vide ap. *Boeckhium*, *Tragici principes* cett. p. 92—94. — *nati fruges consumere*, graece pro: nati ad fruges consumendas; — *Sponsi Penelopae*, proci, amoris causa Penelopen sectantes. — *Alcinoique*, Alcinooque similes; Alcinous, rex Phaeacum, animi oblectationibus et corporis voluptatibus a puerili inde aetate deditissimus; ipse apud Hom. Odyss. VIII, 248. profitetur: *Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε, χοροί τε.* — Sunt, qui, deleta post *Alcinoique* distinctione minore, malint iungere *Alcinoique* (Phaeacum) *iuventus*. Sed hoc est durissimum. Totus versus: *In cute curanda plus aequo operata iuventus* per appositionem (ut *nebulones*, *Alcinoi*,) referendus omnino est ad *Sponsi Penelopes*; huic iuventuti, his procis *pulchrum fuit* in medios dies stertere; et sic *proci Penelopes* simpliciter vocantur *iuventus* supr. Sat. II, 5, 79. *Venit enim magnum donandi parca i u v e n t u s*, *Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinae.* cf. eiusdem Satirae vers. 7.

v. 30. *fuit*, esse solet.

v. 31. *Ad strepitum*, ad sonos, modos, supr. Od. IV, 3, 18. *O testudinis aureae Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas.* — *cessatum ducere curam*, eo quasi ducere curam, quo illa vexare cesset; eleganter pro vulgari: curam abigere, pellere, compescere.

v. 32—37. Ab eiusmodi vita desidiosa, quam Penelopes procos et Alcinoum vixisse refert Homerus, iam Horatius iuvenes, nominatim Lollium, ad quem scripsit hanc epistolam, avocat, eumque, ut, lecto ante diem relicto, strenue animum studiis et rebus honestis intendat, nec tempus animi cultui impendendum in annum differat, exhortatur.

v. 32. *homines*, sic legitur in optimae notae Codd. apud *Feam*; at *Bentleius* et eum secuti exhibuerunt: *hominem*, homoeoteleuti, ut addit *Gesnerus*, evitandi gratia; sed ad hanc normam non exigendi sunt hexametri Horatiani.

v. 33. 34. *Vt te ipsum serves*, ut te tutum praestes ab iis, quae tibi infesta sunt, ut vites improbam Sirenen, desidiam. — *atqui*, *Si noles sanus*, *curr. hydrop.*, atqui, si nunc, cum bene vales, noles currere, h. e. vires tuas exercere, in posterum, cum tibi male erit, sicuti hydropicus, (vel: si desidiosa et luxuriosa vita factus fueris hydropicus,) curres; medici enim hydropicos *multum ambulando et nonnunquam currendo*, h. e. vires corporis exercendo valetudini succurrere iubent; vide, quem laudat *Gesnerus*, Cels. III, 21.

Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis, et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quae laedunt oculum, festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui coepit, habet: sapere aude;
Incipe: qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus expectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.
Quaeritur argentum, puerisque beata creandis
Vxor, et incultae pacantur vomere silvae.
Quod satis est, cui contigit, hic nihil amplius optet.

v. 37. *vigil*, sc. postquam in medios dies dormisti; — *Invid. vel am. torqu.*, gravioribus animi affectionibus, invidia, amore cett. cruciaberis.

v. 39. *Est animum* (*ἐσθίει*), exedit, absumit, — *curandi*, animi a vitiis liberandi.

v. 40. *Dimid. f. qui coepit, habet*, ad proverbium Graecorum: *Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός*, cuius auctorem Pythagoram esse censet *Hemsterh.* ad Lucian. Somn. c. 3.

v. 41. *prorogat horam*, tempus differt.

v. 42—43. *Rusticus expectat, dum* cett., is, sicut stultus ille rusticus in fabulis, dum defluat amnis, expectat. Rusticus scilicet quidam ad amnem stetisse, et, ut sicco pede eum transiret, donec amnis defluxisset, expectare voluisse fingitur, pro vulgari: sed *frustra* expectat; — accommodate ad rem addit: *at ille* (amnis) *volubilis* (celeri cursu) *labitur, et in omne aevum labetur.* Spectavit autem Horatius in comparatione instituta potissimum hoc: Qui tempus, quo animo emendando operam daturus sit, expectat, frustra expectat, sicut rusticus ille ad amnem, quem stulte defluxurum esse putabat; tempus enim celeri cursu, sicut amnis, labitur, lapsumque nunquam redit. Caeterum ad *rusticus* supplenda est particula comparandi *ut* vel *sicuti*, quam Horatius in hac una Epistola quater omisit, v. 26. ad *canis immundus*, v. 28. ad *sponsi Penelopae*, v. 34. ad *hydropicus*, et h. l. et sic supr. Sat. I, 7, 29. ad *durus vindemiator*. Sat. II, 3, 186. ad *astuta vulpes;* cf infr. Epist. I, 1, 56. Epist. I, 3, 18. Epist. I, 6, 63. Epist. I, 10, 5. Epist. I, 16, 22. Epist. ad Pison. versu ultimo.

v. 44—48 *Quaeritur argent.* cett. Sed plurimi homines non animo excolendo et ad virtutem atque sapientiam conformando, sed divitiis colligendis augendisque unice intenti sunt. — *beata*, dives, ut saepe; — *et incultae pac. vomere silvae*, et loca inculta et vepribus obsita aratro purgantur et mitiora redduntur; — *pacare* (*ἡμεροῦν*) est: reddere aliquid mitius, domare; Claud. Epigr. Ll. *de Mulabus Gallicis* v. 19. *Miraris, si voce feras pacaverit* (mites reddiderit) *Orpheus?* et sic plane *domare*, ut in hoc loco *pacare*, apud Virg. Aen. IX, 608. *At patiens operum parvoque adsueta iuventus Aut rastris terram domat* cett. attamen sunt, qui lectioni nostrae, *pacantur*, praeferant, quod coniecit *Wakefieldius: placantur.*

Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit, aut metuit, iuvat illum sic domus et res,
Vt lippum pictae tabulae, fomenta podagrum,
Auriculas citharae collecta sorde dolentes.
Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.
Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.
Semper avarus eget: certum voto pete finem.

v. 47. *aeris acervus*, aes saepius apud Horatium pro: pecunia. Infr. Epist. I, 6. 39. *Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex.* in Epist. ad Pison. 164. *prodigus aeris* et v. 345. *Hic meret aera liber*, et alibi.

v. 48. *deduxit*, deducere, h. e. depellere valet; in hanc sententiam cf. supr. Od. III, 1, 41 sqq. Obversatus Horatio videtur Lucretius II, 34. seqq. *Nec calidae citius decedunt corpore febres, Textilibus si in picturis ostroque rubenti iactaris, quam si plebeia in veste cubandum est.* In eandem sententiam Varr. in Fragm. apud *Burmann.* ad Anthol. Latin. Tom. I. p. 512. *Non fit thesauris, non auro pectu' solutum. Non animis demunt curas ac relligiones Persarum montes, non atria diviti' Crassi.*

v. 49. *Valeat*, tam corpore, quam animo.

v. 51—53. *Qui cupit* cett. avarus qui plura appetit, aut id, quod possidet, velut sacrum, contingere metuit (supr. Sat. II, 3, 110.), is, perturbatus his affectionibus, non magis domo et opibus suis iuvari et deliniri potest, quam lippus pictis tabulis, podagricus fomentis, surdus citharae sonis; pro simplice: avarus nullum plane ex divitiis fructum capit. — *aut metuit*, potest quoque cogitari de malis furibus, quos avarus (ut supra loquitur Hor. Sat. I, 1, 78.) *noctesque diesque formidat.* — *fomenta*, nunc quoque podagrici calidis tegumentis pedum tam tumorem, quam dolorem lenire solent, sed, ut docet experientia, sine omni fere effectu; rectissime igitur *fomenta*, quae alias aegrotos iuvant, iam nihil omnino podagrum iuvare dicuntur. *Buherius* igitur, qui in Anthol. Lat. (Burm.) T. II. p. 485. pro: *fomenta* legendum coniiciebat *tomenta*, applaudente *Wakefieldio*, non fuisse videtur podagricus. Quid enim *tomenta* cum podagricis? — *Auriculas dolentes*, male se habentes, — *sorde collecta*, quae audiendi facultatem impedit.

v. 54. *Sincerum est nisi vas* cett. hoc transfer ad animum; nisi animus vitiorum est purus, ea, quae animum intrant, vitium trahunt.

v. 55. *emta dolore*, ita parta et percepta, ut dolor eam sequatur. Supr. Sat. I, 2, 39. Libidinis voluptas *multo dolore corrupta* dicitur.

v. 56. *Semper avarus eget*, est enim *avarus*, ut supr. Od. III, 16, 28.

Invidus alterius macrescit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum. Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est: animum rege: qui, nisi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, qua monstret eques. Venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

magnas inter opes inops. Infr. Epist. II, 2, 147. — *quanto plura parasti Tanto plura cupis.* — *certum voto pete finem*, certum finem ante oculos tibi pone assequendum, ad notissimum illud praeceptum, supr. Sat. I, 1, 106—7. *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum*, in eadem Sat. v. 92. *Denique sit finis quaerendi.*

v. 57. 58. *macrescere*, *μαραίνεσθαι*, invidia, ut alias *tabescere;* sed *macrescere* iam pulchre respondet voci *opimis.* — *Siculi tyranni*, nominatim *Phalaris*, cuius, ut Cicero Off. II, 26. narrat, *praeter caeteros nobilitata crudelitas.* — *Crudelissimus omnium taurum habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa homines demittere, ac subiicere flammam solebat.* cf. Val. Max. III, 3. Ext. 2.: IX, 2. Ext. 9.

v. 61. *Dum poenas od. p. v. festinat inulto*, dum irae expiandae vel explendae causa festinanter vim infert.

v. 62 *qui, nisi paret, imp.* nisi tuo subiectus est imperio, ipse imperat.

v. 64—67. *Fingit equum* cett. Sed puerili aetate ubi pectus adhuc purum et integrum est, virtuti opera danda est; equi quoque et canes venatici tenera aetate finguntur. — *magister* (domitor) *equum* (iuvenem) *fingit* (docet) *viam ire*, *qua eques* (eum ire) *monstret* (iubeat), h. e. eo ire, quo eques eum flectat. — *Venaticus — catulus*, *ex quo Tempore cerv. p. l. in aula*, postquam adsimulatum cervum (*einen ausgestopften Hirsch*) in aula allatravit, h. e. postquam ei adhuc iuveni iniecta est venandi cupiditas; — cervus a venatoribus adsimulatur, cum pellis cervina stramine, musco etc. impletur atque intenditur. Pro *latravit* in v. 66. malim: *allatravit.*

v. 67. *Nunc adbibe* pro vulgari: imbibe.

v. 68. *melioribus*, prudentioribus, doctioribus, in praecedente Epist. v. 48. *Discere et audire et meliori credere non vis?*

Testa diu. Quodsi cessas, aut strenuus anteis,
Nec tardum opperior, nec praecedentibus insto.

EPISTOLA III.

AD IVLIVM FLORVM.

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius, Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos, Hebrusque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turres,
An pingues Asiae campi collesque morantur?
Quid studiosa cohors operum struit? haec quoque curo;
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum diffundit in aevum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,

v. 70—71. *Quodsi cessas* cett. Finit Horatius Epistolam hoc fere, ut mihi videtur, praecepto: Sed certum modum tene; quodsi enim in re suscepta aut cessas, aut nimis et festinantius eam urges, scias, me neque cum cessantibus, neque cum nimis festinantibus facere.

EPISTOLA III.

Ad Iulium Florum.

Haec epistola ingenium et rationem familiariter ad amicum scribentis egregie exprimit. Erat *Iulius Florus* in cohorte sive in comitatu Claudii Tiberii Neronis, tum Syriae ab Augusto praefecti. Rogat igitur poeta Florum, ut sibi perscribat, in qua regione nunc versetur exercitus, et quid rerum tam ipse, quam caeteri gerant. Ad eundem Florum scripta est Epistola Secunda libri Secundi.

v. 1—2. *Claud.* Tiberius Claudius Nero, Liviae filius, *Augusti privignus*, quod non opus erat addere; sed Horatius hic quoque Augusti nominis cum verecundia appellandi occasionem arripit. — *laboro* significantius pro: cupio, aveo.

v. 3. *Hebrusque nivali comp vinct.* paulo sublimius pro: glacie concretus. — *Hebrus*, notus Thraciae fluvius, hodie *Mariz.*

v. 4. *vicinas turres*, Seston et Abydon, urbes munitas Hellesponti, Leandri et Herus amore satis notas.

v. 5. *morantur?* vos tenent, retinent? an vos iam commoramini in pinguibus Asiae campis et collibus?

v. 6. *Quid studiosa cohors*, viri docti in comitatu Iulii Flori. — *struit*, eleganter pro: moliri; — *struere* de rebus vel opere aliquo, quod non sine multa opera et meditatione tractare et componere studemus; ad hoc pertinent, quos in sequentibus commemorat: Titius, Celsus, Munatius.

v. 8. *longum diff. in aevum?* ad posteritatem propagat? aeternitati consecrat?

v. 9. *Titius — Titius Septimius*, eques Romanus (ut docet Porphyrio), idem est, quem Horatius supr.

Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus, et rivos ausus apertos?
Vt valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An tragica desaevit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo;
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?
Quae circum volitas agilis thyma? non tibi parvum

Od. II, 6. ut spectatae fidei amicum celebrat; h. l. eum ut poetam haud vulgarem laudat, et infr. Epist. 9, 4. ut *dignum mente domoque honesta Neronis* commendat.

v. 10. *Pind. f. qui non expall. haust.*, qui a rei magnae conatu, ab haustu fontis Pindarici, se non deterreri passus est, h. e. qui ausus est imitari Pindarum; — *expalluit*, expavit, exhorruit, extimuit.

v. 11. *Fastidire lacus* cett. qui ausus est vulgares lacus et rivos cuique patentes contemnere, h. e. a vulgarium poetarum grege se secernere.

v. 13. *fid. Lat. Theb. apt. mod.* — *Thebanos modos Latinis fidibus aptare* est: Thebanos modos transferre et moderari ad fides Latinas, h. e. carmen Pindaricum latino carmine imitari; supr. Od. II, 12, 4. *molles modos citharae aptare* et Od. IV, 9, 4. *verba loqui socianda chordis.* — *auspice Musa*, adspirante vel favente Musa.

v. 14. 15. *An tragica* cett. an in scribendis tragoediis versans poetico furore corripitur, et altiore spiritu inflatus sublimiora affectat? — Dum laudat Horatius amicum suum Titium, eundem simul ut poetam turgidum notare videtur. Eiusmodi enim reprehensio latet in vocibus *desaevit* et *ampullari.* — *Quid mihi agit* — *mihi, tibi, sibi, nobis, vobis* saepe cum vi quadam in salse aut ioco dictis abundant; vide quos in hunc rem laudavimus ad Catull. XXIV. — *Celsus*, poeta, qui aliorum scrinia compilabat; fortasse idem *Celsus Albinovanus*, scriba Tiberii, ad quem scripta est Epistola Octava.

v. 16. *Privatas ut quaerat opes,* cett. ut doctrinae copias ex se ipso hauriat, non ex aliorum scriptis, quae in bibliotheca templi Apollinis Palatini servantur.

v. 18—21. *Ne, si forte* cett., ne, si forte aliena, quibus se exornavit, repetantur, risum moveat, sicut in Fabula Aesopi (Phaedr. I, 3.), cornicula vel graculus, — *cornicula*, sicut cornicula, cf. ad praeced. Epist. v. 42. — *Furtivis nudata coloribus*, exuta pulchris pavonis pennis, quas suas fecerat cornicula. — *Ipse quid audes?* tibi tractandum perficiendumque sumsisti? *agilis*, sicut *agilis* (h. e. sedula) apis. Horatius supr. Od. IV, 2, 27. de se ipso: *ego apis Matinae More modoque, Grata*

Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum.
Seu linguam causis acuis, seu civica iura
Respondere paras, seu condis amabile carmen;
Prima feres hederae victricis praemia: quodsi
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te coelestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, si tibi curae,
Quantae conveniat, Munatius: an male sarta
Gratia nequicquam coit, et rescinditur? At vos,
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros, ubicunque locorum

carpentis thyma per laborem Plurimum, — *Carmina fingo*, ubi vide, quae de comparatione poetarum cum apibus flores carpentibus notavimus.

v. 22. *Ing. hirtum*, ingenium non excultum comparatur cum agro, qui, si non colitur, vepribus et spinis hirtus et hispidus est.

v. 23. 24. *Seu ling. caus. acuis*, seu te ad causas acute et diserte in iudiciis dicendas te praeparas; causam in iudiciis dicturi apud Ciceronem quoque Orat. III, 30. eleganter *linguam ad dicendum acuere et procudere* dicuntur; et sic apud eundem ad Attic. II, 7. *se acuere ad aliquid.* Pindaro Pyth. I, 86. hoc dicitur χαλκεύειν γλῶσσαν πρός τινι. vid. eruditam *Boeckhii* notam Tom. II. P. II. pag. 238. — *civic. iura Respond.* — *ius respondere* pro: de iure respondere, vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *respondere.*

v. 25. *hederae victr. praemia*, supr. Od. I, 1, 29. *Me doctarum hederae praemia frontium;* ubi vid. not.

v. 26—27. *quodsi Frigida curarum fomenta rel. posses*, cett. sensus: quodsi curas, quas foves, eiicere posses ex animo, ad altiora, quo te duceret divinae originis sapientia, evehereris, h. e. virtutis et doctrinae gloria conspicuus exsplendesceres. — Videtur Horatius Floro mollius exprobrare divitiarum cupiditatem, quae neque parantur, neque possidentur sine curis; has igitur curas, quas alunt et *fovent* avari, eleganter vocat *curarum fomenta*, et quidem (per ὀξύμωρον) *frigida*, quia pectus, quod virtutis amore accendi vel poetico spiritu incalescere debet, reddunt *frigidum.*

v. 28. *Hoc opus, hoc studium* cett. sensus: Nos omnes igitur superiores aeque atque infimi summo studio agere debemus id, ut, si et patriae et nobis cari evadere volumus, curis ex animo pulsis virtuti exercendae adsuescamus.

v. 30 — 35. *si tibi curae* cett. *si* (num) *Munatius tibi* sit tantae *curae, quantae* is tibi curae esse *conveniat* (par sit), h. e. num studiose ita erga veterem amicum Munatium te geras, uti erga illum te gerere fas sit; discordia scilicet inter Florum et Munatium gliscere coeperat. — *an male sarta Gratia* cett., an (*male*)

Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus.
Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.

EPISTOLA IV.

AD ALBIVM TIBVLLVM.

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere, quod Cassî Parmensis opuscula vincat?
An tacitum silvas inter reptare salubres,
Curantem, quicquid dignum sapiente bonoque est?
Non tu corpus eras sine pectore. Dî tibi formam,

simulanter tantum reconciliata inter vos est gratia, et renovatum amicitiae foedus de integro rescinditur? — *sarta — coit — rescinditur*, translata haec sunt a vulneribus, quae, ut *coeant*, consuuntur et colligantur, aut, postquam coierunt, *rescinduntur*. — *At vos* cett. At vos, sive animi fervor, seu rerum inscitia (nos: *Missverständniss*) vos feros et indomitos agitat, ubicunque nunc vivitis, *indigni estis rumpere*, graece pro: qui rumpatis, non decet vos rumpere foedus, fraterno amore iunctum. — Intimus amicorum amor cum fratrum amore comparari solet. Infr. Epist. 10, 4. *ad cuetera paene gemelli Fraternis animis.*

v. 36. *Pascitur in vestr. red.*, sospites atque incolumes, amici, ad nos redeatis, iam ad felicem vestrum reditum celebrandum iuvenca ex voto pascitur. Sic supr. Od. I, 36, 2. prosper Numidae ex Hispania reditus *vituli sanguine debito* celebratur.

EPISTOLA IV.

Ad Albium Tibullum.

Familiariter poeta ex Tibullo quaerit, utrum nunc vacet scribendis carminibus, an in villa sua circumvagetur et sapienter ibi dulci otio et genio suo indulgeat. — de *Tibullo* cf. supr. Argum. ad Od. I, 33.

v. 1. *sermonum*, satirarum, humili et vulgari oratione conscriptarum; cf. supr. Sat. I, 1, 42.

v. 2. *reg. Pedana*, prope Pedum, Latii oppidum, inter Praeneste, Tibur, et Tusculum.

v. 3. *Cassî Parm.* de Cassio Parmensi, distinguendo a Cassio Etrusco, vid. supr. ad Sat. I, 10, 62.

v. 4. *tacitum*, tacite meditantem. Supr. Sat. I, 3, 65. — *ut forte legentem, Aut tacitum impellat quovis sermone molestus;* reptare de iis, qui in agris non certam viam sequuntur, sed animi causa modo in hanc, modo in aliam partem declinant atque evagantur; nos: *umher kriechen.*

v. 5. *Curantem, quicquid* cett. cogitantem de eo, quo modo vir bonus et sapiens recte vivere et deorum muneribus prudenter frui debeat.

v. 6. *Non tu corp. er. sine pect.*, tibi nato non deerant ingenii animique facultates.

Dî tibi divitias dederant, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula maius alumno,
Qui sapere et fari possit, quae sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?
Inter spem curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

EPISTOLA V.

AD TORQVATVM.

Sî potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modica coenare times olus omne patella;

v. 7. pro *dederant* in pluribus Codd. apud *Feam: dederunt:* saepius certe penultima in perfectis apud optimos quosque poetas corripitur; sed iam rectius est: *dederant*, quia praecedit: *Non tu corpus eras sine pectore.* — *artem fruendi*, scientiam prudenter acceptis fruendi.

v. 8. *voveat*, optet. Ovid. Met. XII, 200. *Elige, quid voveas*, XIV, 35. — *Vt tua sim, voveo.* — *alumno*, tali scilicet, qualis tu es, *Qui* cett.

v. 9. *fari*, effari, verbis exponere.

v. 10. *Gratia*, passive et active, tam favor potentiorum, quam ea vivendi ratio, qua quis aliorum animos sibi conciliat, vel aliis gratus atque iucundus est.

v. 12—14. *Inter spem curamque* cett. unumquemque diem, sive meliora speras et assequenda curas, sive mala imminentia times et animo perturbaris, vitae tuae ultimum illuxisse existima, et, si non est ultimus, quod praeter spem evenit, lucro appone.

v. 15. *pinguem*, obesum, saginatum. — *nitidum*, obesi enim ore, corpore *nitent*, cf. supr. ad Sat. II, 2, 128.

v. 16. *Cum ridere voles*, cum offerri tibi cupies aliquem, qui tibi ridendi praebeat materiem. — *Epicuri de grege porcum*, hoc refer per appositionem ad *pinguem et nitidum;* Epicurei scilicet, qui summam voluptatem in corpore lautioribus et largioribus cibis curando ponebant, contemtim *Epicuri de grege porci* vocabantur; hinc Cicero L. Pisonem (in orat. in Pis. c. 16.) hominem luxuriosum, Epicureum, *non ex schola, sed ex hara* (porcorum stabulo) *productum* appellat.

EPISTOLA V.

Ad Torquatum.

Poeta amicum suum, Torquatum, ad laetum convivium, quo natalem Caesaris celebraturus erat, familiariter invitat. De *Torquato* cf. supr. Arg. ad Od. IV, 7.

v. 1—3. *Si potes*, si potes a te

Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffusa palustres
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.
Iamdudum splendet focus, et tibi munda supellex.
Mitte leves spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi causam: cras nato Caesare festus

impetrare hoc, ut — recumbas, Virg. Aen. XI, 307. *Nec victi possunt absistere ferro*, nec victi a se impetrare possunt, ut absistant ferro. — *lectis Archiacis*, lectis brevioribus, a fabro Archia contextis; designat lectos vulgares, quibus conficiendis tum notus fuisse videtur faber quidam Archias; Horatius enim Torquatum non ad splendidum, sed ad tenue et modicum convivium vocat; hinc versu sequente Torquatum apud se coenaturum esse ait *patella modica*, modicae formae, ut supr. Od. I, 20, 1. *modici canthari.* — *times* pro vulgari: recusas; qui cibum aliquem sibi ingratum aversatur, is iocose eum *timere* dicitur. — *olus omne*, cuiusvis generis. — *Supremo sole*, sole ad occasum vergente, extrema diei parte. — *manebo*, opperiar.

v. 4. *iterum Tauro*, scil. consule; incidit secundus consulatus Tauri in annum V. C. 727., unde *Bentleius* temporis, quo haec epistola scripta sit, ratione habita, dictum vinum sex ferme vel septem annorum fuisse efficit. — *diffusa*, vinum, quod e maiori vase in plura minora transfunditur, *diffundi*, quod vero ex dolio in amphoras transmittitur, *defundi* dicitur.

v. 5. *Minturnas*, Auruncorum oppidum ad fines Latii et Campaniae situm; — *Petrinum*, vicum in agro Sinuessano, Campaniae vicinum.

v. 6. *Sin melius quid habes*, sin tu habes meliora iis, quae dixi; — intellige non vinum tantummodo commemoratum, sed etiam *omne olus.* — *arcesse*, ea afferri iube; sic supr. Horatius Od. IV, 12, 16. Virgilium ad laetam compotationem afferre iubet *nardum.* Sunt, qui ad *arcesse* suppleant: *me*, ut sit: me ad te voca; sed hoc mihi alienum videtur ab Horatii urbanitate atque ingenio; — *vel imperium fer*, vel, quod ego apponi iussero, aequo animo accipe.

v. 7. *Iamdudum splendet;* hunc versum *Fea* unius libri auctoritate ante versum praecedentem posuit, quod commodum sententiarum nexum plane turbat.

v. 8. *Mitte leves spes*, rerum levium et vanarum; respexit Horatius aliquid, quod nescimus; aluit fortasse Torquatus spem honorum adipiscendorum. — *certamina divitiarum*, breviter et eleganter pro: studia, quibus in divitiarum possessione *hunc atque hunc* (ut loquitur Hor. supr. Sat. I, 1, 112.) *superare* certas, sive quibus dies noctesque divitiis colligendis atque augendis insudas atque invigilas.

v. 9. *Et Moschi causam*, sc. quam defendendam suscepisti; — *Moschus*, ut tradit vetus Scholiastes, Pergamenus rhetor clarissimus, cum veneficii accusatus esset, patronos, qui eius causam dicerent, Torquatum et Asinium Pollionem nactus est. —

Dat veniam somnumque dies; impune licebit
Aestivam sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi, fortuna si non conceditur uti?
Parcus ob haeredis curam nimiumque severus
Assidet insano. Potare et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat? operta recludit;
Spes iubet esse ratas; in proelia trudit inertem;
Sollicitis animis onus eximit; addocet artes:

dies festus nato Caesare pro vulgari: dies natalis Caesaris (*divi Caesaris*), qui, ut refert Macrob. Sat. I, 12., a. IV. Id. Iul. a Romanis celebratus est.

v. 10. *veniam*, sc. otiandi, bibendi; — *somnumque*, et post noctem inter suaves confabulationes exactam edormiendi; nisi per *somnum* intelligenda sit vita iners et desidiosa, qua quis omnibus negotiis liber sibi vivit. Sic infr. Epist. II, 2, 78. *Rite cliens* (scriptorum chorus) *Bacchi, somno gaudentis et umbra.* Et sic *dormire* Epist. II, 2, 54. pro: *vitam inertem agere.*

v. 11. *tendere*, extendere, producere.

v. 12. pro: *fortuna* malebat *Muretus: fortunas.* — *Bentleio* placuit: *fortunam*, et *Fea* dedit *fortunae.* Sed haec loquendi ratio et verborum constructio est durissima. Itaque, posita post *mihi* distinctione minore, servavi plurimorum Codd. lectionem *fortuna;* iunge: *si non conceditur uti fortuna* (opportuna laetandi occasione), *quo* (quid) *mihi*, scil. illa prodest? cui bono illa mihi sit? — *Quo* vel *Quoi* (ut est apud Catull. Carm. I, v. 1.) antique pro: cui, cuinam rei, quid, (nos: *worzu*). post *mihi* supplendum est: prodest; et sic supr. Sat. I, 6, 24. *Quo tibi*, (sc. prodest) *Tulli*, *Sumere depositum clavum fierique tribuno?* Ovid. A. A. I, 303. *Quo tibi*, (sc. prodest) *Pasiphae*, *pretiosas sumere vestes?* ubi multa in hanc rem exempla collegit *N. Heinsius.* Sic infra ad Pison. v. 20. ad *quid hoc* supplendum est: prodest. Virgil. Aen. XII, 879. *Quo* (*worzu*) *vitam dedit aeternam?* — *Quo*, pro *quoi*, cui, cuinam usui? Virg. Aen. II, 151. *Quo molem hanc immanis equi statuere?*

v. 13. *Parcus*, qui parce vivit, *ob haeredis curam*, ut haeredi collectis divitiis prospiciat, *nimiumque severus*, nimiaque severitate ab iis, quae iucunda sunt, abstinet, *assidet insano*, is proxime accedit ad insanum.

v. 15. *Inconsultus*, qui liberius et dissolutius se laetitiae tradunt, ipsi se *furere* (Od. II, 7, 28.), *desipere* (Od. IV, 12, 28.) velle (μανῆναι, Anacr. XIII, 12.) aiunt.

v. 16. *designat*, profert, efficit. — *operta recludit*, arcana loco promovet, ut loquitur Horat. supr. Epod. XI, 14., ubi vide not.

v. 17. *Spes iubet esse ratas*, cf. in hanc sententiam supr. ad Od. III, 21, 17.

v. 18. *Sollic. an. on. eximit*, curas abigit, infr. Epist. I, 15, 19. — *addocet artes*, ad eas refer quoque saltationem; nam ut Cicero ait, (Pro Murena c. 6.) *nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit.*

Fecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?
Haec ego procurare et idoneus imperor, et non
Invitus: ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares, ne non et cantharus et lanx
Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coëat par
Iungaturque pari. Butram tibi, Septiciumque,
Et nisi coena prior potiorque puella Sabinum
Detinet, assumam: locus est et pluribus umbris;
Sed nimis arcta premunt olidae convivia caprae.
Tu, quotus esse velis, rescribe; et rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.

v. 19. *Fecundi*, largi, uberes, pleni, sed haud scio, an rectius explicueris: bibentis ingenium fecundum reddentes; non vini enim copia, sed vis disertos reddit, et sic *Nilus fecundus*, agros fecundos reddens, apud Plin. H. N. V, 9, 10.

v. 20. *Contracta*, qua res admodum tenues in angustum quasi spatium contractae sunt, pro: angusta: — *solutum*, sc. curis, hilarem.

v. 21. *Haec*, quae sequuntur: *ne turpe toral* cett. — *idoneus*, qui haec procuret.

v. 22. *turpe*, illotum, ut supr. ad Sat. II, 4, 84. *illota toralia*, ubi vid. not. — *mappa*, cf. supr. ad Sat. II, 4, 81.

v. 23. 24. *Corruget nares;* nares, cum malum odorem trahunt, in rugas quasi contrahi, distorqueri et diduci solent. — *ne non et canth. et l. Ost. tibi te*, ut tam canthari, quam lancis bene detersae et politae splendor imaginem tuam inde repercussam tibi repraesentet; de *cantharo*, poculi genere, vid. supr. ad Od. I, 20, 2.

v. 25—27. *eliminet*, eleganter pro: evulget, effutiat; quae amici inter se colloquuntur, ea extra limen, ubi convenerant, non emanare, h. e. cum aliis communicari et patefieri, debent. — *par*, qui alteri et aetate et sentiendi agendique ratione par est, qui eadem cum altero studia sectatur. — pro: *Septiciumque* ante *Bentleium* legebatur: *Septimiumque*, ut intelligeretur *Titius Septimius*, cuius supr. Epist. 3. v. 9. mentio facta est. — *coena prior*, ad quam iam ab alio vocatus est, *potior*, coenae apud me praeferenda; pro: *potiorque*, malim: *potiorve*.

v. 29. *olidae caprae*, caprinus vel hircinus foetor sub alis hominum; *gravis hircus*, supr. Epod. XII, 5. *Trux caper*, apud Catull. LXIX, 5. haud dubie Horatius respexit aliquem, quem, hoc malo laborantem, umbram adduci nolebat, addita causa, ne, si Torquatus plures secum adduceret umbras, alarum iste odor convivis arctius accumbentibus eo gravior et molestior esset.

v. 30. *Tu*, *quotus esse velis*, scilicet cum umbris, pro vulgari: rescribe, quot umbras tecum adducturus sis, vel, quot apud me coenare tibi placeat. — *rebus*, causis, quas defendendas susceperat Torquatus.

v. 31. *Atria servantem*, in atrio te opperientem.

EPISTOLA VI.

AD NVMICIVM.

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum.
Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt, qui formidine nulla
Imbuti spectent: quid censes munera terrae?
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra quid, plausus, et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
Qui timet his adversa, fere miratur eodem,
Quo cupiens, pacto; pavor est utrobique molestus,
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem,
Si, quicquid vidit melius peiusve sua spe,
Defixis oculis, animoque et corpore torpet?

EPISTOLA VI.

Ad Numicium.

Humanam felicitatem ab animo nil admirante, h. e. neque nimium appetente, neque nimium timente quidquam, repetendam, et omnem operam in virtutis studio ponendam esse, philosophica gravitate docet.

v. 1. *Nil admirari* cett., nulla omnino re, sive laeta sive tristi, graviter affici, sed aequam in rebus arduis pariter (Od. II, 3, 1.) atque in bonis mentem servare, hoc unum nos beatos reddere et praestare potest. — *admirari* iam de quavis graviore animi affectione; Pythagoras ap. Stob.: *μηδὲν θαυμάζειν*. Cebetis tabula p. 232: *τὸ Δαιμόνιον κελεύει, μὴ θαυμάζειν, ὅ, τι ἂν πράττῃ ἢ τύχῃ*. — *Numicius*, nisi est nomen fictum, homo fuisse videtur tam in divitiis, quam in honoribus appetendis nimius.

v. 3. *et deced. cert. Temp. moment.*, et quatuor anni tempora ad solis cursum praestituto momento decedentia.

v. 4. *formid. nulla Imb. spect.*, sine ulla formidine contemplentur.

v. 5—11. Sensus: at quid iudicas de muneribus, quae terra profert? quid de muneribus maris (unionibus cett.), quibus Arabes et Indi ditantur? quid de spectaculis, cett. quo iudicio, quo animi sensu, et quibus oculis illa tibi spectanda videntur? Qui timet, quae contraria et adversa sunt his, haec eodem pacto miratur, quo is, qui illa cupit; pavor autem, simulac res quaedam improvisa utrumque opprimit, ab utraque parte cum dolore et molestia coniunctus est.

v. 13. 14. *Si — Defixis oculis* cett., significanter pro: si, quantus quantus est, percutitur? qui re aliqua totus abripitur, is oculos in ea

Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Vltra quam satis est virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum et marmor vetus, aeraque et artes
Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem:
Gnavus mane forum, et vespertinus pete tectum;
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus, et, indignum! quod sit peioribus ortus,
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi;
Quicquid sub terra est, in apricum proferet aetas,
Defodiet condetque nitentia; cum bene notum
Porticus Agrippae, et via te conspexerit Appi,

defigit, et animo atque corpore torpere et deficere incipit.

v. 16. *Vltra quam satis est*, pro: ultra modum; qui in virtutis studio usque eo progredi tentat, quo nemo progredi potest, is operam perdit.

v. 17—27. Distinxi hunc locum ita, ut ἀπόδοσις a versu 24. incipiat, et usque ad v. 27. producatur; nexus sententiarum fere hic: Quod autem ad admirationem rerum, quibus beatiores exsplendescunt, attinet, admirare modo argentum cett. supera divitiis alios; quicquid sub terra latet, aetas in lucem proferet, at ea, quae super terra nitent, sub terram defodientur atque condentur; licet enim divitiis et honoribus conspicuus oculos aliorum in te converteris, ibis tamen eo, quo Numa et Ancus delati sunt.

v. 17. *I nunc*, formula, qua cum irrisione iubemus aliquem frustra aliquid tentare; infr. Epist. II, 2, 76. *I nunc, et versus tecum meditare canoros.* — *argentum*, sc. factum, h. e. vasa argentea. — *marmor vetus*, veteres statuas, veterum Graecorum artificum opera ex marmore confecta. — *aeraque*, intellige vasa, lebetes et alia affabre ex aere facta; supr. Od. IV, 8, 2. *grata aera.* — *et artes*, artis opera; vid. supr. l. l. ad v. 5. et ad Sat. I, 4, 28.

v. 19. *loquentem*, verba facientem coram populo.

v. 20. *Gnav. man. forum*, ad foenus, ut videtur, exercendum, vel (ut supr. Sat. II, 6, 23.) ad fidem sponsione praestandam.

v. 21. *dotalibus*, non patriis, sed uxoris dote acceptis.

v. 22. *Mutus*, homo ignobilis, uxoris dote dives factus, quicunque demum ille fuerit; *et, indignum! quod sit* cett., et hic, indignum sane et vix ferendum! cum ignobiliore loco natus sit, animum tuum potius ad se, quam tu animum eius ad te advertas.

v. 24. *Quicquid sub terra est* cett. iam *Lambinus* comparat ex Sophoclis Aiace v. 639. *Χρόνος φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.*

v. 24—26. *cum bene notum* cett., quamvis te (*bene notum*) et honoribus et magnificentia nobilem in Agrippae porticu et via Appia conspiciendum praebueris. — Ad pretiosissima opera, quae M. Vipsanii Agrippae munificentiae debebat populus Romanus, pertinebat quoque *porticus*

Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quaere fugam morbi. Vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putes, ut
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter;
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas;
Mille talenta rotundentur; totidem altera porro, et
Tertia succedant, et quae pars quadret acervum.

prope Pantheon, ab eodem Agrippa exstructum; in hac beatiores deambulare, in *via Appia* autem curru maxime vecti volitare et se ostendere solebant; hinc supr. Epod. IV, 14. superbus quidam homo *Appiam mannis terere* dicitur; de *via Appia*, Roma Capuam, et inde Brundusium ducente, ab *Appio Caeco*, Censore, magnifice strata, vid. Liv. IX, 29.

v. 27. *Numa quo devenit et Ancus*, ut supr. Od. IV, 7, 15. *Nos, ubi decidimus, Quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus, Pulvis et umbra sumus.*

v. 28 – 38. *Si latus* cett. Nexus et sensus: Si aegrotas, morbum pelle remediis; si vis recte vivere, age, spretis voluptatis illecebris, virtutem, quae sola te docere potest rectiora, sequere. Quodsi vero existimas, virtutem verbis tantum, non ipso virtutis exercitio, ut lucum arboribus tantum, non pio deorum cultu, constare, i, praefer virtuti divitias, intende cursum, ne alter citius portus occupet; cave, ne quid iacturae facias in negotiis tuis; mille talenta rotunda; accipe ex manibus reginae Pecuniae quaevis dona, et iis exsplendesce.

v. 28. *tentantur*, affliguntur; sic *tentare* saepe de morbo.

v. 29. *Quaere fugam morbi*, quaere remedia, quibus in fugam compellatur morbus.

v. 31. *fortis — Hoc age*, fortiter aggredere virtutis opus, *omissis deliciis*, reiecto corporis voluptatis et mollioris vitae fructu.

v. 32. *portus occupet — portus occupare* iam est: portus prius altero occupare, (φθάνειν) h. e. praeoccupare. supr. Od. II, 12, 28. *Interdum rapere* (oscula) *occupat.* Liv. I, 14. *bellum facere occupant.* Idem I, 3. *Occupat Tullus in agrum Sabinum transire.* — Mercator, qui prior altero in portu adveniebat, advectas merces maiore pretio vendere poterat.

v. 33. *Cibyratica — Bithyna neg.*, mercatores enim Romani ex urbe Phrygiae, Cibyra, et e Bithynia (cf. supr. Od. I, 35, 7.) merces suas petere solebant; quas quidem qui non maturius advehendas curabant, *negotia sua*, h. e. quaestum *perdebant.*

v. 34. *rotundentur*, corradantur, ut summa rotundi numeri efficiatur; — *altera*, sc. mille talenta; Virg. Eclog. III, 71. *Aurea mala decem misi; cras altera* (sc. decem) *mittam.* Terent. Heaut. IV, 4, 3. *Minas quidem iam decem habet a me filia; — Hasce — consequentur alterae*, sc. decem minae.

v. 35. *et quae pars quadr. acerv.*, et quae pars efficit, ut quatuor millium talentorum acervus fiat.

Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus et formam regina Pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque.
Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scenae praebere, rogatus,
Qui possum tot? ait: tamen et quaeram, et, quot habebo,
Mittam: post paulo scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum; partem, vel tolleret omnes.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt,
Et dominum fallunt, et prosunt furibus. Ergo,
Si res sola potest facere et servare beatum,

v. 36. 37. *fidemque*, nos: *Credit.* — *genus*, nobilitatem; — *formam*, pulchritudinem.

v. 37. *reg. Pec.*, pecunia, cui, ut dominae, (ut Horatius loquitur supr. Sat. II, 3, 96.) *omnia parent*, apposite appellatur *regina;* comparant Hesiod. 686. *χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.*

v. 38. *Ac bene numm. dec. Suad. Venusque*, qui dives est, in eius comitatu Suadela et Venus conspiciuntur, h. e. ei divitiae speciem facundiae et amabilis gratiae obtendunt; is, qui dives est, ab iis, qui divitias admirantur, facundus et amabilis habetur; de templo Veneri et Suadelae, ut deabus *παρέδροις*, a Graecis exstructo vid. *Torrent.*

v. 39—46. Nexus et sensus: coacerva divitias, non quales sunt regis Cappadociae, quem, nil nisi servos habentem, deficit pecunia, sed quales possedisse dicitur Lucullus, qui tam dives fuit, ut, quae possideret, ipse nesciret. Hinc ille, rogatus aliquando, ut spectaculo edendo centum paludamenta suppeditaret, cum primum dubitasset, se tot habere, rebus suis inspectis, non centum, sed quinque millia paludamentorum invenit. Illa enim domus, quae non ita omnibus rebus abundat, ut, quanta illae sint, ipse dominus ignoret, tenuis et *exilis* est.

v. 39. *Mancip. loc. eget aer. Cappad. rex*, plurima incolarum Cappadociae pars fuerunt servi, iique abiectissimi, vid. Cic. in Orat. P. Red. in Sen. c. 6., rex igitur Cappadocum dicitur: *locuples mancipiis*, sed *egens aeris;* unde Cicero ad Atticum VI, 1. de *Cappadocia* (Asiae minoris provincia): *nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius.*

v. 40. *Ne fueris hic tu*, ne tu, ut rex Cappadociae, pecunia egueris, sive, hanc pecuniae penuriam tu fugeris! ultima in *fueris* per arsin producitur. — *Chlamydas*, quae fere fuerunt purpureae.

v. 44. *tolleret*, sc. rei scenicae curator, vel aedilis, a quo Lucullus rogatus fuerat.

v. 45. 46. *Exilis*, inops, tenuis, ut supr. Od. I, 4, 17. *domus exilis Plutonia.* — *Et dominum fallunt*, et ea, quae supersunt, ipsi domino ignota sunt.

v. 47. *Ergo Si res sola* cett., ergo, si virtutem verba, sive nomen inane putas, et *res sola*, solae divitiae, te beatum reddere et praestare possunt.

v. 48. *opus*, sc. divitiarum colligendarum.

v. 49. *species* iam, ut ex sequentibus apparet, externus splendor, externa dignitas, honoris amplitudo. Cicero in Pis. cap. 11. *magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas consulis.* — *gratia*, favor populi. — *praestat* sistit, exhibet.

v. 50—55. *Mercemur servum*, age mercare servum, qui, cum prodis in publicum, praetereuntium, quorum favorem ad consequendos honores tam salutando, quam prensando tibi concilies, nomina suggerat; hinc eiusmodi servus vocabatur *nomenclator.*

v. 51. *fodicet*, iterum iterumque impellat — *et cogat*, et te incitet, *trans pondera dextram porrigere*, dextram trans ea, quae obstant, extensam porrigere transeuntibus, pro simplice: prensare. Quid per *pondera* intelligendum sit, relictum est divinationibus. Hinc variae in hoc loco explicando allatae sunt ab interpretibus opiniones. *Ferrarius de Re Vest. III*, 2. cuius explicationem acriter defendit *Fea*, intelligebat *pondera togae*, sive infimum togae limbum, quo manus tegebatur. Sed si hoc voluisset Horatius, eum vix vocem *togae* omissurum fuisse existimes. Equidem per *pondera* intelligo quaevis molesta obstacula, viam intersepientia, trans quae dextra inclinato corpore porrigi debebat praetereuntibus.

v. 52. *Hic multum* cett. sunt verba nomenclatoris; *Hic*, digitum scilicet in praetereuntem intendit nomenclator. — *in Fabia* — *Velina*, nomina tribuum.

v. 53—55. *Cui libet*, *is fasc.* cett., hic dabit (*fasces*) consulatum ei, cui illum dare libet, et eripiet (*ebur*) sellam eburneam, h. e. curulem ei, cui illam eripere volet; designat igitur iam nomenclator viros, quorum in suffragiis ineundis multum valebat potentia et auctoritas. — *importunus* iam dicitur, qui honores petenti importune adversatur. — *Frater*, *Pater*, *adde; Vt cuique est aetas* cett., eiusmodi virum appella, et pro cuiusque aetate adde vel familiariter *Frater* vel verecunde *Pater;* si in tua aetate constitutus est, dic *Frater*, si est senex, dic *Pater.* — *frater*, sic de intimis amicis. supr. Epist. I, 3, 35. *fraternum foedus* et inf. I, 10, 4. *fraterni amici.* — *adopta*, tanquam adoptatum, tanquam in gentem tuam transierit, appella.

Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species et gratia praestat;
Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus, et cogat trans pondera dextram
Porrigere: Hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet, is fasces dabit, eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur: Frater, Pater, adde;
Vt cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.

Si, bene qui coenat, bene vivit, lucet, eamus,
Quo ducit gula: piscemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos
Differtum transire forum populumque iubebat,
Vnus ut e multis populo spectante referret
Emtum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti, Caerite cera
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Vlyssei,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque

v. 56. *lucet*, age, iam dies illucescit: Catullus XIV, 17. *si luxerit*, si nova lux exorta fuerit, primo mane. *piscemur*, *venemur*, pro vulgari: ut lautas nobis comparemus epulas, ideo iam poeta dixit: *piscemur*, *venemur*, ut captaret occasionem obiter carpendi *Gargilium*, ridiculum venatorem. Is enim, cum venatum iret, ut oculos hominum in se converteret, mane frequens forum transire solebat, retia, iacula, servos, mulos cett. secum ducens, quasi magnam e venatione praedam reportaturus esset. Sed ecce! e multis mulis unus tantum nil nisi aprum, nec eum quidem captum vel fixum, sed emtum reportat. Nos quoque non raro e venatione videre solemus redeuntes, qui gestant manticam, non lepore ab ipsis percusso, sed emto turgentem.

v. 60. *Vnus ut*, eo eventu, ut unus mulus cett. — *populo spectante* et simul ridente.

v. 61. *Crudi*, ita dicuntur, qui tam largiter se ingurgitarunt, ut cruditate laborent, asoti. — *tumidique*, sc. epulis, ut apud Persium III, 98. *turgidus hic epulis*. — *lavemur*, quamquam enim iis, qui cibos nondum concoxerunt, perniciosa est lavatio, ea tamen non abstinebant homines gulosi. Huc pertinet locus Iuvenal. Sat. I, 142—3. *Poena tamen praesens, cum tu deponis* (in balneo) *amictus Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas.* — *Caerite cera digni*, digni, qui iure suffragii privati fiant aerarii, h. e. tributi loco aera pendentes. *Caerites* scilicet, incolae urbis *Caere* in Etruria, donati quidem sunt a Romanis civitate, sed sine iure suffragii. Vid. Gell. N. A. XVI, 13. Hinc cives, qui notati a censoribus perdebant ius suffragii, in tabulam referebantur, sive classi adscribebantur, cui adscripti quoque fuerunt Caerites.

v. 63. *remigium vitiosum*, sicuti *remigium vitiosum Ithac. Vlyssei*, h. e. sicut vitiosi et corporis sensuumque voluptati dediti socii Vlyssis, qui interdictae voluptatis fructum praetulerunt patriae. — *interdicta*, monuerat Vlysses socios, ne Circes poculis et Sirenum cantibus se capi paterentur, sed frustra. Ad *remigium vitiosum* Horatius, ut saepe alibi, (vid. supr. ad Epist. I, 2, 42) particulam comparationis *sicuti*, *veluti*, omisit.

v. 65. *Mimnermus*, poeta Colophonius vel Smyrnaeus, qui scripsit carmina elegiaca in re amatoria versantia. *Mimnermi* laudes Propertius I, 9, 11. 12. complexus est his duobus

Nil est iucundum; vivas in amore iocisque.
Vive, vale: si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

EPISTOLA VII.

AD MAECENATEM.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui,
Si me vivere vis recteque videre valentem,
Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque
Designatorem decorat lictoribus atris;

versibus: *Plus in amore valet Mimnermi versus Homero; carmina mansuetus lenia quaerit Amor.* — *Mimnermi* versus autem, quos respexit Horatius, *Cruqius* e Plutarcho et *Muretus* e Stobaeo attulit: *τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης; Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι.*

v. 67. *istis*, sc. quae dixi de felicitate, quam una virtus dare potest.

EPISTOLA VII.

Ad Maecenatem.

Poeta longiorem in villa, ubi corporis reficiendi causa commorabatur, absentiam apud Maecenatem excusat, dum, se ibi quoque beneficiorum ab eo acceptorum memorem vivere, fidem facit. Tum addit narratiunculam de nobili causarum patrono Philippo et praecone Mena, qua, quantum saepe (v. 96) *dimissa petitis praestent*, h. e. quam longe praesens rerum nostrarum conditio praeferenda saepe sit ei, quam petimus, docere studet.

v. 1. 2. *Quinque dies* cett. cum a te, Maecenas, in villam meam secederem, me quinque tantum dies ibi commoraturum esse tibi promisi, sed (*mendax*) non steti his promissis, nam tu iam totum Sextilem expectas meum reditum; — mensis *Augustus* vocatur *Sextilis*, quia ille ex prisca mensium numerandorum ratione et ordine, qui a mense Martio incipit, *sextus* est. — *Atqui*, verum enimvero, attamen, nihilominus tamen.

v. 5. *dabis — veniam*, sc. diutius in villa mea delitescendi (*dum*) hoc anni tempore, quod, grave valetudini, et morbos et mortem adducere solet. Scripsisse videtur hanc epistolam sub initio mensis Septembris, appropinquante iamiam autumno, qui supra quoque Sat. II, 6, 19. *gravis et Libitinae quaestus acerbae* vocatur. Breviter autem et eleganter Horatius descripsit tempus autumni, (*dum prima ficus et calor decorat*) quo fici maturitatem trahunt, et solis fervor perniciosam in corpora vim habet.

v. 6. *Design.* — *designator*, qui ordinem in funere servandum moderatur, et suum cuique, qui funus sequitur, locum *designat*, nos: *Ce-*

Dum pueris omnis pater et matercula pallet;
Officiosaque sedulitas, et opella forensis
Adducit febres, et testamenta resignat.
Quodsi bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet,
Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non, quo more piris vesci Calaber iubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.

remonien-Meister, Marschall, Leichenbitter. — *decorat designatorem*, facit, efficit, ut designator funerum *decoretur* (honorifice cingatur) *atris lictoribus; lictores atri* (atra veste induti) erant administri, qui, sicut lictores consulibus, ita praesto adessent designatori ad populum submovendum et ad alia in funere subeunda officia. vid. *Kirchm. de Fun. Rom.* IV, 9.

v. 8. *Offic. sed. et op. for.* varia officiorum genera et varia negotia, quae in urbe viventi a primo mane usque ad noctem *per caput et circa saliunt latus*, suaviter Horatius supr. Sat. II, 6. inde a v. 20. enarravit.

v. 9. *testamenta resignat*, qui moriuntur, eorum post mortem testamenta aperiuntur; facete igitur autumnale tempus, quo maxime mori solent homines, *resignare testamenta* dicitur.

v. 10 — 13. *Quodsi bruma* cett. redeunte vere demum ad te redibo; hiemem enim valetudinis confirmandae causa in oris maritimis transigam. — *Quodsi* iam de tempore pro: cum, quando; exempla dedit ad h. l. *Lambinus.* — *nives illinet*, adsperget, immittet; *Albanis* (*Schol. Cruq. Latinis*) *agris*, montes certe Latini nive obtecti conspiciebantur hieme.

v. 11. *Ad mare*, sc. inferum. *Lambinus* sinum Tarentinum intelligendum esse suspicatur, cui suspicioni favet v. 45. et locus supr. Od. II, 6, 10 sqq. — *sibi parcet*, sibi cavebit ab iis, quae valetudini nocent, diligentem valetudinis curam habebit; sic supr. Sat. I, 4, 127. *mortis metu sibi parcere;* nos quoque hoc sensu dicere solemus: *sich schonen.*

v. 12. *Contractusque leget;* — *contractus*, scil. in locum angustum. Horatius ait, se, cum ex agris late patentibus se recepisset in tectum vel cubiculum angustius, *contractum* (*συνεσταλμένον*) ibi tempus legendo fallere velle. Similiter Horatius supr. Sat. II, 3, 11. *tectum tepidum*, ut locum carminibus scribendis aptum, laudat.

v. 14—19. *Tu me fecisti locupletem* cett., tu me beasti donis, non levioribus, non piris, quae, nihil fere pretii habentia, obtrudit rusticus se adeuntibus, non donis, quae prodigus et stultus, quia nihil pretii iis statuit, largiri solet, sed talibus, qualia vir bonus et sapiens iis, quos illis dignos censet, dare paratus est. — *Calaber hospes*, pro quovis rustico.

v. 15. *Vesc. sod.* Lepide Horatius rusticum quendam ad rusticorum in-

Iam satis est. At tu quantumvis tolle. Benigne.
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.
Vt libet: haec porcis hodie comedenda relinquis.
Prodigus et stultus donat, quae spernit et odit.
Haec seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus;
Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
Quodsi me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos;

genium colloquentem inducit cum homine, qui illum salutatum venerat; rusticus hospes offert hospiti pira, *vescere sodes*, inquiens; hospes sumit quaedam, addens: *iam satis est;* at sume tibi, ait rusticus, quotquot sumere tibi placet; hospes, plura pira sumere nolens, respondet: *benigne;* utuntur hac voce, qui urbane aliquid recusant, plane ut v. 62., ubi additur explicatio: *Neget ille mihi?* nos: *sehr gütig, aber ich danke dafür;* sic *καλῶς* apud Graecos.

v. 18. *Tam teneor dono* cett. egregie in hoc quoque versu vulgaris hominum in dono aliquo recusando sermo exprimitur: donum tuum aeque mihi gratum est, ac si illud accepissem; nos: *ich nehme es für empfangen an.*

v. 19. *haec porcis hod. com. rel.*, en rusticum vel hominem inurbanum!

v. 21. *Haec seges* cett. Eiusmodi sparsa a stultis et prodigis dona nunquam gratos animi sensus protulerunt, nec unquam proferent.

v. 22. *Vir bonus et sapiens*, qualis tu es, Maecenas, *dignis ait esse paratus*, (*ὁ καλὸς κἀγαθὸς τοῖς ἀξίοις φησὶν εἶναι πρόθυμος*), graeca constructio pro: *se paratum esse dignis*, h. e. iis, qui donis et beneficiis digni sint. Catull. IV, 2. *Phaselus ille, quem videtis, hospites, Ait fuisse navium celerrimus.*

v. 23. *Nec tamen* cett., idem tamen probe scit, quid intersit inter vera et falsa, inter proba et improba, inter sincera et assimulata, h. e. idem tamen probe scit, qui donis digni, quive donis indigni sint; *lupinus*, leguminis genus (*Lupine, Feigbohne*); *lupinos* autem non tantum pueri in ludis puerilibus pro nummis, sed etiam histriones in comoediis pro auro annumerare solebant; hinc apud Plaut. Poenul. III, 2, 20. *lupini* vocantur *aurum Comicum.*

v. 24. *Dignum praest. me et. pro l. merentis*, ego quoque, (*pro laude merentis*, h. e. secundum vel iuxta laudem merentis) ut laus patroni de me bene merentis postulat, dignum me praestabo acceptis beneficiis, sive: ego quoque respondebo donis, quae ab insigni meo patrono accepi.

v. 25. *Quodsi me nol. usq. disc.*, quodsi cupies, me nusquam a te abire, sed semper tibi Romae adesse et lateri tuo adhaerere, pristinam corporis firmitatem et pristinum animi vigorem mihi reddas necesse est.

v. 26. *Forte latus* — *latus* vel

Reddes dulce loqui; reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cinarae moerere protervae.
Forte per angustam tenuis nitedula rimam
Repserat in cumeram frumenti; pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra:
Cui mustela procul, Si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno:

latera passim de corporis viribus, quia tam virium robur, quam earum defectus in lateribus praecipue sentitur; Horatius igitur, quia corporis vires eum deficere coeperant, reddi sibi optat *forte latus.* — *nigr. ang. fr. capillos*, ergo niger olim capillus, frontis angustae decor, iamiam coepit albescere.

v. 28. *Int. vin. fug. Cin. moer. prot.* respexit Horatius rem, quam ignoramus. Fortasse Cinara *proterva* (nos: *schelmisch*, *schalkhaft*), cum aliquando post amatoriam, ut videtur, altercationem fugisset Horatium, hac fuga eius animum oppleverat moerore, quem ille ne inter pocula quidem dissimulare potuit. Caeterum *Cinara*, ut ex hoc loco apparet, et supr. Od. IV, 1, 3—4. *Non sum, qualis eram bonae Sub regno Cinarae.* cf. infr. Ep. I, 14, 33. prae aliis omnibus puellis placuisse videtur Horatio.

v. 29—39. *Forte per angustam* cett. Nexus sententiarum: Non sum homo, qui apud te, Maecenas, pasci et pinguescere volui; non in domum tuam, ut nitedula in cumeram frumenti, irrepsi; nam si comparor cum nitedula in fabulis, qui unice spectaverim hoc, ut apud te pinguescerem, omnia a te accepta reddere paratus sum. — *nitedula* et *nitela*, murium agrestium genus; formata haec vox videtur a *nitendo*, *enitendo*, quia mures saltu enituntur in loca superiora; sunt, qui putent, *nitelam* seu *nitedulam* esse bestiolam, quam Graeci dicunt δενδροβάτην; sed δενδροβάτης mihi videtur potius esse sciurus (*das Eichhorn*), qui non repere solet in *cumeram frumenti*; de *cumera*, vid. supr. ad Sat. I, 1, 53. — Pro *nitedula* omnes fere Codd. exhibent: *vulpecula.* Sed quis hanc lectionem non ad librariorum somnia referat? Vel quis Horatium usque eo rerum naturalium imperitum fuisse sibi fingat, ut *vulpeculae* aliquid tribueret, quod plane eius naturae repugnat? Hinc *Bentleius*, qui dextris Musis dextroque Apolline restituit *nitedula*, sibi temperare non potuit, quin in haec verba erumperet: „*Vestram fidem, Venatores, Rustici, Physici! Frumento vescitur vulpecula?*“ Et tamen fuerunt nostra aetate, qui stultissimae lectionis patrocinium susciperent!

v. 31. *pleno*, impleto frumenti granis. — *tendebat*, contendebat, significantius, quam tentabat.

v. 34. *Hac ego si compellor imagine*, si ad me transfertur haec fabula, quasi ego quoque hoc consilio, ut muneribus a te accipiendis fruerer, in tuam, Maecenas, amicitiam adrepserim, cuncta *resigno*, reddo; supr. Od. III, 29, 54. *si celeres quatit* (Fortuna) *Pennas, resigno, quae dedit.*

Nec somnum plebis laudo, satur altilium, nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Saepe verecundum laudâsti; rexque paterque
Audisti coram; nec verbo parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere laetus.
Haud male Telemachus, proles patientis Vlyssei:
Non est aptus equis Ithace locus; ut neque planis
Porrectus spatiis, neque multae prodigus herbae:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent: mihi iam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

v. 35—36. *Nec somnum pleb.* cett. Sensum hi duo versus mihi fundere videntur hunc: Quemadmodum autem ego non is sum, qui post coenam plebis more somno et inertiae indulgere cupiam, ita illud otium, ubi libere mihi vivere et studiis meis vacare possum, summis quibusque divitiis praefero. Horatius igitur Maecenati, se neutiquam lautioris vitae causa eius amicitiam petiisse, satis aperte dicit. — *altilium*, ad lautas epulas pertinent *altiles*, h. e. aves (anseres, gallinae cett.), quae *aluntur* et saginantur in aviario. — *divit. Arab.* supr. Od. I, 29, 1. *beatae Arabum gazae.*

v. 37—38. *Saepe verec.* cett., tu ipse saepe me ut hominem verecundum laudasti, et ego te non tantum coram, sed etiam absens *regem* et *patrem* celebravi et veneratus sum; *audit* aliquis *rex*, qui nomine regis insignitur, pro rege habetur.

v. 39. *Inspice, si* cett., dixi modo, me, si forte ego tibi videar similis nitedulae ex fabulis, *cuncta resignare velle*; vide igitur, (*si*) an ea, quae mihi donasti, (*laetus*) promto paratoque animo (*reponere*) reddere possim. — *reponere*, pro: reddere, Plaut. in Pers. I, 1, 38. *Vt mihi des nummos sexcentos — Quos continuo tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo.* Senec. de Benef. IV, 32. *Quid cuique debeam, scio, aliis post longum diem repono, aliis in antecessum.*

v. 40—43. Telemachus quoque equos, dono sibi a Menelao oblatos, generoso animo recusavit. — *patientis*, (πολυτλήμονος, πολύτλαντος,) eodem sensu Vlysses supr. Epod. XVII, 16. dicitur *laboriosus.* — *Non est aptus equis Ithace locus* cett., non possum equos mihi oblatos accipere, nam patria mea Ithaca non apta est alendis equis; aptiores alendis equis sunt lati campi, quibus tu imperas. Expressit Horatius Homerum Odyss. IV, 601. sqq. Ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλά σοι αὐτῷ Ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα· σὺ γὰρ πεδίοιο ἀνάσσεις Εὐρέος. — Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἄρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών. — *ut* — *Porrectus*, utpote, vel quippe porrectus, porrectus nempe; sic *ut* apud Plaut. Curcul. II, 1, 2. *Vt qui*, cett. quippe qui.

v. 44. *Regia Roma*, ut supr. Od. IV, 14, 44. *domina Roma*, et Od. IV, 3, 13. *Roma princeps urbium.*

v. 45. *vacuum*, ut infr. Epist. II,

Strenuus et fortis, causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque, foro nimium distare Carinas,
Iam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
Abrasum quendam vacua tonsoris in umbra,

2, 81. *vacuae Athenae;* loca dicuntur *vacua*, ubi a rebus negotium facessentibus remoti in bono otio nobis vivere et studiis nostris vacare possumus; similiter supr. Epod. V, 43. *Neapolis* dicitur *otiosa*. — *imbelle Tarentum*, ubi tranquilla et pacata erant omnia (*das friedliche, stille Tarent*). Tarentini, cum gauderent omni rerum affluentia, alieni a bello et vitae molliori dediti fuerunt; hinc ab Horatio supr. Sat. II, 4, 34. et Ovid. Metam. XV, 50. *Tarentum* dicitur *molle*.

v. 46. sqq. *Strenuus* cett. Iam Horatius, ut ostendat, quam stulte agant, qui, non acquiescentes in ea, qua utuntur, sorte, lautiora et ampliora appetunt, suavem narrationem adspergit de praecone quodam, Vulteio Mena, qui, cum a Philippo, nobili Iurisconsulto, se adduci passus esset, ut, agellum sibi mercatus, ex praecone fieret rusticus, stultum, quod ceperat, fuisse consilium, experientia edoctus est. — *Philippus*, si spectes laudes, quas Cicero passim *L. Philippo Q. F. e Marciis* (vid. *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *L. Philippus*) tribuit, iure meritoque iam vocatur *strenuus* et *fortis*.

v. 47. 48. *ab officiis*, quae Philippus in foro causas pro clientibus dicendo obierat; — *Carinas*, intellige urbis regionem, ubi habitabat Philippus; ibidem fuerunt aedes Ciceronis, a maioribus haereditate acceptae, et Pompeii. (*Vet. Schol.*) *Carinae locus apud Tellurem, ubi est Pompeiana domus.*

v. 49—50. *conspexit, ut aiunt* cett. hunc locum ita intelligo: Philippus, dum queritur de molestia, quam sibi grandaevo domum redeunti creet via longior, conspicit aliquem otiose in tonstrina sedentem, unguesque sibi (*leniter*) placido tranquilloque animo purgantem. Invidia tactus huius felicioris hominis adspectu servum, qui, quis sit ille, percontetur, in tonstrinam mittit cett. — Ipsa haec narratio eo, quod personae tam loquentes, quam agentes inducuntur, multo, ut alibi, fit suavior et vividior; rem omnem autem, ut probaret sententiam, eos tantum recte felices dici posse, „qui sorte sua contenti vivant," finxisse videtur Horatius. — *Abrasum* (alii *adrasum*, sed lectionem *abrasum* confirmat plurimorum Codd. auctoritas) *Fea* post *Marcilium* et alios explicat: libertinum, quia capitis crines abrasi fuerint manumissis; sed libertinus, praecipue iam in tonstrina sedens, vix dictus est simpliciter *abrasus*. Equidem puto, Menam, postquam eius barba abrasa fuit a tonsore, otiandi causa in *vacua tonsoris umbra* (h. e. in otiosa tonstrina: de voce *vacuus* vide supr. ad v. 45.) remansisse, et in hoc otio ipsum sibi *leniter* (nos: *mit Wohlbehagen*) ungues purgasse. Lectio *adrasum* pro: leviter rasum vel semirasum, nuper nacta est defensorem in *Heidelb. Jahrb.*

Cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri, (puer hic non laeve iussa Philippi
Accipiebat) abi, quaere, et refer: unde domo, quis,
Cuius fortunae, quo sit patre, quove patrono.
It, redit et narrat: Vulteium, nomine Menam,
Praeconem, tenui censu, sine crimine, notum
Et properare loco, et cessare, et quaerere, et uti,
Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo,
Et ludis, et, post decisa negotia, Campo.
Scitari libet ex ipso, quaecunque refers: dic
Ad coenam veniat. Non sane credere Mena:
Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne,
Respondet. Neget ille mihi? Negat improbus, et te

v. 51. *proprios*, non aliorum, ut tonsor, sed suos ipsius ungues.

v. 52. *non laeve*, ergo dextre, h. e. recte, scite, prudenter.

v. 53. *unde domo, quis* cett. Obversatus videtur Horatio modus, quo apud Homerum exquiruntur ignoti et peregrini; sic Telemachus ad Minervam Odyss. I, 170.: *Τίς; πόθεν εἶς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;* — *quo sit patre*, si Philippus in *abraso* agnoscere potuisset *libertum*, non servum de eius patre quaerere iussurus fuisset.

v. 56. *tenui censu*, in tenui re constitutum, cuius res secundum censum erat tenuis; similiter supr. Od. II, 15, 13. *census brevis*. — *sine crimine, notum et properare loco, et cessare*, virum, tam in rebus (*loco*) opportune profligandis, quam in iis accuratius et intentius tractandis satis inter homines notum; innocentis igitur vitae laudem Menae tribuebant ii, quibus ille notus erat.

v. 57. *Et proper. l. et cess.*, rem aliquam suo tempore aut intentius, aut remissius agere; *loco*, quae opportuno tempore fiunt, *loco* fieri dicuntur; cf. supr. Od. IV, 12, 28. *Dulce est, desipere in loco.* — *quaerere* simpliciter pro: rem quaerere, colligere; supr. Sat. I, 1, 92. *Denique sit finis quaerendi* infr. Ep. I, 15, 32. *Quicquid quaesierat, ventri donabat avaro.* Terent. Adelph. V, 4, 15. *Contrivi in quaerundo vitam atque aetatem meam.* — *uti*, scil. re quaesita.

v. 58. *parv. sodal.* — parvi sodales, qui humilioris conditionis, vel in parvo pretio atque honore sunt; dixerat Horatius de se ipso v. 24. *Parvum parva decent;* — *et lare certo*, intellige domum propriam et peculiarem, e qua a nemine pelli poterat Vulteius.

v. 59. *ludis*, sc. scenicis. — *post decisa negotia*, postquam Mena ut praeco vel scrutarius (v. 65.) negotia sua transegit. — *Campo*, sc. Martio, ubi animi recreandi causa iuvenes virique convenire, ambulare, natare et aliis gymnasticis exercitationibus detineri solebant.

v. 60. *quaecunque*, omnia illa, quae.

v. 62. *Benigne*, apte vertit *Vossius: Dank für die Ehre*, vid. ad v. 16.

v. 63. 64. *improbus*, illepidus

Negligit aut horret. Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat, et salvere iubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem, et mercenaria vincla,
Quod non mane domum venisset; denique quod non
Providisset eum. Sic ignovisse putato
Me tibi, si coenas hodie mecum. Vt libet. Ergo
Post nonam venies; nunc i, rem strenuus auge.
Vt ventum ad coenam est, dicenda tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hic, ubi saepe
Occultum visus piscis decurrere ad hamum,
Mane cliens et iam certus conviva, iubetur
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis, agrum coelumque Sabinum

inficetus, ineptus, qui, quod honori sibi ducere debebat, repudiat. de voce *improbus* cf. supr. ad Sat. II, 6, 29. — *horret*, te, ut virum nobilem, adire non audet, sive prae verecundia te exhorrescit; verecundia enim nonnunquam cum timore vel horrore quodam coniuncta est.

v. 65. *vilia scruta*, intellige detritas vestes, instrumenta et multa alia, tempore et usu viliora facta. Eiusmodi merces (nos: *Trödelwaare*) venales habebant *scrutarii*. Iam vero cum Menae in auctionibus, ubi ille praeco pretia licitantium pronunciabat, commoda rerum obsoletarum coemendarum suppeditaretur occasio, quomodo factum sit, ut praeco simul esset scrutarius, facile apparet. — *tunicato popello*, intellige homines de plebe, opifices, tabernarios cett., qui non toga, sed tunica utebantur.

v. 66. *occupat*, opprimit (nos: *er überrascht*). — *salvere*, sc. eum.

v. 67. *Philippo Excus. lab. et merc. vinc.*, se excusare apud Philippum labore et mercenariis vinculis; — per *vincula mercenaria* intellige officia praeconi pro constituta mercede obeunda; minus recte vertit *Vossius: Handelsgeschäfte.*

v. 68. *domum*, in aedes Philippi, *venisset*, salutandi causa. — *non mane*, mane enim salutari solebant apud Romanos patroni.

v. 69. *Providisset eum*, cum venientem accedere vidisset, observasset; Plaut. Asin. II, 4, 44. *optume; quamdudum tu advenisti? Non hercle te provideram; quaeso, ne vitio vertas, Ita iracundia obstitit oculis.*

v. 71. *Post nonam*, apud nos post tertiam horam pomeridianam.

v. 72. *dicenda, tacenda* (ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα), digna et indigna auditu, apta et inepta.

v. 73. *dimittitur*, sc. domum.

v. 73—76. *Hic, ubi saepe* cett., hunc locum ita interpretor: *Hic* (Mena), *ubi* (postquam) *saepe* sicut *piscis ad hamum occultum* ad aedes Philippi *decurrere visus* est, *Mane* (scilicet Philippi salutandi gratia) *cliens et iam certus conviva, iubetur*, cett. — de particula comparandi *sicut*, ad *piscis* omissa, cf. supr. ad Epist. I, 2, 42. — *indictis*, sc. a consule, *Latinis*, sc. feriis.

Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus:
Et, sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet, uti mercetur agellum.
Mercatur: ne te longis ambagibus ultra,
Quam satis est, morer; ex nitido fit rusticus, atque
Sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos,
Immoritur studiis, et amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem mentita seges, bos est enectus arando;
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad aedes.
Quem simul aspexit scabrum intonsumque Philippus,
Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris
Esse mihi. Pol, me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium, dextramque deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.
Qui semel aspexit, quantum dimissa petitis

v. 77—79. *mannis*, cf. supr. ad Epod. IV, 14. — *sibi dum requiem quaerit*, dum ipse in posterum vitam sectari vult quietam, inertem et negotiorum molestiis liberam; — *risus*, intellige omnia, quae vitam exhilarant.

v. 80. *septem sest.*, septem millia sestertium.

v. 82. *ultra, quam satis est*, nimis, praeter modum.

v. 83. *ex nitido*, ex elegantioris cultus homine urbano.

v. 84. *crepat*, vid. supr. ad Od. I, 18, 5. — *praeparat ulmos*, aptas reddit ulmos applicandis vitibus.

v. 85. *Immoritur studiis*, qui totus est in aliqua re, vel se totum alicui rei tractandae devovet, is *studio* huius rei *immori*, et is, qui in colligendis divitiis ita se macerat et conficit, ut ante diem senescere videatur, eleganter *habendi amore senescere* dicitur; sic γηράσκειν apud Graecos.

v. 87. *mentita* est, elusit, fefellit; sic supr. Od. III, 1, 30. *fundus mendax.*

v. 89. *iratusque*, sibi ipsi, quod passus fuerat se impelli, ut vitam quietam et iucundam mutaret cum vita inquieta et iniucunda.

v. 90. *scabrum*, plenum squaloris et sordis, horridum; nam postquam Mena *ex nitido* (v. 83.) factus erat *rusticus*, externum corporis cultum neglexit.

v. 91. *Durus*, duri laboris patiens, ut infr. Epist. I, 16, 70. *sine pascat durus aretque.* — *attentusque*, sc. ad rem, h. e. avarus.

v. 93. *ponere nomen*, imponere, dare; supr. Sat. II, 3, 48. *qui tibi nomen Insano posuere.*

v. 96—98. *Qui semel aspexit*, vi-

Praestent, mature redeat, repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.

EPISTOLA VIII.

AD CELSVM ALBINOVANVM.

Celso gaudere, et bene rem gerere, Albinovano,
Musa rogata, refer, comiti scribaeque Neronis.
Si quaeret, quid agam, dic, multa et pulchra minantem,
Vivere nec recte, nec suaviter: haud quia grando
Contuderit vites, oleamve momorderit aestus,

dit, animadvertit, intellexit. — *quantum dimissa pct. Praestent*, eam vitae conditionem, quam reliquit, multo meliorem esse illa, quam appetit. — *verum est*, aequum, rectum, fas est, decet; hinc infr. Epist. I, 12, 23. iunguntur *verum* et *aequum*, et supr. Epist. I, 1, 11. *verum* et *decens*; multa exempla de hac significatione vocis *verum* dederunt *Gronov.* et *Drakenb.* ad Liv. II, 48. §. 2. cf. supr. Sat. II, 3, 312.

EPISTOLA VIII.

Ad Celsum Albinovanum.

Horatius semet ipsum ut hominem, minus mente, quam corpore validum, sive ut hominem, *malo*, quod vocant, *hypochondriaco* laborantem, et tam amicorum, quam medicorum consiliis obnitentem, describit. — Celsus Albinovanus, ad quem scripta est haec epistola, idem esse videtur, quem supr. Epist. I, 3, 15. sqq. ut poetam, aliorum scrinia compilantem, commemorat. Nec spirat haec epistola illum amorem et molliores illos animi sensus, quos passim Horatius erga alios amicos in carminibus suis expressit.

v. 1—3. Pro simplice epistolarum apud Latinos inscriptione *salutem*, utitur iam Horatius formula, quam Graeci praefigere solent epistolis: *χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.* — *comiti scribaeque Neronis*, in comitatu sive in cohorte Tiberii Claudii Neronis, tum in terris orientalibus cum exercitu versantis (vid. *Weltzel.* supr. in Argum. ad Epist. I, 3) erat scriba (nos: *Secretair*) *Celsus Albinovanus.* — *minantem*, molientem et me perficere velle profitentem. Quae fuerint *multa* illa et *pulchra*, (grata, iucunda, praeclara,) quibus valetudinis causa operam dare Hor. non potuit, quis divinet? Locutio *minari aliquid* supr. Sat. II, 3, 9. (*Atqui vultus erat multa et praeclara minantis*) ad carmina ab Horatio exspectata referenda est.

v. 4—6. *haud quia grando* cett., ego crucior autem, non ut cruciari solent homines divites et avari, ubi vel grando vites perdidit, vel solis aestus oleas exussit, vel morbus armenta tentavit, sed mens mea male se habet et malo torpore deprimitur. — *grando* (*χαλαζοκοπία*) *Contuderit*, verberaverit. Supr. Od. III, 1, 29. *Non verberatae* (sollicitant) *grandine vineae.* — *momord. aestus*, — mordere, pro: *urere*, tam de

Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
Sed quia, mente minus validus, quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno;
Quae nocuere, sequar, fugiam, quae profore credam:
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat et se;
Vt placeat Iuveni, percontare, utque cohorti.
Si dicet, Recte; primum gaudere; subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare memento:
Vt tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

frigore (supr. Sat. II, 6, 45. *Matutina parum cautos iam frigora mordent*), quam de nimio solis calore.

v. 6. *longinq. in agris*, Romanorum enim beatiores armenta in remotis regionibus, praecipue in Calabria et Lucania, ubi erant bona pascua, alere solebant; supr. Epod. I, 27, 28. *Pecusve Calabris ante sidus fervidum Lucana mutet pascua*, cf. Od. I, 31, 5.

v. 7. *mente min. valid. q. corp.*, morbus enim, qui nunc vocatur *hypochondria*, non tam in toto corpore, quam potius in mente sedem suam habet.

v. 7. *Nil audire velim* cett., quae sequuntur egregie ingenium et naturam hominis *hypochondriaci* ante oculos ponunt.

v. 9. sqq. — ad *offendar*, *irascar*, *sequar*, *fugiam*, *amem* repete: *quia.*

v. 10. *Cur*, ideo, quod. Plin. Epist. III, 5. *Repeto, me correptum ab eo, cur ambularem.* Alia exempla ex Cicerone et Livio collegit *Lambinus.* — *funesto veterno*, pernicioso mentis torpore, languore.

v. 12. *ventosus*, venti instar mutabilis, inconstans, varius. Sic infr. Epist. I, 9, 37. *plebe ventosa.*

v. 13. *rem gerat*, ut scriba apud Neronem, *et se*, et quid rerum ipse gerat.

v. 14. *Iuveni*, Tib. Cl. Neroni.

v. 17. *Vt tu fort.* cett., Qualem tu, Celse, in fortuna, quae tibi nunc arridet, erga nos praebebis, tales erga te nos praebebimus; si me, veterem tuum amicum, praesente tua fortuna, ut antea, amabis, vicissim ego te amabo.

EPISTOLA IX.

AD CLAVDIVM NERONEM.

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
Quanti me facias: nam, cum rogat, et prece cogit,
Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis,
Munere cum fungi propioris censet amici,
Quid possim, videt ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem:
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer;
Dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.

EPISTOLA IX.

Ad Claudium Neronem.

Horatius, dum amicum suum, Septimium, ut virum fortem bonumque Tib. Claud. Neronis favori et benevolentiae commendat, singularem, qua ipse apud hunc principem fruatur, gratiam gloriose extollit. — Quam carus autem Horatio fuerit Titius Septimius, poeta tragicus, (vid. supr. ad Epist. 3, 9.) luculenter ex Oda Sexta Libri Secundi apparet.

v. 1–6. Hic locus, mutatis distinctionibus, mihi ita cohaerere videtur: *Quanti me facias*, *Claudi*, *unus nimirum* (profecto) *intelligit Septimius;* (additur ratio, cur id unus intelligat Sept.) *nam*, *cum rogat*, — *cum censet* — *quid ego possim* apud te, *me ipso valdius* (clarius) *videt ac novit.* — *nimirum*, profecto, sine dubio. Cicero de Orat. I, c. 4. *Sed nimirum maius est hoc quiddam, quam homines opinantur.* Idem ad Attic. IX, 9. *Itaque nimirum hoc illud est, quod Caesar scribit in ea epistola, cuius exemplum ad te misi.* — *prece cogit*, precibus me expugnat. — *Scilicet ut*, eo nomine, *ut coner*, *se* (Septimium) *tibi laudare et tradere*, commendare.

v. 4. *Dignum m. dom. l. hon. Ner.*, tanquam hominem, qui Neronis', cui nil, nisi quod pulchrum et honestum est, placet, *menti* (sentiendi iudicandique rationi) respondeat, dignusque sit, quem ille ad eos, quibuscum in domo sua versatur, (ad amicos suos) recipiat.

v. 5. 6. *Mun. cum f. prop. c. amici*, et cum porro *censet*, me apud te *fungi propioris amici munere*, h. e. me arctiore tecum coniunctum esse amicitiae vinculo. — *valdius*, rectius, melius, magis; observa Horatii modestiam et urbanitatem; infr. in Epist. ad Pis. 321. *Valdius delectat.*

v. 8. *Sed timui*, *ne* cett., sed timui, ne in suspicionem venirem, me consulto elevasse meam apud te auctoritatem.

v. 9. *Diss op. propr.*—*ops* vel *opis*, ut *potentia*, passim de gratia, qua quis multum pollet, multum efficere potest; vocat autem hanc *propriam*, quasi ea (*mihi commodus uni*) unice in suum ipsius commodum utatur.

Sic ego, maioris fugiens opprobria culpae,
Frontis ad urbanae descendi praemia. Quodsi
Depositum laudas ob amici iussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

EPISTOLA X.

AD FVSCVM ARISTIVM.

Vrbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, ad caetera paene gemelli,
Fraternis animis, quicquid negat alter, et alter;
Annuimus pariter vetuli notique columbi.

v. 10. *maioris culpae*, nam qui alium, quem pro gratia sua commendare potest, commendare refugit, hac inhumanitate *maiorem culpam* sibi contrahit, quam is, qui perfricta fronte in aliis commendandis laudem captat.

v. 11. *Frontis urbanae*, facete frontem duram (impudentiam) vocat *urbanam*, quia non raro in urbe inveniuntur, qui, ut versu sequente, dicitur, *pudorem deponant.* -- *descendi*, eleganter ad aliquid *descendere* dicuntur, qui perpelluntur tandem ad rem aliquam faciendam, quam primum facere nolebant.

v. 13. *Scribe tui gregis hunc*, unum cohortis tuae iube esse Septimium; — *grex*, iam in bonam partem de honesta hominum societate, de cohorte vel comitatu. sic apud Ciceronem Orat. II, 62. et ad Div. VII, 33. *sodales* et *aequales* dicuntur *gregales.*

EPISTOLA X.

Ad Fuscum Aristium.

Dum Horatius in hac epistola, se vitam rusticam vitae urbanae, sive vitae simplicitatem externo splendori longe praeferre, profitetur, in hac una re ab amico suo Fusco, urbis amatore, se discrepare scribit. — Ad *Aristium Fuscum*, grammaticum poetam et oratorem, scripta quoque est libri primi Oda vigesima secunda.

v. 1—2. *Vrbis amatorem* — *Ruris amatores*, pulchre sibi respondent contraria, in primo loco duorum primorum versuum posita.

v. 3. pro: *ad caetera* Codd. quorundam auctoritate *Bentleius* recepit: *at caetera*, quod vero ad caetera attinet; non raro certe, ut exempla a *Bentleio* allata docent, *caetera* simpliciter pro: quod ad caetera attinet, poni solet. — *gemelli*, simillimi, ut supr. Sat. II, 3, 24. *par nobile fratrum*, *Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum.*

v. 4. *Fraternis animis*, amicis, qui intimo amore se invicem complectuntur, *fraterni animi* tribuuntur; et hinc intimae amicitiae foedus supr. Epist. 3, 35. *fraternum foedus* dicitur. — *et alter*, sc. negat.

v. 5. *Annuimus pariter*, si alter ait, alter quoque ait; alter alteri in omni re pari modo annuit; sponte

Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni
Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque.
Quid quaeris? vivo et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad coelum effertis rumore secundo,
Vtque sacerdotis fugitivus, liba recuso:
Pane egeo, iam mellitis potiore placentis.
Vivere naturae si convenienter oportet,
Ponendaeque domo quaerenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura

succurrit illud Gnathonis apud Terent. Eunuch. II, 2, 21. quamvis in dissimili re: *Negat quis, nego; ait, aio.* — *veteli notique columbi;* omisit Horatius, ut saepe, particulam comparandi: *veluti, sicuti,* vid. supr. ad Epist. I, 2, 42. sensus igitur: veluti *vetuli notique columbi* (intellige columbarum par) invicem sibi annuere solent; — *noti*, consuetudine invicem sibi facti noti, et mutuo amore inter se iuncti; *notissimi inter se* apud Livium VIII, 8.

v. 6. *Tu nidum servas*, accommodate ad institutam comparationem *nidum* posuit pro urbe, ubi Fuscus, sicut columba in nido ovis incubans, haerebat.

v. 7. *Rivos et musco* cett., versus elegantissimus; cf. supr. ad Sat. I, 1, 114.

v. 8—10. *Quid quaeris?* ne multa! — *vivo et regno* cett., simulac ista vitae urbanae commoda, quae vos urbis amatores ad coelum usque extollitis, et quae ego, ut servus fugitivus sacerdotis liba, contemno, *reliqui*, (simulac ex urbe rus secessi) mihi in villa mea vivo ibique *regno*, pro animi mei arbitrio omnia facio; similiter fere Menalcas apud Virgil. Eclog. I, 70. agros, quos possederat, *regna sua* vocat. — *rumore secundo.* Virg. Aen. V, 491. *clamore secundo.* Cic. Tusc. Quaest. II, 1. *populo secundo*, h. e. probante et favente populo. Supr. Sat. II, 8, 83. *Balatrone secundo.*

v. 10. *Vtque sacerd. f. liba*, — *liba* ex farre, melle, et oleo confecta, quae in sacris offerebantur diis, Baccho (Ovid. Fast. III, 735.), Cereri, Pani cett., cum ad se transferrent sacerdotes, tanta in eorum domibus fuit liborum copia, ut illa servis comedenda praeberentur. Sed servi sacerdotum, cum eos caperet huius quotidiani cibi taedium, *recusabant liba*, h. e. malebant fugere, et pane potius, quam libis vesci.

v. 11. *Pane egeo* cett., sunt verba fugitivi: mihi opus est pane, quem placentis mellitis praefero.

v. 12. *si oportet* cett., si oportet ad praecepta philosophorum *vivere naturae convenienter* (ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν), ea tantum petere, quae natura postulat, vitae simplicitatem sequi.

v. 13. *Ponendaeque* — *ponere*, ut passim templa, moenia, urbes, pro: exstruere.

v. 14. *rure beato?* reddente beatos, qui rure vivunt; sponte succurrit dulcissimum illud Horatii carmen (Epod. II.) *Beatus ille* cett.

v. 15. *Est ubi*, estne locus, ubi hiemes mitiores sint, vel frigus minus sentiatur? ad loca, ubi hiemes tepeant et mitiores sint, agrum Tarentinum refert supra Od. II, 6, 18. *Ver ubi longum tepidasque praebet Iuppiter brumas.*

Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis,
Cum semel accepit solem furibundus acutum?
Est ubi depellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur silva columnas,
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.

v. 16—17. *et mom. Leon. Cum semel* cett. et aestum solis semel accepti in furibundi Leonis sidus, vid. supr. ad Od. III, 29, 19. — *momenta*, iam de momentis temporis, quo mense Augusto Sol in sidus Leonis transit; supr. Epist. I, 6, 4. *Hunc solem, et stellas, et decedentia certis Tempora momentis.* — *Cum semel accepit* cett., in toto hoc versu vox simplex *furibundus* elegantissime amplificata est; similiter supr. Od. III, 29, 19. *Leo* dicitur *vesanus.* — *acutum*, acrem; *acutus* de vehementiore tam calore, quam frigore; supr. Od. I, 9, 4. *gelu acutum;* ut *urere* de calore aeque ac de frigore.

v. 18. *depellat*, sic in plurimis Codd. apud *Feam* legitur; in quibusdam *divellat*, sed hoc de somno insolentius; *minus depellat*, pellat, fuget, abigat. — *invida cura*, qua cruciantur, qui alios vel honoratiores, vel ditiores vident. Hoc praecipue fit in urbe.

v. 19. *Deter. Libyc. ol. a. nit. herb. lap.*, num odor aut nitor florum in agris postponendus est nitori marmoris Numidici? respexit Hor. pavimenta lapillis marmoreis distincta (*Mosaik*).

v. 20. *in vicis*, pro: in urbe. — *tendit rumpere plumbum*, per *tendit* pulchre exprimitur intenta quasi vis, qua aqua nonnunquam fistulas plumbeas, quibus in urbem deducitur, rumpit; sic supr. I, 7, 31. nitedula, frustra pleno corpore e cumera frumenti prorepere annitens, *tendere foras ire* dicitur.

v. 21. *trepidat* (κελαρύζει), decurrit, festinat, ut supr. Od. II, 4, 23. et III, 27, 17.

v. 22—25. *Nempe inter varias* cett. Nexus et sensus: arte quidem, qui in urbe vivunt, parare sibi student ruris dotes atque munera; in domibus nempe nemora inter columnas consita nutriunt, laudantque eam domum, unde in procul sitos agros prospici potest; sed natura, quam nunc contemtim repellunt, redibit, et (*furtim*) occulta vi mala ditiorum vitae rusticae fastidia vincet, fugabitque. — *inter var. silv. col.*, habebant ditiores in aedium impluvio iuxta porticus (*varias columnas*) viridaria, quae ad rem augendam vocantur *silvae* vel *nemora*, ut supr. Od. III, 10, 5. *nemus Inter pulchra satum tecta*, et apud Tibull. III, 3, 15. *Et nemora in domibus sacros imitantia lucos?* ubi vide, quae in hanc rem observavit *Heynius.* — *varias*, ex marmore versicolore exstructas; sic lapides marmorei supr. Sat. II, 4, 83. appellantur *varii.*

Naturam expelles furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae,
Mutatae quatient: si quid mirabere, pones
Invitus: fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo

v. 23. 24. per *naturam* intelligo sensum a natura nobis insitum, et nunc quidem eum, qui animum vitae rusticae dulcedine perfundit. — *furca expellere,* locutio proverbialis de rebus, quas vi a nobis avertimus et pellimus. *furca* est instrumentum rusticum, quo stramenta et alia ex uno loco in alium protruduntur.

v. 25. *Et mala perrumpet* cett., et natura victrix rumpet per *mala fastidia*, h. e. mala ista fastidia ditiorum, qui a naturae muneribus in agris abhorrent, extundet atque abiget.

v. 26 — 29. *Non, qui* cett. Sensus: qui adulterinum purpurae colorem, quali Aquinates decipere solent imperitos, non discernere didicit contendendo cum genuino purpurae colore, is haud certiores et graviores erroris et imperitiae poenas dabit, quam ille, qui non falsum a vero distinguere poterit. — *vellera potantia fucum Aquinatem*, h. e. apud Aquinates (incolas Aquini, oppidi Volscorum,) fuco (vide supr. ad Od. III, 5, 28.) tincta. — *contendere Sidonio ostro*, comparare cum velleribus (ut loquitur Hor. Epod. 12, 21.) *lanae Tyriis muricibus iteratae*, — *callidus*, bene alicuius rei peritus; sic supr. Sat. II, 7, 101. *subtilis et c a l l i d u s iudex*, cf. Sat. II. 3, 23. — *propiusve medullis*, et quod penitius sentitur.

v. 31. *Mutatae*, sc. in adversas, pro: adversae *quatient*, concutient, gravissime afficient; *mente quati*, supr. Od. III, 3, 4. — *si quid mirabere, pones Invitus*, si quid totum animum tuum ceperit, non facile ab eo dissolvi poteris; *Ponere difficile est, quae placuere diu*, ut canit poeta suavissimus, Lotichius I, 2, 64. Hinc supr. Epist. I, 6, 1. *Nil admirari*, ubi vid. not.

v. 33. *Reges*, potentiores, ditiores. — *vita*, sapienter scilicet instituta, *praecurrere* (παρελθεῖν, παραδραμεῖν), praevertere, superare.

v. 34 — 38. Cum Himeraei vel Himerenses Phalaridi, Agrigentinorum in Sicilia tyranno, quem in auxilium vocatum summum ducem praefecerant suo exercitui, custodiam corporis quoque dare constituissent, Stesichorus, ut refert Aristot. Rhet. II, 39. Himerenses de imprudentia, qua se traderent potentiori, fabula de cervo et equo, quam hic narrat Horatius, monuisse dicitur. Eodem re-

Imploravit opes hominis, fraenumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non fraenum depulit ore.
Sic, qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede maior erit, subvertet; si minor, uret.
Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi:
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.
Imperat, haud servit, collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.

dit fabula *de Equo et Apro* apud Phaedr. IV, 4. — *melior* (κρείττων), superior; *minor* (ἥττων), inferior.

v. 37. *violens*, hominis ope factus violentior, ferocior.

v. 38. *non — depulit*, non depellere potuit, sed ab eo inde tempore equitem dorso portare et fraenum ore mordere coactus est.

v. 39 — 41. Sensus: Sic, qui, non paucis contentus, divitiarum colligendarum cupiditati rem pretiosissimam, libertatem, postponit, pecuniae experietur imperium aeternumque serviet. — *pauperiem veritus*, avarus. — *metallis*, cum contemtu pro: pecunia, ut supr. Od. II, 2, 3, *lamina — inimice lamnae Crispe Sallusti.* — *dominum vehet*, accommodate ad fabulam: Pecuniam, sicut equus equitem, dominum suum portabit, h. e. pecuniam sibi imperare patietur; pro: *vehet* ad Codd. quorundam auctoritatem *Bentleius* dedit *vehit*, quia, qui libertate caret, iam nunc vehat; sed nostram lectionem confirmat *nesciet*, in v. seq. — *improbus*, designatur avarus, qui malo et improbo studio divitias congerit; hinc supr. Od. III, 24, 62. ipsae *divitiae* dicuntur *improbae*.

v. 42 — 46. *Cui non conveniet sua res* cett. Sensus: cui res sua non conveniet, ea, si erit nimis ampla, ut calceus, qui pede maior est, illum subvertet et prosternet; at, si est arctior, ut calceus angustior, uret eum atque vexabit; — *olim*, nos: *etwa, manchmal*, vid. supr. ad Sat. I, 1, 25. — *Cogere*, congerere. — *non cessare*, qui sine ulla intermissione in cuiusdam rei studio intentus est, *non cessare* dicitur.

v. 47 — 48. *Imperat, h a u d servit*, res ipsa pro vulgari lectione: *aut*, postulat omnino *haud;* pecunia avaro, sicut eques equo, (ut v. 40. dicitur) imperat, non servit, sed is, qui pecuniam habet, *aeternum servit;* sensus igitur: pecunia cuique collecta, quae servire potius possessori suo, quam imperare debebat, *imperat, haud servit*. (confirmatus sum in proposita huius loci emendatione, postquam, idem iam tentasse *Cl. Weddelium* in *Animadv. in Horat.* p. 73., ex *Doctissimi Obbarii Observatt.* ad h. l. cognovi. *Pecunia* ex Horatii mente, quam ille, quo-

Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
Excepto, quod non simul esses, caetera laetus.

EPISTOLA XI.

AD BVLLATIVM.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinna Samos? quid Croesi regia Sardis?
Smyrna quid, et Colophon? maiora minorave fama?

tiescunque de ea loquitur, satis aperte exprimit, *non servit*, sed possessoribus tanquam servis suis *imperat;* haec est secundum Horatium pecuniae natura, et hanc *naturam*, ut is infr. Epist. I, 12, 10. dicit, *mutare pecunia nescit.* — *Tortum funem sequi et ducere*; haec locutio translata est ab animalibus, quae fune ducta ductorem sequuntur: qui *funem ducit*, imperat, qui *funem sequitur*, paret sive servit. Iam vero cum in Codd. Livii quoque, ut observat *Drakenborchius* ad Liv. XXVIII, 2. §. 11. p. 152. centies *aut* et *haud* confuderint librarii, in re, ut mihi videtur, certissima pro: *aut* ex coniectura dedi: *haud.* Occasionem harum particularum confusioni dedit fortasse prisca scriptura *haut.*

v. 49. *Haec t. dict.* Haec tibi scribenda et ad te perferenda servo vel scribae meo dictabam; — *post fanum putre Vacunae,* — *Vacuna,* dea Sabinorum, Romanis Victoria, ut docet Varro apud Acronem. Hoc Vacunae templum in agro Sabino prope lucum Vacunae sacrum (Plin. H. N. III, 12.), non procul a villa Horatii abfuisse videtur. Post illud templum igitur Horatius, qui in locis villae suae vicinis circumvagari solebat, in toro fortasse gramineo prostratus dictavit hanc epistolam. refecit hoc templum *Vacunae putri* (vetustate obsoletum), ut docet *Fea* ex reperta aliqua Inscriptione, Vespasianus.

v. 50. *Excepto*, hac una re excepta. — *caetera*, quod ad caetera attinet; vid. *Bentl.* supr. in hac Epistola ad v. 3.

EPISTOLA XI.

Ad Bullatium.

Curas non peregrinationibus, quibus coelum tantum, non animus mutetur, sed prudentia et ratione pelli posse, amico suo, Bullatio Asiam et Graeciam curarum abigendarum causa peragranti, scribit.

v. 1 — 4. *Quid*, cuiusnam pret qualis. — *Chios*, *Lesbos*, *Samos* insulae maris Aegaei; *Lesbum* vocat *notum*, non tam vini praestantioris, quod ibi nascitur (cf. sup ad Od. I, 19, 21.), quam Sappho et Alcaei ibi natorum, ut videtur ratione habita. *Samos*, urbs princeps insulae, dicitur *concinna*, sine dubio ob aedificiorum concinnitatem et alia huius urbis opportunitates; nos *niedlich, nett.* — *Sardis,* urbs princeps Lydiae.

v. 3. *Smyrna*, Ioniae urbs maritima; *Colophon*, urbs Ioniae clarissima. — *maiora minorave fama?* num illae urbes famam, qua celebrantur, superant, an minus ei respondent?

Cunctane prae campo et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas, odio maris atque viarum?
Scis, Lebedus quid sit; Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem,
Oblitusque meorum, obliviscendus et illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem.
Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque

v. 4. *campo*, scil. Martio. — *sordent*, displicent.

v. 5. *An venit in vot. Att. ex urb. un.*, an in una urbium Attalicarum vivere optas? Ad urbes nobiliores, quibus imperabat Attalus, rex Pergami, praeter *Pergamum* pertinent *Myndus*, *Apollonia*, *Tralles*, *Thyatira* cett.

v. 6. *Lebedum*, Ioniae urbem maritimam. — *odio maris atque viarum*, simillime supr. Od. II, 6, 7. itinerum maritimorum et pedestrium pertaesus dicitur *lassus maris et viarum.*

v. 7. *Scis*, *Lebedus quid sit*, nunc quidem, nam olim *Lebedus* urbs fuit celeberrima, sed inde a Lysimacho, qui eam evertit et incolas eius deduxit Ephesum, deserta; hinc vocatur *vicus desertior*, (sc. ab incolis, infrequentior,) *Gabiis* (parvo oppido inter Romam et Praeneste) *atque Fidenis*, oppido Sabinorum.

v. 10. *Nept. pr. e terra spect. furentem*, — *Lambinus* comparavit Lucretii primos versus Lib. Sec. *Suave, mari magno turbantibus aequora ventis, E terra magnum alterius spectare laborem.*

v. 11. sqq. Inde ab hoc versu usque ad finem expressit Horatius hanc fere sententiam: „Sed, quaecunque tibi placuerit urbs vel regio, fac, quaeso, redeas Romam; nam, quemadmodum is, qui Capua Romam petit, non ideo in caupona volet vivere, quoniam ibi corpus imbre adspersum siccare, reficere et a luto purgare potuit, vel is, qui nunc frigore collecto furnos et balnea laudat, non ideo illa ad summam felicitatem referet; ita tu quoque non in locis, quae te nunc delectant, haerebis, nec, in alto iactatus, vendita nave a reditu in patriam te abstrahi patieris. — Rhodos et pulchra Mitylene ei, qui non valetudinis causa eo se confert (*incolumi*), idem sunt, quod aliae res, quae, per se bonae, nisi opportuno tempore adhibentur, nocent magis, quam prosunt. Redi, et extera loca remotus (*absens*) ab iis Romae lauda. Fruere bonis, quae fortuna sereno vultu tibi nunc arridens offert, ut, ubicunque fueris, te iucunde vixisse dicere possis. Nam si non loci alicuius amoenitas, sed rationis usus et considerantia curas evellit ex animo, profecto ii, qui trans mare currunt, non animum, sed coelum tantum mutant. Sed sic sumus homines, navibus et quadrigis vecti procul petimus, quod in propinquo est et ante pedes iacet."

Aspersus, volet in caupona vivere; nec, qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Vt fortunatam plene praestantia vitam.
Nec, si te validus iactaverit Auster in alto,
Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit, quod
Penula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
Dum licet, et vultum servat Fortuna benignum,
Romae laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens.
Tu, quamcunque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu; nec dulcia differ in annum;
Vt, quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas; nam si ratio et prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter, aufert;
Coelum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere: quod petis, hic est;
Est Vlubris, animus si te non deficit aequus.

v. 14. *Vt fort. pl. praest. vit.* tanquam ea, in quibus perfecta posita sit vitae felicitas, ut ea, quae praestent et parent vitae plene fortunatae fructum.

v. 17. *Rhodos et Mitylene*, cf. supr. ad Od. I, 7, 1.

v. 18. *Penula*, vestis crassior, qua iter facientes se muniebant contra frigus et pluviam; vid. *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *penula.* — *campestre*, velamentum, quo, qui aestate nudi in Campo Martio certabant, ad obtegenda pudenda succingebantur.

v. 20. *vult. serv. Fort. ben.*, vanae igitur fuisse videntur curae, quarum deponendarum causa peregrinabatur Bullatius.

v. 24. *libenter*, suaviter, iucunde.

v. 26. *Non loc. eff. l. maris arbiter*, locus, e quo libere prospici potest in late patens mare, dicitur *maris arbiter*, h. e. dominus, in mare quasi dominans; locus autem, qui late effusi maris prospectum praebet, est amoenissimus.

v. 28. *Strenua nos exercet inertia* — *inertia* ex suavi oxymoro iam dicitur *strenua*; non raro enim homines inertes in iis, quae non suscipere et exsequi debebant, gnavos se praebent atque strenuos.

v. 29. *petimus bene vivere*, petimus locum, ubi bene vivamus.

v. 30. *Est Vlubr.* — *Vlubrae*, oppidum exiguum et desertissimum in agro Pomtino. — *animus aequus*, qui sibi constat, non varius et mutabilis est; Horatius igitur Bullatio paulo lenius exprobrasse videtur inconstantiam.

EPISTOLA XII.

AD ICCIVM.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est, ut copia maior
Ab Iove donari possit tibi; tolle querelas;
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius.
Si forte in medio positorum abstemius herbis
Vivis et urtica, sic vives protenus, ut te

EPISTOLA XII.

Ad Iccium.

Iccium, hominem querulum, et divitiis suis nondum contentum, a plura habendi cupiditate dehortatur, et in copia, quam iam habeat, acquiescere iubet. Iccium divitiarum colligendarum flagrasse studio, iam ex Carmine ad eum scripto supr. Od. I, 29., ubi Horatius Iccium ditescendi causa animum ad militiam appulisse ait, colligi potest. Ex iis autem, quae in hac Epistola passim adsperguntur, v. 8. 14. 21., eundem fuisse hominem sordidissimum, haud obscure intelligitur.

v. 1. *Fruct. Agrippae Sicul.* cett., postquam Iccius spe divitiarum in bello (vid. supr. Carmen modo laudatum) sibi comparandarum exciderat, alia, quibus voti sui compos fieret, circumspexit. Neque id frustra. Agrippa enim Iccium latifundiorum suorum in Sicilia administrationi praefecerat; hinc *Agrippae fructus Siculos colligere* dicitur.

v. 2. 3. *non est, ut possit* (Graece: *οὐκ ἔστιν ὡς* vel *ὅπως*), pro: non potest; cf. supr. Od. III, 1, 9. — *tolle querelas*, ergo iam saepe Iccius, ut solent avari, de rerum suarum conditione querelas fuderat.

v. 4. *cui rerum suppetit usus*, cui suppetunt res necessariae in usum, vel qui tantum habet, quantum ad vitam sustentandam opus est; *rerum usus*, res, quibus in vita utimur; sic apud Livium XXII, 2. *necessaria ad usus*, sunt res, quibus vita carere non potest, vitae necessaria (*τὰ δέοντα*), cf. supr. ad Od. II, 11, 5.

v. 5. *Si vent. b., si l. est ped.* pro vulgari: si vales, si bona valetudine uteris. — *lateri*, pulmoni. Expressit, ut observat *Lambinus*, Horatius haec ex Theogn. Sent. 724. sive potius Solone (frag. XII. ap. Brunck. p. 109.) *Ἰσόν τοι πλουτοῦσιν, ὅσοις πολὺς ἄργυρος ἔστι, καὶ χρυσὸς, καὶ γῆς πυροφόρου πεδία, Ἵπποι θ' ἡμίονοί τε, καὶ ᾧ τὰ δέοντα πάρεστι. Γαστρί τε καὶ πλευραῖς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν.*

v. 7—8. Sensus: si tu forte, repudiatis melioribus, quae in medio posita sunt, h. e. quorum data tibi est copia, vilissimis cibis, herbis et urtica, vesceris, profecto hoc vili victu, dum nullos plane sumtus facis, *sic vives*, h. e. id assequeris, ut mox, quantus quantus es, aurum

Confestim liquidus fortunae rivus inauret:
Vel quia naturam mutare pecunia nescit;
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, si Democriti pecus edit agellos
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox;
Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures:
Quae mare compescant causae; quid temperet annum;

fias, h. e. ut auro obruaris. *Si forte* — *Vivis*, sine dubio *vere* ita vixit Iccius. sed opprobrii molliendi gratia dixit *forte*. — pro: *protinus* rectius iam *Bentleius* dedit *protenus*, hoc enim (pro: *porro tenus*) de rebus, quae deinceps, h. e. continuo more vel ordine fiunt; cf. supr. ad Od. III, 3, 30.

v. 9. *inauret*, proverbiali locutione *inaurari* dicuntur, quibus tanta est auri vis, ut eo obrui videantur. — *liquid fort. riv.*, de Pactolo et Mida cogitasse Horatium suspicatur *Baxterus*.

v. 10 — 11. *Vel quia* cett., duas Horatius affert rationes, ex quibus cumulus pecuniae apud Iccium crescere debeat, vel quia pecunia naturam suam non exuat, (pecunia scilicet, ut supr. Epist. 10, 47 — 48. Horatius loquitur, *imperat*, et subiectos sibi et quasi fune a se ductos quovis modo opes augere iubet) vel quia Iccius, ut philosophus, prae virtute omnia alia, et proinde pecuniam quoque contemnat, et hoc contemtu, dum omnem pecuniae usum repudiet, ditior usque evadat; prior ratio est vera, posterior Iccii ludendi causa ficta.

v. 12 — 15. *Miramur, si* cett. Sensus: Quodsi miramur, Democritum toto animo ita philosophiae studio defixum fuisse, ut ille, nulla rerum domesticarum cura habita, vicinorum pecora agros suos depasci sineret, multo magis mirari debemus, te, Icci, (*inter tantam scabiem et contagia lucri*) inter tam foedam et contagiosam ditescendi cupiditatem ultra ea, quae parva sunt, sapere, et in rerum sublimium, h. e. coelestium et physicarum causas atque origines, ut olim, inquirere. *Democriti* (*Schol. Cruq.*). *hic dum philosophiae intentus erat, neglexit agros suos adeo, ut vicinorum pecora ibi libere pascerentur*. De Democriti ingenio et rerum suarum negligentia *Gesnerus* laudat *Menag.* ad Diog. Laert. IX, 39.

v. 13. *animus sine corpore velox*, praeclare de animo, qui, seiunctus a corpore, per se viget, cogitat, ratiocinatur. Cic. Tuscul. Quaest. I, 19. *nihil est animo velocius: nulla est celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere.*

v. 15. *adhuc*, nunc quoque; nos: *noch immer*.

v. 16 — 19. *Quae mare* cett. hic locus, in quo philosophorum de rerum physicarum causis quaestiones tanguntur, comparandus est cum Manil. I, 99. seqq. Virgil. Georg. II, 477. seqq. Propert. III, 5, 25. seqq. — *mare compescant*, intra terminos suos cohibeant. Propert. l. l. v. 37. *Curve suos fines altum non exeat aequor.* — *temperet annum*, moderetur annum vicissitudinibus ad certas leges constitutis; Propert. l. l. v. 38. *Plenus et in partes quatuor annus eat.*

Stellae sponte sua, iussaene vagentur et errent;
Quid premat obscurum Lunae, quid proferat orbem;
Quid velit et possit rerum concordia discors;
Empedocles, an Stertinium deliret acumen.
Verum seu pisces seu porrum et caepe trucidas,
Vtere Pompeio Grospho; et, si quid petet ultro,
Defer: nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudì virtute Neronis
Armenius cecidit: ius imperiumque Phraates

v. 17. *iussaene vagentur et errent*, planetas intellige.

v. 18. 19. *Quid premat obsc.*, quid lunam obscuret, quid eandem ex obscuritate proferat, et lucentem sistat; per lunam obscuratam intellige lunae defectum, sive (ut Virgil. dicit l. l. v. 478.) *lunae labores*. — *rerum concordia discors*, ad philosophorum scilicet mentem ea, quae in rerum natura inter se pugnant, mirifice ad mundum conservandum consentiunt; hanc *concordiam discordem* Manilius l. l. v. 141. vocat *discordiam concordem*. Ovid. Met. I, 430. seqq. *Quippe ubi temperiem sumsere humorque calorque, Concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus; Cumque sit ignis aquae pugnax, vapor humidus omnes Res creat, et discors concordia foetibus apta est.*

v. 20. *Empedocles*, Agrigentinus, poeta et philosophus, qui de rebus physicis scripsit, (Cic. Orat. I, 50, 3.) quatuor elementis addidit concordiam (*φιλίαν*) et discordiam (*νεῖκος*). — *Stert.*, de Stertinio vid. supr. ad Sat. II, 3, 33.

v. 21. *seu pisc.*, intelligit poeta per *pisces* epulas lautiores; — *trucidas*, per zeugma refer tantum ad *pisces*, ad *porrum* et *caepe* supple fere: contundis; *contundere* enim est, quod nos dicimus: *zusammenschneiden*, ut apud Virg. Eclog. II, 11. *allia serpyllumque contundere.*

v. 22. *Utere Pompeio Grospho*, adhibe coenae tuae; de *Pompeio Grospho* cf. supr. ad Od. II, 7. in Argum. — *ultro*, si mavis referre ad *Defer*, erit: promto paratoque animo.

v. 23. *verum*, quod rectum et fas est, cf. supr. ad Epist. I, 7, 98.

v. 24. *Vilis amic. annona est, bonis* cett., respondet hic versus sententiae: Grosphum nil, nisi quod rectum et aequum sit, petiturum esse; sensus igitur: si vir bonus, qualis est Grosphus, re aliqua, qua ille indiget, a te iuvabitur, vili pretio eum tibi amicum parare poteris, quia ea tantum, quae vilioris pretii sunt, a te petet; — *vilis annona* proverbiali locutione de iis, quae, sicut annona, vili pretio acquiruntur. — *deest*, una syllaba pronunciandum, ut supra Sat. II, 2, 98. *deerit* duabus syllabis.

v. 26 — 29. Ad res novas cum Iccio communicandas tria potissimum refert, 1) quod Cantabri Agrippae, 2) Armenii Tiberii Claudii Neronis virtute devicti sint, 3) quod Phraa-

Caesaris accepit genibus minor: aurea fruges
Italiae pleno defudit Copia cornu.

tes, fracta tandem ipsius superbia, ius et imperium Augusti agnoverit et nunc formam supplicantis induerit. De *Cantabris*, ab Agrippa tandem perdomitis, vid. Dio LIII, 25.; hinc supr. Od. III, 8, 22. *Cantaber sera domitus catena.* quod ad verba *Cl. virt. Ner. Armenius cecidit* attinet, tenendum est, Horatium non eos sequi, qui caedem Artaxiae, Armeniorum regis, dolo propinquorum tribuunt, sed in Tiberii gratiam vulgarem famam, qua caedes quoque Artaxiae ad res a Tiberio gestas referebatur; Tacitus quoque, Annal. II, 3., post verba: *Occiso Artaxia per dolum propinquorum* addit: *datus a Caesare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone;* et Suetonius de Tiberio cap. 9. *Ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniae Tigrani restituit.* — verba: *ius imperiumque Phraates accepit genibus minor* interpretor, ut modo indicavi, de tempore, quo Phraates, cum imminens Romanorum bellum extimesceret, maiorem Romanorum potentiam agnovit, et quodammodo iuri et imperio Caesaris sese subiecit, a. U. c. 734. Iustin. XLII, 5. *Finito Hispanico bello, cum Caesar* (Augustus) *in Syriam ad componendum Orientis statum venisset, metum Phraati incussit, ne bellum Parthiae inferre vellet. Itaque tota Parthia recollecti captivi ex Crassiano sive Antonii exercitu, signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed et filii nepotesque Phraatis obsides Augusto dati* cett., cf. Sueton. Octav. 21. — *imperium accepit*, hinc supr. Od. III, 5, 4. *praesens divus habebitur Augustus, adiectis Britannis Imperio, gravibusque Persis.* — Od. IV, 14, 41. *Te Cantaber non ante domabilis, Medusque miratur* — et Carm. Saec. v. 54. *Iam mari terraque manus potentes Medus Albanasque timet secures.* — *genibus minor*, nil nisi supplicantis adumbratio; qui *minor* alicuius genibus est, is infra eius genua collocatus, sive ad eius genua prostratus est. — Ad hanc, quam inii, explicandi rationem neque emendatio *Bentleii: Tigranes* pro: *Phraates*, neque motae de hoc loco a duumviris, *Ruhnkenio* ad Vellei. P. II, 94. et *Eichstadio*, (*Kritischer Nachtrag zum ersten Buch der Episteln p. 225.*) dubitationes momentum facere videntur.

v. 28. 29. *aurea fruges Italiae* cett., cf. supr. Od. I, 17, 14. sqq. et Carm. Saec. v. 59. — *defudit*, pro vulgari igitur: messis hoc anno fuit largissima; sed librr. vett. variant; alii offerunt *defundit*, alii *diffudit*, alii *diffundit;* posterius equidem praetulerim.

EPISTOLA XIII.

AD VINIVM ASELLAM.

Vt proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vini,
Si validus, si laetus erit, si denique poscet;
Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister.
Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,
Abiicito potius, quam, quo perferre iuberis
Clitellas, ferus impingas, Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas:
Victor propositi simulac perveneris illuc,

EPISTOLA XIII.

Ad Vinium Asellam.

Dum Horatius signata carminum volumina Vinio Asellae ad Augustum perferenda tradit, mandata et praecepta, quomodo illa portanda et Augusto porrigenda sint, iocose addit. Caeterum hoc carmen retulerim ad ea, quae subito chartae illevisse videtur Horatius.

v. 1. *Vt proficisc. d. t. s. diuque,* — *ut*, ad eam rationem, quam docui; fuit igitur Vinius Asella tabellarius, servilis conditionis homo, quem cum literis proficiscentem iam saepe multumque, quomodo dextre obiret tabellarii officium, Horatius docuerat.

v. 2. *signata*, sigillo impresso obsignata.

v. 3. *Si validus — erit*, si prospera valetudine utetur; sic *validus* de eo, qui bene valet et salvus est, supr. Od. I, 31, 17. *male validus*, male corpore affectus, imbecillis, supr. Sat. II, 5, 45. — *poscet*, sc. tradi sibi volumina.

v. 4. 5. *Ne stud. nostri pecces*, ne, dum meis rationibus inservire studes, rem tuam sinistre agas; — *odiumque* cett., et, dum praecipitantius et nimia sedulitate libellos tradis, Augustum offendas; — *minister*, tabellarius, — *vehemente opera sedulus*, male vel nimis sedulus.

v. 6. *te uret*, te premet et vexabit.

v. 8. *Clitellas*, apposite iam Horatius ad lusum, cui in tabellarii nomine *Asella* indulsit, librorum sarcinam vocat *clitellas*, (nos: *Saumsattel*), quae asinis ad onera portanda imponi solent; — *ferus* iam de asino, ut de equo supr. Sat. I, 5, 57. et apud Virgil. Aen. II, 51.

v. 8. 9. *Asinaeque pat. Cog. v. in ris.*, hoc lusu, in nomine *Asella* sive *Asina* captato, Horatium abstinuisse, plures, puto, mecum velint. — *et fabula fias*, et per ora hominum traducaris; vid. supr. ad Epod. XI, 8.

v. 10. *lamas*, locos palustres, paludosos, lutosos.

v. 11. *Victor propositi*, propositam viam emensus. — *illuc*, in aedes Augusti.

Caesaris accepit genibus minor: aurea fruges
Italiae pleno defudit Copia cornu.

tes, fracta tandem ipsius superbia, ius et imperium Augusti agnoverit et nunc formam supplicantis induerit. De *Cantabris*, ab Agrippa tandem perdomitis, vid. Dio LIII, 25.; hinc supr. Od. III, 8, 22. *Cantaber sera domitus catena.* quod ad verba *Cl. virt. Ner. Armenius cecidit* attinet, tenendum est, Horatium non eos sequi, qui caedem Artaxiae, Armeniorum regis, dolo propinquorum tribuunt, sed in Tiberii gratiam vulgarem famam, qua caedes quoque Artaxiae ad res a Tiberio gestas referebatur; Tacitus quoque, Annal. II, 3., post verba: *Occiso Artaxia per dolum propinquorum* addit: *datus a Caesare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone;* et Suetonius de Tiberio cap. 9. *Ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniae Tigrani restituit.* — verba: *ius imperiumque Phraates accepit genibus minor* interpretor, ut modo indicavi, de tempore, quo Phraates, cum imminens Romanorum bellum extimesceret, maiorem Romanorum potentiam agnovit, et quodammodo iuri et imperio Caesaris sese subiecit, a. U. c. 734. Iustin. XLII, 5. *Finito Hispanico bello, cum Caesar* (Augustus) *in Syriam ad componendum Orientis statum venisset, metum Phraati incussit, ne bellum Parthiae inferre vellet. Itaque tota Parthia recollecti captivi ex Crassiano sive Antonii exercitu, signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed et filii nepotesque Phraatis obsides Augusto dati* cett., cf. Sueton. Octav. 21. — *imperium accepit*, hinc supr. Od. III, 5, 4. *praesens divus habebitur Augustus, adiectis Britannis Imperio, gravibusque Persis.* — Od. IV, 14, 41. *Te Cantaber non ante domabilis, Medusque miratur* — et Carm. Saec. v. 54. *Iam mari terraque manus potentes Medus Albanasque timet secures.* — *genibus minor*, nil nisi supplicantis adumbratio; qui *minor* alicuius genibus est, is infra eius genua collocatus, sive ad eius genua prostratus est. — Ad hanc, quam inii, explicandi rationem neque emendatio *Bentleii: Tigranes* pro: *Phraates*, neque motae de hoc loco a duumviris, *Ruhnkenio* ad Vellei. P. II, 94. et *Eichstadio*, (*Kritischer Nachtrag zum ersten Buch der Episteln p. 225.*) dubitationes momentum facere videntur.

v. 28. 29. *aurea fruges Italiae* cett., cf. supr. Od. I, 17, 14. sqq. et Carm. Saec. v. 59. — *defudit*, pro vulgari igitur: messis hoc anno fuit largissima; sed librr. vett. variant; alii offerunt *defundit*, alii *diffudit*, alii *diffundit;* posterius equidem praetulerim.

EPISTOLA XIII.

AD VINIVM ASELLAM.

Vt proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vini,
Si validus, si laetus erit, si denique poscet;
Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister.
Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,
Abiicito potius, quam, quo perferre iuberis
Clitellas, ferus impingas, Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas:
Victor propositi simulac perveneris illuc,

EPISTOLA XIII.

Ad Vinium Asellam.

Dum Horatius signata carminum volumina Vinio Asellae ad Augustum perferenda tradit, mandata et praecepta, quomodo illa portanda et Augusto porrigenda sint, iocose addit. Caeterum hoc carmen retulerim ad ea, quae subito chartae illevisse videtur Horatius.

v. 1. *Vt proficisc. d. t. s. diuque*, — *ut*, ad eam rationem, quam docui; fuit igitur Vinius Asella tabellarius, servilis conditionis homo, quem cum literis proficiscentem iam saepe multumque, quomodo dextre obiret tabellarii officium, Horatius docuerat.

v. 2. *signata*, sigillo impresso obsignata.

v. 3. *Si validus — erit*, si prospera valetudine utetur; sic *validus* de eo, qui bene valet et salvus est, supr. Od. I, 31, 17. *male validus*, male corpore affectus, imbecillis, supr. Sat. II, 5, 45. — *poscet*, sc. tradi sibi volumina.

v. 4. 5. *Ne stud. nostri pecces*, ne, dum meis rationibus inservire studes, rem tuam sinistre agas; — *odiumque* cett., et, dum praecipitantius et nimia sedulitate libellos tradis, Augustum offendas; — *minister*, tabellarius, — *vehemente opera sedulus*, male vel nimis sedulus.

v. 6. *te uret*, te premet et vexabit.

v. 8. *Clitellas*, apposite iam Horatius ad lusum, cui in tabellarii nomine *Asella* indulsit, librorum sarcinam vocat *clitellas*, (nos: *Saumsattel*), quae asinis ad onera portanda imponi solent; — *ferus* iam de asino, ut de equo supr. Sat. I, 5, 57. et apud Virgil. Aen. II, 51.

v. 8. 9. *Asinaeque pat. Cog. v. in ris.*, hoc lusu, in nomine *Asella* sive *Asina* captato, Horatium abstinuisse, plures, puto, mecum velint. — *et fabula fias*, et per ora hominum traducaris; vid. supr. ad Epod. XI, 8.

v. 10. *lamas*, locos palustres, paludosos, lutosos.

v. 11. *Victor propositi*, propositam viam emensus. — *illuc*, in aedes Augusti.

Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum;
Vt vinosa glomos furtivae Pyrrhia lanae;
Vt cum pileolo soleas conviva tribulis.
Ne vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quae possint oculos auresque morari
Caesaris: oratus multa prece, nitere porro.
Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

EPISTOLA XIV.

AD VILLICVM SVVM.

Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis, et

v. 12. *Sic positum servabis onus*, librorum fasciculum tenebis; *sic*, hunc in modum, h. e. apte et decenter positum; sed fortasse quoque Horatius, dum aiebat *sic*, ipse simul monstrabat et praeibat *σχῆμα*, quo tradenda essent carmina.

v. 14. *vinosa* (bibax); *Pyrrhia* (*Schol. Cruq.*) *nomen est ancillae in quadam fabula Titinnii, quae, furata lanae glomos, ita se gestavit, ut deprehensa sit.* — *glomos*, — *glomus, eris* et *glomus, i*, i. e. lana in formam globi convoluta.

v. 15. *Vt cum pileolo* cett., sicuti tribulis ex plebe vel rure a superiore vel ditiore eiusdem tribus ad coenam vocatus soleas cum pileolo sub ala portare solet; de *solearum* usu in conviviis vid. supr. ad Sat. II, 8, 77. Rusticos autem mores, ut ex hoc loco discimus, ostendebat *tribulis*, qui, cum coenatum iret, soleas cum pileolo sub ala gestabat. — *pileolo*, quo extrema tantum capitis pars obtegebatur. Videntur autem *pileoli* ad externum convivarum cultum pertinuisse.

v. 16. 17. *sudavisse ferendo*, quasi nihil sudoris exprimere possit onus tam gratum, carmina scilicet, quae possint Caesaris oculos et aures *morari*, advertere et oblectare. Infr. in Epist. ad Pis. 321. *Fabula nullius veneris, sine pondere et arte, Valdius oblectat populum meliusque moratur.*

v. 19. *mandataque*, sc. carmina *frangas*, corrumpas, disperdas; accommodate ad *titubes*, quia non raro, qui titubant, pedes frangere solent.

EPISTOLA XIV.

Ad villicum suum.

Dum ridet carpitque Horatius mutabilem animum villici sui, cui vita rustica, quam modo vitae urbanae praetulerat, sordere coepit, versus quosdam (v. 37 — 39.) de vitae rusticae iucunditate et commodis inserit dulcissimos.

v. 1 — 5. *Villice*, rerum in villa administrandarum curator, nos: *Meier, Verwalter.* — *mihi me reddentis*, ubi liber et solutus invisis negotiis

Quinque bonos solitum Variam dimittere patres;
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro; et melior sit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur,
Fratrem moerentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter; tamen istuc mens animusque
Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique;

ad me redire et mihi soli vivere soleo. — *quinque focis*, per *quinque focos* intelligo quinque domos vel aediculas, in quibus habitaverant adhuc quinque familiae, quarum *boni patres* (nos: *wackere Hausväter*) negotiorum causa se inde conferre soliti fuerant *Variam*, oppidulum ad Anienis ripam dextram. — Non sine causa autem Horatius iam ab hac parte commendat villam suam; nam quo amplior illa fuit et frequentior, eo iucundius ibi vivere poterat villicus.

v. 4 *spinas* — *spinas evellere agro*, sensu proprio, *evellere animo*, sensu metaphorico de curis, quae animum pungunt et lacerant, vel de vitiis, quae animum corrumpunt; infr Epist. II, 2, 212. *Quid te exemta iuvat spinis de pluribus una?* hinc *spinosae curae* apud Catull. LXIV, 72.

v. 5. *et melior sit Horatius, an res*, et utrum plus valeat virtus Horatii in repellendis vincendisque iis, quae animum turbant, an vis illa, quam rerum habendarum cupiditates curaeque in animum habent.

v. 6. *Lamiae* — de *Q. Aemilio Lamia*, quem, ut ex hoc quoque loco apparet, intimo amore complexus est Horatius, vid. supr. Od. I, 26. in *Argum.* — *Lamiae pietas et cura*, pius erga amicum meum Lamiam amor et de eo, graviter fratris morte afflicto, cura atque sollicitudo; nisi quis *pietatem* ad fraternum amorem, et *curam* ad luctum referre malit. — *me moratur*, me Romae retinet, me in urbe manere iubet, sc. ut in Lamiae mei doloris societatem veniam.

v. 8. *mens animusque*, totus meus animus; — *istuc fert*, in villam me trahit rapitque.

v. 9. *et am. sp. obst. r. cl.*, et cupiditate impedimenta itineri in villam obiecta e medio tollendi impellitur; *amat*, cupit, *φιλεῖ*, *ποθεῖ*, Eurip. Hecub. 998. cf. supr. ad Od. III, 16, 10. — *spatiis obstantia claustra*, locutio a ludis Circensibus translata; *claustra* sunt carceres sive repagula, quibus quadrigae in ludis Circensibus, donec signum ad certamen dabatur, a *spatio*, (h. e. curriculo sive stadio) cohibebantur.

v. 11. *sua nim. est od. sors*, is sane sorte sua non contentus est.

v. 12. *locum*, sc. in quo collocatus est vel vivit. — *immeritum*, innocentem, ut *vestis immerita* supr. Od. I, 17, 28. *paries immeritus* Sat. II, 3, 7.

In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas;
Nunc urbem et ludos et balnea villicus optas:
Me constare mihi scis, et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter
Meque et te: nam, quae deserta et inhospita tesqua
Credis, amoena vocat, mecum qui sentit, et odit,
Quae tu pulchra putas: fornix tibi et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video; et quod
Angulus iste feret piper et thus ocius uva;
Nec vicina subest, vinum praebere, taberna,
Quae possit tibi: nec meretrix tibicina, cuius
Ad strepitum salias terrae gravis: et tamen urges
Iampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disiunctum curas, et strictis frondibus exples:

v. 13. *qui se non effugit unquam;* supr. Od. II, 16, 20. *quis exsul Se quoque fugit.* — pro: *unquam*, quia sermo est de loco, malim *usquam; non—usquam*, in nullo usquam loco.

v. 14. *mediastinus*, videtur ita dictus esse servus urbanus, qui mediis in aedibus ad quaevis obeunda servitia praesto adstabat; nos: *Hausknecht.*

v. 18. *Non eadem miramur*, non eodem sensu de iisdem rebus afficimur. *eo disconvenit inter Meque et te*, supr. Epist. I, 10, 2: *hac in re scilicet una Dissimiles.*

v. 19. *tesqua*, (*Vet. Schol.*) *lingua Sabinorum loca difficilia et repleta sentibus sic nominantur.* vid. Festus p. 154. Lind. Varro de L. L. VI, 2.

v. 21. *fornix*, Francogalli: *Bordel. uncta popina*, possit quidem explicari *immunda*, uti vocatur *popina* supr. Sat. II, 4, 62, sed *immunda* popina non potest urbis desiderium incutere; *uncta* igitur iam popina, ubi unctae sive lautiores epulae administrantur; sic infr. Epist. I, 17, 12. *unctus*, qui lautius vivit: *accedes siccus ad unctum.* Epist. I, 15, 44. *Verum ubi quid melius contingit et unctius.* Apud Catull. XXIX, 3. *patrimonia uncta*, opima, lautiora.

v. 22. seqq. *et quod* cett., porro ideo in urbem redire cupis, quod (*angulus iste*) hic ager, ab urbe remotus, piper et thus (*ocius*) potius quam uvas feret; denique, quod nec in vicinitate est taberna, quae tibi vinum praebere possit, nec praesto adest meretrix cett. *praebere*, suppeditare; hinc *praebitor, der Wirth.*

v. 26—28. *terrae gravis*, rustici enim, praecipue vino graves, cum saltant, gravius pulsant terram pedibus. — *et tamen urges* cett., sensus et nexus: et tamen non diffluis ignavo otio, quod excitare possit urbis desiderium, imo iam pridem vel insudas agro ligonibus fodiendo, vel bovem in stabulo curas, et strictas frondes ei suppeditas; — *Disiunctum*, in stabulo enim bos a iugo disiunctus est.

Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc, age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togae nitidique capilli,
Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
Quem, bibulum liquidi media de luce Falerni,
Coena brevis iuvat, et prope rivum somnus in herba:
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat; non odio obscuro morsuque venenat:
Rident vicini glebas et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis?
Horum tu in numerum voto ruis? Invidet usum

v. 29—30. *Addit opus pigro rivus* cett., huc accedit labor, quo te otiosum occupat rivus, qui, si imber decidit, *multa mole*, a pratis apricis cohibendus est; per *multam molem* intellige aggerem, obices, stipites cett. — *docendus parcere*, eleganter pro: coercendus; infr. in Epist. ad Pis. 68. *amnis — doctus iter melius;* — *aprico parcere prato*, ne in pratum apricum se immittat.

v. 31. *quid nostrum concentum dividat*, quid illud sit, quo inter me et te disconveniat, ut locutus est v. 18.

v. 32—36. *tenues* (e tenui et subtili panno confectae) *togae* opponuntur *togis crassis.* supr. Sat. I, 3, 15. — *capilli nitidi*, sc. unguentis. supr. Od. II, 7, 7. *capilli Malobathro Syrio nitentes.* — fuerunt autem Horatii crines *nigri*, ut ipse eos laudat supr. Epist. I, 7, 25. — *immunem*, nullo oblato munere; hinc supr. Od. IV, 1, 3. *qualis eram bonae sub regno Cinarae.* — *rapaci*, munerum apud alios appetentissimae; sic *rapax domina* apud Tibull. II, 4, 25.

v. 34. *bibulum*, infr. Epist. I, 18, 91. *Potores bibuli media de nocte Falerni.*

v. 35. *Coena brevis*, modica, quae brevi tempore sumitur; similiter infr. in Epist. ad Pis. 198. *mensa brevis.* — *pr. riv. somnus in herba*, somnus *in herba*, (toro gramineo) est mollior; hinc Virgilius Eclog. VII, 45. *Muscosi fontes, et somno mollior herba;* accipio autem *somno* in h. l. Virg. non in ablativo, sed in dativo pro: somnum capienti, dormienti.

v. 36. *lusisse*, amoribus et genio indulsisse; — *sed non incidere ludum*, sed non intermittere ludum illum, non finem facere iuvenili proterviae, id pudori et dedecori est.

v. 37. *istic*, in villa mea, in agro.

v. 37. *obliquo oculo* (invidia) *Limat*, deterit, invidis limisque oculis insidiatur meis commodis; — *morsuque venenat*, sicut anguis.

v. 39. *glebas et saxa moventem*, me fodientem et saxa emoventem.

v. 40—41. Post *mavis* et *ruis* signum interrogationis posui. Tune in urbe cum servis (*diaria*) cibos in singulos dies iis destinatos dentibus rodere mavis?

Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
Optat ephippia bos piger; optat arare caballus:
Quam scit uterque, libens (censebo) exerceat artem.

EPISTOLA XV.

AD NVMONIVM VALAM.

Quae sit hiems Veliae, quod coelum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio, et qualis via; (nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis,

v. 42. *usum Lignorum*, quorum in agris largior est copia, *pecoris*, lactis, *calo*, vid. supr. ad Sat. I, 2, 44. — *argutus*, callidus, astutus, catus; ut supr. Sat. I, 10, 40. *arguta meretrix.*

v. 43. *bos piger*, quamvis bos pro tarditate sua non currere, ut equus, potest.

v. 44. *Quam scit uterque, lib. ex. art.* Proverbium ex Aristophane Vesp. 1422. notum: *Ἔρδοι τις, ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.* — *uterque*, villicus et calo.

EPISTOLA XV.

Ad Numonium Valam.

Poeta, suadente medico Musa Antonio, lavandi causa non Baias, sed Veliam et Salernum profecturus, Numonium Valam de aëris in his duobus oppidis temperie, de hominum, qui ibi vivant, moribus et ingenio. denique de via eo ducente percontatur. — In hac paulo incuriosius scripta epistola cum expressa solutioris animi hilaritas atque levitas, tum adspersi sales et nativus iocose dictorum lepor egregie ante oculos ponunt Horatii indolem atque ingenium. — Numonium Valam Horatii familiarium non fuisse ultimum, satis docet haec epistola. Utrum vero idem, quod nonnulli contendunt, legatus Vari a Germanis caesi (Vellei. Pat. II, 119.) fuerit, nec ne, parum equidem curo.

v. 1 — 25. *Quae sit hiems* cett. Oratio, duabus longioribus parenthesibus interrupta, usque ad v. 25. progreditur. Exemplum eiusmodi longioris parentheseos iam supr. Sat. I, 7, 10 sqq. occurrebat; — *quae*, qualis, mitisne an immitis? — *coelum*, aëris temperies (*Clima*); — *Velia*, Lucaniae oppidum. — *Salernum*, agri Picentini oppidum maritimum in Magna Graecia. — (*nam mihi Baias* — — *Per medium frigus*, sensus orationis paulo molestius iunctae est fere hic: nam Baias sive thermas valetudini meae non convenire, me docuit medicus, Antonius Musa, et quamvis non mea, sed medici auctoritate utor balneis frigidis, tamen id aegre ferunt Baiarum incolae. (*Schol. Cruq*) *Antonius Musa aegritudine Augusti artem suum illustravit: nam cum dolore Arthritico laboraret, et ad summam maciem perductus esset, curante Aemilio medico, qui eum adeo calidis curabat, ut tectum cubiculi eius velleribus muniret: hic postea, in contrarium versis omnibus, non*

Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. Sane murteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulphura contemni, vicus gemit, invidus aegris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt, et frigida rura.
Mutandus locus est, et diversoria nota
Praeteragendus equus: Quo tendis! non mihi Cumas
Est iter, aut Baias, laeva stomachosus habena
Dicet eques: sed equi fraenato est auris in ore.)
Maior utrum populum frumenti copia pascat;
Collectosne bibant imbres, puteosne perennes

solum profusionibus frigidis, sed etiam Gargarismis Cicerninae aquae, quae est Atellae, in domo Caesaris et potionibus usus est, ita. ut intra breve tempus eum curaret. Ob quam causam ab Augusto usque ad Sestertium quadringenties ex Senatusconsulto accepit. Hic autem Musa Horatio iusserat, ut (latinitas postulabat: *Musa Horatium iusserat — uti*) *lavacro frigido uteretur propter oculorum dolorem.*

v. 5—9. *Sane murteta* cett. post *frigus* posui distinctionem maiorem; sensus: (*Sane*) Profecto (*vicus*) Baiarum incolae, *murteta* sua (myrteta, loca myrtis consita) *relinqui* et *sulphura* (intellige vapores sulphureos), quae ibi dicuntur *morbum cessantem* (inhaerentem) *nervis elidere* (depellere), (*gemit*) vere dolent, (*invidus aegris*) indignantes aegris, balnea frigida alibi petentibus. — Rem illustrat Celsus III, 17. *Est et quarundam naturalium sudationum*, (sc. calor) *ubi e terra profusus calidus vapor aedificio includitur, sicut super Baias in murtetis habemus;* et cap. 21. *siccae sudationes —, quales super Baias habemus in murtetis.*

v. 8. 9. *caput et stomachum supponere fontibus*, cogitari potest de balneis, ubi aqua in lavantes guttatim destillat; — *Clusinis*, Clusii, oppidi in media Etruria. — *Gabiosque*, cf. supr. ad Epist. I, 11, 7. — *frigida rura*, ubi valetudini, qui ea laborant, frigidorum balneorum usu consulunt.

v. 10 — 13. *Mutandus locus est*, parendum est medico; mutanda sunt balnea, non ad balnea Cumana aut Baiana, sed ad balnea Gabina iter dirigendum est. — Facete autem Horatius iam animo sibi fingit instans iter. Si forte equus, inquit, viam dextrorsum Baias aut Cumas ducentem ob nota sibi in hac via diversoria (ut facere apud nos solent equi mercede conducti,) transire nolet, (*eques*) ego: *Quo tendis! Non mihi Cumas Est iter, aut Baias! stomachosus*, non verbis, sed *habena* sinistrorsum equum flectente dicam; non audit enim equus; — *sed equi auris in ore fraenato est*, h. e. equus non verbis, sed fraeno paret.

v. 14. *Maior utrum populum* cett, pergit quaestiones proponere, ad quas Valam Horatio respondere par sit; *utrum populum*, incolas Veliae et Salerni.

Iugis aquae; (nam vina nihil moror illius orae.
Rure meo possum quidvis perferre patique;
Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanae iuvenem commendet amicae:)
Tractus uter plures lepores, uter educet apros:
Vtra magis pisces et echinos aequora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti;
Scribere te nobis, tibi nos accredere, par est.
Maenius, ut, rebus maternis atque paternis
Fortiter absumtis, urbanus coepit haberi,
Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
Impransus non qui civem dignosceret hoste,
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,

v. 16. *iugis aquae;* cf. Sat. II, 6, 2.

v. 17. *Rure meo possum quidvis perferre patique*, in villa mea didici tolerare vitam vino et quibusvis aliis rebus carentem; modo mihi e perennibus iugis aquae fontibus bibere liceat. Per *quidvis* intelligit quidem Horatius omnem victum viliorem, quem non recuset rure vivens, nominatim tamen, ut docent sequentia, regionis illius vinum, quo se haud invitum abstinere ait.

v. 18. *mare*, sc. inferum; in animo habuit Lucaniam, ut apparet ex v. 21. — *lene*, ut supr. Od. I, 7, 19. *merum molle*, nos: *milde*, *sanft*.

v. 21. *iuvenem*, iuveniliter ardentem.

v. 22. *Tractus uter*, utra regio, Veliaene an Salerni?

v. 23—26. *echinos*, cf. supr. ad Sat. II, 4, 33. — *Phaeaxque*, et similis Phaeacum regi, Alcinoo, luxuriosa vita nobili, cf. supr. ad Epist. I, 2, 28. — *Maenius*, iam supra Horatius *Maenium* ut vappam et nebulonem produxit, Sat. I, 1, 101. et Sat. I, 3, 2. — *rebus maternis atque paternis*, patrimonio.

v. 27. *urbanus*, dicax, loquax, urbanae elegantiae laudem facete dictis captans; huc pertinet imprimis locus Plauti Trinum. I, 2, 162. seqq. *Nihil est profecto stultius, neque stolidius, Neque mendaciloquius, neque argutum magis, Neque confidentiloquius, neque periurius, Quam urbani assidui* (semper se obtrudentes) *cives, quos scurras vocant.*

v. 28. *non cert. praesepe teneret*, tanquam vorax bellua, ut in sequentibus describitur.

v. 29. *Impransus non qui* cett. iunge: *qui*, *impransus*, (impastus, fame exstimulatus,) *non civem hoste* (non amicum inimico) *dignosceret.* cfr. Theocr. XV, 147.

v. 30. 31. *saevus*, accommodate ad bestiam, quae impasta saevit; — *Pernicies*, (φθόρος, vid. *Valcken.* ad Theocr. Adoniaz. p. 310. C.) apud Terentium Adelph. II, 1, 34. *Leno sum fateor, pernicies communis*

Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quicquid quaesierat, ventri donabat avaro.
Hic ubi nequitiae fautoribus et timidis nil,
Aut paulum abstulerat, patinas coenabat omasi,
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, corrector Bestius. Idem
Quicquid erat nactus praedae maioris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, Non hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona; cum sit obeso
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.
Nimirum hic ego sum; nam tuta et parvula laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

adolescentiae, et similiter apud eundem Eunuch. I, 1, 34. Thais *fundi calamitas* vocatur. — *barathrumque*, et vorago quasi, omnia in macello venalia absorbens et deglutiens cf. Sat. II, 3, 167.

v. 32. *quaesierat*, hinc illinc dicacitate sua collegerat, conquisiverat; de voce *quaerere* cf. supr. ad Epist. I, 7, 57.

v. 33. *nequitiae*, sc. scurrilitatis; nam scurra est homo nequam. — *timidis*, timentibus sibi a scurrae dicacitate.

v. 34. *omasi*, nos: *Kaldaunen.*

v. 35. *Vilis et agninae*, nos: *schlechtes, oder elendes Schaffleisch.*

v. 36. 37. *Scilicet ut* cett., hac sorte famelica Maenius (*corrector*) morum censor exstitit, tanquam alter Bestius, scilicet ut diceret, hominum luxuriosorum ventribus candente lamna notam vel stigma inurendum esse. — *Bestius* videtur fuisse homo avarus, qui nepotes et prodigos acerbissime tractandos censeret. Persius quoque Sat. VI, 37. severum morum censorem *Bestii* nomine insignit.

v. 38. 39. *omne Verterat in fum. et cinerem*, omnia abligurierat, ad nihilum redegerat.

v. 42—46. *Nimirum hic ego sum* cett. Sensus: Talis (*hic*) ego sum, ait Horatius, Maenio nimirum, quod ad animum utrique sorti sese accommodantem attinet, similis; nam cum res deficiunt, pauperis sortem ut tutiorem divitis sorte laudo, dum (*inter vilia*) in vili et tenui victu me virum fortem et sapientem praesto; sed idem ego, si quid melius et lautius contingit, solos eos felices praedico, quibus in villa pulchre exstructa vitam transigere licet.

v. 44. *unctius*, lautius, optabilius; vid. ad praecedentem Epist. v. 21.

v. 46. *fundata*, bene et tuto collocata in *villis nitidis*, pulchritudine et nitore conspicuis.

EPISTOLA XVI.

AD QVINCTIVM.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivae,
Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo:
Scribetur tibi forma loquaciter, et situs agri.
Continui montes, nisi dissocientur opaca
Valle: sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol,
Laevum decedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid? si rubicunda benigne
Corna vepres et pruna ferunt? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum iuvat umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.

EPISTOLA XVI.

Ad Quinctium.

Horatius, postquam in principio huius Epistolae ad Quinctium villae suae Sabinae situm coloribus descripsit pulcherrimis, quomodo is, qui vere bonus haberi et vere beatus esse cupit, sentire et agere debeat, more suo docet. Ad eundem Quinctium Hirpinum scripta est Oda Libri Secundi undecima.

v. 1. 2. *fundus meus Arvo pascat*, utrum villa mea frumento in agris collecto dominum alat.

v. 3. *an amicta vitibus ulmo*, elegantissime pro vulgari: an vino; in arbustis enim nascuntur uvae in vitibus, arborum, praecipue ulmorum trunco applicatis; ulmus igitur *amicitur vitibus*, et hinc suaviter vites *ulmos* (Columell. V, 6.), vel *populos* (Epod. II, 10.) *maritare* dicuntur.

v. 4. *loquaciter*, ut loquaces et verbosi esse solemus in descriptione rei animo nostro inprimis carae.

v. 5. 6. *nisi dissoc. op. Valle*, praeterquam quod perpetua eorum series valle opaca, Vstica, interiecta dirimitur. — *sed ut veniens* cett., ita tamen, ut sol (*veniens*) oriens in dextrum eorum latus radios demittat.

v. 7. *Laev. deced.* cett., celeri vero curru ad occasum ruens, h. e. sol vero occidens laevum montium latus tepido vapore obducat et obumbret.

v. 8. *Temperiem*, sc. aëris, *coelum*, ut in versu primo praecedentis Epistolae dicitur. — *Quid si rubic. ben.* cett., ergo Horatius in villa sua, ubi vepres rubicunda corna et pruna ferebant, aureae aetatis vestigia deprehendisse videtur; Virg. Eclog. IV, 29. de aurea aetate: *Incultisque rubens pendebit sentibus uva.*

v. 10. *Multa fruge*, glandibus. — *pecus*, sues.

v. 11. *Dicas adduct.* cett. quodsi spectes huius regionis amoenitates, situm, aëris temperiem et fertilitatem, Tarentum huc translatum esse, vel te alterum Tarentum hic videre

Fons etiam, rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam, nec purior, ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hae latebrae dulces, et iam, si credis, amoenae,
Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
Tu recte vivis, si curas esse, quod audis:
Iactamus iampridem omnis te Roma beatum;
Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi credas;
Neve putes alium sapiente bonoque beatum;
Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi

existimes; ad amoenissimas Italiae regiones Horatius alibi quoque Tarentinam refert; cf. Od. II, 6, 10. seqq. III, 5, 56. et quia in hac amoena regione homines vivebant mollius, *Tarentum* supr. Sat. II, 4, 34. vocatur *molle*. — *adductum frondere*, elegantius pro: adductum esse.

v. 12—14. *Fons etiam* cett. Fons etiam Bandusius, quem celebravit Horatius supr. Od. III, 13., (*idoneus dare*, graece: qui det,) tam largiter fluens, ut aqua sua rivum faciat, eique nomen *Digentia* det, et ita comparatus, ut nec purior, nec frigidior Hebrus Thraciam ambiat, infirmo capiti et alvo salubris fluit; — *utilis* pro: salubris, ut apud Ovid. Trist. III, 3, 9. *cibus utilis aegro*, et Met. XIII, 630. *venti utiles.*

v. 15. 16. *Hae latebrae*, hic angulus, ut Horatius supr. Od. II, 6, 14. de Tarento; *Bentleius*, cui tam lectio *etiam, si credis, amoenae*, quam *et iam, si credis, amoenae* frigebat, proposuit: *et, (iam si credis) amoenae*; sed nec hoc mihi placet; an scripsit fortasse Horatius: *Hae latebrae dulces, et tam, si credis, amoenae?* — *Incol. tibi me* cett., mense Septembri me salvum atque incolumem tibi sistunt, h. e. e villa mea, ubi nunc delitesco, tam dulci, si credis, atque amoena, salvus atque incolumis mense Septembri ad te redibo.

v 17. *si curas esse*, *quod audis*, si studes te talem praebere, qualis tu esse (*audis*) diceris.

v. 18. *omnis Roma*, nos omnes Romani.

v. 19—23. *Sed vereor*, *ne* cett. Sed vereor, ne aliorum de te plus, quam tuo ipsius iudicio credas; (quia probe scis, te non esse eum, qui esse diceris,) vereor porro, ne alium, quam eum, qui sapiens et bonus sit, beatum habeas; vereor denique, ne, licet omnes, te sanum esse et bene valere dictitent, reapse tamen aegrotes, sed similis sis ei aegroto, qui febrem sub edendi tempus, ne cibi sibi denegentur, occultat, donec febris, cum manus tremere incipiunt, prodatur. — Ex hoc loco, haud vulgarem Horatio cum Quinctio intercessisse amicitiam, satis certe colligi potest. Quis enim sumat sibi, cuiquam, nisi intimo amico, dicere vel scribere: „tu non es is, qui esse videris, vel esse diceris; tu vitia tua, sicut aegrotus febrem, dissimulas.“ — *ne cui de te plus* cett., *Baxterus* commode affert versum Catonis I, 14. *Plus aliis de te, quam tu tibi credere noli.* — *alium sapiente*, (graece: ἄλλον τοῦ σοφοῦ,) di-

Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:
„*Tene magis salvum populus velit, an populum tu,*
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Iuppiter;“ Augusti laudes agnoscere possis;
Cum pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? — Nempe
Vir bonus et prudens dici delector. Ego ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet; ut, si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem.
Pone, meum est, inquit; pono, tristisque recedo.
Idem, si clamet furem, neget esse pudicum,

versum a sapiente, alium, (v. c. divitem) quam sapientem; sic infr. Epist. II, 1, 240. *alius Lysippo*, alius, quam Lysippus. — *Neu, si te pop.* cett. Sensus: neve, si vulgo pro viro bono et sapiente haberis, vitia tua dissimules et occultes, similis fere iis, qui febrim, qua laborant, occultant et dissimulant, sed eandem inter edendum manuum tremore produnt et aperiunt.

v. 23. *manibus unctis*, significanter *manus* iam dicuntur *unctae;* nam, qui inter edendum tremunt, cibis tremore excussis, manus commaculare solent; *unctas* iam: pollutas, contaminatas, vid. supr. ad Epod. V, 19.

v. 24. *pudor malus*, importunus, ut supr. Sat. II, 3, 39.

v. 26—28. *Dicat*, canat; — *vacuas*, patentes canenti; elegantius pro vulgari: tuas. Ad verba, quae sequuntur: *Tene magis* cett. vetus Schol. observat: *Haec enim Varius de Augusto scripserat; sunt autem ex nobilissimo Panegyrico Augusti.* Horatius igitur, qui quavis arrepta occasione Augusti laudes carminibus suis inserit, nunc de una fidelia, quod in proverbio dicitur, duos dealbat parietes; nam Varii simul, ut magni poetae, versus celebrat. — *Servet in ambiguo*, sinat esse in ambiguo, ne scilicet alterum ab altero in amore superari appareat.

v. 29. *Augusti laud. agnosc. possis?* num possis esse tam stolidus, ut laudes, non tibi, sed uni Augusto convenientes, ad te transferas?

v. 30. *Cum pat. sap. emend. voc.*, graece pro: cum pateris te sapientem emendatumque vocari.

v. 31. *Respondesne tuo, dic sodes, nomine?* sunt, qui *nomine* antique pro: *nomini* positum esse opinentur, quia *respondere alicui rei* dicitur; sed vide, an hic locus explicari possit sic: dic, quaeso, respondesne sapienti emendatoque vel sapientis emendatique virtutibus, sive, facisne, quod sapiens emendatusque facere debet, *tuo nomine*, hoc, quo te vocari pateris, nomine, dum sapientis emendatique nomen geris?

v. 33. *auferet*, sc. nomen boni et prudentis. — *ut, si* — ut, si quis.

v. 36. 37. *Idem, si clamet*, me esse *furem*, me *pudicum esse neget*,

Contendat laqueo collum pressisse paternum;
Mordear opprobriis falsis, mutemque colores?
Falsus honor iuvat, et mendax infamia terret,
Quem, nisi mendosum et medicandum? vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque servat;
Quo multae magnaeque secantur iudice lites;
Quo res sponsore, et quo causae teste tenentur?
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsus turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi: si mihi dicat
Servus: Habes pretium, loris non ureris, aio.
Non hominem occidi: Non pasces in cruce corvos.
Sum bonus et frugi: Renuit negitatque Sabellus.
Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, et opertum milvius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine poenae:

me *collum paternum laqueo pressisse* (fregisse, me parricidam esse) *contendat.*

v. 39. *Falsus*, immeritus.

v. 40. *medicandum*, insanum, stultum, helleboro curandum.

v. 42 *secantur*, dirimuntur, ut supr. Sat. I, 10, 15. *Ridiculum acri Fortius et melius magnas plerumque secat res.*

v. 43. *tenentur*, obtinentur, ab iniuria vindicantur; exempla Ciceroniana vid. in *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *tenere.*

v. 45. *Intrors. turp spec. pelle decora*, supr. Sat. II. 1, 64. *Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis.* Eiusmodi homines, qui prava dissimulatione aliud in ore, aliud in pectore gerunt, infr. in Epist. ad Pis. v. 437. vocantur *animi sub vulpe latentis.*

v. 47. *loris non ureris*, sic supr. Sat. II, 7, 58. *virgis uri.*

v. 49. *Renuit negitatque;* vulgo legebatur: *renuit negat atque.* Sed *Bentleius*, quem secutus sum, durissima copulae *atque* post *negat* collocatione iure offensus ad duorum optimae notae Codd. fidem recepit: *renuit negitatque;* vox *negitare* apud optimos quosque scriptores obvia; exempla collegit *Fea.* Nec displicet, quam Cod. *Bersmanni* offert, lectio: *renuitque negatque.* — Suavissime autem Horatius se vocat *Sabellum*, quasi, qui rure vivunt, liberius et apertius loquantur.

v. 51. *milvius*, non rapax tantum avis e genere accipitrum, sed rapax quoque piscis nomen gerit *milvii*, qui volanti similis praedae captandae causa supra mare se attollere dicitur; vid. Plin. H. N. VIII, 26. Ovid. Halieut. v. 95. *Nam gaudent pelago, quales Scombrique Bovesque, Hippuri celeres, et nigro tergore Milvi. Milvius* ad piscium genus Coryphaenarum (*Doraden*) pertinere videtur. — *opertum*, esca obductum; similiter supr. Epist. I, 7, 74: *hamus occultus.*

Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis:
Nam de mille fabae modiis cum surripis unum,
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocunque deos vel porco vel bove placat,
Iane pater clare, clare cum dixit Apollo,
Labra movet, metuens audiri: Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus obiice nubem.
Quî melior servo, quî liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.

v. 54. *Sit spes fallendi*, at si tibi forte spes sit malefacti poenam dolo et fraude effugiendi; — *miscebis sacra profanis*, sacra et profana in nullo apud te erunt discrimine, quidquid suadet libido, facies. Infr. in Epist. ad Pis. 397: *fuit haec sapientia quondam, Publica privatis secernere, sacra profanis.*

v. 56. *Damn. est, n. f. m. p. lenius isto*, damnum quidem, quod mihi hoc furto paratur, est lenius, sed facinus non est lenius, est et manet furtum. Dicit autem haec Horatius ad paradoxon Stoicorum, qui *omnia peccata paria esse* statuebant.

v. 57. *Vir bonus*, non vere bonus, sed ex vulgari opinione, ut sequentia docent. — *quem spectat*, cum verecundia quadam observat.

v. 59. *Iane pater*, Ianus, ut deus, tam toto anno, quam unoquoque die rebus suscipiendis favens, invocabatur; hinc supr. Sat. II, 6, 20: *pater matutinus* vocatur.

v. 60. *Labra movet*, mussitat. — *Pulchra Laverna*, (*vetus Schol.*) *Laverna in via Salaria lucum habet; est autem dea furum* (hominum fraudulentorum), *dicta Laverna a lavando; nam fures lavatores dicuntur.* Haec dea plane ad ingenium hominum, eius praesidium sibi expetentium, vocatur iam *pulchra.*

v. 61. *fallere*, vid. ad v. 54. pro: *iusto sanctoque* vulgo legebatur: *iustum sanctumque*, sed haec lectio prodit emendatorem, graeci loquendi generis, quo saepe usus est Horatius (vid. supr. ad Sat. I, 1, 19.), imperitum; confirmatur autem nostra lectio optimorum Codd. auctoritate apud *Cruquium*, *Torrentium* et *Lambinum.*

v 63—65. *Quî melior servo* cett. Quomodo avarus, cum se ob assem in triviis fixum demittit, servo melior et liberior sit, non video; repetit igitur poeta sententiam supr. Epist. X, 47. et passim propositam, *pecuniam avaris, ut servis suis, imperare.* Ex hoc loco discimus, pueros apud Romanos nummos in solo lutove vinculo quodam fixisse, ut, cum praetereuntes affixos nummos cupide tollere velle viderent, ridendi haberent materiem; Pers. V, 111: *Inque luto fixum possis transcendere nummum.*

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere cum possis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter: sine pascat durus, aretque;
Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonae prosit; portet frumenta penusque.
Vir bonus et sapiens audebit dicere: Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet. In manicis et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.
Ipse deus, simulatque volam, me solvet. Opinor,
Hoc sentit: Moriar; mors ultima linea rerum est.

v. 67. *Perdidit arma*, abiecit arma, quibus contra vitia, nominatim contra avaritiam, pugnari debet; per *arma* intellige virtutis praecepta, — *locum virtutis deseruit*, locum, ubi virtus exerceri debet, deseruit homo avarus, qui divitiis semper augendis insudat, et rei pecuniariae negotiis, vel pecuniae acervo obruitur. Locutiones *arma perdere, deserere locum*, h. e. *aciem, stationem* vel *signa* (apud Graecos *λειποτακτεῖν*,) eleganter translatae sunt a militia.

v. 69. *captivum*, facete *avarus*, ut desertor virtutis et servus pecuniae vocatur *captivus;* captivi autem tam vendi, quam occidi poterant.

v. 70. *Serviet utiliter* cett., iam affert rationes quasdam, ex quibus captivo nostro parcendum sit, ostendens scilicet, fieri posse, ut avarus utiliter serviat, et intentississmis laboribus vario modo publicis commodis prosit. — *durus*, duri laboris patiens; ut supr. Epist. I, 7, 91. *Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris Esse mihi.*

v. 72. *Annonae*, rei frumentariae.

v. 73—79. *Vir bonus et sap.* Respondet hic versus et seqq. versui 57. et seq., ubi sermo est de viro bono ex opinione vulgi. Longe aliter res se habet, ait Horatius, cum viro vere bono et sapiente; is enim vim sibi allaturo sine omni timore audebit dicere, quod captivus vinctusque Bacchus Pentheo, Cadmi in regno Thebarum successori, apud Euripidem in Bacch. dixit v. 492. (edit. *Beck.*) *Εἴφ' ὅ τι παθεῖν δεῖ· τί με τὸ δεινὸν* (atrox, Horat. *indignum*) *ἐργάσῃ;* v. 494. Penth. *πρῶτον μὲν ἁβρὸν βόστρυχον τεμῶ σέθεν.* Horatius pro *cincinnis* in rem suam posuit *bona.* — v. 497. Penth. *Εἱρκταῖσί τ' ἔνδον σῶμα σὸν φυλάξομεν.* v. 498. Bacch. *Λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτὸς, ὅταν ἐγὼ θέλω.* Hoc ultimum a Baccho, Penthei potentiam ridente, ambigue dictum iam transfertur ad mortem, sive (*simulatque volam*) ad Stoicorum *αὐτοχειρίαν.* — *ultima linea rerum*, ultimus peracti cursus terminus, meta, calx, rerum humanarum finis.

EPISTOLA XVII.

AD SCAEVAM.

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis, et scis,
Quo tandem pacto deceat maioribus uti;
Disce, docendus adhuc quae censet amiculus, ut si
Caecus iter monstrare velit; tamen adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.
Si te grata quies et primam somnus in horam
Delectat; si te pulvis strepitusque rotarum,
Si laedit caupona; Ferentinum ire iubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.
Si prodesse tuis, pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.

Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. Vtrius horum
Verba probes et facta, doce; vel iunior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia; namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
Splendidius multo est: equus ut me portet, alat rex,
Officium facio. Tu poscis vilia rerum
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.
Omnis Aristippum decuit color et status et res,
Tentantem maiora fere, praesentibus aequum.
Contra, quem duplici panno patientia velat,

EPISTOLA XVII.

Ad Scaevam.

Horatius, scribens ad Scaevam de ratione, qua ditiorum et potentiorum gratia colligi et parari debeat, eum, qui rem aliquam strenue et prudenter peragat, multo potiorem esse illo, qui molestiam alicuius rei suscipiendae et tentandae fugiat, docet et probatum it. Horatii amicus, Scaeva, videtur quibusdam filius eius Cassii Scaevae, quem virum fortem laudat Iul. Caes. B. C. III, 53.

v. 1. *per te*, tua ipsius prudentia.

v. 2. *maioribus uti*, se gerere erga potentiores, versari cum potentioribus.

v. 3. *ut si*, ac si, quasi ego velut caecus (τυφλὸς ὁδηγός,) iter tibi monstrare velim.

v. 4. *tamen adspice*, nihilominus tamen considera.

v. 5. *proprium fecisse*, in usum tuum convertisse. — *aliquid proprium facere*, iam est: rem aliquam proprio studio sibi exercendam sumere vel deligere.

v. 6. *Si te grata quies* cett., si sectari vis ea, quae animo tuo grata et iucunda sunt, quietem et dulce otium, vitare autem ea, quae tibi ingrata et molesta sunt, vehiculorum in urbe strepitum, excitatum pulverem, clamores in cauponis, age, secede Ferentinum; non solis enim divitibus concessa est voluptas, quae in locis amoenis percipitur; at si familiae tuae rationibus consulere, et tuum ipsius simul corpus mollius curare voles, age, concilia tibi divitem, ubi lautius vivitur. — *primam in horam*, apud nos: ad septimam usque horam. — *Ferentinum*, parvum et infrequens apud Hernicos oppidum.

v. 10. *fefellit*, sc. lucem publicam, h. e. latuit in obscuro; *fallere* simpliciter pro: latere, apud Tacitum inprimis, saepius. Caeterum notum est illud Epicureorum: λάθε βιώσας.

v. 11. *benignius*, refer inprimis ad largiorem epularum copiam.

v. 12. *siccus*, qui adhuc vixisti parce, frugaliter, sobrie. Supr. Od. IV, 5, 39. *siccis* (sobriis) opponuntur *uvidi*, et apud Cic. Agr. I, 1. *vinolenti*. — *ad unctum*, ad divitem, qui lautius et luxuriosius vivit; de voce *unctus*, cf. supr. ad Epist. I, 15, 44.

v. 13–14. *Si pranderet* cett. Diogenes Cynicus, cum aliquando olus lavaret, Aristippo se praetereunti lautioris vitae genus exprobrasse dicitur sermone, qui sequitur; vid. Diog. Laert. II, 68. — *pranderet*, comederet, ut supr. Sat. II, 3, 245: *prandere luscinias*. — *patienter*, ea, quae decet philosophum, continentia et patientia. — *regibus*, diu enim Aristippus (Cyrenaeus, summum bonum voluptate metiens.) in aula Dionysii Syracusani versatus est.

v. 15. *qui me notat*, Diogenes.

v. 18. *Mordacem Cynicum sic eludebat*, maledicum Cynici dentem sic effugiebat, h. e. ad maledica Cynici verba respondebat hoc.

v. 19. *Scurror ego ipse mihi, populo tu*, ego artibus meis scurrilibus in commodum meum placere studeo potentioribus, tu philosophica scurrilitate placere studes populo; salse autem philosophum *scurrari* dicit; *Vossius* egregie vertit: *ich hofschranze mir selber, dem Volk du.*

v. 22. *Dante minor*, inferior eo, qui dat, danti quodammodo subiectus; philosophi enim mendicabant fere nonnunquam; at scurrae mensis ditiorum adhibebantur.

v. 23–26. *Omnis Aristippum* cett. Aristippus ad omnem fortunam et rerum conditionem decenter se composuit, maiora vero assequi tentavit et praesentia aequo animo tulit; at Cynicus, qui philosophica patientia pallio, e crassiore panno confecto, sese involvit, vix decenter, puto, ad fortunae quamdam mutationem sese accommodabit. — *color*, externa fortunae species et conditio; supr. Sat. II, 1, 60: *Quisquis erit vitae color.*

v. 25. *dupl. panno* — *pannus duplex*, (δίπλαξ apud Homer. Il. III, 126 (δίμιτον). opponuntur ἁπλοΐδες. *Boettiger. Vasen. Gem.* Tom. I. II. 3. p. 39.) crassior, densior, ut *amiculum duplex* apud Corn. Nep. Datam. c. 3.; alii *duplicem pannum* accipiunt de pallio, quod super alterum humerum reiectum quasi dupli-

Mirabor, vitae via si conversa decebit.
Alter purpureum non expectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Personamque feret non inconcinnus utramque:
Alter Mileti textam cane peius et angue
Vitabit chlamydem; morietur frigore, si non
Retuleris pannum; refer, et sine vivat ineptus.
Res gerere et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Iovis, et coelestia tentat;
Principibus placuisse viris, non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit, qui timuit, ne non succederet: esto:

cetur; sed adiecta vox *patientia* satis ostendit, sermonem esse de pallio corpori admodum gravi atque molesto.

v. 26. *vitae via conversa*, mutata fortuna, mutata vitae ratio.

v. 27—32. *Alter purpur.* cett. Aristippus, iter facturus, non desiderabit amictum splendidum, sed qualibet vel vilissima veste indutus loca celeberrima peragrabit, et in utraque sorte, sive amictus pulcher et tenuis, sive vilis et crassus ei gestandus sit, partes suas apte sustinebit; at Cynicus chlamydem e lana pretiosa contextam, ut rem perniciosam et abominabilem, fugiet; — *morietur frigore, si non* cett., ad hunc locum *vetus Schol.* affert haec: *aiunt Aristippum, invitato Diogene ad balneas, dedisse operam, ut omnes prius egrederentur, ipsiusque pallium induisse, illique purpureum reliquisse; quod Diogenes cum induere noluisset, suum repetiit. Tunc Aristippus increpuit Cynicum, famae servientem, qui algere mallet, quam conspici in veste purpurea.* — *Mileti*, urbis in Ionia, ubi lana nascebatur praestantissima. Diodor. Sic. IV, 26. Hinc celebrantur στρώματα Μιλήσια, τάπητες Μιλήσιοι. *Valcken.* ad Adoniaz. p. 406. C. — pro *angue* plures legunt *angui*; de qua ablativi forma vid. *Bentl.* supr. ad Sat. I, 5, 72.

v. 33–35. *Res gerere*, domi militiaeque praeclare res gerere, sive rebus gestis bene mereri de republica, — *et capt. ost. civ. hostes*, et victo hoste triumphum agere; in triumpho enim capti et ante currum triumphantis incedentes hostes civibus ostendebantur.

v. 34. *Attingit sol. Iovis*, id (ut supr. Od. I, 1, 6. Hor. loquitur) *evehit ad terrarum dominos, deos.*

v. 35. *Principibus*, in latiore significatione, de primoribus, potentioribus, nobilioribus, ditioribus.

v. 36. *Non cuiv. hom. cont. ad. Corinthum*, expressit notum Graecorum proverbium: *Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς*, non cuivis homini, sed ditioribus tantum vel maiora strenue et gnaviter tentantibus. Nemo enim urbem illam opulentissimam sine magnis sumtibus adire et frequentare poterat.

v. 37—38. *Sedit, qui timuit* cett., qui de successu huius itineris anxius atque sollicitus fuit, deses domi man-

Quid, qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui
Hic est, aut nusquam, quod quaerimus: hic onus horret,
Vt parvis animis et parvo corpore maius:
Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.
Coram rege sua de paupertate tacentes
Plus poscente ferent: distat, sumasne pudenter,
An rapias; atqui rerum caput hoc erat, et fons.
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus,
Qui dicit, clamat: Victum date: succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus pasci si corvus posset, haberet
Plus dapis, et rixae multo minus invidiaeque.
Brundusium comes aut Surrentum ductus amoenum,

sit. Sit ita! Quid vero? nonne is, qui eo pervenit, virum se praestitit?

v. 39—41. *Atqui Hic est, aut nusquam* cett., atqui ea, quae quaerimus et assequi studemus, unice hoc ipso viriliter tentandi omnia studio, aut nusquam, reperiuntur et impetrantur: (*hic*) alius rei alicuius suscipiendae molestiam refugit, tanquam ei perferendae exiguae animi corporisque vires impares sint, (*hic*) alius rem strenue aggreditur et peragit. — His omnibus autem Horatius Scaevae commendat gnavum studium, quo potentiorum colligenda sit gratia.

v. 42. *recte*, bono cum successu, recta via. — *experiens vir*, qui vires suas periclitando omnia tentat.

v. 43. *Coram rege*, potentiore patrono. Horatius supr. Epist. I, 7, 37. de Maecenate: *rexque paterque Audisti coram.*

v. 45. *rapias*, avide manus donis iniicias; — *atqui rer. cap. h. er. et fons*, atqui ante omnia ab eo, qui aliquid recte petit, ostendi debet pudor et modestia. Vulgo enim homines precum et querelarum, quas fundunt, formulis molestiam iis, a quibus petunt, creant. Eiusmodi formula, egregie ab Horatio ad vulgarem precantium morem composita, statim sequitur.

v. 47. *fundus nec vendibilis*, sine dubio, quia emtor huius agelli reperiri non poterat; nam de *fidei commisso*, ut loquuntur Iurisconsulti, equidem accipere nolim. — *nec pascere firmus* (δεινός), nec satis amplus, ut me alere possit.

v. 48. *clamat*, nempe immodeste.

v. 49. *Et mihi* cett., elegantissimo versu expressit Horatius vulgarem mendicorum cantilenam: *mihi quoque frustum placentae!* nos: *mir auch ein Stück!* — non male *Lambinus* pro: *findetur* in notis scripsit: *findatur*; — *quadra*, frustum panis vel placentae in formam quadri decisum.

v. 50—52. *Sed tacitus pasci* cett., altos clamores, quos corvi, quibus

Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
Aut cistam effractam, aut subducta viatica plorat;
Nota refert meretricis acumina, saepe catellam,
Saepe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum; licet illi plurima manet
Lacrima: per sanctum iuratus dicat Osirim;
Credite! non ludo; crudeles, tollite claudum;
Quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.

EPISTOLA XVIII.

AD LOLLIVM.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem praebere, professus amicum.

esca contigit, excitant, comparat cum importuna precantium vociferatione; id enim unice in hac comparatione spectandum est. — *Brundusium*, Apuliae oppidum maritimum. — *Surrentum*, Campaniae oppidum ad sinum Puteolanum.

v. 55. *Nota refert meretricis acumina*, facit idem, quod meretrices astutas facere constat; locum Plauti, qui huc pertinet, iam comparavit *vetus Schol.*; est in Trucul. I, 1, 32. seqq. *Aut aurum periit, aut conscissa pallula est, Aut armariola Graeca, aut aliquid semper est, Quod pereat, debeatque amans scorto suo.* Easdem artes meretricias tangit Ovid. in Art. A. I, 431. *Quid? cum mendaci damno moestissima plorat, Elapsusque cava fingitur aure lapis.* — *catellam*, parvam catenam.

v. 56 *periscelidem* (περισκελίδα), ornamentum pedis circum crura, sandaliorum fortasse vincula; *periscelides resolvere* est apud Petron. c. 67.

v. 58. *Nec semel irrisus*, nec is, qui iam semel habitus est ludibrio.

v. 59. *Fracto crure*, vere nempe fracto, sed homini iam fraude noto non fides habetur, *planum*, (πλάνον) circumvagum, circumforaneum, impostorem; apud Ciceronem quoque haec vox occurrit, pro Cluent. c. 26.

v. 60. *Osirim*, a plebe inprimis hic deus Aegyptiorum apud Romanos colebatur; unde quoque *planus* per Osirim iurare dicitur.

v. 62. *Quaere peregrinum*, nos enim iam bene te novimus. — *rauca*, scil. clamore.

EPISTOLA XVIII.

Ad Lollium.

Uti in praecedente Epistola Scaevae, ita in hac Lollio praecepta dat, ad quae is, qui gratus et iucundus esse cupit potentioribus, se gerere debeat. — In prima huius Epistolae parte mirifice placet egregie adumbrata *scurrae* et *hominis asperi* imago; ultimam autem eius partem nemo erectioris indolis legere potest,

Vt matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope maius,
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris;
Dum vult libertas dici mera, veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter in obsequium plus aequo pronus, et imi
Derisor lecti sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Vt puerum saevo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas:

quin tam iis, quibus ad verae felicitatis sibi parandae studium excitatur Lollius, quam voto, quo hanc Epistolam Horatius finit, sensu percutiatur suavissimo. — Caeterum *Lollius*, ut recte iudicat *Wetzelius*, idem esse videtur, ad quem scripta est Epistola huius libri secunda, scilicet *Maximus Lollius*, *M. Lollii Palicani*, ad quem scriptum est carmen lyricum supr. Od. IV, 9., filius.

v. 1—2. *liberrime* — *liber* dicitur, qui alienus ab omni simulatione, quae sentit et iudicat, libere et ingenue profert et aperit.

v. 2. *Scurrantis*, cf. Epist. praeced. v. 19. — *professus amicum*, si semel te alicuius amicum professus es.

v. 4. eleganter matrona, cuius honesta species diversa est a meretricis specie inhonesta, vocatur meretrici *discolor*, pro vulgari: dissimilis; sic *color* quoque de externa specie vel de externo habitu et se gerendi ratione, in praecedente Epist. v. 23. *Omnis Aristippum decuit color et status et res.* — *infid. sc. dist. amicus*, ita amicus a malae fidei scurra discrepabit; particula *ita* post *ut*, vel *sicut*, non raro omitti solet; vid. *Drakenb.* ad Liv. IX, 17. §. 4. ad XXXIV, 9. §. 10. et ad XXXIX, 41. §. 1.

v. 5. *huic vitio*, scurrili dicacitati et facetiis placendi studio.

v. 6—7. *inconcinna*, inficeta, *gravisque*, et molesta, — *Quae se commendat*, se conspiciendam praebet; *asperitas* enim profecto se non commendat sensu proprio; — *tonsa cute*, ergo, qui ad cutem usque tondebantur, faciebant aliquid, quod ad morum asperitatem pertinebat.

v. 8. *Dum vult lib.*, dum asperis moribus homines videri volunt tam candidi, qui omnia libere dicant, quam verae virtutis studiosi.

v. 9. *Virtus est medium* cett. Sed virtus mediam quasi sedem inter duo dicta vitia tenet, pari spatio ab utroque reducta sive remota.

v. 10—11. *Alter*, scurra; *imi Derisor lecti* — *Derisor*, qui alios illudendo risum captat, scurra; scurrae enim una cum convivatore in *imo lecto* triclinii accumbere solebant; hinc supr. Sat. II, 8, 40. scurrae Vibidius Balatroque *imi lecti convivae* appellantur. — *horret*, plenus horroris et verecundiae observat.

v. 14. *Reddere*, recitare; *redde-*

Alter rixatur de lana saepe caprina,
Propugnat nugis armatus; scilicet, ut non
Sit mihi prima fides, et, vere quod placet, ut non
Acriter elatrem, pretium aetas altera sordet.
Ambigitur quid enim? Castor sciat, an Dolichos plus?
Brundusium Minucî melius via ducat, an Appî?
Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,

re dicuntur, qui, quod edidicerunt, recitant; sic supr. Od. IV, 6, 43. *reddere carmen.* — *vel part. mim. tract. secundas*, vel, dum primas quasi partes agit patronus, eum agere secundas; cum mimi prodirent in scenam, alius *primas*, alius *secundas*, alius *tertias*, et sic porro, partes agebat, ita quidem, ut histrio is, qui primas agebat, caeteros tam re et dictis, quam actione superaret. Rem illustrat iam a *Lambino* allatus locus Ciceronis, Div. Verr. c. 15. *Ut in actoribus Graecis fieri videmus; saepe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere, ut ille princeps quam maxime excellat. Boettigeri* singularis de ea re exstat libellus *de prim. secund. et tertiarum part. actoribus. Vinar.* 1798.

v. 15. *Alter*, homo asper et difficilis; — *de lana caprina*, ex vetere proverbio: de re vilissima.

v. 16—18. *scilicet*, *ut* cett. Sensus: Scilicet, ut non mihi potissimum fides habeatur, et ut ego, quod vere placet, non acriter, sicut ille, vociferando defendam, id tanti apud eum est, ut licet (*altera*) de integro repetenda vita tanquam pretium ei proponatur, h. e. licet vitam decursam iterum decurrendi sibi potestas detur, scilicet si a coepta disputatione absistat, tamen, contemto illo pretio, in re, quam sibi defendendam sumsit, persistere malit.

v. 18. *elatrem*, qui summa pulmonis intentione vociferantur, non loqui, sed, sicut canes, *latrare* (ὑλακτεῖν, βοᾷν,) dicuntur; Cic. de Clar. Orat. c. 15. *Latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur.* Supr. Sat. I, 3, 136. *Rumperis et latras, magnorum maxime regum,* hinc *elatrare*, latrando, h. e. intentissimo nisu voces emittere.

v. 19. *Cast. sciat, an Dol. plus?* utrum Castor, an Dolichos artis gladiatoriae peritior sit; — *plus scire*, plane ut in vernacula: *mehr wissen, als ein anderer, geschickter, als ein andrer in einer Sache seyn. Castor* et *Dolichos* (*Vet. Schol.*), erant illius temporis nobiles gladiatores.

v. 20. *Minucî via*, via, a L. Minucio strata, quae a porta urbis Minucia per Sabinos Brundusium ducebat. — *via Appî*, cf. supr. Epod. IV, 14.

v. 21—31. Iam enumerat vitia, a quibus is, qui ditioris gratia frui cupit, sibi cavere debeat. *Lambinus* et alii perperam hunc locum interpretati sunt; iunge: *dives amicus* eum, *quem* cett. *odit et horret.* — *damnosa*, non raro enim Venus *fundi*, ut Terentius loquitur, *est calamitas.* — *praeceps alea nudat*, tria tantum, sed gravissimi ponderis, verba, iuvenibus praecipue alta mente reponenda; *alea* aleatores, dum eos

Gloria quem supra vires et vestit et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
Saepe decem vitiis instructior, odit et horret:
Aut, si non odit, regit; ac, veluti pia mater,
Plus quam se sapere, et virtutibus esse priorem
Vult; et ait prope vera: Meae (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est:
Arcta decet sanum comitem toga; desine mecum
Certare. Eutrapelus, cuicunque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim iam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia, et spes;

nudat (bonis exuit, nos: *auszicht*) praecipites agit in perniciem! hinc supra Od. II, 1, 6: *alea* dicitur *periculosa.*

v. 22—23. *Gloria*, vana ostentatio, iactantia; — *supra vires*, supra modulum, quo quisque se metiri debet; Iuvenal. III, 180: *Heic ultra vires habitus nitor: heic aliquid plus, Quam satis est;* nos similiter: *über Vermögen, über die Kräfte.* — *importuna*, quia, qui divitis patroni venatur gratiam, *importuno tempore* habendi cupiditatem ostendit.

v. 24. *Quem paup. pud. et fuga*, sc. tenet, h. e. eum, qui prae paupertatis pudore nomen pauperis fugit.

v. 25. *decem vitiis instructior*, decies vitiosior; loquendi genus e vita communi petitum, et apud nos quoque usitatum.

v. 26—30. *regit*, moderatur eum, rationem se gerendi ei praescribit. — *ac, veluti pia mater* cett., ac, veluti pia mater optare solet, ut liberi se ipsa meliores evadant, ita dives patronus eum, quem alit et patrocinio suo fovet, plus quam se sapere et virtutibus se ipso potiorem esse vult. — *Meae (contend. noli) Stult. pat. opes*, noli mecum contendere, nam ego sum dives, cuius opes stultitiam admittunt, vel stultitiae praesidio sunt. Verissimum sane, ut quotidiana docet experientia, sed tale quid ex ipso divitis ore audire, rarissimum. Per *stultitiam* intelligo omnia, quae divitiarum ostentandarum causa stulte faciunt divites.

v. 30. *Arcta toga*, quam pauperiores gestabant, (*exiguam togam* gestasse dicitur Cato, vid. Epist. sequ. v. 30.) opponitur *togae laxae*, quae erat ditiorum; vid. supr. ad Epod. IV, 8.

v. 31—36. *Eutrapelus* cett. Laudi, quam homo dives opibus suis tanquam stultitiae clypeo tribuit, statim Horatius in divitiarum contemtum subnectit narrationem de *Eutrapelo*, qui iis, quibus nocere volebat, pretiosa vestimenta dedisse et his corruptelarum illecebris a virtutis via illos abducere tentasse dicitur. De *P. Volumnio Eutrapelo*, Antonii triumviri amico, vid. *Ernest.* Clav. Cic. Ind. Hist. s. v. *Volumnius*, et in Ind. Graec. s. v. εὐτραπελία.

v. 32. *beatus enim iam*, sic ad vulgare hominum ingenium callide iudicabat Eutrapelus.

Dormiet in lucem; scorto postponet honestum
Officium; nummos alienos pascet; ad imum
Threx erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam;
Commissumque teges, et vino tortus et ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprêndes:
Nec, cum venari volet ille, poëmata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion; tu cede potentis amici
Lenibus imperiis; quotiesque educet in agros
Aetolis onerata plagis iumenta canesque:
Surge et inhumanae senium depone Camoenae,

v. 34. 35. *scorto postp. hon. Officium*, libidinibus potius, quam rerum honestarum administrationi, operam dabit. — *nummos alienos pascet* nummos mutuo sumtos eiusmodi homo prodigus non solvet, sed, veluti pastor gregem ovium, *pascet*, h. e. continebit, alet et quasi custodiet. Faceta sane oratio. Nos simili fere imagine in patrio sermone utimur: *eine ganze Heerde Schulden haben.* — *ad imum*, ad extremum.

v. 36. *Threx*, cf. de hoc gladiatorum genere supr. Sat. II, 6, 44 — *aut olitor. ag. merc. caballum*, eleganter pro vulgari: aut erit auriga (*Fahrknecht*) apud olitorem.

v. 38. *Commissumque teg. et v. tort. et ira*, et, quod fidei tuae et taciturnitati creditum est, occultabis tam vino, quam ira accensus, h. e. neque inter pocula, neque ira abreptus reteges. Horat. supr. Od. III, 21. ad *Amphoram*, v. 16. *tu sapientium Curas, et arcanum iocoso Consilium retegis Lyaeo.* — *vino tortus*, infr. in Epist. ad Pis. v. 435. *Reges dicuntur multis urgere culullis, Et torquere mero, quem perspexisse laborant.*

v. 41—44. *Gratia sic fratr. gem.* cett., iam, ut doceat, inter duos diversa studia sectantes non constare posse amicitiam, *Amphionis et Zethi*, Iovis ex Antiopa filiorum, exemplum affert. *Amphion*, celebratissimus fidicen, erat homo mitioris et mollioris ingenii; *Zethus*, pastor et rerum agrestium studiosus, *homo durus* (Propert. III, 15, 20.) et *ferus* (Stat. Theb. X, 443.). Fuit igitur inter hos duos fratres discordia, donec Amphion, lyram tacere iubens, fraternis moribus cessit. — *gratia*, concordia, mutuus amor.

v. 42. *suspecta severo*, invisa fratri Zetho, non mitioribus studiis (arti musicae), sed severioribus (operi rustico) adsueto; apud Lucretium quoque V, 1356. agricolae dicuntur *severi.*

v. 46. *Aetolis*, epitheton ornans, respectu habito *Meleagri*, regis Aetoliae, quem ingentem aprum Calydonium cepisse constat. Ovid. Met. VIII, 270 seqq.

v. 47. *et inhum. sen. depone Camoenae*, et depone morositatem, qua

Coenes ut pariter pulmenta laboribus emta.
Romanis solemne viris opus, utile famae
Vitaeque et membris; praesertim cum valeas et
Vel cursu superare canem vel viribus aprum
Possis; adde, virilia quod speciosius arma,
Non est, qui tractet (scis, quo clamore coronae
Proelia sustineas campestria); denique saevam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti,
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
Nunc, et, si quid abest, Italis adiudicat armis.
Ac, (ne te retrahas et inexcusabilis abstes,)
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque

versaris in studiis a comitate et facilitate alienis; — *senium*, de senili morositate, et tetrica severitate, ut *triste senium morum* apud Senec. Hippol. v. 917.

v. 48. *pulmenta*, ex carne ferina confecta, cf. supr. ad Sat. II, 2, 34. — *emta*, parata; supr. Epist. I, 2, 55. *Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas.*

v. 49. *opus*, scil. venari, venatio.

v. 52. *adde, virilia quod* cett., iunge: *adde, quod non est, qui arma virilia tractet speciosius*, scil. te; eleganter autem dixit *speciosius*, quia species, status, ars et dexteritas armorum tractandorum in spectantium oculos incurrit.

v. 53. *quo clamore*, qua acclamatione, quo applausu, *coronae*, sc. spectatorum te cingentium.

v. 54. *campestria*, exercitationis causa in Campo Martio pugnata. — *saeva militia*, iam opponitur incruentis in Campo exercitationibus.

v. 55. *Cantabrica bella*, vid. ad Epist. I, 12, 26.

v. 56. *Sub duce*, Augusto, — *qui templis Parth. sign. refigit Nunc*; supr. Od. IV, 15, 6. *Et signa nostro restituit* (Augustus) *Iovi*, *Derepta Parthorum superbis Postibus.*

v. 57. *si quid abest*, si qua terra restat, nondum ditioni Romanorum subiecta; Horatius innuisse videtur *Bentleio* Armeniam, eodem anno, quo signa a Parthis recepta sunt, expugnatam a. U. c. 734. — *Italis adiudicat armis*, armorum vi parere iubet (*Italis*) Romano imperio, vel parere (*Italis armis*) Romani imperii potentiae.

v. 58—64. *ne te retrahas* cett. Sensus huius loci, ut mihi videtur, est hic: ac, ne te a venatione cum potentiore amico retineri patiaris, et ratione, quae neutiquam te excuset, inductus ab ea absis, cogita, quaeso, te ipsum, quamvis ab eo, quod decet et rectum est, haud facile recedas, nonnunquam ludicra rure paterno tractare. — *se retrahere*, rem aliquam a se avertere, rei alicui se subducere, re aliqua abstinere, plane ut nos: *sich von einer Sache zurück ziehn.* Catull. XXX, 9. *Idem nunc retrahis te.*

v. 59. *extra numerum modumque* — *numerus et modus* sunt proprie rhythmus et certi pedes, quibus versus componitur; *extra numerum modumque*, extra normam, ad quam

Curas, interdum nugaris rure paterno:
Partitur lintres exercitus; Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater; lacus, Adria; donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protenus ut moneam (si quid monitoris eges tu),
Quid de quoque viro, et cui dicas, saepe videto:
Percontatorem fugito, nam garrulus idem est,
Nec retinent patulae commissa fideliter aures;
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum iecur ulceret ulla, puerve,

aliquid exigi debet; et in hoc quidem loco, praeter decorum, praeter ea, quae decent, et tibi conveniunt; — *fecisse* — *Curas*, facere soles.

v. 60. *nugari*, ut supr. Sat. II, 1, 73. pueriliter ludere. Sic *graecari*, supr. Sat. II, 2, 11.

v. 61—64. *Partitur lintres* seqq. Quemadmodum puer Ascanius in honorem avi Anchisae cum puerili agmine equestre certamen, sive *ludum Troianum*, apud Virgil. Aen. V, 548—604. instituit, ita nunc iuvenis *Lollius* in honorem Augusti simulacrum navalis pugnae Actiacae in villa sua paterna repraesentat. — Quis in hoc loco non admiretur summam artem, qua Horatius in hac Epistola ad Lollium *παρὰ προςδοκίαν* rem tangit, cuius memoria et narratione nihil quicquam Augusto poterat esse dulcius atque iucundius. — *Partitur lintres*, apud Virgilium, l. l. v. 562. *Agmine partito fulgent.* — *exercitus*, ex pueris conscriptus; sequitur enim *per pueros*. — *Actia pugna* — *refertur*, geritur, uti gesta esse dicitur; imago pugnae Actiacae editur; de pugna Actiaca cf. supr. Od. I, 37. et Epod. carm. IX. — *lacus* quidam in villa paterna est iam *Adria*, mari Adriatico adsimulatus.

v. 64. *velox*, est enim victoria dea alata; — *fronde*, sc. laurea.

v. 65. 66. *suis studiis*, exempli causa venationi. — *tuum ludum*, puerilem ludum in villa paterna. — *utroque pollice*, summo favore, — *pollex pressus*, signum favoris et gratiae, *pollex versus*, *conversus*, *subrectus*, signum infesti animi. Iuvenal. III, 35: *Munera* (ludos gladiatorios) *nunc edunt, et verso pollice vulgus, Quum libet, occidunt populariter.*

v. 67. *Protenus ut moneam*, ut ulterius progrediar in te monendo.

v. 70. *aures patulae*, patentes audiendis narrationibus, quas illae, quia simul sunt *rimosae*, ut garrulorum aures Horatius vocat supr. Sat. II, 6, 46., retinere non possunt.

v. 71. *Et semel emiss. volat irrev. verbum*, eandem sententiam expressit Hor. infr. in Epist. ad Pis. 390: *nescit vox missa reverti.* — *volat verbum*, *ἔπεα πτερόεντα* apud Homerum.

v. 72. *iec. ulc.* — *iecur* pro sede libidinis habebatur; paulo foedius

Inter marmoreum venerandi limen amici;
Ne dominus pulchri pueri caraeve puellae
Munere te parvo beet, aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, et quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri;
Vt penitus notum, si tentent crimina, serves,
Tuterisque tuo fidentem praesidio: qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet;
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,

igitur *iecur*, quod occupat libido, *ulcerari* dicitur; hinc supr. Od. I, 25, 15: *libido* — *Saeviet circa iecur ulcerosum.* — *puerve*, verna.

v. 74—75. *Ne dominus pueri* cett. Sensus: ne pueri puellaeve dominus pro munere ampliore, quod exspectare apud eum poteras, hoc leviore te beare velle videatur, aut huius muneris recusatione, vel iocis, quibus de hoc amore te cruciat, tibi molestus fiat.

v. 76. *adspice*, considera, tecum reputa, ut v. 4. in praecedente Epistola.

v. 77. *aliena*, sc. commendati hominis.

v. 78. 79. *quondam* (*πότε*), nonnunquam, quandoque, interdum. Supr. Od. II, 10, 18: *quondam cithara suscitat Musam*, et Sat. II, 2, 82: *Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam.* — *non dignum*, sc. qui tradatur, commendetur; quoties enim *dignus* absolute ponitur, toties aliquid ex orationis vicinitate supplendum est. — *deceptus*, sc. culpa, qua ille premitur. — *tueri*, sc. eum.

v. 80—85. *Vt penitus notum*, pro *Vt* malim cum *Bentleio*: *At*. — noli, ait, eum tueri, qui vere culpam sibi contraxit, at eum, qui tibi penitus notus et spectatus est, si tentetur vel petatur criminationibus, fidentem tuo praesidio serves et tuteris; nam si ille impune mordetur dente maledico, nonne tibi verendum est, ne idem paulo post tibi accidat?

v. 82. *Dente Theonino*, — *Theon*, ut ex hoc loco apparet, homo fuit maledicentissimus, sive iste fuerit libertinus, ut tradit *Schol. Cruq.*, sive, quod multo probabilius, ignobilis quidam poeta.

v. 86. *Dulcis inexpert. cult. amici*, studium, quod in colendo potentiore amico ponitur, *dulce* videtur iis, qui nondum eius fecerunt periculum, at ii, qui illud experientia cognoverunt, non sine timore et circumspectione ei operam dant.

v. 87—88. *Tu, dum tua navis* cett., cum in cultu potentioris pro-

Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi;
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi:
Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula; quamvis
Nocturnos iures te formidare vapores.
Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum:
Ne te semper inops agitet vexetque cupido,
Ne pavor et rerum mediocriter utilium spes:

spero successu usus es, id age, et hoc tibi sit curae, ne de loco, quo progressus es, reiiciaris, h. e. ne secunda fortuna in adversam mutetur. Imagine a vento secundo aut adverso, vel a fausta aut infausta navigatione, ad felicem aut infelicem vitae cursum translata nihil frequentius.

v. 89 — 95. *Oderunt hilarem tristes* seqq., expressit Horatius sententiam: diversi ingenii homines non inter se conveniunt; ad ingenium igitur patroni tui te accommodare et in eius agendi sentiendique rationem amice conspirare debes.

v. 90. *Sedatum*, quietioris et lentioris animi hominem; — *celeres*, vividioris et alacrioris ingenii homines, — *remissi*, qui vires non intendunt, arcui laxato et remisso sunt similes.

v. 91—93. *Potores bibuli — Falerni*, bibaces vini Falerni, vino Falerno ad mediam usque noctem sese ingurgitantes; sic supr. Epist. I, 14, 34: *Quem bibulum liquidi media de luce Falerni Coena brevis iuvat.* — *Oderunt porr. neg. pocula* cett., te non ferre possunt, si oblata tibi pocula recusaveris, quamvis tibi a nocturnis vaporibus cavendum esse iures; per *nocturnos vapores* intellige aestum, quo in somno agitantur, qui sera nocte se largius fervidiore vino invitarunt. Supr. Epod. III, 15: *Nec tantus unquam siderum insedit vapor* (aestus) *Siticulosae Apuliae.*

v. 94 *Deme superc. nubem*, pelle contractam in supercilio nubem (τὸ τῶν ὀφρύων νέφος), h. e. tristitiam; frontem exporrige; — *plerumque*, non raro, saepius, nonnunquam, ut Od. I, 34, 7. Od. III, 21, 14. Sat. I, 10, 15. Sat. II, 5, 55. Epist. ad Pis. v. 14. et 95. et passim alibi.

v. 95. *Occupat obscuri speciem*, speciem prae se fert hominis, quae sentiat, tegentis et dissimulantis; nos: *verschlossen.* — *acerbi*, acerba minantis.

v. 96. *Inter cuncta*, praecipue, ante omnia.

v. 98. *semper inops cupido*, scilicet cupido, quae nunquam exsatiari potest, est et manet semper inops; uti *dives inter opes inops;* nisi quis *semper* ad *agitet* et *vexet* referre malit, *semper inops* una voce pronunciari potest, ut *semper lenitas* apud Terent. Andr. I, 2, 4.

Virtutem doctrina paret, naturane donet:
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum:
Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter, et fallentis semita vitae.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
Quid sentire putas, quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est; etiam minus: et mihi vivam,
Quod superest aevi, si quid superesse volunt Dî:
Sit bona librorum et provisae frugis in annum
Copia; neu fluitem dubiae spe pendulus horae.
Sed satis est orare Iovem, quae donat et aufert:
Det vitam, det opes, aequum mî animum ipse parabo.

v. 100. *Virtutem doctrina paret* cett., utrum virtus praeceptis et disciplina parari possit, an naturae debeatur. Respexit Horatius quaestionem εἰ διδακτὸν ἡ ἀρετή a Socrate agitatam et ab Aeschine Dial. I., ut iam observavit *Gesnerus*, et Platon. in Menon. copiosius tractatam. — *doctrina*, disciplina, institutio, supr. Od. IV, 4, 33: *Doctrina sed vim promovet insitam.*

v. 101. *quid te tibi reddat amicum*, quid ita te agere et sentire sinat, ut tibi ipsi placeas, tibi ipsi carus sis; supr. Epist. I, 14, 1. Horatius *agellum suum se sibi reddere* ait.

v. 102. *Quid pure tranquillet*, quid pura et liquida tranquillitate animum tuum perfundat.

v. 103. *secretum iter*, vita secreta et remota a publica luce. — *fallentis*, sc. oculos hominum, h. e. latentis, obscurae. Supr. Epist. I, 17, 10: *Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.* cf. Seneca in Thyest. 391. seqq.

v. 104. *Digentia rivus*, ortus ex fonte Bandusio; cf. supr. ad Od. III, 13. et ad Epist. I, 16, 12.

v. 105. *Mandela*, pagus haud procul a villa Horatii. — *rugosus frigore*, quasi in locis frigidis viventes senescere et rugas contrahere soleant.

v. 106. ad *sentire* et *precari* supple: me.

v. 109. *provisae*, quantum frugis opus est iis, qui sibi in unum annum provident; *providere frugis copiam in annum*, dictum est, ut apud Plin. H. N. VIII, 38: *providere pabulum in hiemem.*

v. 110. *neu fluit. dub. spe pend. horae*, neu suspensus inter spem metumque de dubia futuri temporis sorte perturber. Horat. supr. Od. I, 11, 8: ad *Leuconoen: Carpe diem, quam minimum credula postero.*

v. 111. 112. *quae donat et aufert*, ea, quae Iupiter et dat, et aufert, vitam scilicet et opes; — *aequum mî an. ipse par.*, quod attinet ad animi tranquillitatem, quam deus non dat, eam mihi ipse parabo.

EPISTOLA XIX.

AD MAECENATEM.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus. Vt male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,

EPISTOLA XIX.

Ad Maecenatem.

In hac ad Maecenatem Epistola primum Horatius in aevi sui poetas, stolide canendis carminibus, modo vini potu accenderent ingenium, se aptos atque idoneos esse opinantes, acerbe invehitur; deinde, qualem ipse, a servili pecore, imitatoribus, alienissimus, se praestiterit poetam, modeste exponit.

v. 1—5. *Prisc.* — *Crat.* — Cratinus, priscus poeta (vid. supr. ad Sat. I, 4, 1), iam ut vini amantissimus celebratur. Hinc lepide Aristophanes in Pace v. 701. Cratinum prae dolore fractae aliquando vini amphorae animam efflasse ait. Cf. inprimis in Anthol. Graec. (edit. *Iacobs.*) Nicaeneti Sam. Epigr. IV. T. I. p. 106.

v. 2. *vivere*, durare, propagari ad posteros; supr. Od. I, 32, 3: — *si quid — Lusimus — quod et hunc in annum Vivat et plures*, ubi vid. not.

v. 3. 4. *aquae potoribus*, calore quasi, quo agitari debent poetae, carentibus; Nicaenetus in laudato Epigr. v. 2: *Ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν*, ad quem locum vide, quae notavit *Iacobs* in *Anim-adv.* Vol. I. Part. Post., p. 431. — *Vt male sanos* cett. Sensus: postquam scilicet Bacchus poetas, poetico furore correptos (*male sanos*), in Satyrorum et Faunorum societatem recepit, redolent illi vino, quo a primo mane ora proluunt. — *Vt* pro: postquam, ex quo tempore, accipio; posui igitur post *potoribus* distinctionem maiorem. Alii *ut* explicant: tanquam; *male sanos*, *ἐνθουσιάζοντας*, hinc infr. in Epist. ad Pis. 296: *excludit sanos Helicone poetas Democritus;* hinc Bacchus poetis furentibus sive dithyrambicis praecipue favere et in eorum pectora descendere dicitur; cf. supr. Od. II, 19, 15. seqq.; hinc chorus poetarum infr. Epist. II, 2, 78: *Bacchi cliens* dicitur; hinc *hederae doctarum frontium praemia* supr. Od. I, 1, 29. et Virgil. Eclog. VII, 25. — *Sat. Faun.*, Satyri enim et Fauni, lascivientes et insanientes, sunt in comitatu Bacchi.

v. 5. 6. *fere*, plerumque, ut supr. Sat. I, 10, 15. et infr. Epist. II, 1, 236. — *Camoenae*, iam pro Musarum alumnis, h. e. poetis; — *dulces*, ut supr. Od. I, 26, 9. et Od. II, 12, 13, pro libatione matutina in Musarum honorem equidem accipere nolim. — *Laudibus arguitur* cett. Homerus ob laudes, quas vino tribuit, *vinosus* fuisse

Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda. Forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis.
Hoc simul edixi, non cessavere poetae
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis vultu torvo ferus, et pede nudo,
Exiguaeque togae simulet textore Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

arguitur. Ad loca, ubi vini virtutes laudantur ab Homero, quamvis breviter, referenda: Iliad. VI, 261. et Odyss. XIV, 463. seqq.

v. 7. *Ennius — pater*, antiquissimus Romanorum poeta cum verecundia quadam vocatur *pater*, sicuti philosophi, quorum maxima est auctoritas, verecunde *patres* vocari solent, sic supr. Sat. I, 3, 126: *pater — Chrysippus.* — *ad arma dicenda*, h. e. ad bella Romanorum in Annalibus celebranda; cui non succurrit: *arma* (bella) *virumque cano?*

v. 8. *Prosiluit*, accommodate ad vim vini. — *Forum putealque Lib.*, ubi tractantur res seriae; de *Libonis puteali* vid. supr. ad Sat. II, 6, 35.

v. 9. *sicc.* — *sicci*, qui non vinum bibunt, ut supr. Od. I, 18, 3. Od. IV, 5, 39. et Sat. II, 3, 281., opponuntur: *vino madentibus*, *uvidis.* — *adim. cant. sev.*, severos a canendis carminibus prohibebo. — *severi* iidem, qui *sicci.*

v. 10—11. *Hoc simul edixi* cett. Sensus: simulac hanc sententiam de vi, quam vini potus in poetarum ingenia habeat, publice professus sum, statim male poetae et imitatores, quasi edicto aliquo proposito, (hoc latet in verbo *edicere*,) dies noctesque vino indulgere coeperunt. — Ridet igitur Horatius stultitiam eorum, qui, modo vino se ingurgitaverint, se poetae partes explere posse existimarent. — *Nocturno certare mero, putere d.*, ad eandem orationis formam compositus est notissimus versus in Epist. ad Pis. v. 269: *Vos exemplaria Graeca Nocturna versate manu, versate diurna.*

v. 12—14. *Quid? si quis* cett. Quemadmodum nemo poetae laudem solo vini potu, ita nemo Catonis virtutem assequi potest solo ad externum eius habitum se componendi studio. Sed vulgo homines vitia potius, quae alicui adhaerent, quam ipsas virtutes imitantur; — *vultu torvo ferus*, (*Vet. Schol. Cruq.*) *Cato, senator Romanus* (sermo est de Catone Vticensi), *ut severior appareret, intonsa barba capillisque prodibat in publicum, duroque calceamento et saepe nullo, togaque exigua.* Plutarch. in Vita Cat. Vtic. — *Exiguaeque togae textore*, et usus exiguae togae textore, h. e. indutus exigua toga, pro simplice: *in toga exigua*; textor panni, e quo exigua Catonis speciem repraesentans toga confecta est, iam *ipsius togae exiguae textor* vocatur. Comparant cum hoc loquendi genere supr. Epist. I, 1, 94: *Si curtatus inaequali tonsore capillus;* sed res ibi paulo aliter se habet, nam additur vox *curatus*, vel *curtatus;* caeterum *exiguam*, vel *arctam* (in Epist. praeced. v. 30.) *togam* gestabant ii, qui cum elegantioribus *togam laxam* aut gestare

Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile: quod si
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps:
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit,
Dux regit examen. Parios ego primus iambos

nolebant, ut Cato, priscos mores sectans, aut pro re tenui non poterant.

v. 15 – 16. *Timagenis lingua*, facundia et ars, *aemula*, aemulationem excitans, *Rupit Iarbitam*, fecit, ut Iarbitae ilia rumperentur, *Dum ille urbanus* (elegans) *et disertus haberi studet tenditque*. — *Iarbitam*, — (*Vet. Schol.*) *Facete posuit Iarbitam pro: Maurum, nam et Iarbas aemulus erat Aeneae. Hic Iarbita Maurus fuit Cordus, qui, dum Timagenem imitabatur, post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi, quod conabatur, paene disruptus est.* — De *Iarbita Timagenis aemulatore* peculiarem libellum scripsit *Cl. Weichert*, Grim. 1821, cuius lectio iucunda erit iis, quos diligentius in eiusmodi res inquirere iuvat. *Timagenes*, Alexandrinus, celeberrimus Rhetor, a Gabinio Romam abductus, ibi usque ad Augusti tempora rhetoricam docuisse dicitur. — *Rupit*, notum est illud Virgilii: *rumpantur ut ilia Codro.* — *urbanus*, Cordus erat Maurus, Romanam elegantiam orationis tam venustate, quam pronunciatione imitaturus.

v. 17. 18. *exemplar vitiis imitabile*, exemplum, cui adhaerent vitia, quae simul aliquis imitari possit, facile decipit imitatores, magis ad vitiorum, quam ad virtutis imitationem propensos. — *biberent*, scil. imitatores; — *cuminum exsangue*, quod sanguine represso pallorem inducit; Pers. V, 55: — *pallentis grana cumini*, de vi, quam in oris colorem *cuminum* habere dicitur, vid. Dioscorid. III, 68.

v. 19. *ut saepe*, quam saepe.

v. 20. *tumultus*, una voce egregie exprimitur vanitas, qua stulti imitatores non sine magno strepitu studia sua iactant, et, quod in proverbio dicitur, fluctus in simpulo excitant.

v. 21. *Libera vestigia* opponuntur iis, quae serviliter legunt imitatores. — *per vacuum*, per campos, nullius adhuc pede tactos; *per avia Pieridum loca*, (ut loquitur Lucretius IV, 1,) *nullius ante trita solo*; hinc Horatius supra (Od. III. 30, 13.) de se: *Dicar — Princeps Aeolium carmen ad Italos Deduxisse modos.* cf. Propert. III, 1, 3 — 4. — *Non aliena*, non vestigia aliorum, servi pecoris scilicet, imitatorum.

v. 23. *Dux*, ut regina apum. — *Parios iambos*, ab eorum inventore Archilocho, cuius patria fuit *Paros*, una e Cycladibus insulis in mari Aegaeo.

Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
Ac, ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem;
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus; sed rebus et ordine dispar,
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgavi fidicen; iuvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri.

v. 24. *Ostendi Latio*, Horatius, cum primus Romanorum poetarum usus esset in Libro Epodòn iambis ab Archilocho inventis, iamborum usum *Latio ostendit*, palam fecit, h. e. iamborum usum Romanos docuit. — *animosque*, animi acerbitatem in perstringendis vitiis; infr. in Epist. ad Pis. v. 279: *Archilochum proprio rabies armavit iambo.*

v. 25. *non res*, argumenta, quae tractavit Archilochus. — *agentia verba Lycamben*, maledicta, quae Lycamben agebant, (impellebant, adigebant) sc. ad restim.

v. 26—31. *Ac, ne* cett. Ac, ne ideo carmina mea minore laude ornanda esse existimes, quod ab Archilochi numeris et ab arte, qua ille versus ad certas leges composuit, recedere nolui, Sappho quoque et Alcaeus (*Musam*) carmina sua (*pede Archilochi*) ad Archilochi numeros (*temperat*) moderantur et componunt. — *foliis* (lauri) *brevioribus*, mox flaccescentibus; corolla igitur, non diu durans, pro exiguo poetae praemio ponitur.

v. 28. *mascula*, masculae virtutis vel masculi ingenii mulier.

v. 29. *rebus*, argumentis, — *et ordine*, sc. pedum invicem se excipientium. — *dispar*, Alcaeus.

v. 30 — 31. *Nec socerum* cett., neque socerum, ut Archilochus Lycamben, maledicis versibus sibi perstringendum sumit, neque sponsam, ut Archilochus Neobulen, contumelioso carmine ad suspendium adigit. — *oblinat* — *oblinere*, obducere, eleganter et accommodate ad versus atri coloris vel nigrae loliginis plenos, pro vulgari: perstringere. — *laqueum* alicui *famoso carmine nectere*, elegantissima locutio pro vulgari: carmine ignominioso consilium alicui vitam laqueo finiendi iniicere.

v. 32 - 34. *Hunc ego* cett. Sensus: Ad huius Alcaei exemplum, quod nemo adhuc secutus est, ego primus inter Latinos poeta lyricus exstiti; — *iuvat immemorata ferentem*, iuvat me, qui protuli carmina, qualia ante me nullus Latinorum memoravit. — *Ingen. oc. l., man. ten.*, carmina mea lyrica manibus cultiorum teri atque ab iis legi. — *Vulgavi*, supr. Od. IV, 9, 3—4: *Non ante vulgatas per artes Verba loquor socianda chordis.* — *fidicen*, poeta lyricus, plenius supr. Od. IV, 3, 23: *Romanae fidicen lyrae.*

Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosae plebis suffragia venor,
Impensis coenarum, et tritae munere vestis;
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor:
Hinc illae lacrimae! Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus,
Si dixi; rides, ait, et Iovis auribus ista
Servas; fidis enim manare poetica mella

v. 35. *ingratus*, qui carmina privatim laudat et iis delectatur, at eadem publice malevole carpit, is sane est *lector ingratus.*

v. 36. *premat*, sc. invidia, vel simpliciter pro: contemnat; Cic. Qu. Tusc. IV, 28: *humana omnia premens.*

v. 37. *ventosae*, mobilis, variae, ut supr. Epist. I, 8, 12. — *suffragia*, gratiam, plausum.

v. 39. 40. *Non ego* cett. Hunc locum ita interpretor: quia ego infra dignitatem meam positum esse existimo, me immiscere Grammaticis, et, quae a nobilibus scriptoribus apud illos e pulpitis recitantur, audire, factamque scriptoribus iniuriam ulcisci. — Erant tum Romae plures, qui altioris doctrinae laudem, vel potius speciem prae se ferentes, auditoria quasi aperirent, in quibus recitata a scriptoribus aut probarentur, et a reprehensionibus defenderentur, aut improbarentur et damnarentur. Horum, quos salse vocat *Grammaticos*, impudentius in rebus doctis auctoritatem aliquam sibi arrogantium, societatem et consuetudinem cum fugeret Horatius, iniqua illorum de carminibus suis expertus est iudicia, quae tamen Horatius parum curavit; uti fere nostra aetate *iniquas* eorum, qui *recensentes* audiunt, parum curamus sententias. — *nobilium*, per ironiam, ut videtur. — *ultor*, qui aliquem a reprehensione, criminatione vel iniuria aliqua defendit, is eius est quasi *ultor*, vindex, patronus.

v. 40. 41. *ambire*, qui studiose aliquid sectantur et appetunt, id *ambire* dicuntur. — *Gramm. trib.*, Grammaticorum, ut ita dicam, collegia facete nominat *tribus Grammaticas*, quasi penes eas ius suffragiorum sive laudis distribuendae potestas sit. — *Hinc illae lacrimae!* hinc repetenda est Grammaticorum iniquitas et malevolentia! Hoc dictum Terentii Andr. I, 1, 99. iam tum de querelis, quarum causa tandem aperitur, in proverbium abiit.

v. 41 — 42. *Spissis indigna theatris* cett., pudet me carmina, haud digna, quae in loco, ubi magna hominum frequentia convenit, audiantur, recitare et (*nugis addere pondus*) levia reddere velle gravia. — *Spissis theatris*, infr. Epist. II, 1, 60: *Roma — arcto stipata theatro*, et infr. in Epist. ad Pis. 205: *spissa sedilia.*

v. 43 — 45. *rides*, *ait*, cett., ait aliquis e tribu Grammatica: tu nos ludis, et carmina tua Augusti auribus servas; persuasum enim tibi habes (*fidis*), te esse solum, a cuius ore manare possint carmina mellitissima; tu tibi ipsi mirifice places! — *ait*, ut passim *inquit*, absolute, ubi incertus quidam loquens vel respondens inducitur; vid. *Bentl.* ad Sat. I, 4, 79. — *manare* cum accusativo, pro: emittere, edere, exsudare, Ovid. Met. VI, 312. — *et lacrimas etiamnum marmora manant*, ubi plura exempla de hoc huius verbi usu collegit *N. Heinsius;* similiter infr. in Epist. ad Pis. 429: *rorem aliquis ex oculis stillare* dicitur. Sic *ῥέειν τί* apud Graecos.

Te solum, tibi pulcher. Ad haec ego naribus uti
Formido: et, luctantis acuto ne secer ungui,
Displicet iste locus, clamo, et diludia posco.
Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

EPISTOLA XX.

AD LIBRVM SVVM.

Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris;
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.

v. 45. seqq. Sententiarum nexus huius totius loci mihi videtur esse hic: Horatius, qui a se impetrare non potuit, ut carmina sua recitaret coram tribunali hominum istorum, qui artem criticam exercebant in scriptores, v. 42. se excusat apud illos pudore, quo a praelectione nugarum suarum retineatur; — critici respondent: Superbia potius tu a carminibus tuis recitandis retineris; tu enim tanquam omnium poetarum primus Augusti tantum auribus digna canere tibi videris. — Ad haec, quasi vere dicta, consulto Horatius nihil respondet, sed addit tantum: Nolo dicteriis vobiscum pugnare; nam vobiscum pugnanti timendi sunt vestri ungues; nolo versari in loco, ubi huic pugnae expositus sum; veniam ex hoc ludo abeundi peto; ex ludo enim non raro oritur certamen et ira, ex ira inimicitiae et bellum.

v. 45 — 47. *naribus uti* (*μυκτηρίζειν*) dicuntur, qui naso sursum tracto aliquem rident, vel (ut Horatius supr. Sat. I, 6, 6. loquitur) *naso adunco aliquem suspendunt.* — *diludia* (*Schol. Cruq.*) *dicuntur tempora, quae gladiatoribus conceduntur inter dies munerum, quibus pugnatur;* ergo iam accommodate ad rem de tempore, quo ludentibus cessare vel ludum intermittere licet.

v. 48. *genuit*, gignere solet. — *trepidum*, tumultuosum.

EPISTOLA XX.

Ad Librum suum.

Horatius, simulans, hunc primum Epistolarum librum ipso invito viam ex penetralibus affectare in publicum, fata, quae illum in hoc temerario consilio persistentem maneant, tanquam vates canit. — At, si legimus

Odisti claves, et grata sigilla pudico:
Paucis ostendi gemis, et communia laudas.
Non ita nutritus! Fuge, quo descendere gestis:
Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?
Quid volui? dices, ubi quis te laeserit; et scis,
In breve te cogi, plenus cum languet amator.

versus inde a. v. 17. (*Hoc quoque te manet*) additos, Horatium spem, de carminum suorum immortalitate praeceptam, et supra in Od. II, 20. III, 30. et IV, 9. magnifice expositam, in hac quoque Epistola haud dissimulare, facile intelligimus. — Caeterum haec Libri Primi Epistolarum ultima, ut supra ultima Oda Libri Secundi et Libri Tertii haberi debet pro Epilogo.

v. 1—2. *Vertumn.* — de deo *Vertumno* cf. supr. ad Sat. II, 7, 14. Non procul a templo Vertumni et Iani erant porticus, ad quarum columnas vel pilas bibliopolae in tabernis vel in armariis libros venales habebant. Supr. Sat. I, 4, 71: *Nulla taberna meos habeat, neque pila, libellos*, ubi cf. *not.* Liber igitur, qui vendi et publicari cupit, lepide dicitur *spectare* ad locum, ubi libri venduntur. — *Sosiorum* — (*Vet. Schol.*) *Sosi illo tempore fratres erant bibliopolae celeberrimi.* Infr. in Epist. ad Pis. 345: *Hic meret aera liber Sosiis.* — *pumice mundus*, pumice laevigatus et expolitus; nam quae in membranis erant hirta et aspera, abradebantur pumice; vid. ad Catull. 1, 2., ubi est *libellus pumice expolitus.*

v. 3—5. *Odisti clav*, cett., displicet tibi, quo adhuc clausus latebas, locus angustior; ex umbra prodire gestis in solem atque pulverem. Plures interpretes Horatium respexisse putant gynaecea, quorum foribus tam claustra adfigebantur, quam sigilla imprimebantur. De his *sigillis* laudant *Kirchm. de Annulis* cap. X. p. 84. Quemadmodum *pudicis* ad pudicitiam suam muniendam *grata* sunt *sigilla*, ita *modesto Libro* gratum esse debebat, quo latebat, scrinium. Respondent certe huic imagini tam verbum *prostare* de impudicis, quam sequentia in v. 5. *Non ita nutritus*, non ita a me educatus es; hac sentiendi agendique ratione a me non imbutus es; talem te non finxi. — *descendere*, scilicet in loca, quae liber *laudabat*, *communia*, h. e. a multis legi cupiebat.

v. 6. *miser*, ego temeritate mea miser factus.

v. 8. *In breve te cogi*, te in angustum spatium coarctari, convolvi, redigi, pro vulgari: ex manibus seponi; membranae evolutae latiorem, convolutae et ex manibus sepositae angustiorem locum occupant. — *plenus*, legendo lassus et exsatiatus; *plenus* simpliciter pro: satur; supr. Sat. II, 2, 43: — *cum rapula plenus Atque acidas mavult inulas.*, ubi vid. not. apud Ovid. Amor. II, 6, 29. de mortuo psittaco: *Plenus eras minimo*, satur eras minimo cibo. *Bentleius* commode attulit locum Ovidii Ex Pont. III, 4, 55., ubi pariter *lector* exsatiatus simpliciter dicitur *plenus.* — *amator*, accommodate ad imaginem a gynaeceo ductam pro lectore.

Quodsi non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romae, donec te deseret aetas;
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus; ut ille,
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem

v. 9. 10. *Quodsi non odio pecc.* cett., *non* referendum est ad *desipit.* Sensus: Nisi ego ex odio erga *peccantem* (temere scilicet in publicas auras te evolaturum) vanum edo vaticinium, sors te manebit haec, ut ab initio carus sis Romanis, sed si deinde eosdem tui ceperit satietas, aut tineas pasces, aut fugies in terras exteras. — *donec te deseret aetas*, donec aetate, qua florebas, exacta consenesces. Pro lectione *deserit*, vel *deserat* ad fidem plurium Codd. apud *Feam* exhibui *deseret.*

v. 11. *manibus sord. vulg.*, similiter supr. Sat. I, 4, 72: *manus vulgi libellis insudare* dicuntur.

v. 12. 13. *taciturnus*, eleganter de libro, qui, non habens lectorem, quocum quasi sermocinetur, tacet. — *tineae*, de iis quoque vermiculis, qui chartas et libros corrodunt; Ovid. Ep. ex Pont. I, 1, 72: *Conditus ut tineae carpitur ore liber*; vocantur tineae *inertes*, quia, praeterquam quod rodunt, nihil agunt; sunt enim, ut loquitur Virgilius de fucis, *ignavum pecus*; nisi *tineas inertes* explicare malis: artibus infestas. — *Aut fug. Vtic. aut* cett., aut ex urbe, ubi contemneris, in terras longe remotas fugies. Pro terris longe remotis ideo, ut bene *Gesnerus* monet, *Vticam* (nobilem illam urbem in Africa extrema) et *Ilerdam* (urbem in Hispania) posuit, quia tum in his locis Romanarum literarum studia tractari et fervere incipiebant. In Epist. ad Pis. v. 345. de bonae frugis libro: *Hic meret aera liber Sosiis*, *hic et mare transit.* — *vinctus*, scil. funiculis, quibus nunc quoque colligantur et constringuntur libri in terras remotas mittendi. Alii legunt *unctus*, h. e. sorde pollutus; sed magis placet *vinctus.* Caeterum, quod Horatius vel maxime in votis habuit, scilicet ut carmina sua in loca remotissima propagarentur, et quod in gloriam suam futurum esse supr. in Odis (vid. Arg. hui. Epist.) vaticinatus est, id nunc ad mala, quae liber in publicum emissus experturus sit, simulanter refert.

v. 14—16. *Ridebit monitor* cett. Sensus: Tum ego te, qui non exaudisti, quae monui, ridebo, sicut ille in fabulis risit asellum, qui, cum parere nollet, ab eo irato in rupem protrusus se inde praecipitem dedit; quis enim curet servare repugnantem?

v. 17—18. *Hoc quoque* cett. Sensus: haec quoque tibi destinata est sors, ut pueros in extremis vicis elementa docendo consenescas. —

Occupet extremis in vicis balba senectus.
Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, et in tenui re
Maiores pennas nido extendisse loqueris:
Vt quantum generi demas, virtutibus addas.
Me primis urbis belli placuisse domique,
Corporis exigui, praecanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur aevum,

Cum esset apud Romanos hic mos, ut pueris, quibus in ludis, qui erant in extremis vicis vel compitis, prima elementa tradebantur, nobilium poetarum carmina, quae illi ediscerent, a ludimagistris *dictarentur;* iam Horatius sua quoque carmina in ludis dictatum iri vaticinatur. Nec hic carminum suorum in scholis minoribus usus dedecori esse potuit Horatio. Scribit quidem ille Sat. I, 10, 75: *An tua demens Vilibus in ludis dictari carmina malis?* sed idem Sat. II, 1, 71. plagosum Orbilium antiquissimi poetae Livii Andronici carmina sibi *dictasse* ait. — *senectus balba*, non raro enim vox grandaevorum blaesa et balba esse solet; — *occupet*, sc. te, te opprimat, tibi obrepat; supr. v. 10. dixit: *donec te deseret aetas.*

v. 19. *sol tepidus*, iis horis pomeridianis, quibus solis calor est mitior; — videntur scilicet hoc tempore (apud nos circa horam ferme nonam,) parentes vel alii ludos adiisse, et, quae ibi docerentur pueri, audivisse. Hinc supra Sat. I, 6, 82. Horatius de patre suo: *Ipse mihi custos incorruptissimus omnes Circum doctores aderat.* — *aures.* auditores.

v. 20. *libertino patre*, cf. supr. Sat. I, 6, 45. fuit autem pater Horatii *coactor.* vid. l. l. v. 86.

v. 21. *Maiores pennas nido* cett., me, in re tenui natum, maiora et altiora assequi studuisse; expressit hoc imagine, ab avium pullis ducta, qui maiores pennas nacti, cum evolarunt e nido, ad altiora tendunt.

v. 22. *Vt quantum* cett., ita quidem, ut gentis meae ignobilitatem compenses virtutum mearum nobilitate; ad *addas* supple *tantum*, quod vel post vel ante *quantum* saepius omitti solet; vid. *Drakenb.* ad Liv. II, 10. §. 12. T. I. p. 231.

v. 23. *primis urbis*, nominatim Maecenati; supr. Sat. II, 1, 76: dicit: *tamen me Cum magnis vixisse invita fatebitur usque Invidia.* — *belli*, Horatius militavit tribunus *Bruto militiae duce*, Od. II, 7, 2. sed, ut ipse ibidem v. 10. fatetur, *relicta non bene parmula.* cf. supr. Sat. I, 6, 25.

v. 24. *Corporis exigui*, supr. Sat. II, 3, 309: — *ab imo Ad summum totus moduli bipedalis.* — *solibus aptum*, apricationes sectantem, hominem; corpus mollius curantem.

v. 25. *Irasci celerem*, (ὀξύθυμον, ὀξύχολον,) *praecipitem ingenio in iram*, ut loquitur Livius XXIII, 7.

Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo dixit Lollius anno.

v. 27—28. *Me quater* cett. Horatius natus est, ut ipse ait supr. Od. III, 21, 1., (V. C. 688.) L. Aurelio Cotta et L. Manlio Torquato Coss. Ab horum igitur consulatu usque ad consulatum M. Lollii et A. Aemilii Lepidi (V. C. 732.) quadraginta quatuor annorum intervallum fuit. — *quo dixit*, nullum plane interpretem in vetere lectione *duxit* haesisse, mireris. Ponamus, *ducere* explicari posse pro: accipere, ut apud Ovid. Met. X, 680: *duxit sua praemia victor;* sed quis unquam dixit *collegam ducere?* Lollius unus consulatum acceperat, (Dio LIV, 6.) et is nunc, sive comitia habendo, (Liv. XXII, 35: *Terentius consul unus creatur, ut in manu eius essent comitia rogando collegae,*) sive alio modo, ex usu loquendi collegam sibi non *ducere*, sed *dicere* poterat. Livius VII, 24: *Ipse,* (Camillus) *ob id meritum ingenti studio Patrum creatus consul collegam Ap. Claudium Crassum dixit*, et XXXVII, 47: *Fulvius consul unus creatur, quum caeteri centurias non explessent; isque postero die Cn. Manlium collegam dixit.* Ex coniectura igitur *dixit* pro: *duxit* exhibui, et quidem eo confidentius, quia in duobus verbis *dicere* et *ducere* scribendis sexcenties peccarunt librarii; vid. *Drakenb.* ad Liv. XXXVIII, 43. §. 1. T. V. p. 250. et cf. *Heusing.* ad Cornel. Nep. II, 7, 1.

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLARVM
LIBER SECVNDVS.

EPISTOLA I.
AD AVGVSTVM.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,

EPISTOLA I.
Ad Augustum.

Postquam poeta in prima huius Epistolae parte laudavit populi Romani sapientiam, qua ille, cum vulgo post mortem demum virtutes hominum agnoscantur et recte aestimentur, iam nunc Augustum ut praesentem deum veneretur; summis Augusti laudibus praemissis, de iusto pretio tam antiquioribus, quam recentioribus poetis statuendo agit.

v. 1—4. *Cum tot sustineas* cett. Vulgaris, sed elegans, inferioris ad superiorem scribentis excusatio: Si ausim te, Caesar, longo sermone detinere et avocare a gravissimis negotiis, quibus tu unus tam armorum potentia Italiae securitatem praestas, quam legibus salutaribus populi mores emendandos curas, profecto commoda, quae tu paras populo, ego turbare et intercipere videar.

v. 1. *solus*, antea enim penes plures fuerat rerum publicarum administratio.

v. 2—3. *moribus ornes*, *Legibus emendes* — pro: *moribus* tentabat *Bentleius: moenibus;* sed *res Italas ornare moenibus* vix fert latinitas. Supple ad *ornes* et *emendes:* populum Romanum, et haec per ὕστερον πρότερον dicta esse puta: leges vitia emendant et emendatos moribus ornant. Egregie huic loco respondent, quae Horatius de emendatis ab Augusto moribus canit supra Od. IV, 5, 21. 22: *Nullis polluitur casta domus stupris; Mos et lex mendosum edomuit nefas.* Respexisse autem videtur Horatius legem *Iuliam de adulteriis* et legem *Papiam Poppaeam de maritandis ordinibus.* Scripta est haec Epistola, postquam Augustus, ut refert Sueton. Octav. 27: *morum legumque regimen perpetuum receperat.*

Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt;
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis: diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,

v. 4. *longo sermone*, et tamen haec Epistola, si Epistolam ad Pisones exceperis, omnium Horatii Epistolarum est longissima. Scilicet non raro rei alicuius, quam paucis expedire volumus, gravitas vel iucunditas nos disertos et verbosos reddit. — *tua*, negotiis tuis destinata.

v. 5—10. *Romulus* cett. Romulus, Bacchus, Pollux cum Castore et Hercules, postquam rebus gestis immortalem gloriam sibi compararunt, inter deos relati, dum bene merent, dum terrarum hominumque cultum curant, dum agros assignant colonis, dum aspera bella componunt, dum oppida condunt, meritis suis non speratum favorem contingere (*ploravere*) doluerunt. — *heroes*, Horatius supra quoque Od. III, 3. commemoratos, h. e. heroes, ut divinitatem nactos, coniunctim celebrat, sed ibi addit *Augustum.* (v. 10—11: *Quos inter Augustus recumbens, Purpureo bibit ore nectar.*) Horatius, si diligentius animum advertis, idem facit hoc loco, sed tecte; nam verba: *agros assignant*, scil. colonis deducendis, ad solum Augustum referri possunt. Huc accedit, quod in *Romuli* nomine *Augusti* simul nomen quodammodo latere potest, quia fuere, qui Augusto Romuli nomen tribuendum esse censerent. Sueton. Octav. 7: *Postquam C. Caesaris et deinde Augusti nomen assumsit; alterum testamento maioris avunculi: alterum Munatii Planci sententia: cum, quibusdam consentientibus Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis, praevaluisset, ut Augustus potius vocaretur* cett.

v. 5. *Bacchus*, ut supr. l. l. vers. 5. vocatur *pater*, ad verecundiam, quae ei debetur, designandam.

v. 6. *deorum in templa*, in coelum; Terent. Eunuch. III, 5, 42: *At quem deum! qui templa coeli summa sonitu concutit.* Supr. l. l. v. 10. coelum vocat *arces igneas.*

v. 7. *hominum colunt genus*, hominum genus excolendum curant.

v. 8. *oppida condunt*, Augustus quoque, ut narrat Sueton. Aug. 28: *urbem — excoluit adeo, ut iure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.*

v. 10. *dir. qui cont. hydr.* Hercules, qui clava sua capita hydrae Lernaeae comminuit et decussit; cf. supr. Od. IV, 4, 61.

v. 11. *port.* — *portenta* et *monstra* dicuntur, quae contra leges naturae apparent. Eo pertinent horrendae illae hominum et bestiarum formae, contra quas pugnare debe-

Comperit invidiam supremo fine domari;
Vrit enim fulgore suo, qui praegravat artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem.
Praesenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, sapiens et iustus in uno,
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,
Caetera nequaquam simili ratione modoque

bat Hercules; — *nota*, nihil enim Herculis laboribus notius. Duodecim labores Herculis totidem hexametris complexus est Ausonius Idyll. XIX. — *fatali*, fatali necessitate Herculi imposita ab Eurystheo, quia ille, rem ita moderante Iunone, prior Hercule natus fuerat.

v. 12. *Comp. invid. s. fin. dom.*, invidiam (*supremo fine*) post mortem demum compesci suo ipsius exemplo edoctus est.

v. 13 — 14. *Vrit enim, qui praegravat artes Infra se positas*, cuius artes super aliorum artes eminent. Sensus: Nam qui aliorum et virtutes, ut infra se positas, superat, sive, cuius artes super aliorum artes eminent, is, dum vivit, laudis suae splendore alios urit, h. e. aliorum invidiam excitat. — *ars* in latiore significatione, ut supr. Od. III, 3, 9: *Hac arte Pollux et vagus Hercules Enisus arces attigit igneas* et vers. 13: *Hac te merentem, Bacche pater, tuae Vexere tigres.*

v. 15—17. *Praesenti tibi maturos* cett. At tibi, Auguste, multo maior, quam heroibus illis, Romulo, Baccho cett., contigit felicitas; illi enim post mortem demum inserti sunt deorum ordinibus, tu vero adhuc vivens et praesens deus a populo coleris. Supr. Od. III, 5, 2: — *práesens Divus habebitur Augustus.* — *maturos*, tempestivos in vita, non seros post mortem. — *Iurandasque tuum per nom. pon. ar.*, qui iurabant, manum arae admovere (ut Hannibal apud Corn. Nep. c. 2.) et deum, cui ara sacra erat, iurisiurandi testem et vindicem appellare solebant; eodem igitur redit, utrum cum *Bentleio* legas: *tuum per numen*, an *tuum per nomen;* de permutatione duarum vocum, *numen* et *nomen*, vid. *Gronov.* ad Liv. VII, 30. §. 20.

v. 17. *Nil orit. alias, nil ort. t. fatentes*, supra Hor. Od. I, 12. 18. de Iove: *Nec viget quicquam simile, aut secundum.*

v. 18—22. *Sed tuus hic populus* cett. Sensus et nexus: (*Sed*) Idem tamen hic populus tuus, qui in te uno, dum te adhuc viventem tam nostris, quam Graiis ducibus anteponit, sapiens et iustus est, nunquam simili ratione modoque caeteros aestimat, sed eos, donec vivunt, fastidit et odit. — Sic non opus est, ut in v. 18. pro: *hic* cum *Bentleio* legatur: *hoc.* — *Te* in v. 19. tam ad *ducibus*, quam ad *uno* referendum videtur.

v. 20 *caetera*, pro: caeteros, ut passim *omnia*, pro: omnes.

Aestimat, et, nisi quae terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit:
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitet Albano Musas in monte locutas.
Si, quia Graecorum sunt antiquissima quaeque
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina; non est, quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

v. 21—24. *nisi quae* cett., eleganter pro: nisi eos post fata terra tegit. — Caeterum sponte hic succurrit notus ille Horatii locus Od. III, 24, 30. cett. seqq.: *Clarus postgenitis, quatenus, heu nefas, Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi.* — *Sic fautor veterum*, populus, qui vetusta tanti aestimat, — *ut tabulas peccare vetantes*, duodecim legum tabulas, — *Quas bis qu. viri sanxerunt*, conscripserunt et probatas a populo sanctas esse iusserunt; vid. Liv. III, 34. et Dionys. Hal. X, 57, 58. T. IV. p. 2142 — 2149. edit. *Reiske.* — *foedera regum*, a Romulo quidem cum Sabinis, Liv. I, 13. a Tarquinio Superbo cum Gabiis facta, Liv. I, 54.

v. 25. 26. *cum*, tam ad *Gabiis*, quam ad *Sabinis* referendum. — *Sabini* vocantur *rigidi*, non tantum, quia severa disciplina apud eos vigebat, (cf. supr. Od. III, 6, 37. seqq. et Epod. II, 41.) sed etiam, quia fortes et bellicosi erant. Sic apud Ovidium *rigidus Mars*, *rigidus leo*, *rigidae ferae.* — *aequata*, iuncta, vel inita, latis ab utraque parte aequis conditionibus, — *Pontificum libros*, apposite in hanc rem faciunt verba Ciceronis de Orat. II, 12: *Ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium res omnes singulorum annorum Pontifex Maximus mandabat literis, referebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, hique etiam nunc Annales Maximi nominantur.* — *annosa vol. vatum*, carmina Sibyllina et alia antiquitus a vatibus edita.

v. 27. *Dictitet Albano* cett., in monte Albano ex ipso Musarum ore fluxisse dictitet; per *Musas* Horatius respexisse videtur Nympham Egeriam, quacum Numa Pompilius, ut miraculosis commentis fidem faceret, sibi in monte Albano nocturnos congressus esse simulabat; vid. Liv. I, 19. Dixit Horatius *Musas*, quia Egeria in Musarum choro et consortio fuisse dicitur; vid. Dionys. Hal. II, 60. Tom. I. p. 364. edit. Reiske.

v. 28—31. *Si, quia Graecorum* cett. Sensus huius loci paulo obscurioris est fere hic: Quod si, quia antiquissima quaeque Graecorum scripta iure meritoque optima iudicantur, Romanorum quoque antiquissimi scriptores, ad eandem trutinam

Venimus ad summam fortunae; pingimus, atque
Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus:
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet? an inter
Viles atque novos? excludat iurgia finis.
Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poetas?
An quos et praesens et postera respuat aetas? —
Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est iunior anno. —
Vtor permisso, caudaeque pilos ut equinae,

examinati et ponderati, habentur optimi, (*non est, quod multa loquamur*) nihil profecto dicere attinet; hoc enim aeque absurdum et ridiculum est, ac si quis, quod in proverbio dicitur, contendere velit, nil duri esse intra oleam (in oleae nucleo); nil duri extra in nuce (in nucis putamine); quod qui contendat, sensu communi caret.

v. 32—35. Horatius Romanos stulte artium scientiam, tanquam a veteribus Romanis traditam, iactantes inducit: Summam, vos dicitis, quae nobis contingere poterat, perfectionem assecuti sumus; pingendo, psallendo, et luctando superamus Graecos! — *unctis*, luctaturi enim in palaestra vel in Campo Martio oleo ungi solebant.

v. 35. *chartis*, carminibus, quae scriptæ sunt in tabulis chartaceis; infr. in hac Epist. v. 161. *Graecae chartae*, carmina Graeca; apud Catullum LXVIII, 46: *charta anus aliquid loqui*, h. e. carmina, quae longam aetatem tulerunt, aliquid narrare dicuntur. — *pretium arroget*, vetustatis pretium attribuat, vindicet.

v. 36. *decidit*, mortuus est; morientes, ut flaccida folia arborum, *decidere* dicuntur, vel simpliciter ad *decidit* supple: ad orcum. Supr. Od. IV, 7, 14: *Nos, ubi decidimus, Quo pius Aeneas* cett.

v. 38. *excludat iurgia finis*, definitus sive praestitutus annorum, quibus vetustas efficitur, numerus tollat et removeat omnem de hac re litem atque controversiam.

v. 39. *probus*, idem, qui modo v. 37. dictus est *perfectus*.

v. 40. *minor*, sc. natu; iunior.

v. 42. *An*, scil. inter eos, quos cett. Pro vulgari *respuet* dedi cum *Bentl.* et *Fea respuat*, suffragantibus omnibus fere Codd.

v. 43. *honeste*, non immerito, recte.

v. 45—49. *Vtor permisso*, cett., utor venia, ulterius quaerendi, et, sicut unum pilum post alterum ex

Paulatim vello, et demo unum, demo etiam unum,
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos, et virtutem aestimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
Ennius, et sapiens et fortis, et alter Homerus,
Vt critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est, at mentibus haeret

cauda equina, ita de numero annorum, quibus vetustas scriptorum constituatur, paulatim vello et demo unum numerum post alterum, (*dum*) donec is, (*Qui redit ad fastos*) qui scriptorum praestantiam numero dierum et annorum in fastis signatorum aestimat, et nil nisi scripta iam diu mortuorum miratur, (*cadat*) victus concidat ratione corruentis acervi elusus, h. e. donec ei, ratione numeri sensim sensimque minuti decepto, aqua haereat. — Habes hic egregium exemplum *Soritae*, quem Cicero (de Divin. II, 4.) latine appellat *argumentationem acervalem*, a graeca voce *σωρός*, *acervus*. Quemadmodum scilicet acervus, v. c. tritici, e quo perpetuo unum granum post alterum tollitur, tandem corruit, ita magnus numerus, e quo unum post alterum demis, ita minuitur, ut, ubi ille magnus esse desinat, nescias.

v. 47. *cadat*, cum acervo concidat, h. e. se ad incitas redactum esse intelligat.

v. 49. *nisi quod Libitina sacravit*, nisi quod olim scripserunt Libitinae sacrati, h. e. sepulti; de *Libitina* vid. supr. ad Od. III, 30, 7. et ad Sat. II, 6, 19.

v. 50. seq. Iam Horatius affert veterum poetarum celebratissimos, *Ennium*, *Naevium* cett., profecto non, ut plures Interpretes contendunt, ut manes illorum vellicet, et de pretio, quod iis tribuebatur, aliquid detrahat, sed ut ostendat, *quam sanctum sit* (v. 54.) *vetus omne poëma*. Laudat, quod laudandum est, et reprehendit, quod in reprehensionem incurrere videtur. Hinc v. 63: *Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.* — Si Horatius Ennii laudem imminuere voluisset, leviter certe caeterorum quoque, qui sequuntur, tetigisset vitia. In eo tantum homines errare ait, quod ita mirentur veteres (v. 65.), ut nihil iis anteferant, nihil iis comparent.

v. 50. *sapiens*, doctus, eruditus; eodem sensu poetae apud Graecos dicuntur *σοφοί*. — *fortis*, altiore spiritu exsurgens.

v. 51. 52. *critici*, rerum ad doctrinam spectantium aestimatores, grammatici. — *leviter curare videtur*, Ennius parum curat, (*Quo — cadant*) quem eventum habeant ea, quae de animorum migratione promiserit et somniaverit Pythagoras, persuasus scilicet, se post mortem non in animali quodam, sed in hominum animis sedem habiturum esse, h. e. nomen suum post mortem apud posteros celebratum iri.

v. 53. *Naevius in manibus non est*, Naevius quidem non manibus teritur

Paene recens, adeo sanctum est vetus omne poëma.
Ambigitur quoties uter utro sit prior; aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti:
Dicitur Afranî toga convenisse Menandro;

sed eius, ut paene recentis poetae, carmina dictantur et a pueris ediscuntur; cf. supr. ad Epist. I, 20, 17. — *mentibus haerere* dicuntur, quae ediscuntur; carmina igitur, quae ediscuntur, opponuntur iis, *quae in manibus sunt*, h. e. leguntur; hinc pro: *et mentibus* cum *Dacerio* legendum videtur *at mentibus*. Caeterum Naevius non tantum comoedias et tragoedias, sed etiam carmen epicum de Bello Punico Primo scripsit.

v. 55—61. Iam Horatius, sententias, quae a vulgo de veterum poetarum pretio feruntur, referens, eos, qui in veterum, tanquam perfectissimorum scriptorum et recentioribus longe praeferendorum, laude sint nimii, errare, illos vero, qui ea, quae vitio vertenda sint veteribus, agnoscant, rectius secum de iis iudicare ait. — *Ambigitur quoties* cett. Quoties quaeritur, num Pacuvius Accio, an hic illi anteponendus sit, Pacuvio laus docti senis, Accio poetae sublimioris spiritus tribuitur. — *M. Pacuvius*, Brundisinus, Ennii ex sorore nepos, Laelii Sapientis amicus et hospes, poeta Latinus fuit Tragicus. Mortuus est octoginta annos natus; hinc *senex*, et quidem *doctus*, quia poetae, qui non tantum ingenio valent, sed etiam larga bonarum literarum copia instructi sunt, dicuntur *docti* (*σοφοί*, *sapientes* v. 50.), Cicero ad Qu. Fr. de Orat. I, 58. de *Pacuvio: Nec quisquam est eorum*, *qui*, *si iam ediscendum sit sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manlianas venalium vendendorum leges ediscere.* — *Accius*, (*Actius*, *Attius*) Latinus poeta Tragicus, Pacuvii aemulus. Cic. Brut. 64: *Accius — ait, se et Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset.* — *Accii* et caeterorum fragmenta a *Stephanis*, *Delrione* et *Scriverio*, nuperrime a *Bothio*, collecta sunt. *Accius* iam dicitur laudem accepisse *alti*, h. e. sublimioris poetae; vix enim *alti* ad *senis* quoque referri potest, cum Accius non fuerit *senex*, ut ex laudato loco Ciceronis apparet; nec facile assentiaris iis, qui Horatium per *doctum senem* Euripidem et per *altum senem* Sophoclem designare voluisse existimant; immo ad *docti* quoque supplendum videtur: *poetae* — *altus* est: sublimis; sic *oratio alta* (sublimis) apud Ciceronem in Orat. cap. 57: *orationi humili* opponitur; *spiritus altior* apud Ovid. Trist. IV, 1, 44.

v. 57. *Dicitur Afranî* cett. Sensus: Afranius ad exemplum Menandri (qui, ut Graecus, comoedias scripsit *palliatas*) composuisse dicitur comoedias *togatas*, (h. e. ab actoribus, non pallio, ut apud Graecos, sed toga indutis, actas) — *Afranium*, qui ferme vixit V. C. 660., Quinctilianus quoque X, 1, 100. ad fabularum *togatarum* scriptores principes refert. De *Menandro* vid. ad Sat. II, 3, 11.

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livî scriptoris ab aevo.
Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur,
Et sapit, et mecum facit, et Iove iudicat aequo.
Non equidem insector, delendave carmina Livî
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare, sed emendata videri,

v. 58. *Plaut. ad exemp.* cett., cum Plautus in scribendis Comoediis Epicharmi virtutes assequi studuisse dicatur, Epicharmum (discipulum Pythagorae; Diog. Laert. VIII, 78.) egregium fuisse poetam Comicum sponte sequitur. V. *Hermanni Harlessii* libell. de *Epicharmo*, pag. 47. sq. et quos ibi laudat. — *Siculi*, nati quidem in insula Coo, sed in Sicilia educati. — *properare*, intentiore nisu imitandi studium dirigere; nisi fortasse *properanti Plauto* festinationis simul vitium exprobratur.

v. 59. *Caecilii*, Insubris Galli, poetae Comici, quem Horatius h. l. sententiarum gravitate Plautum superasse ait, mentio quoque fit infr. in Epist. ad Pis. v. 54.

v. 60. 61. *arct. stip. theatro*, *Spect. R. p.*, hinc supr. Epist. I, 19, 41: *spissa theatra*.

v. 62. *Livî* — *Livius Andronicus*, poeta Comicus, Livii Salinatoris, cuius filias erudiverat, libertus, V. C. 514. M. Claudio (Caeci filio) et M. Sempronio Tuditano Css. primus Romae fabulam dedisse dicitur; vid. Liv. VI, 1. et Gell. XVII, 21.

v. 66. *nimis antique*, qui nimis sectatur priscae aetatis verba, eius oratio est horrida atque inculta.

v. 67. *cedit* (sc. vulgus) pro: concedit. Stat. Theb. I, 704: *cui aetherii dono cessere parentes Aeternum florere genus.* — Recte *Bentleius* ad fidem Reg. Soc. Cod. pro: *credit*, quod vett. editt. obsidet, recepit *cedit*. — *ignave multa fatetur*, si fatetur, multa veteres dicere *ignave*, frigide, languide, inepte.

v. 68. *Iove aequo*, favente, secundo, ut vers. 94: *fortuna aequa*.

v. 71. *Orbil.*, — de *Orbilio*, qui a tenera inde aetate non leviter bonarum literarum studiis imbutus et ex milite factus est ludimagister, adi Sueton. de Illustr. Grammaticis cap. 9. Cum esset Orbilius, ut scribit Sueton. l. l., homo *acerbae naturae*, et proinde pueros erudiendos sibi traditos acerbe tractaret, Horatius, iam plagarum ab eo acceptarum memoriam refricans, eum *plagosum* vocat.

Pulchraque, et exactis minimum distantia, miror.
Inter quae verbum emicuit si forte decorum,
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Iniuste totum ducit venditque poëma.
Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
Recte, necne, crocum floresque perambulet Attae
Fabula, si dubitem, clament periisse pudorem

v. 72 *exactis minimum distantia* proxime accedentia ad ea, quae ad normam recti exacta sunt, ergo ad perfecta.

v. 73—75. *Inter quae* cett. In hoc loco tam explicando, quam emendando frustra se torserunt plures interpretes, *Bentleius*, *Gesnerus* cett. ideo, puto, quia *ducere* et *vendere* non ea, qua debebant, significatione acceperunt. Sensus: si forte in carminibus, quae scripsit Livius, elegans verbum, vel unus et alter versus concinnior enituit, vulgus *iniuste* (praeter rem) totum poema pulchrum et concinnum esse censet, et hoc nomine laudat. — *Inter quae* refer ad *carmina Livi* in v. 69. — *emicuit*, pro vulgari: placuit; *emicare* dicuntur res, quae prae caeteris pulchritudinis suae splendore oculos ad se advertunt, placentque. — *ducit*, aestimat, iudicat, censet sc. concinnum, sic saepe *ducere*, ut docent Lexica. infr. v. 83. *aliquid rectum ducere*, et supr. Sat. I, 6, 62: *Magnum hoc ego duco*; supplendum autem est omnino ad *ducit*; *vulgus*, ut supr. v. 67. ad *cedit*, et v. 68. ad *sapit*, *facit*, *iudicat*. — *vendit*, laudat, commendat; sic passim *vendere* et *venditare*; est enim translatum a mercatoribus, qui laudant et commendant merces, quas vendere cupiunt. Cic. ad Att. XIII, 12: *Ligarianam* (orationem) *praeclare vendidisti*, h. e., ut bene explicat *Ernestius*: „laudando, ut legeretur ab hominibus, fecisti.“

v. 76—78. *Indignor* cett., indigne fero, quod carmina non ideo, quod crasse et illepide, sed quia recentiore aetate composita sunt, reprehenduntur, et quia antiquis poetis, quasi illi nihil omnino peccaverint, non venia, sed honor et praemia poscuntur.

v. 76. *crasse*, ut supr. Sat. II, 2, 3: *crassa Minerva*, et alibi *pingui Minerva*, h. e. ineleganter, indocte, inscite.

v. 79—85. *Recte*, *nec ne* cett. Si ego dubitem, utrum recte, an minus recte Attae fabula in scenam croco et floribus stratam producatur, clament cett. — *croc. flor. peramb. A. Fabula*, non fabula, sed qui fabulam agunt, histriones, perambulent pulpita, croco odorifero perfusa et floribus conspersa. Commode in hanc rem *Lambinus* attulit locum Lucretii II, 416: *Et cum scena croco Cilici perfusa recens est*. Ovid. Art. Am. I, v. 104. *Tum non marmoreo pendebant vela theatro*, *Nec fuerant liquido pulpita rubra croco*. — Fabulas, quas scripsit poeta Latinus

Cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner,
Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit:
Vel, quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel, quia turpe putant parere minoribus, et quae
Imberbi didicere, senes perdenda fateri.
Iam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri:
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quod si tam Graiis novitas invisa fuisset,
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,

Atta, magnum apud Romanos plausum tulisse, ex hoc loco colligi potest.

v. 81. *patres*, seniores; *patribus* vel *senibus* in v. 85. opponuntur in v. 84. *minores*.

v. 82. *Aesopus*, nobilis tragoediarum actor, vocatur *gravis* ob gravium personarum partes in tragoediis suscipiendas et sustinendas; Cicero huius Aesopi, quem ut familiarem suum laudat, (Offic. I, 31.) passim mentionem facit; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. Hist. s. v. *Aesopus*. De Aesopi filio, homine flagitioso et prodigo, cf. supr. ad Sat. II, 3, 39. — *Roscius*, loca, in quibus Cicero *Q. Roscium*, quem in peculiari oratione contra criminationem aliquam defendit, ut summum rei scenicae artificem sive histrionem perfectissimum ad coelum usque extollit, vide apud *Lambinum*. Vnum tantum afferam ex Orat. pro Arch. Poet. cap. 8: *Quis nostrum animo tam agresti et duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? Qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem*, (quam ostendebat toto corporis habitu et gestibus) *videbatur omnino mori non debuisse*. Roscium egregium plane histrionem fuisse, inde quoque patet, quod, si quis artificio aliquo excelleret, proverbiali fere locutione *in suo genere Roscius* dicebatur. Cic. de Orat. I. cap. 28. hinc ab Horatio h. l. *doctus* vocatur.

v. 84—86. *Vel*, *quia* cett. Vel quia turpe putant, si senes ad iuniorum sententiam sese accommodent, et ea, quae pueri olim a ludimagistro ex Attae comoediis dictata didicerint, (*perdenda*) tanquam vana et falsa e memoria delenda esse, fateantur.

v. 86—89. *Iam Saliare Numae carmen* cett., carmina, quae Numa Pompilius Martis sacerdotes, *Salios* (a *saliendo*) cum tripudiis solemnique saltatione per urbem euntes canere iubebat, (vid. Liv. I, 20.) tam obscuris, reconditis et perplexis formulis fuerunt concepta, ut a nemine facile possent intelligi; vid. Quinctil. I, 6, 40.

v. 87. *scire*, intelligere.

v. 88. *non ille favet* cett., quomodo enim aliquis favere potest Numae carmini, quod non intelligit? non favet igitur vere et reapse, sed, caeco veterum studio et amore abreptus, recentiores contemnit.

v. 91. *quid nunc esset vetus?* nam si tum, cum scriberent Graeci, pro-

Quod legeret tereretque viritim publicus usus?
Vt primum positis nugari Graecia bellis
Coepit, et in vitium fortuna labier aequa,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum;
Marmoris aut eboris fabros, aut aeris amavit;
Suspendit picta vultum mentemque tabella;
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis;
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonae, ventique secundi.

pter novitatem contemti fuissent, non legere, non manibus terere et imitari nunc possemus veteres Graecos.

v. 93. *nugari*, ludicra tractare, rebus ad animi oblectationem spectantibus vacare; ut supr. Sat. II, 1, 73. et Epist. I, 18, 60. pro: *nugari* supr. Sat. II, 2, 11. apposite ad hunc locum dixit: *graecari*. — *positis armis*, finito bello Persico; ab eo enim tempore magis magisque efflorescere coeperunt bonarum literarum studia.

v. 94. *et in vit. fort. lab. aequa*, et, cum nunc meliore fortuna uteretur, *labier in vitium*, h. e. molliore vita corrumpi, dum ab antiqua morum disciplina recedebat Graecia; — *aequa*, favente, secunda, ut supr. v. 68: *Iupiter aequus.*

v. 95. *equorum*, ludorum equestrium.

v. 97. *Suspendit picta* cett., eleganter, pro vulgari: Graeci nunc toti fuerunt in pictarum tabularum admiratione. Qui rem aliquam cum admiratione et animi intentione contemplantur, eleganter dicuntur: *vultum et mentem aliqua re suspendere*, h. e. oculos et animum in aliqua re defigere. At supr. Sat. I, 6, 5: *naso adunco aliquem suspendere*, est: aliquem deridere.

v. 98. *Nunc tibicinibus*, tibiae cantu in comoediis histrionum orationi adspirantibus; infr. in Epist. ad Pis. v. 215: *Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.* cf. Phaedr. V, 7, 4, 5.

v. 99—100. *Sub nutrice puella* cett. Graecia, post bella modo hoc, modo aliud rei ludicrae studium amplexa, lepide comparatur cum infante puella sub nutrice ludente, quam rei modo petitae mature capit satietas; *nutrix* dicitur non tantum ea, quae infantem lactat, sed etiam quaevis alia, sub cuius custodia infantes educantur. Si quis tamen h. l. *nutricem* sensu proprio accipere malit, tum *ludere* erit: ludendo lac sugere, lactere. — *mature plena*, ἀψίκορος, exsatiata ludo, quem modo cupide petierat. *Plenus* ut *dignus* non raro ponitur ita, ut res, cuius aliquis *plenus*, sicuti qua aliquis *dignus* sit, ex serie orationis supplenda sit; cf. supr. ad Epist. I, 20, 8. — *reliquit*, ἀορίστως, relinquere solet, infr. in Epist. ad Pis. v. 165. de imberbi iuvene: *amata relinquere pernix.*

v. 102. *Hoc*, hanc mutabilitatem et inconstantiam. — *paces bonae*, bene compositae, salutares.

Romae dulce diu fuit et solenne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere, per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis et calet uno
Scribendi studio: puerique patresque severi
Fronde comas vincti coenant, et carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior; et prius orto
Sole, vigil calamum et chartas et scrinia posco.

v. 103—110. *Romae dulce diu* cett. Nexus et sensus: Haec studiorum mutabilitas apud Romanos quoque locum habuit. Olim Romani primo mane lectum relinquere, et, reseratis domi foribus clientes, quibus consulerent, et iura exponerent, admittere, nummos iusta cautione in tuto positos debitori (*expendere*) adnumerare, et iuniores senioribus, quomodo res familiaris crescere et perniciosa libido domari possit, docentibus faciles aures praebere et obedientiam praestare solebant; nunc levis populus mutavit illam mentem; nunc unum scribendi studium fervet; nunc seniores aeque ac iuniores corollis redimiti convivia sectantur et dictant carmina.

v. 103. *dulce fuit* cett., ubi enim homines ita, ut h. l. describuntur, agunt, ibi suaviter et iucunde vivitur.

v. 104. *Mane;* hinc supr. Sat. I, 1, 10: *Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.*

v. 105. *Caut. nom. r. exp. n.* — *nummi rectis nominibus cauti* sunt nummi, quibus certa syngrapha debitoris et testium nominibus consignata a fraude cautum est. Respexit autem Horatius aetatis suae homines avaros, qui non modo honesto et legitimo, ut olim, sed inhonesto et illegitimo enormibus usuris pecuniam foenori dabant. Lectio *cautos* doctior est lectione *scriptos*, quam defendit *Bentl.;* pro: *rectis* magis placet *certis*, quod est in plurimis editt. vett.; de locutione *aes alienum debere certis nominibus*, plura exempla attulit *Bentl.*

v. 107. *damnosa libido*, ut supr. Epist. I, 18, 21: *damnosa Venus.* Supr. Epist. I, 3, 55: *Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas.*

v. 108. 109. *calet uno Scribendi studio*, respexit indoctorum (cf. infr. v. 117.), qui tum caput efferebant, poetarum gregem. — *patresque severi*, non quod fuerunt patres illi *severi*, sed quod pro aetate sua *severi* esse debuerant.

v. 110. *dictant*, pueris, scribis privatis, ut supr. Epist. I, 10, 49.

v. 112. *Parthis mendacior*, Parthi dicuntur *mendaces*, quia falsa specie, quam prae se ferebant, alios decipere solebant. Sic Parthi fugam simulantes, non raro hosti, dum vel equos repente circumagebant, vel tela aversis ab hoste equis multa arte retro iaciebant, admodum infesti fuere; vid. supr. Od. I, 19, 11.

v. 113. *scrin.* — *scrinium*, capsa vel arcula, in qua charta, literae, et res ad scribendum necessariae servantur; hinc supr. Sat. I, 1, 120:

Navem agere ignarus navis timet; abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit dare: quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poëmata passim.
Hic error tamen et levis haec insania, quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus
Non temere est animus; versus amat, hoc studet unum;
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;
Non fraudem socio puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit siliquis et pane secundo:

scrinia compilare, pro: carmina, quae in scrinio servantur, compilare; *scrinium* igitur fere est, quod nos dicimus: *Schreib - Apparat*.

v. 114. *ignarus navis*, sc. agendae, rei nauticae imperitus. — *abrotonum* (rarius: *abrotonus*,) est frutex suavissimi odoris, qui in meridionalibus Europae terris sponte nascitur, et in nostris quoque hortis passim conspicitur et, antequam *Chamomillae*, quas vulgo dicunt, in usum venerunt, inter medicorum remedia non ultimum locum tenebat, quod iam discimus e Plinio, H. N. XXI, 10. Vinum *abrotono* mixtum, *οἶνος ἀβροτονίτης*, salutare credebatur. *artemisia abrotonum*, Linn. *Stabwurz*, *Eberraute*, *Eberreis*.

v. 115. *nisi qui didicit*, sc. virtutes abrotoni, sive artem medicam.

v. 116. *Promittunt* profitentur: medici faciunt, quod ars medica eos facere docuit; *Bentleii* emendatio: — *quod melicorum est*, *Promittunt melici*, paucis, puto, probabitur.

v. 117. *Scribimus indocti* cett., quod autem ad nos attinet, non docti solum, sed etiam indocti scribendis carminibus vacamus; sumus igitur iis, qui tractant tantum, quae didicerunt, dissimiles. Observa autem, poetam, dum ridet indoctos poetas, lepide se quoque eorum gregi immiscere.

v. 118. 119. *Hic error tamen*, attamen haec fraus, qua indocti ad carmina scribenda se induci patiuntur; — qui mala carmina scribunt, infra quoque Epist. ad Pis. 457: *Hic dum sublimes versus ructatur et errat.* — *quantas Virtutes habeat*, cum quantis commodis et opportunitatibus coniuncta sit; — *sic collige*, ex sequentibus argumentare.

v. 120. *Non temere*, non facile, ut infr. in Epist. ad Pis. 160. — *hoc studet unum*, hoc unum facere vel tractare studet; ubi enim *studere* accusativo iungitur, eiusmodi aliquid supplendum est. Cic. ad Divers. VI, 1. sub. fin. *qui, si nihil aliud studeat*, (agere) *nisi id, quod agit.* — *studet* sc. tractare.

v. 121. *ridet*, tanquam res nihil ad se pertinentes; nam qui nihil habet, nihil perdere potest.

v. 122. *incogitat*, (*ἐπινοεῖ*, *ἐπιβουλεύει*,) excogitando struit, parat, intus meditatur; non insidias in fraudem socii puerive excogitat, intendit.

v. 123. *viv. siliq.* — *siliquae*, cibus pauperum, nascuntur in arbore, quae a fructu suo, ad formam cornu in superiore parte flexo, Graecis dicitur *κερατωνία*, *κερωνία*, *κερατεία*, et ipse fructus *κεράτιον*. Frequens est illa arbor non solum in terris

Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi;
Si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvari,
Os tenerum pueri balbumque poëta figurat;
Torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem;
Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
Asperitatis et invidiae corrector et irae;
Recte facta refert; orientia tempora notis
Instruit exemplis; inopem solatur et aegrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti

orientalibus, sed etiam in Graecia, Sicilia, et in Hispania, Columella VII, 9. de *Arbor.* vocat *siliquas Graecas* et porcis saginandis utiles. Apud nos arbor illa vocatur *Iohannis-Brotbaum*, quia *siliquae* Ioanni Baptistae in deserto viventi victum praebuisse dicuntur. *Ceratonia Siliqua* apud *Linnaeum*. — *pane secundo*, secundario, h. e. nigro. Facete Horatius designat poetam famelicum.

v. 124. *malus*, (*κακός*,) ignavus, timidus.

v. 125. *Si das hoc* cett., si concedis, parvis rebus magnas iuvari posse, hoc quoque concedas necesse est, quod paradoxon videri posset, poetas reipublicae magna commoda afferre.

126. *Os tenerum* cett. Nunc Horatius varias docti poetae virtutes breviter adumbrat. — *figurat*, fingit, dum facundum et disertum reddit os balbum.

v. 127. *iam nunc*, iam in tenera aetate. — *obscoen. serm.*, at ipse Horatius passim carmina sua obscoenis sermonibus polluit.

v. 128. *pectus format*, pro: *format* malim: *firmat*, h. e. confirmat, munit; est hoc certe significantius. Tacitus Annal. XVI, 35. s. fin.: *Caeterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.* — *praeceptis amicis*, benevolis, commodis, salutaribus.

v. 129. *Asperitatis*, incultioris et asperioris vitae. Ovid. ex Pont. I, 6, 7: *Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est, Pectora mollescunt asperitasque fugit.*

v. 130. 131. *orient. temp. n. Instr. ex.*, ante oculos ponit nota exempla, quae futurae aetatis homines virtutem sequi et vitia fugere doceant. — *aegrum*, sc. curis (nos: *den bekümmerten*, *schwermüthigen*); sic simpliciter *aeger* apud Virg. Eclog. I, 13: *En, ipse capellas Protenus aeger ago*, ubi *Heynius* et alii perperam *aeger*, vel pro: *aegre* (h. e. vix) positum, vel de homine male affecti corporis dictum esse existimant. Sic apud Val. Flacc. III, 571. de Hercule: *Sed neque apud socios, structasque in littore mensas Vnanimum videt aeger Hylan.* vox *cura* additur apud Virg. Aen. I, 207., ubi Aeneas *curis ingentibus aeger* dicitur.

v. 132. *Cast. c. p. ign. pu. mariti*, eleganter pro vulgari: chorus castorum puerorum et castarum virginum. — *ignara puella mariti* (*ἄγαμος*), *expers*, (ut supr. Od. III, 11, 11. loquitur,) *nuptiarum*, adhuc integra.

Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus et praesentia numina sentit;
Coelestes implorat aquas docta prece blandus;
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum;
Carmine dî superi placantur, carmine Manes.
Agricolae prisci, fortes parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et coniuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium, memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc invecta licentia morem

v. 133. 134. *Disceret unde preces*, ad Apollinem et Dianam solemni die fundendas. Carm. Saec. v. 3: *date, quae precamur Tempore sacro.* — *vat. n. Mus. ded.*, nisi chorus haberet vatem, qui chorum carmen dicendum (ut Horatius Carmen Saeculare) doceret. — Carm. Saec. s. fin.: *Doctus et Phoebi chorus et Dianae Dicere laudes.* — *praesentia*, ope et favore praesentiam suam quasi declarantia, propitia; *praesentes divos cognoscere*, apud Virg. Eclog. I, 42.

v. 135. *Coelestes impl. aquas*, in Carm. Saec. v. 31. precatur chorus: *Nutriant fetus et aquae salubres Et Iovis aurae.* — *docta*, quam docuit poeta χοροῦ διδάσκαλος.

v. 136. *Avertit* cett. Phoebus enim, cuius favorem chorus puerorum implorat, est deus averruncus, ἀποτρόπαιος. Carm. Saec. v. 64: *Qui salutari levat arte fessos Corporis artus.*

v. 137. *pacem*, otium, securitatem.

v. 139. 140. *fortes*, robusti; Tibull. II, 2, 14: *Fortis arat valido rusticus arva bove.* — *levantes*, recreantes, reficientes, curantes.

v. 141. *spe finis dura ferentem*, sperans, duros, quos nunc fert, labores finem habituros esse; infr. Epist. ad Pis. v. 406: *ludusque repertus, Et longorum operum finis.*

v. 143. *Tellur. porco*, videatur, quem laudavit *Gesnerus*, Cato de Re Rust. cap. 34. — *Sylvan. lacte*, vide eundem Catonem cap. 83.

v. 144. *Genium*, *memorem brevis aevi*, aevi brevitatem in memoriam revocantem, de aevi brevitate monentem; sic supr. Od. I, 13, 12: *nota memor*, de nota, dente labris impressa, quae, quid factum sit, in memoriam revocat; Od. III, 11, 51: *et nostri memorem* (nos in memoriam revocantem,) *sepulchro scalpe querelam.* — Vel explica: probe gnarum et memoria tenentem, quam brevis vita hominum sit; *Genio* enim moriendum est cum homine, cui ille additus est.

v. 145. *Fescenn. licent.*, intellige carmina incomposita, in quibus licentius et petulantius spargebantur dicteria; nomen traxerunt a *Fescennia*, oppido Etruriae, ubi carmina nuptialia inventa esse dicuntur; vid.

Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter: donec iam saevus apertam
In rabiem verti coepit iocus, et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Conditione super communi; quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi. Vertere modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio. Sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus
Munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum

Serv. ad Virg. Aen. VII, 695. Catullus LXI, 27. hanc licentiam vocat *Fescenninam locutionem*, cf. Liv. VII, 2.

v. 147. *recurrentes per annos*, pro vulgari: quotannis. — *accepta*, grata et iucunda.

v. 148. 149. *saevus iocus*, acerba maledicendi libido. Sic, qui in quemvis opprobria fingit, supr. Epist. I, 15, 30. *saevus*, et Venus Od. I, 33, 12. *formas atque animos sub iuga aenea Saevo mittere cum ioco* dicitur; similiter *minaces Camenae* Od. IV, 9, 7.

v. 150. *cruento dente.* — *dens* accommodate ad tropum dicitur *cruentus*, quia dentis morsus vulneratos cruentat; supra Epod. VI, 15. maledicentes *atro dente aliquem petere* dicuntur.

v. 151—153. *intactis*, nondum dente cruento laesis, h. e. nondum petitis a maledicis. — *cura Cond. sup. comm.*, sollicitudo de hoc omnibus ac singulis imminente periculo. Supr. Sat. II, 1, 23: *Cum sibi quisque cavet, quamquam est intactus.* — *quin et. l. Poenaque*, cf. supr. Sat. II, 1, 82. seqq.

v. 154. *Vertere modum* cett., poetae modos, quibus adhuc carmina contumeliosa decantaverant, mutarunt, cum metu poenae ad scribenda carmina, quae benedicendo placerent et delectarent, redigerentur. — *formidine fustis*, (*vetus Schol.*,) *quia fustuarium supplicium constitutum erat in auctorem carminum infamium.* Cum poetae maledici comparari soleant cum canibus mordacibus (vid. supr. Epod. VI.), quos fuste abigimus et repellimus, profecto huic comparationi bene respondet constituta in poetas maledicos poena fustuaria.

v. 156. *ferum* (rudem) *victorem cepit*, sc. voluptate illa, quam parant bonae literae. Ludit in duplice significatione verbi *capere;* (*Graecia capta*) pro: vincere, et deinde pro: voluptate rei, quae animum capit et occupat, perfundi; Epist. ad Pis. v. 362: *Vt pictura, poesis erit, quae, si propius stes, Te capiet* (delectabit) *magis.*

v. 157. *agresti*, rudi, inculto.

v. 158. 159. *defluxit*, fluere desiit. — *Saturnius*, de horridis et in-

Manserunt hodieque manent vestigia ruris:
Serus enim Graecis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
Tentavit quoque, rem si digne vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis et acer;
Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum, sed habet Comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus. Adspice, Plautus

conditis priscae aetatis versibus, qui vocantur *Saturnii, Festus in Saturno* (p.253 Lind.) tradit haec: *Versus antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur, quibus et a Naevio bellum Punicum primum conscriptum, et a multis aliis plura composita sunt. V. Hermanni Elem. rei metr.* p. 606—640. — *et grave virus Mund. pepul.*, *mundities* pepulit spurcitiem, h. e. purum, elegans et concinnum scribendi genus fugavit scribendi genus incultum, rude et inconcinnum. — *virus grave* (gravis odoris), transfertur ad ea, quae foeda et abominabilia sunt. — *munditia* vel *mundities* apud Ciceronem quoque Orator. c. 23. transfertur ad orationis castitatem et elegantiam: *elegantia modo et munditia remanebit.* Et sic *munda verba* apud Ovid. Art. Am. III, 478., ubi plura dedit *Burmannus.*

v. 160. *ruris*, orationis rusticae h. e. incomtae, inficetae et asperae.

v. 161. *Serus enim*, scilicet Latinus. — *admovit acumina*, ingenii facultates, legendo acuendas; elegantius et significantius pro vulgari: admovit manus, operam dedit, vacavit.

v. 163. *Thespis*, cf. infr. Epist. ad Pis. 276. — *ferrent*, proferrent, suppeditarent.

v. 164. *rem*, graeca carmina, tractata a Graecis poetis argumenta.

v. 166. *Nam spirat trag. sat.*, nam sublimiore tragicorum spiritu satis agitatur. — *feliciter audet*, sic Horatius, Euripidem imitatus, felici audacia supr. Od. IV, 4, 44: *Eurum per undas equitare,* h. e. celeri impetu ferri, dixit.

v. 167. *Sed turpem putat* cett. Sed curam, quam in iis, quae minus recte scripsit, emendandis atque delendis ponere debebat, ut rem turpem, stulte refugit; Caecina in Epist. ad Ciceronem VI, 7: *mendum scripturae litura tollitur.* Quod in tabula cerata inverso stylo complanatur et deletur, *litura* vocatur. Hinc infr. Epist. ad Pis. v. 293. carmen, *quod non multa dies et multa litura coercuit*, h. e. quod non diu multumque elaboratum et per lituram a vitiis cohibitum et purgatum est, reprehenditur.

v. 168—170. *Creditur* cett. Comoediarum confectio minimum laboris habere putatur, quia materia, in medio quasi posita, e vita communi petitur; sed quanto minus veniae datur comoediarum scriptori, in re

Quo pacto partes tutetur amantis ephebi!
Vt patris attenti, lenonis ut insidiosi!
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis!
Quam non adstricto percurrat pulpita socco!
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat, an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso Gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat:
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit ac reficit! Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.

communi peccanti, tanto plus operae huic rei impendendum est.

v. 170—176. *Adspice, Plautus* cett. Iam Horatius Plautum et ignobilem quendam poetam Comicum, Dossennum, de productis in scenam personis, parum naturae convenienter partes suas sustinentibus, notat. — *Quo pacto — Vt*, quam male.

v. 172. *attenti*, sc. ad rem, h. c. avari, ut supr. Epist. I, 7, 91.

v. 173. *Quantus sit Dossennus* cett., videtur Dossennus risus captandi causa in exprimenda parasitorum edacitate nimius fuisse; hinc *Quantus*, sc. poeta.

v. 174. *Quam non adstricto* cett., histriones, qui *socco non* arctius *adstricto* (h. e. laxo) *per pulpita* incedebant, externae negligentiae culpam sibi contrahebant; hac imagine igitur iam Dossenni in scriptis comoediis incuria atque negligentia designatur. Caeterum *pulpita percurrere* idem, quod v. 79: *crocum floresque perambulare.*

v. 175—176. *Gestit enim* cett. Lucri et mercedis tantum causa comoedias scribit Dossennus, nihil plane curans, utrum illae exsibilentur, an plausum ferant. Fabula, quae displicet spectatoribus, *cadere*, quae placet, *stare*, (cf. supr. ad Sat. I, 10, 17.) dicitur; — *recto talo*, firmo quasi pede.

v. 177. *ad scenam*, ad fabulas scribendas; — *Gloriae currus*, qui supr. Sat. I, 6, 23. dicitur *fulgens*, significantius h. l. dicitur *ventosus*, ὑπηνέμιος, explicante *Vossio in mythologische Briefe*, Tom. II, p. 171; — vel refer simul *ventosus* ad poetam, in curru ventoso sedentem.

v. 178. *lentus*, ἀναίσθητος, cuius animus ne minimum quidem commovetur fabulae actione. — *exanimat*, fabulae auctori animum quasi eripit, pro vulgari: eum, quem gloria ad scribendas comoedias aufert, gravissimo dolore afficit. — *sedulus*, qui animo attento commotoque spectat. — *inflat*, inspirat animum, eumque extollit.

v. 179—181. *Sic leve,* cett. A re tam levi, tam parva, a spectatorum scilicet, fabulae aut applaudentium aut eam exsibilantium, arbitrio pendet poetarum gloriae cupidorum tam dolor, quam voluptas animi; — *animum Subruit*, subvertit, evertit, pervertit. — *Valeat res ludicra,* longe a me absit rei ludicrae sive fabularum scribendarum studium, si poetae vita tam inops et macra, quam opulenta, in populi aut non faventis, aut faventis, posita est

Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poëtam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
Quatuor aut plures aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;

arbitrio. — *reducit*, accommodate ad verba ab Olympionicis translata: — *palma negata* — *donata*. Supr. Od. IV, 2, 17: *Sive quos Elea domum reducit Palma coelestis.*

v. 182—186. *Saepe etiam* cett. Sensus: saepe audacioris adeo et sublimioris ingenii poetam a re ludicra repellit et deterret hoc, quod *plebs*, (egregie plane duobus versibus 184 et 185 describitur *plebs*) (*Si discordet eques*) si secus sentiant cultioris animi homines, inter mediam fabulae (quae plebi displicet) actionem ad res, quae in oculos incurrerent, spectandas, aut ursi, aut pugilum spectaculum poscit; eiusmodi enim spectaculo magis delectatur plebecula.

v. 183. *virt. et hon. minores*, sed quod ad vitae honestatem et honoris dignitatem attinet, caeteris inferiores.

v. 185. *eques*, ut vir cultioris animi opponitur *plebi*, cf. v. 187. Supr. Sat. I, 10, 76: *Nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax, Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.*

v. 186. *Aut urs. aut pugil.* (*Vet. Schol.*) *Recte, quia adhuc Amphitheatri usus non* (*adhuc non* satis barbare pro: nondum,) *erat*, *et in eadem cavea etiam ferarum gladiatorumque munera spectabantur.*

v. 187. 188. *Verum equitis* cett. Sed nunc cultiores quoque non amplius graviores sententias audiendo, sed res vanas, oculos tantum pascentes, spectando (nos: *Schaugepränge*) delectantur.

v. 188. *oculi incerti* iam sunt dubii, quo se vertant, quod fit, ubi oculi magna rerum contemplandarum varietate modo huc, modo illuc trahuntur.

v. 189. 190. *aulaea premuntur*, per quatuor et plures horas depressis et demissis aulaeis scena aperta est, h. e. spectaculum: „*Dum fugiunt turmae equitum* cett.“ quatuor aut plures horas durat. — Aulaea apud veteres non, sicut nunc, cum ludus incipit, sursum trahebantur (*tollebantur*), sed ex summo ad imum deprimebantur; depressis igitur aulaeis, scena aperta, sursum tractis, (*sublatis*) operta fuit. — Iam Horatius, ut carpat aevi sui ingenium, recenset quaedam, quibus spectandis plebecula inprimis inhiabat: eo pertinebant pugnarum simulacra, splendidi triumphi repraesentatio, et rariores in scenam productae bestiae. — Cicero quoque in Epistola ad M. Marium, (ad Divers. VII, 1.) quid sentiat de eiusmodi ludis, haud dissimulat: *Omnino, si quaeris, ludi apparatissimi; sed non tui stomachi; coniecturam enim facio de meo. — Quid enim delectationis habent*

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis;
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus; seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora:
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Vt sibi praebentem mimo spectacula plura;
Scriptores autem narrare putaret asello

sexcenti muli in Clytaemnestra — aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? quae popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent.

v. 191. *Mox trahitur* cett., elegans versus pro vulgari: Mox vincti reges in triumpho per scenam traducuntur; — *regum fortuna;* significanter *fortuna* inservit regum captorum periphrasi; supr. Od. I, 34, 12 seqq.: *Valet ima summis Mutare et insignem attenuat deus.* — *manibus retortis*, *brachiis*, ut supr. Od. III, 5, 22. loquitur, *tergo retortis.*

v. 192. *Essed. pilenta*, *petorr.*, Gallica et Belgica vehiculorum genera, quibus in pompa triumphali capti reges reginaeque vel spolia vehebantur; de *essedis* vid. *Scheff.* de *Re Veh.* II, 23. de *pilentis* Eundem de *Re Veh.* II, 17, 25. de *petorritis* cf. supr. ad Sat. I, 6, 104. — *naves*, rostra certe captarum navium vehiculis imposita.

v. 193. *Capt. ebur*, intellige variam supellectilem affabre ex ebore factam, nisi mavis intelligere *dentes eburneos*; apud Livium certe XXXVII, 49. in triumpho de Antiocho *eburnei dentes mille ducenti triginta unus* portati esse dicuntur. — *captiva Corinthus* aut de more, quo simulacra captarum urbium in triumpho praeferri et ostendi solebant, accipiendum est, aut Horatius iam Corinthum ut urbem opulentissimam, non praestantiore aere tantum et statuis inde effictis nobilem, sed multarum rerum copia abundantem posuit, ita, ut per *captivam Corinthum* splendidissima et pretiosissima quaeque intelligenda sint.

v. 194. 195. *Democritus*, hic notissimus philosophus, Abderae natus, supr. Epist. I, 12, 12. toto animo ita in philosophiae studio defixus fuisse dicitur, ut omnem rerum suarum curam ex animo dimitteret; — *seu Divers.* cett., sive panthera, confusa camelo; diversum a panthera, proprie sic dicta, genus, *Camelopardalis;* (Varr. L. IV, 20: *Alexandria camelopardalis nuper adducta, quae erat figura, ut camelus, maculis, ut panthera*, cf. Plin. H. N. VIII, 18) sive albus elephas vulgi oculos ad se verteret. Cicero l. l. *Extremus elephantorum dies fuit, in quo admiratio magni vulgi atque turbae, delectatio nulla exstitit.*

v. 197—198. *Spectaret populum* cett. Democritus attentius, quam ipsos ludos, spectaret populum, stupore, quo ille ferarum bestiarum contemplationi inhiare solet, maius sibi, quam mimus aliquis, spectaculum praebentem.

v. 199. ad proverbium graecum: *ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον.*

Fabellam surdo: nam quae pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum:
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes,
Divitiaeque peregrinae; quibus oblitus actor
Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae.
Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi posse videtur

v. 200—201. *nam quae* cett. Sensus: nam quis histrio ita vocem intendere potest, ut pervincat populi in theatris nostris tumultuantis strepitum et clamores, h. e. quis prae ingente in theatris nostris strepitu histrionum verba auribus percipere potest?

v. 202. *Garganum m. p.* — *Garganus*, mons Apuliae silvosus, ubi ventorum fremitus et arborum stridor est vehementior; hinc supr. Od. II, 9, 8: *Aquilonibus Querceta Gargani laborant.*

v. 203. *artes*, sc. histrionum et mimorum, qui simpliciter dici solent *artifices*, vid. *Duker.* ad Liv. XXXIX, 22., ut *τεχνῖται* apud Graecos; vid. *Wesseling.* ad Diod. Sic. IV, 5. nisi quis *artes*, ad ornamenta arte elaborata, quae vel in scena, vel in vestitu histrionum conspiciuntur, referre malit.

v. 204. *Divitiaeque peregrinae*, purpura, gemmae, margaritae, aurum cett. — *oblitus*, pro: obtectus, indutus, obsitus, cum contemtu nimiae magnificentiae.

v. 205. *Cum stetit in scena*, simulac scena apparet. — *concurrit dextera laevae*, statim plauditur; eleganter! manus enim, cum plaudimus, concurrunt et colliduntur.

v. 206. *Dixit adhuc aliquid?* cett., plebecula scilicet plaudit, antequam loqui coepit actor, solo pretiosarum, quas ille gerit, vestium adspectu percussa atque abrepta.

v. 207. *Lana Tarentino* cett., vestis confecta e lana, quae Tarenti tincta est purpurae colore praestantissimo, violaceum fere sive ianthinum colorem referente. Nepos Cornelius apud Plinium H. N. IX, 63: *Purpuram Tarentinam vocat rubram. Me, inquit, iuvene, violacea purpura vigebat, nec multo post r u b r a T a r e n t i n a.* — *venenum* (φάρμακον), iam de medicamento, sive liquore, succo, fuco, quo lanae color inducitur. Virg. Georg. II, 465: *Alba neque, Assyrio fucatur lana v e n e n o;* similiter *medicare* (φαρμάσσειν) pro: tingere supr. Od. III, 5, 28: *Neque amissos colores Lana refert m e d i c a t a fuco.*

v. 208—213. *Ac ne forte putes* cett. Hunc locum, varias interpretum sententias expertum, ita interpretor: Ne forte putes, Auguste, me non sine invidia aliqua parce (*maligne*) laudare poetas comicos et tragicos, quia non facere possum (*recuso*), quod alii recte faciunt, iam dicam, quod sentio: ille poeta, qui pectus meum (*inaniter*) in re ficta, tanquam vera, angore opplet; qui animum ad iram incitat, aut eum suaviter (*mulcet*) delinit (θέλγει); qui, ut praestigiator (*magus*), non veris, sed falsis terroribus ludit; qui me ita afficit, ut Thebis, si res agitur Thebis, Athenis, si res agitur Athenis, mihi versari videar, ille, inquam, poeta *mihi per extentum funem ire posse videtur;* ex proverbiali locutione pro: ille mihi rem periculosissimam perficere posse videtur; nam qui ire potest per funem extentum, artis, qua id fieri potest, aeque atque is, qui comoediam scribere vult, peritus esse debet; brevius: poeta, qui spectatores in rem, quam tractat, ita rapit, ut ipsi ei interesse videantur, et, quidquid agitur, toto animo sentiant, is poetae comici vel tragici artem tenet. — *maligne*, non, ut fas est, parum, parce.

Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Vt magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age et his, qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam redde brevem, si munus Apolline dignum
Vis complere libris et vatibus addere calcar,
Vt studio maiore petant Helicona virentem.

v. 211. *inaniter*, angor, quo aliquis de re, non ad ipsum pertinente, cruciatur, *inanis* est; sic mox *falsi terrores* de iis, quos magi incantando, vaticinando cett. in fraudem inducunt; hinc *portenta magorum* apud Cic. Nat. D. I, 43.

v. 214—218. *Verum age* cett. Verum age, o Auguste, his quoque poetis (Horatius semet ipsum intelligit), qui legi, quam spectari malunt, breve tempus consecra, si bibliothecam in templo Palatini Apollinis novis libris augere, et poetas, ut maiore studio carminibus scribendis vacent, favore tuo impellere et excitare vis.

v. 215. *fastidia*, reprehensiones, ut supra in versibus Satirae decimae Lib. pr. praefixis, et quidem v. 7. — *superbi*, arrogantioris.

v. 216. *Curam redde brevem*, Horatius Augustum, qui unice adhuc spectandis comoediis et tragoediis deditus fuisse videtur, monet, ut legendis poetis *brevem curam reddat*, h. e. sicut olim, de integro breve tempus legendis carminibus dicet et destinet; simillime supr. Od. I, 19, 4: *Finitis animum r e d d e r e amoribus*, et Od. I, 16, 28: *animumque r e d d a s*, de integro me ames; nisi placet haec explicatio, *reddere* iam insolentius pro: adhibere, impendere, tribuere, positum est. Pro: *redde* unius Codicis auctoritate *Bentleius* in textum recepit *impende;* sed haec lectio manifesta est vocis *redde* interpretatio. Quis enim librarios lectionem *impende* in *redde* mutasse fingere sibi potest animo? — *munus Apolline dignum*, intellige bibliothecam Palatinam, Augusti (*munere*) liberalitate institutam, libris completam et publico usui apertam; cf. supr. Epist. I, 3, 17.

Multa quidem nobis facimus mala saepe Poëtae,
(Vt vineta egomet caedam mea,) cum tibi librum
Sollicito damus, aut fesso; cum laedimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprêndere versum;
Cum loca iam recitata revolvimus irrevocati;
Cum lamentamur, non apparere labores
Nostros et tenui deducta poëmata filo;
Cum speramus, eo rem venturam, ut, simulatque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, et egere vetes et scribere cogas.
Sed tamen est operae pretium cognoscere, quales
Aedituos habeat belli spectata domique
Virtus, indigno non committenda poëtae.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilus, incultis qui versibus et male natis

v. 219. *Multa mala*, intellige ea, quae poetae importune, inepte et praepostere faciunt; haec nunc enarrat.

v. 220. 221. *Vt vin. eg. caed. mea*, ut contra me ipsum disputem, ut mihimet ipsi fraudi sim; ut ipse profitear, quae mihi vitio verti possint, nam qui sua ipsius vineta caedit, sibimet ipsi nocet. — *cum tibi libr. Sollic. d. a. fesso*, hinc Horatius supr. Epist. I, 13, 4. tabellarium suum, Vinium Asellam, signata volumina Augusto tradere iubet: *Si validus, si laetus erit, si denique poscet; Ne studio nostri pecces odiumque libellis Sedulus importes opera vehemente minister.*

v. 223. *revolvimus irrevocati*, non iussi, sed sponte iterum recitamus; *revocari* dicuntur actores, qui actas cum applausu partes denuo agere iubentur; idem valet de poetis, qui recitata carmina, quia placuerunt, iterum recitare iubentur.

v. 224. 225. *non apparere lab. N.*, opera nostra non in lucem produci et celebrari, non iusto pretio aestimari; sic *apparere* infr. v. 250. — *ten. ded. p. filo*, carmina non sublimi, sed tenui oratione composita; intelligere videtur Satiras et Epistolas suas.

v. 227. *commodus* dicitur, qui facit, quod nobis gratum et acceptum est; supr. Od. IV, 8, 1: *Donarem pateras grataque commodus.*

v. 228. *et egere vetes*, qui poetam *egere* vetat, ei dat et donat, unde vivat. — *cogas*, Augusti fuit haec vis non ingrata poetis.

v. 230. *Aedituos*, curatores, h. e. poetas, qui res belli domique praeclare gestas carminibus celebrandas curant. *Aeditui* (νεωκόροι) proprie sunt curatores et custodes aedis vel templi alicuius; suaviter igitur poetae vocantur aeditui templi vel Apollinis, vel Musarum.

v. 232 — 234. *Gratus Alexandro* cett. Malus ille poeta, Choerilus, qui in Alexandri Magni, cui gratus erat, comitatu fuit, (Cic. pro Arch. P. c. 10: *Quam multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur?*) pro versibus rudibus et sinistro Apolline, vel crassa Minerva factis Philippos,

Retulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellen
Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia. Quod si
Iudicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad haec Musarum dona vocares,

nummos aureos, regis Philippi imagine insignitos, accepit. — *acceptum aliquid referre alicui rei* est debere aliquid alicui rei; nos: *etwas einer Sache verdanken. Choerilus verdankte die Goldmünzen seinen schlechten Versen.* — Si verum est, quod narrat *Acron.* ad Epist. ad Pis. v. 357., Alexandrum M. Choerilo dixisse, se malle Thersiten esse Homeri, quam Choerili Achillem, profecto Alexander, oblatis pro malis versibus Philippis, idem fecisse videtur, quod Sulla, qui, ut refert Cicero pro Arch. c. 10., malo cuidam poetae praemium dari iussit hac conditione, *ne quid postea scriberet.* Caeterum vid. *Nackii* libellum *de Choerilo*, 1817.

v. 234. *Retulit acceptos*, elegantius pro tenui: accepit, reportavit.

v. 235. *tractata*, sc. manibus, usui alicui adhibita.

v. 236. *fere*, ita fere non raro, saepiusque, ut supr. Sat. I, 10, 15. Epist. I, 19, 5.

v. 237. *linunt*, polluunt, contaminant, obscurant. — *Idem rex ille*, in *idem* latet admiratio, quomodo fieri potuerit, ut unus idemque rex, qui a nemine, nisi a perfectissimo pictore Apelle, Coo, pingi, et a nullo alio, nisi a praestantissimo statuario, Lysippo, Sicyonio, aere effingi voluit, ineptos et ridiculos Choerili versus regali munificentia ornaret. Mira autem arte Horatius hoc Alexandri exemplo viam sibi munit ad celebrandum Augustum, ut virum, rectius de pretio bonis poetis statuendo iudicantem.

v. 238. *tam care*, tam caro et ingente pretio. Sic Brutus ad Ciceronem (in Epist. ad Br. 16): *Valde care aestimare aliquid.*

v. 240. *alius Lysippo*, (ἄλλος Λυσίππου) diversus a Lysippo, alius, quam Lysippus; sic supr. Epist. I, 16, 10: *Neve putes alium sapiente bonoque beatum.* — *duceret aera*, — *aes ducere* (ἐλαύνειν) est aes fabrili arte, tundendo et cudendo, ita tractare, ut proposita imago exprimatur; vid. *Broukhus.* ad Tibull. I, 3, 48.

v. 241. *simulantia*, adsimulantia, exprimentia, repraesentantia; sic supr. Epist. I, 19, 13: *simulare Catonem* et infr. Epist. ad Pis. v. 20: *simulare cupressum.*

v. 241—244. *Quod si* cett. Sensus: Quod si iudicium illud Alexandri, acutum sane et subtile, quod attinet ad inspicienda et diiudicanda artificum opera, transferres ad virorum doctorum scripta et poetarum carmina, iurares, iudicium illud in crasso aëre Boeotiorum prolatum esse, h. e. diceres, iudicium illud

Boeotûm in crasso iurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de se iudicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variusque poëtae;
Nec magis expressi vultus per ahenea signa,
Quam per vatis opus, mores animique virorum
Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quam res componere gestas,
Terrarumque situs et flumina dicere et arces
Montibus impositas et barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum,

esse durissimum. Nam quale de poetis iudicium expectari potest ab eo, qui ineptos Choerili versus tam caro pretio emit! Quamquam mihi, ut iam monui, illa Alexandri liberalitas haud ab eius de Choerili versuum bonitate repetenda videtur iudicio. Sed scite Horatius hoc Alexandri exemplum, ut eo magis Augusti de poetis extolleret iudicium, in rem suam detorsit. — *videndis*, perspiciendis, diiudicandis.

v. 244. *Boeotûm in crasso aëre;* hinc Corn. Nep. Alcib. 11: *omnes enim Boeotii magis firmitati corporis, quam ingenii acumini inserviunt.*

v. 245 - 247. *At neque dedecorant* cett. At tu, Auguste, probe tenes, quid distent aera lupinis; tu enim non malos, sed delectos tibi poetas optimos, Virgilium, Variumque, gratia et muneribus tuis dignos iudicas, nec hi tuo de se iudicio sunt dedecori.

v. 246. *multa dantis cum laude,* haec verba duplici modo explicari possunt, aut: dum illi te, qui munera das, multa laude celebrant; aut: dum tu muneribus, quibus illos ornas, multam simul laudem addis, et sic *dantis* eleganter pro: *tua est* positum. — *tulerunt*, (*Vet. Schol. Cruq.*) *acceperunt, quia iam his singulis donaverat Augustus decies sestertiûm.* — de *Vario* cf. supr. ad Od. I, 6, 1.

v. 248—250. *Nec magis expressi* cett., in eandem sententiam canit Horatius supr. Od. IV, 8, 13—20: *Non incisa notis marmora publicis, (Per quae spiritus et vita redit bonis Post mortem ducibus,) — clarius indicant laudes, quam Calabrae Pierides.*

v. 250. *apparent*, in lucem producuntur, exsplendescunt; cf. supr. v. 224.

v. 251. *sermones, — per humum repentes*, humiles, tenues; intelligit Satiras et Epistolas; — *res componere gestas*, carmine epico res gestas celebrare.

v. 252. 253. *arces Montibus impositas*, ab Augusto scilicet ad fines imperii muniendos. — *barbara regna*, victorias de regibus et populis barbaris.

v. 255. *Claustraque custod.* cett., de *Iani templo*, pacis tempore *clauso*, est locus classicus apud Liv. I, 19. De *Deo Iano* docte disputat *Heyn.* ad Virg. Aen. VII, Excurs. V. Horatius supr. Od. IV, 15, 9. de Augusto: *et vacuum duellis Ianum Quirinum clausit.*

Et formidatam Parthis te principe Romam,
Si, quantum cuperem, possem quoque; sed neque parvum
Carmen maiestas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem stulte, quem diligit, urget,
Praecipue cum se numeris commendat et arte:
Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat, ac neque ficto
In peius vultu proponi cereus usquam,
Nec prave factis decorari versibus opto:
Ne rubeam pingui donatus munere, et una
Cum scriptore meo capsa porrectus aperta

v. 256. *Et formid. Parth. te pr. Romam*, similiter in laudem Augusti Carm. Saec. v.54: *Medus*, h. e. Parthus, *manus potentes et Albanas secures timere* dicitur. Et supr. Sat. II, 5, 62: *Tempore, quo iuvenis Parthis horrendus.*

v. 258. *recipit*, admittit, tradi tibi patitur.

v. 259. *recusent*, non possint, cui ferendae vires impares sint, ut supr. v. 208. et infr. in Epist. ad Pis. 39: *et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri.*

v. 260 — 270. *Sedulitas autem,* cett. Sensus: Stulta autem est officiosa ista sedulitas, (nos: *Zudringlichkeit,*) qua quis ei, *quem diligit*, (patrono suo) se obtrudit, praecipue cum se carminum componendorum arte commendet; patronus enim, quod quis deridendum propinat et exagitat, citius (*discit*) arripit, et lubentius in memoria tenet, quam ea, quae probat et laudat. (Iam Horatius Maecenatem vel alium patronum, cui molesta est ista carminibus se commendantium sedulitas, loquentem inducit.) Apage sedulitatem istam, quae mihi molesta est; uti ego non vultu depravato in cera effingi et proponi, ita nec prave factis versibus celebrari volo, ne donatus (*pingui munere*) carmine pingui Minerva facto, rem pudendam experiar, et in arca aperta porrectus una cum poeta meo deferar in vicum, ubi in tabernis (*Kramläden*) venduntur thus et res odoriferae, et piper, et quidquid mercium chartis inutilibus involvitur.

v. 260. *stulte*, non ad *diligit*, sed ad *urget* referendum videtur; posui igitur post *stulte* distinctionem minorem.

v. 268. *porrectus*, non male *Vet. Schol.*: „*quasi mortuus in feretro*,“ sed mihi in voce *porrectus* lepida imago latere videtur; laudatus a malo poeta una cum laudatore suo in aperta arca iacet *porrectus*, h. e. omnium conspectui, quantus quantus est, expositus; et hinc pro: *operta*, quod in pluribus editt. exhibetur, rectius legitur *aperta*, ut est in plurimis Codd. apud *Feam*; res enim inutiles et nullius fere momenti poni et portari solent in *capsis apertis*.

Deferar in vicum, vendentem thus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

EPISTOLA II.

AD IVLIVM FLORVM.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis, et tecum sic agat: „Hic et
Candidus et talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet eritque tuus nummorum millibus octo,
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
Literulis Graecis imbutus, idoneus arti

v. 270. *chart. inept.*, significanter *chartae* dicuntur *ineptae*, quae, quia ineptias suas iis mandavit malus poeta, mercibus amiciendis inserviunt. Sunt igitur *chartae ineptae*, quod nos vocamus: *Maculatur.*

EPISTOLA II.

Ad Iulium Florum.

Postquam poeta a reprehensione Iulii Flori, quod nihil adhuc literarum ad eum scripserit, se purgavit, et causas, ex quibus, relicto plane poeseos studio, unice in posterum philosophiae operam dare velit, exposuit, praecepta, quae nos sapienter et feliciter vivere doceant, adspergit saluberrima. — Haec Epistola, in qua egregie expressa est ratio, qua ad se invicem scribere solent familiarissimi, non sine summa voluptate legi potest. Mirifice inprimis delectat descriptio mangonis, servum, quem venditurus est, mercatorum more verbosius emtori commendantis; tum narratio de milite quodam, qui, cum noctu omni pecunia privatus de integro sibi parasset, unde viveret, nulla deinde adhortatione, nullaque largissimorum praemiorum promissione ad nova virtutis bellicae edendae specimina se adduci passus est.

v. 1. *Flore*, ad eundem *Iulium Florum*, qui tum in Tiberii Neronis cohorte peregre aberat, scripta est Libri Primi Epistola tertia, eandem, quam haec, Horatii cum Floro familiaritatem spirans.

v. 3. *tecum sic agat*, tibi vernam his verbis et hac commendatione mercandum offerat.

v. 4. *Candidus*, non ad animum, sed ad candidum corporis colorem referendum, (nos: *cin hübscher, schöner Kerl.*)

v. 5. *Fiet eritque tuus*, servus tuus manibus tuis tradetur; audi formulam mangonis, simillimam ei, qua apud nos mercatores utuntur: *Für — sollst du es haben, soll es dein seyn.*

v. 6. *Vern. m. ad n. apt. her.*, refer *aptus* ad *ministeriis*; aptus ministeriis ad heri nutum obeundis.

v. 7. *Literulis Graecis imbutus*, diminutivo *literulis* expressit, quod in vernacula voce: *etwas*, exprimimus, *versteht etwas griechisch.*

Cuilibet: argilla quidvis imitaberis uda;
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.
Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces;
Res urget me nulla: meo sum pauper in aere.
Nemo hoc mangonum faceret tibi; non temere a me
Quivis ferret idem; semel hic cessavit, et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenae.
Des nummos, excepta nihil te si fuga laedit:
Ille ferat pretium poenae securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum: dicta tibi est lex;

v. 8. *argilla quidv. imit. uda*, ex eo, tanquam ex argilla, quodcunque tibi placuerit, effinges. Comparatur puer cum *argilla*, ex qua figulus pro lubitu fingit vasculum. Omisit Hor. hic quoque, ut saepe alibi (vid. supr. ad Epist. I, 2, 42.), particulam comparationis: *veluti, sicuti*; sic apud nos in vernacula comparationibus simpliciter positis nihil frequentius.

v. 9. *canet indoctum, sed dulce bibenti*, non quidem, ut canunt artis canendi periti, ita tamen, ut cum voluptate eum canentem audiant compotores. Nam ad compotationum hilaritatem alendam et sustentandam pertinebat apud veteres quoque cantus.

v. 12. *Res urget me nulla* cett., non difficultas, non aes alienum me cogit ad merces extrudendas; non quidem dives sum, sed, quod habeo, ad iustam rerum mearum possessionem pertinet.

v. 13. 14. *non tem. a me Qu. ferr. idem*, plane ad formulam, quam saepe audimus in nundinis: *Das thue ich nicht leicht einem andern, aber weil du es bist.* — *cessavit*, rei elevandae causa pro: aufugit; *cessare* enim dicitur, qui, non faciens, quod facere debet, negligentiae tantum culpam sibi contrahit; cf. Epist. ad Pis. 357.

v. 15. *In scal. lat. m. p. h.* — *Vet. Scholiastes*, et plures interpretes iungunt: *metuens habenae pendentis in scalis latuit*: cf. Celeberr. *Iacobs.* ad Anthol. Gr. Vol. II, P. III. p. 172. Equidem malim: *metuens pendentis* (in quocunque demum loco) *habenae latuit* (se occultavit) *in* (sub) *scalis*; tenebricosus enim sub scalis locus opportunus est sese occultaturis. *Gesnerus* in hanc rem affert locum Ciceronis ex Orat. p. Mil. c. 15. de Clodio, qui *fugiens in scalarum tenebras se abdidit.* — *habenae*, scuticae, lori. Ovid. Heroid. IX, 81: *scuticae tremefactus habenis.*

v. 17. 18. *Ille ferat pretium* cett., iam sequitur apodosis; oratio enim cohaeret sic: Si quis tibi vendat puerum, et, si qua ei adhaerent vitia, ea te haud celet; equidem, te mangoni de emtionis pretio haud litem intendere posse existimo, nam tu sciens volensque emisti puerum vitiosum. Num tu nihilominus mangonem in ius vocabis? Par ratio est mihi tecum; ego tibi proficiscenti aperte dixi, me esse lentum epistolarum scriptorem; et tu nihilominus me-

Insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua?
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum: ne mea saevus
Iurgares, ad te quod epistola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia iura
Si tamen attentas? Quereris super hoc etiam quod
Expectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat; post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti

cum de eo, quod tibi non scripsi, expostulas? — *poenae securus*, omnis curae de commissae fraudis poena expers; nos: *ohne alle Besorgniss einer Verantwortlichkeit wegen dieses Verkaufs.* — *dicta tibi est lex*, proposita tibi est emtionis conditio, fugae scilicet, quam venalis tentaverat, indicium.

v. 19. *lite moraris iniqua?* breviter et eleganter pro: nihilominus praeter ius et aequitatem litem de solvenda pecunia movendo et sic moras nectendo eum vexas eique facessis negotium?

v. 21. *Talibus off. pr. mancum*, dixi, me esse hominem manibus quasi ad obeunda talia officia (ad scribendas literas) destitutum; obversabatur fortasse Horatio locus Plauti in Mercat. III, 4, 45: *ad mandata claudus, coecus, mutus, m a n c u s, debilis.* — *ne mea* cett., iunge: *ne saevus iurgares mea* a me neglecta, *quod nulla epistola ad te veniret.* — *saevus*, ira saeviens, h. e. nimium irascens.

v. 22. *ad te quod ep. n. veniret*, quod nullam a me acciperes epistolam; epistolae, quae accipiuntur, saepius, praecipue apud Ovidium, *venire* dicuntur. — Pro: *veniret* in quibusdam Edd. vett. legitur *rediret*, quod defendit *Gesnerus*, ut sit: „quod nihil ad missam a te epistolam responderem;“ sed primum epistolae, a Floro ad Horatium missae, ad quam hic non responderit, nulla facta est mentio; deinde ea tantum epistola dici potest *redire*, quae in locum, unde missa est, redit.

v. 23—24. *Quid tum — Si tam. attentas?* quid mihi profuit libera pigritiae meae in scribendis literis professio, si nihilominus de iis, quae tecum depactus sum, me impugnas? — *super hoc*, praeter hoc, insuper.

v. 25. *mendax*, significantius pro: ego.

v. 26. 27. Iam poeta narrat exemplum, ubi aliquis cum re mutata animum quoque mutet. — *viatica*, bona, quibus sustentatus reliquae vitae spatium decurreret; — *collecta*, tam ex acceptis stipendiis, quam ex praeda facta. — *multis Aerumnis*, quae militi in bello exantlandae sunt. — *ad assem*, omnia ac singula; uti *omnes ad unum* de omnibus ac singulis.

v. 28. *post hoc*, post perdita viatica. — *vehem. lupus* (ὡς λύκος), velut lupus, vehementiore ira percitus; *canis vehemens* apud Phaedr. II, 3, 1. de omissa comparationis particula vid. supr. ad v. 8. — *et sibi*, incuriae suae de marsupio, *hosti*, praedoni.

Iratus pariter, ieiunis dentibus acer,
Praesidium regale loco deiecit, ut aiunt,
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummûm.
Forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
Nescio quod cupiens, hortari coepit eundem
Verbis, quae timido quoque possent addere mentem:
„I, bone, quo virtus tua te vocat; i pede fausto,
Grandia laturus meritorum praemia! Quid stas?“
Post haec ille catus, quantumvis rusticus: „Ibit,
Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit,“ inquit.
Romae nutriri mihi contigit, atque doceri,

v. 29. *ieiunis dentibus acer*, iam dentibus tribuitur, quod proprie pertinet ad stomachum; apposite autem haec ad lupum *vehementem*, quem fames inprimis acrem atque vehementem reddit.

v. 30. *regale*, regis Mithridatis; — *loco*, e loco munito, quem defendere debebat praesidium. erat autem *Tigranocerta.* — *deiecit*, depulit; deiicere est verbum rei militaris; *propugnaculum deiicere* apud Cic. Verr. III, 16. Liv. IV, 53: *d e i e c t i s, qui in praesidio erant;* plura exempla dedit *Drakenb.* ad Liv. XXII, 24. §. 7.

v. 31. *Summe*, summopere, summa cura; locum illum *Tigranocertam* fuisse, e Dione probatum ivit *Cruquius.* — *mult. div. rer.*, abundante multarum rerum copia, opulento.

v. 32. *donis honestis*, honorificis, splendidis; ad ea refer coronas murales, obsidionales, vallares, civicas cett.

v. 33. *super*, insuper, praeterea.

v. 34. *praetor*, dux exercitus, unde ducis tabernaculum dicebatur *praetorium;* vid. *Perizon. Diss.* de *Praetorio* p. 8.

v. 36. *timido quoque*, vel timido.

v. 39. *catus*, acutus et emunctae naris homo.

v. 40. *qui zonam perdidit*, ut ego olim, cum zonam perdidissem, ad nova viatica colligenda ibam; at nunc, cum habeam, unde vivam, labores et pericula de integro subire nolo. — Hoc militis Luculli exemplum imitari voluit Horatius. Quemadmodum enim catus ille Luculli miles, cum de integro comparasset sibi, unde vitam sustentaret, non amplius militiae plenum periculosae aleae opus tractare, ita Horatius, cum curam de vitae necessariis deponere posset, non amplius versibus scribendis se operam dare velle profitetur.

v. 41. seqq. Iam Horatius disciplinae rationem, qua educatus et institutus vir doctus et poeta evaserit, breviter enarrat. Comparandus est hic locus cum Satira sexta Libri primi, ubi Hor. inde a v. 71. summam curam, quam pater in se educando atque erudiendo posuerit, pio gratoque pectore commemorat atque extollit. — *Romae nutriri* (educari et institui) *mihi contigit*, supr. l. l. v. 76: *Sed puerum est ausus* (pater)

Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.
Adiecere bonae paulo plus artis Athenae,
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quaerere verum.
Dura sed emovere loco me tempora grato,
Civilisque rudem belli tulit aestus in arma,
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
Vnde simul primum me dimisere Philippi,

Romam portare docendum Artes, quas doceat quivis eques atque senator Semet prognatos. — *atque doceri*, *Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles*, pro vulgari: atque lectione Homeri imbui; nam per Achillis iram (*Μῆνιν — Πηληϊαδέω Ἀχιλῆος*) Iliadis argumentum designatur. — *bonae Athenae*, percipe vim, qua Horatius urbem celebratissimam, cui animi cultum in philosophiae studio debebat, mollissimo gratissimoque animi sensu simpliciter et per *λιτότητα bonam* vocat. — *artis*, intellige philosophiam, cuius ars sive scientia in distinguendo vero a falso versatur, quod duobus versibus sequentibus exprimitur: *Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum*; non enim Horatius per *curvum* et *rectum* geometriam, cuius elementa sine dubio iam Romae imbiberat, respexisse, sed translate a geometria, quod ad virtutis praecepta recte fit, *rectum* (*ὀρθόν*), quod a virtutis praeceptis recedit, *curvum* dixisse videtur. Qui virtutem sequuntur, *recta*, qui virtutem deserunt, *curva* via incedunt.

v. 45. *inter silvas Academi* — *Academia* enim, (dicta ita ab heroe quodam *Academo*, ut tradit Laert. III, 7.) sive *Gymnasium*, in quo scholas habuit Plato, fuit in amoeno nemore, urbi vicino.

v. 46. *Dura sed* cett. Sed infausta tempora me (*locum gratum*) Athenas, ubi suaviter delitescebam, relinquere coegerunt; in verbo *emovere* exprimitur vis, qua quis e loco aliquo in alium depellitur; Liv. VI, 38: *tum percitus ira Camillus lictores, qui de medio plebem emoverent, misit.* Frequens huius verbi usus apud Livium; exempla collegit *Drakenb.* ad Lib. XLII, 49. §. 6.

v. 47—49. *Civilisque rudem* cett., et (*civilis aestus*) civium furor et impetus (*rudem belli*) me, artis bellicae adhuc imperitum, (*tulit*) abstulit et protrusit in arma, (*non responsura*) non paria futura Caesaris Augusti (*lacertis*) robori et viribus. — *aestus*, maris tumultus et fervor saepius ad animi fervorem et tumultum, et proinde ad furorem quoque, quo bella civilia moveri dicuntur, transfertur cf. supr. Od. II, 7, 15, 16. — *in arma*, a Bruto et Cassio contra Antonium et Octavianum capta; delatum autem est Horatio munus tribuni; vid. supr. Sat. I, 6, 48: *Quod mihi pareret legio Romana tribuno.* — *responsura*, qui alicui rei par est, vel resistere potest, ei *respondere* vel *responsare* dicitur; vid. supr. ad Sat. II, 7, 85, Cic. in Catil. II, 11: *Iam vero urbes provinciarum et municipiorum respondebunt Catilinae tumulis silvestribus.* — *Vnde*, a qua quidem militia; — *simul primum*, simulac; — *me dimisere Philippi*, cum Horatius post funestam ad Philippos pugnam in celeri fuga quaesivisset salutem, (supr. Od. II, 7, 10: *Tecum Philippos et celerem fugam Sensi, relicta non bene parmula,*) lepide iam Philippos se dimisisse ait.

Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris et fundi, paupertas impulit audax,
Vt versus facerem. Sed, quod non desit, habentem,
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?
Singula de nobis anni praedantur euntes;

v. 50. *Decisis humilem pennis* — qui ex loco altiore deiectus est in humiliorem, vel ex sorte laetiore depressus est ad tristiorem, ei proverbiali locutione, in vernacula quoque apud nos usitata, *pennae* vel *alae decisae esse* dicuntur; — *humilis*, accommodate ad rem, qui, decisis pennis, non amplius ex humo in altum volare, h. e. ad paupertatem redactus non amplius se extollere et laute vivere potest.

v. 51. *paupertas audax*, pauperes enim ad famem pellendam tentant *audentque* omnia. In hanc fere sententiam Persius in Prologo v. 87. seqq.: *Quis expedivit psittaco suum Χαῖρε, Picasque docuit verba nostra conari? Magister artis, ingenîque largitor, Venter, negatas artifex sequi voces.* Caeterum Horatius paupertatis, qua ad versus scribendos se adactum esse simulat, professione poetas famelicos notare et deridere voluisse videtur.

v. 52—54. *Sed, quod non desit,* cett. hunc locum, qui plures interpretes misere torsit, ita interpretor: Sed nunc me possidentem, (*quod non desit*) quantum satis sit, nisi in hac rerum mearum conditione (*dormire* *εὕδειν*, vid. *Stanlei.* ad Aeschyl. Agam. 345.) quieti indulgere, quam versus scribere malim, quae tandem unquam cicutae ab insania poetica me satis purgare poterunt? brevius: sed cum nunc habeam, quantum opus est, (*satis enim superque*, ut supr. Epod. I, 31. ait, *ditaverat* eum Maecenatis *benignitas*) nisi vitam otiosam et inertem poeseos studio praeferam, nunquam ab insania poetica curari potero. — *Quae — cicut.* — *cicuta* est herba caule laevi et binis cubitis nonnunquam altiore, nos: *Schierling*, cui inest vis frigoris, quo calor sanguinis, h. e. poetarum fervor, aestus, furor extinguitur; hinc Persius Sat. V, 144: *Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis* (bilis tumor, insania, *μελαγχολία*.) *Intumuit, quam non extinxerit urna cicutae. Cicuta*, largiore haustu sumta, est venenum, ut Socratis morte satis constat. — *expurgare*, liberare calore, cicutae frigore in pectore extincto.

v. 55. seqq. Postquam Horatius Floro suo, qui frustra adhuc promissa ab eo carmina expectaverat, se, cum sibi nunc suppetat, unde vivat, omne carminum scribendorum abiecisse studium significavit, (quamquam Horatius, dum, se carmina in posterum scribere velle, negat, hoc ipsum carmen scripsit,) nunc alias subnectit causas, ex quibus poesis apud se nunc frigeat; primum quidem, quod cum aetate mutetur animus; non placent enim aetate provectiore, quae puerili et iuvenili placuere; deinde, quod pro diversis hominum

Eripuere iocos, Venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata. Quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis;
Ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? Renuis tu, quod iubet alter;
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
Praeter caetera me Romaene poëmata censes
Scribere posse, inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis; cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino, visendus uterque;

ingeniis non cuique probentur poetarum diversi generis carmina; alius hoc, alius illo carminum genere delectatur; tum, quod sibi in urbe viventi tot curae et negotia per caput et circa latus saliant, tantusque in platea sit strepitus atque tumultus, ut libero animo carminibus scribendis vacare non possit.

v. 55. *Singula*, unum post alterum. — *nobis anni praed. euntes;* hinc supr. Epist. I, 1, 4: *Non aetas eadem, non mens.* Od. IV, 1, 3: *Non sum, qualis eram bonae sub regno Cinarae.* Virg. Ecl. IX, 51. *Omnia fert* (aufert) *aetas*, Platon. Epigram. XIX. Anthol. Graec. T. I. p. 106. ed. *Iacobs.* *Αἰὼν πάντα φέρει.* — *euntes*, sine mora transeuntes; Tibull. I, 4, 28: *Non stat remeatque dies.* Infr. in Epist. ad Pis. v. 176: *Multa recedentes* (anni) *adimunt.*

v. 57. *Tendunt ext. poem.*, poëmata scribendi facultatibus me privatum eunt. — *Quid faciam vis?* Quid me suscipere, vel quale carminum genus me tractare iubes? hinc v. 63: *Quid dem, quid non dem?*

v. 59. *Carmine*, Lyrico vel Epico.

v. 60. *Bioneis sermonibus*, intellige satiras acerbissimas, quas scripsisse dicitur *Bion Borysthenes*, philosophus Cyrenaicus, vid. Laert. IV, 46—58. — *nigro*, refer ad satirae, qua quis perfricatur, acerbitatem; eodem sensu Archilochi versus supr. Epist. I, 19, 30—31. dicuntur *atri.*

v. 61. *Tres mihi convivae* cett. Illi quidem, qui diversis carminum generibus delectantur, prope mihi dissentire videntur, veluti tres convivae cett. — de omissa particula comparationis vid. supr. ad v. 8.

v. 64. *invisum*, iniucundi saporis.

v. 65. *Praeter caetera*, prae caeteris aliis, ante omnia, praecipue; sic *inter cuncta*, supr. Epist. I, 18, 96.

v. 67—70. *Hic sponsum vocat* cett, alius me vocat, ut, relictis rebus omnibus, pro eo sponsum, (*spondet*, qui vadimonium suscipit,) alius, ut scripta, quae recitaturus sit, auditum veniam.

v. 68. *cubat*, aegrotat; vid. supr. ad Sat. I, 9, 18.

Intervalla vides humane commoda. — Verum
Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet. —

v. 70. 71. *Interv. vid. humane commoda.* haec verba, quae multum negotii facessiverunt interpretibus, explicanda videntur sic: „vides intervalla commoda videlicet humanis viribus!" contrarium igitur per ironiam intelligendum est; Horatius enim sine dubio exprimere voluit hoc: vides intervalla, molesta sane et incommoda homini viam inter collem Quirinum et Aventinum emetienti; — *humane*, per ironiam; *Vossius* vertit: *von hübscher Gemächlichkeit.* Restat tamen in voce *humane* aliquid insolentiae, quam vix tribuas Horatio. Dixit ille v. 65. *me Romaene poëmata censes scribere posse, inter tot curas totque labores?* In mentem igitur mihi veniebat, Horatium fortasse scripsisse: *Intervalla vides Romano* (Romae viventi) *incommoda;* vel cum interrogatione: *Intervalla vides Romano commoda?* videsne intervalla Romae viventi commoda? — *Verum Purae sunt plateae* cett., iam vel Florum, vel quemcunque alium respondentem inducit: Verum via in plateis libere patet, ut neutiquam praetereuntium meditationes interrumpantur: *plateae purae*, purgatae vel liberae ab iis, quae viam praetereuntibus intersepiunt; *purus et patens campus*, Liv. XXIV, 14 Virgil. Aen. XII, 771: *puro ut possent concurrere campo.* — (Vir celeberrimus *Mitscherlichius* in *Comment. Acad. Gotting.* 1825. p. 6. et 7. lectionem *humane* ut *congruam latinitati et dignam Horatio* defendendam suscepit, dum *humane* dictum esse autumat pro: *humanitatis aegrotis amicis praestandae ratione habita.* Sed hanc explicationem non sententia tantum, quam hic locus postulat, sed etiam latinitas plane respuit. Est et manet lectio: *humane*, corrupta et depravata, ex qua commodus sensus ne extundi quidem, nedum elici, potest. Profecto tam insolenter, tam obscure, tam perplexe non scripsit Horatius. Hinc ego pro *humane* fortasse *Romano* legendum esse coniectabam. Sed haec quoque coniectura nunc mihi displicere coepit. Videamus igitur, an huius loci corruptelae remedio aliquo, licet violentiore, tamen efficaciore, succurri possit. — Horatius, a Floro ad carmina, dum Romae esset, scribenda excitatus, declarat, se per totum diem Romae tot laborum negotiorumque distineri, obrui agitari premique generibus, (cf. de diurnis Horatii Romae negotiis supr. Sat. II, 6, 35. seqq.) ut nullo modo vacare possit componendis carminibus. Ad ea vero, quae sibi carmen aliquod Romae meditaturo obsint, refert quoque illud officiorum genus, quo aegroti amici, alius in colle Quirini, alius extremo in Aventino via longa et molesta visendi sint. Tum Horatius vel a Floro vel a quocunque alio sibi opponi fingit: at via a colle Quirini in collem Aventinum est *pura*, non vepribus obsita, nec aliis impedimentorum generibus intersepta, ita, ut nihil *obstet meditantibus;* Horatius respondet: at profecto in hac via omnes meditationes interpellantur et interrumpuntur; obstat eunti turba hominum in aedificio aliquo excitando occupatorum; via intercluditur plaustris, quibus vehuntur funera; ruit in praetereuntes vel furibunda canis,

Festinat calidus mulis gerulisque redemtor;
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum;
Tristia robustis luctantur funera plaustris;
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:
I nunc, et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes,
Rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra:

vel sus lutulenta; *I nunc et versus tecum meditare canoros.* Quodsi igitur pro inepta lectione *humane* legeris: *meditanti*, signo interrogationis post *commoda* posito, huic lectioni egregie respondent in proximo versu *meditantibus* et in vers. 76: *meditare.* Carminum meditationes, ut addit Horatius, loca sola et ab omni strepitu remota, nemora, secessus, postulant. — Admodum quidem voces *humane* et *meditanti* literis et forma inter se discrepant, sed in re desperata et deposita iam saepius locus aliquis relictus est audaciae. — Nunc equidem acquiesco in lectione, quae debetur acutissimi ingenii Viro *Froelichio*, qui lectionem ineptissimam *humane* mutavit in aptissimam facillimamque *haud sane.*

v. 72. Non sunt liberae, Horatius respondet, ab impedimentis: *Festinat calidus* cett., *calidus redemtor*, manceps (ἐργόλαβος), qui fervido studio insistit laboribus aedificii, quod certo pretio exstruendum conduxit; supr. Od. III, 1, 35: *huc frequens Caementa demittit redemtor cum famulis* cett. — *mul. ger.*, pro: cum *mulis* et *gerulis.* — *geruli* sunt famuli vel baiuli, qui necessaria ad aedificandum comportant.

v. 73. *ingens machina*, eiusmodi machina (trochlea), qua lapides, trabes et alia pondera torquendo in altum tollebantur, instructa fuisse videtur rota, ut colligas ex loco Horatii supr. Od. III, 10, 10: *Ne currente rota funis eat retro.*

v. 74. *Tristia robustis* cett., pompa funerum, cum in plaustra viam intercludentia incidit, e via cedendo et declinando cum illis luctatur. — *robusta*, grandiora, firmiora, nos: *Lastwagen.*

v. 75. *Hac rabiosa fugit canis*, celeri cursu advolat et praetereuntes petit. pro: *fugit* Codicum quorundam auctoritate *Fea* in textum recepit *furit*, quod canis rabie correptus non *fugiat*, sed *furat;* sed vix sermo iam esse potest de cane *rabioso* proprie sic dicto, cuius pestifero morsui raro tantum in via et plateis expositi sunt homines; imo Horatius per *canem rabiosum* non alium, nisi acrem et mordacem, qui cum latratu in praetereuntes ruit, et ab iisdem fuste repulsus refugit, designasse videtur. Sic leones irati infr. 393. dicuntur *rabidi.* Quemadmodum autem *rabies* saepius translate de vehementiore ira, impetu, furore cett., (de mordacissima dicacitate infr. in Epist. ad Pis. v. 79: *Archilochum proprio rabies armavit iambo.*) ita quoque *rabiosus* de eo, quem vehementior ira in furorem agit, dicitur; *rabiosa fortitudo* apud Cic. in Quaest. Tusc. IV, 22: *rabiosa iurgia* apud Senec. in Herc. Fur. v. 172.

v. 76 — 78. *I nunc*, cf. supr. ad

Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere et contracta sequi vestigia vatum?
Ingenium, sibi quod vacuas desumsit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit
Plerumque, et risu populum quatit; hic ego rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
Verba lyrae motura sonum connectere digner?
Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter

Epist. I, 6, 17. — *canoros*, suaviter sonantes, suavi cantu demulcentes; sic cycnus supr. Od. II, 20, 15: *ales canorus.* Od. I, 12, 11: *fides canorae.* — *Script. chor. o. am. nemus*, supr. Epist. I, 10, 6—7: *Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni Rivos, et musco circumlita saxa nemusque.* — *Rite cliens Bacchi*, solemniter inter Bacchi asseclas receptus. cf. supr. Epist. I, 19, 4. — *somno*, quiete, otio; cf. supr. Epist. I, 5, 10.

v. 80. *contracta sequi vestigia vatum?* varias mirasque lectiones, pro male intellecta lectione *contracta* inventas prolatasque, commemorare nihil attinet; bene enim se habet lectio *contracta*, eleganter poetae mentem exprimens. Vestigia scilicet poetarum, qui, ut modo dictum est, urbis strepitum fugientes, in nemoribus et locis umbrosis, ubi carmina meditentur, sese abscondere solent, in sola, remota et angusta loca *contrahuntur.* (Ovid. Trist. I, 1, 41: *Carmina secessum scribentis et otia quaerunt.* Propert. III, 1, 14: *Non datur ad Musas currere lata via.*) Verba igitur *et contracta sequi vestigia vatum*, explico: et facere, quod poetae in loca sola et arcta contracti faciunt. Vsum vocis *contractus* egregie illustrat alius locus Horatii supr. Epist. I, 7, 12: *Ad mare descendet, et sibi parcet, Contractusque leget.*

v. 81. *vacuas*, opportunas otio bene et recte frui cupientibus. Sic supr. Epist. I, 7, 45: *Tibur vacuum*, ubi. vid. not.

v. 82. 83. *insenuitque Libris et curis*, eleganter pro: et tempus consumsit vel aetatem transegit in legendis libris et meditationibus. Similiter supr. Epist. I, 7, 85: *Immoritur studiis et amore senescit habendi.* — *exit*, fit, evadit, efficitur, de formis, quae effinguntur; infr. Epist. ad Pis. 22: *currente rota cur urceus exit?* non enim *exire* iam est: *ausgehn*, ut vertit *Vossius.*

v. 84. 85. *et risu populum quatit*, fortius pro vulgari: populo est risui et ludibrio. — *rerum Fluct. in med. et temp. urb.*, in medio rerum, fluctuum instar se invicem trudentium, impetu et urbis tumultu; — *fluctus* et *undae* de rebus, quae animum perturbant, et huc illuc impellunt; supr. Epist. I, 1, 16: *mersor civilibus undis.* Cicero in Orat. Pro Sest. 9: *in maximo cursu et fluctibus.*

v. 86. *Verba lyrae mot. son. connectere*, similiter supr. Od. IV, 9, 4: *Verba loqui chordis socianda*, et Od. II, 12, 4: *Verba aptare citharae modis.* — *digner?* ut rem tractatu dignam habeam?

v. 87 — 90. *Frater erat Romae*

Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos vexat furor iste poëtas?
Carmina compono, hic elegos, mirabile visu
Caelatumque novem Musis opus! Adspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine circum-
Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem!
Mox etiam, si forte vacas, sequere, et procul audi,
Quid ferat, et quare sibi nectat uterque coronam.
Caedimur, et totidem plagis consumimus hostem

cett. Subito Horatius, ut solet, sine orationis vinculo aliquo transit ad aliud, quod se a versibus componendis avertat atque reprimat, ad vanam scilicet illam laudem, qua alter alterum certatim ornare et extollere studeat. Erant, ait, Romae duo viri, alter iurisconsultus, alter rhetor; iurisconsultus rhetorem *Graccho*, rhetor iurisconsultum *Mucio* aequiparabat; idem fit apud poetas. — *frater*, eo sensu, quo apud nos quoque vocatur intimae amicitiae vinculo cum aliquo coniunctus; cf. supr. ad Epist. I, 10, 4. De laude, quam Cicero *Tiberio Graccho*, ut insigni oratori, tribuit, vid. Brut. c. 27. — *Q. Mucius Scaevola* celebre inter Iurisconsultos fuit nomen; de *Iuris Prud. Muciana* singularem libellum scripsit *Balduinus*.

v. 90—92. *Qui minus* cett. Nonne pariter poetas agitat furor iste, quo alter alterum ad coelum usque tollit laudibus? Si ego carmen lyricum compono, (Horatius, ut eo liberius rideat insanam malorum poetarum vanitatem, consulto et scite se ipsum talem fingit, et eorum gregi se immiscet,) alter Elegiam, tum alter in alterius laudem exclamat: En admirabile, ab ipsis novem Musis affabre exsculptum opus! — *argutos*, canoros, ut *olor argutus* apud Virg. Eclog. IX, 36. opinantur certe eiusmodi poetae, se suaviter canere; nam (v. 107.) *Gaudent scribentes et se venerantur, et ultro, Si taceas, laudant, quidquid scripsere, beati.*

v. 92—96. *Caelatum opus*, caelo vel torno exsculptum (*ἔπος γλυπτὸν καὶ τορευτόν*); simili imagine infr. in Epist. ad Pis. v. 442. versus summa cura expoliti dicuntur *tornati*. — *Adspice primum, Quanto cum fastu* cett. Iam sequitur faceta descriptio superbi incessus, quo vani isti poetae ad carmina tam recitanda, quam audienda in templum Apollinis Palatini se ferant. — *quanto molimine*, egregie *molimen* designat ridiculum studium, quo quis vel gressu ad certam mensuram directo, vel alto supercilio, vel quocunque alio corporis habitu dignitatis et gravitatis speciem affectat et induit.

v. 94. *vacuam Rom. vatibus*, patentem poetis Romanis; de Apollinis templo, ubi poetae carmina sua recitabant, vid. supr. ad Sat. 1, 10, 38.

v. 95. *sequere*, sc. nos in templum.

v. 96. *ferat*, proferat, recitet.

v. 97. *Caedimur, et totidem* cett., proverbiali locutione pro: ictus ictum sequitur: nos: *Schlag auf Schlag*, par pari referimus, qui nos laude cumulat, eundem vicissim laude cumulamus.

Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcaeus puncto illius: ille meo quis?
Quis nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cum scribo, et supplex populi suffragia capto:
Idem, finitis studiis, et mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures.
Ridentur, mala qui componunt carmina: verum
Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant, quicquid scripsere, beati.

v. 98—101. *Lento Samnites* cett., certamus et pugnamus, veluti gladiatores Samnites ad prima lumina; pugna enim illa non est fervida, sed lenta; si alter me, ut poetam lyricum, Alcaei cognomine ornat, ego illum, ut poetam elegiacum, Callimachi, et si id non satis est, Mimnermi, quod optat, cognomine orno. *Samnites* fuerunt genus quoddam gladiatorum, ab armatura Samnitica (de qua vid. Liv. IX, 40.) ita dictorum, qui inter convivia ad *prima lumina* (tempore vespertino, quo prima lumina accenduntur, cf. supr. Sat. II, 7, 33.) convivas non pugna cruenta, sed *lenta* (in longum producta) delectare solebant; de omissa particula comparationis *sicut*, vid. supr. ad v. 8.

v. 99. *Discedo Alcaeus*, de *Alcaeo* vid. supr. ad Od. I, 32, 5. — *puncto*, suffragio, h. e. sententia; lata in comitiis a singulis suffragia notabantur in tabulis *puncto*; unde *punctum* pro suffragio; notissimus ille versus Horatii in Epist. ad Pis. v. 343: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

v. 101. *Fit Mimn.*, de *Mimnermo* vid. supr. ad Epist. I, 6, 65. — *optivo*, quod sibi dari optaverit.

v. 102. *Multa fero*, debebat enim Horatius malis poetis, ne eos irritaret, *patientes* aures praebere carmina sua recitantibus.

v. 104—105. *Idem, finitis* cett. At nunc ego, carminum scribendorum studio deposito, et furore poetico ex mente excusso, aures (*patulas*) meas carmina praelegentibus (*obturem*) obturare ausim, (*darf ich es wohl wagen, meine Ohren zu verstopfen*) quia id nunc fieri potest *impune*, adversariis nihil amplius, quod dente maligno carpant, habentibus.

v. 106. seqq. Iam sequitur locus praestantissimus, quem non scriptores tantum, qui ea, quae scribunt, ad rectam normam exigere volunt, sed etiam tirones, qui in iis, quae in scholis scribunt et elaborant, recte et prudenter versari cupiunt, ante oculos habere, imo ediscere debent. Postquam scilicet Horatius breviter, sed vivis coloribus, malorum scriptorum *φιλαυτίαν* adumbravit, futuris scriptoribus vel poetis tanquam in tabula proponit leges, quibus salubriores et sapientiores vix cogitari possunt.

v. 106. *Ridentur, mala qui* cett. Ridentur quidem mali poetae, sed id non curant, imo mirifice sibi placent scribentes, cett.

v. 108. *quicquid scripsere, beati,*

At qui legitimum cupiet fecisse poëma,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti;
Audebit, quaecunque parum splendoris habebunt,
Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia Vestae.
Obscurata diu populo bonus eruet atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quae, priscis memorata Catonibus atque Cethegis,
Nunc situs informis premit et deserta vetustas:

quicquid beato quasi et dulci animi sensu scripserunt. Obversata Horatio in hoc loco videtur descriptio Suffeni apud Catull. XXII, 14. seqq.: *Idem inficeto est inficetior rure, Simul poëmata attigit; neque idem unquam Aeque est beatus, ac poëma cum scribit: Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.*

v. 109. *legitimum*, ad leges, quas in seqq. dedit, compositum, bonum.

v. 110. *Cum tabulis* cett., bonus scriptor tabulas ceratas, in quibus scribat, eo animo sumet, quo severus et honestus censor sumit tabulas censorias; quemadmodum enim bonus censor notanda in tabulis censoriis notabit, ita bonus scriptor corrigenda in tabulis ceratis corriget.

v. 111. *Audebit*, non dubitabit. — *parum splendoris hab.*, parum elegantiae habebunt; refer hanc locutionem ad *censorem*, qui Equiti Romano, *parum splendoris habenti*, (splendori, qui Equiti ob eius divitias tribuebatur, non respondenti,) *equum adimebat.*

v. 112. *Et sine pondere erunt*, supr. Sat. I, 10, 54: *Versus gravitate minores.* — *et honore indigna ferentur*, et parum apta et concinna iudical untur.

v. 113. *movere loco*, eiicere, delere; accommodate ad censorem, qui *honore indignos* e senatu *movebat* vel eiiciebat. Infr. in Epist. ad Pison. v. 293. carmen reprehendendum dicitur — *quod non Multa dies et multa litura coercuit.*

v. 114. *Et vers. adhuc int. penet. Vestae*, et adhuc, tanquam in Vestae sacrario, quod erat in aedium penetralibus, intacta et inviolabilia lateant, h. e. et adhuc intacta in scriptoris scrinio serventur.

v. 115—118. *Obscurata diu* cett., iunge: *Bonus* (poeta vel scriptor) *speciosa* (splendida, rerum speciem luculenter exprimentia) *rerum vocabula, quae, priscis Catonibus atque Cethegis memorata* (usurpata), *informis situs et deserta vetustas nunc premit, populo*, cui illa *diu obscurata* sunt, *eruet atque in lucem proferet.* — v. 116. *spec. voc. rer.* infr. in Epist. ad Pison. v. 319: *speciosa locis — Fabula.*

v. 117. *prisc. Cat.* — *M. Cato Censorius* (nat. V. C. 519. mort. 603.) dicitur *priscus*, quia priscorum morum fuit observantissimus; vid. supr. Od. III, 21, 11: *prisci Catonis virtus.* — *Cetheg.* — *Cethegus* consul fuit V. C. 548. Cic. de Senect. 14: *M. vero Cethegum, quem recte Suadelae medullam dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus etiam senem?* cf. eundem Brut. 15.

Adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.
Vehemens et liquidus puroque simillimus amni
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua.
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Levabit cultu, virtute carentia tollet:
Ludentis speciem dabit, et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
Praetulerim scriptor delirus inersque videri,
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,

v. 119. *quae gen. prod. usus*, quae usus et progenuerit et publicaverit. Infr. in Epist. ad Pis. 71, 72: *Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.*

v. 120—21. Idem bonus poeta dicitur *vehemens*, largiter fluens fervensque; accommodate ad amnem, qui est vehemens, cum largiter fluit. — *Vehemens*, duabus syllabis pronunciandum. — *liquidus*, non lutulentus, ut Lucilius Sat. I, 4, 11.

v. 121. *Fundet opes*, per *opes* intellige verborum sententiarumque copiam atque ubertatem; infr. in Epist. ad Pis. 307: *nil scribens ipse, docebo, I nde parentur opes; quid alat formetque poetam.*

v. 122. *Luxuriantia compescet*, quae in nimiam abundantiam excreverunt, recidet ut abundantes ramos in arboribus *luxuriantibus.*

v. 123. *Levabit*, levigabit et expoliet, ut artifices et statuarii asperam materiem. *Levare*, nos: *ausfeilen, ausglätten.* — *cultu sano*, prudente, apto, scito. — *virtute carentia*, inelegantia, invenusta, — *tollet*, delebit; vid. ad Sat. I, 4, 11.

v. 124—125. *Ludent. sp. dabit*, cett. poeta lascivius exsultantis speciem habebit, et circumagetur, sicut is, qui Satyrum vel Cyclopa saltat. — *moveri* iam est: saltare, ut infr. in Epist. ad Pis. 232: *Vt festis matrona moveri* (saltando circumagi, saltare) *iussa diebus.* Supr. Sat. I, 5, 63: *Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat;* ubi vid. not. Virgil. Eclog. V, 73: *Saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus.* Videtur autem saltatio, quae vocabatur *Satyrus* et *Cyclops*, tam pedum iactatione, quam membrorum agitatione et mobilitate fuisse concitatior et petulantior. Poeta igitur hac saltationis imagine expressit fere hoc: Quemadmodum is, qui Satyrum vel Cyclopa saltat, corporis membra modo huc, modo illuc iactat et agitat, ita is, qui versus pangit, verba modo huc, modo illuc transponere, flectere, variare, promovere et removere debet.

v. 126—140. Iam stultus quidam et ineptus scriptor, se nihil curare, qualis habeatur, modo stultitia sua delectetur, respondet, et in hanc rem exemplum Argivi cuiusdam hominis affert. Ille enim, cum ab insania, qua laeto animo in vacuo theatro sedere, et, opinans, se egregios tragoedos audire, plaudere solebat, cognatorum cura refectus rediisset ad sese, pessimo consilio gratissimum mentis errorem sibi demtum esse, questus esse dicitur.

v. 126. *Praetulerim*, malim, ut v. 184. *praeferat*, malit. — *iners*, ineptus.

v. 127. *mea mala*, ea, in quibus

Quam sapere et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragoedos
In vacuo laetus sessor plausorque theatro;
Caetera qui vitae servaret munia recto
More; bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis,
Et signo laeso non insanire lagenae;
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit helleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: „Pol, me occidistis, amici,
Non servâstis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratissimus error."
Nimirum sapere est abiectis utile nugis,

ego deliro; — *vel denique fallant*, vel ad summum me ludant et decipiant (*täuschen*).

v. 128. *ringi*, acerbius in vitia hominum invehi, satiras scribere; *ringi* proprie de canibus, qui, cum irascuntur et impetum minantur, rictu diducto dentes nudant; nos: *die Zähne fletschen*, *knurren*. — *Fuit haud ignobilis Argis*, unde hauserit hanc narratiunculam Horatius, non constat. Fortasse rem, quae circumferebatur, pro animi arbitrio transtulit ad civem Argivum; idem enim de cive Abydeno refert Aristoteles de *Mirabilibus*. De aliis eiusmodi insaniae exemplis vid. *Lambin.* et *Gesn.*

v. 131. *servaret*, observaret, exsequeretur; de verbo *servare* pro: observare vid. *N. Heins.* ad Sil. Ital. III, 380. hinc apud Virg. Aen. II, 427: *servantissimus aequi.*

v. 134. *Et signo laeso* cett., nec furtivos vini haustus ex laeso lagenae sigillo animadvertens furere et insanire in servos, sed iis, ut modo dictum est, ignoscere.

v. 135. *Posset qui rup. et put. vit. pat.*, ergo homo ille Argivus, praeterquam quod in vacuo theatro spectator et plausor tragoediarum, quae non agebantur, fuit, non fecit ea, quae alias facere solent mente capti, non praecipitem ex rupe se dedit, non se immisit in patentem puteum.

v. 137. *morbum*, insaniam, quam designat adiecta vox *bilis*; insani enim atra bile laborare dicuntur. — *helleboro meraco*, puro, mero, cui, ut vis eius esset efficacior, nihil quidquam admixtum fuit. Similiter fere supr. Sat. II, 3, 82. avaris, quia modica hellebori parte nihil apud eos efficitur, *pars maxima* destinatur.

v. 141. *Nimirum sapere est* cett. Iam Horatius transit ad huius Epistolae partem gravissimam. Ex poeta enim factus philosophus pectus ostendit sapientiae praeceptis praeparatissimum. — *Nimirum*, rebus sic se habentibus, — *utile est*, satius est, — *sapere*, ad sapientiae praecepta vitam componere, — *abiectis nugis*, modeste Horatius carmina sua vocat *nugas*, ut Catullus in primo Carmine ad Cornelium Nepotem v. 4: *namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugas.*

Et tempestivum pueris concedere ludum;
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquor haec, tacitusque recordor;
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
Narrares medicis: quod, quanto plura parâsti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius, fugeres radice vel herba,
Proficiente nihil, curarier. Audieras, cui
Rem dì donârint, illi decedere pravam
Stultitiam; et, cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus îsdem?
At si divitiae prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te; nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est, quod quis libra mercatus et aere est,

v. 142. *tempestivum pueris*, accommodatum puerili aetati. — Pueri, qui ludendo tempus fallunt, faciunt, quod puerili aetati convenit.

v. 143—144. *Ac non verba sequi* cett., ac non versuum ad fides Latinas temperandorum studium sequi, sed eos *numeros modosque*, (*numeri* et *modi* proprie de metro, quo versuum pedes ad certum rhythmum et certas cuiusque versus leges inter se iuncti suaviter decurrunt) h. e. eam normam, ad quam, qui *vere* felices esse cupiunt, vitam dirigere debent, cognoscere atque ediscere.

v. 145. *tacitusque recordor*, tacite mecum repeto vel animo revolvo.

v. 146. *finiret*, compesceret, tolleret, placaret.

v. 147. 148. *Narrares medicis* cett., de hac siti inexplebili tu sine dubio consuleres medicos; at, quaeso, neminine eam sitim, qua, quo plura habes, eo plura appetis, fateri audes?

v. 149. *monstrata*, sumi iussa, praescripta a medico.

v. 150. 151. *fugeres*, nolles, recusares, *curarier;* supr. Od. I, 9, 13: *Quid sit futurum cras, fuge quaerere*, et sic *fugere* pro: nolle, passim apud poetas. — *Audieras*, saepius sine dubio ad aures tuas pervenit vulgaris illa hominum sententia: *cui rem* (rerum opes, divitias) *dii donarint* cett.

v. 152. *illi decedere*, ab eo fugere et recedere.

v. 153. *cum sis*, quamvis sis.

v. 154. *Plenior es*, sc. divitiarum, rei familiaris. de voce *plenus*, ad quam saepius aliquid ex vicinitate supplendum est, vid. supr. ad Epist. II, 1. 100. — *monitoribus isdem?* qui divites stultitiae expertes esse aiunt.

v. 156. *timidum minus*, nam divitiarum possessores solent, ut Hor. supr. Sat. I, 1, 77. dicit, *Formidare malos fures, incendia, servos.* — *nempe*, tum sane.

v. 158—159. *Si proprium est* cett. Sensus: Si id, quod quis per aes et libram mercatus est, propria

Quaedam, si credis consultis, mancipat usus:
Qui te pascit ager, tuus est; et villicus Orbi,
Cum segetes occat, tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit; das nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis,
Aut etiam supra, nummorum millibus emtum.
Quid refert, vivas numerato nuper, an olim?
Emtor Aricini quondam Veientis et arvi
Emtum coenat olus, quamvis aliter putat; emtis

eius fit possessio, quaedam, ut contendunt iurisconsulti, (*mancipat usus*) usucapione fiunt propria. Res, quae solemni emtionis confirmandae ritu quinque testibus et libripende (libram tenente) praesentibus venduntur, fiunt *res mancipi* (pro: mancipii), h. e. ceduntur a venditore emtoris *mancipio*, h. e. propriae possessioni, vel, ut iurisconsulti loquuntur, *dominio;* — *mancipat usus*, qui fructum ex aliqua re capit, is hoc fructus inde capiendi usu (usucapione) rem suam et propriam facit.

v. 160. *tuus est*, tanquam tuo agro frueris; *villicus Orbi*, Orbius, homo dives et dominus, ut videtur, praedii, habebat villicum, qui fruges in praedio natas et alia ibi provenientia vendebat.

v. 161. *segetes*, intellige agrum vel terram, quae ad semina accipienda occa subigitur; Cic. in Fragm. apud Non. p. 395, 15.: *Segetes agricolae subigunt multo ante, quam serant;* — *daturas*, suppeditaturas, oblaturas, diffusuras. Lectionem *daturus*, recte a *Bentleio* et aliis repudiatam, *Fea* ex rationibus parum idoneis revocavit; nam quis *daturus* pro: venditurus ferat?

v. 162. *Te dominum sentit*, tibi fruges agri, tanquam eius domino, nasci intelligit, sive, te, dum accipis agri fruges, eius quasi dominum cognoscit.

v. 163. 164. *cad. temeti* — *temetum* est quoddam potus genus, sive ex vino, sive ex aliis liquoribus comparatum, quo facile incalescunt potores. — *nempe modo isto Paulatim mercaris agrum*, est quidem *Orbius* dominus totius agri, quem, magna pecuniae summa emtum, sibi proprium fecit, sed tu quoque es dominus eorum, quae, quoties opus est, ex illo agro emta tibi propria facis, et sic non coniunctim quidem et una emtione totum agrum, sed eius quasi particulas parvo pretio paulatim mercaris.

v. 166—174. *Quid refert*, cett. Sensus et nexus: Quid refert, utrum pro frugibus, quibus vesceris, nuper, an olim pecuniam numeraveris? Is enim, qui non nuper, sed (*quondam*) olim agrum, vel prope Ariciam (oppidum trans montem Albanum), vel prope Veios (Etruriae oppidum) situm, emit, pariter ac tu emtum olus, quamvis rem aliter sibi fingit, coenat, et emto ligno ahenum calefactat; at idem tamen, in agrum suum usque ad arborem terminalem prospiciens, *haec mea sunt*, ait, tanquam quidquam proprium et perpetuum sit cett.

v. 167. perperam plures particulam *quondam* ad agrum Aricinum

Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum;
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit iurgia; tanquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horae,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema,
Permutet dominos, et cedat in altera iura.
Sic, quia perpetuus nulli datur usus, et haeres
Haeredem alterius, velut unda supervenit undam,
Quid vici prosunt, aut horrea? Quidve Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus

et Veientinum referunt; iam enim ei, qui *nuper* vel quotidie fruges agri alicuius emit, opponitur agri dominus, qui olim (*quondam*), ante plures annos, agrum mercatus est.

v. 169. *ahenum*, aqua, ut videtur, impletum.

v. 170. *usque*, vel est: subinde, identidem, vel referendum ad *qua*, usque eo, quo. — *populus adsita*, non raro pro lapidibus terminalibus arbores terminos agri definire et constituere solebant; Virgil. Eclog. IX, 9: *Vsque ad aquam et veteris iam fracta cacumina quercus.* cf. Varro de Re Rust. I, 15.

v. 171. *refugit*, observa usum praeteriti; adhuc refūgit, et porro refugit, adhuc amovit et porro amovet. — *iurgia vicina* pro: vicinorum, ut v. 174: *altera iura* pro: iura alterius. Virg. Aen. XII, 898: *Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.*

v. 172. *proprium*, firmum, stabile, perpetuum, vid. *Lambin.* — cf. supr. ad Sat. II, 2, 129.

v. 175. 176. *haeres Haeredem alterius supervenit* (trudit, propellit), *velut unda undam;* in voce *alterius* offenderunt *Bentleius* et *Cunninghamus;* ille igitur emendavit *alternis*, hic *ulterior;* sed neutrum opus est; haeres a praecedente possessore accipit haereditatem, quam ille pariter ab *altero* acceperat; non sermo est de duobus tantum haeredibus, sed de longa haeredum, invicem se excipientium, serie.

v. 177. 178. *vici*, plures inter se iunctae domus rusticanae cum stabulis, nos: *Vorwerke, einzelne Landgüter;* eiusmodi *vicum* se vendere velle Terentia ad Ciceronem scribit Epist. ad Fam. XIV, 1. — *vicus* a *pago* differt sic, ut *pagus* tantum de rure, *vicus* de rure et urbe simul dicatur. — *Quidve Calabris* cett., quidve prosunt Lucani saltus ad Calabros usque saltus procurrentes; — *adiecti*, h. e. *porrecti, continuati*, ut loquitur Hor. supr. Od. III, 16, 40—43. — per *saltus* intellige pascua; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *saltus.* — *Vet. Schol.* ad h. l. *latifundiis porrectis per plurimos montes. Est autem Calabria praeter ceteros reditus etiam rei pecuariae et lanarum mollium ferax.* — *metit*, eleganter *metere* ab iis, qui segetes demetunt, transfertur ad eos, qui vi, cui resisti non potest, sine discrimine obvios quosque caedunt atque prosternunt, et nunc ad Orcum, *grandia cum parvis* sine miseratione rapientem atque auferentem; cf. supr. ad Od. IV, 14, 31. Cic. Tusc. Quaest. III, 25: *vita metenda, ut fruges.*

Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes, Gaetulo murice tinctas,
Sunt, qui non habeant; est, qui non curat habere.
Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungui,
Praeferat Herodis palmetis pinguibus; alter,
Dives et importunus, ad umbram lucis ab ortu

v. 179. *Grandia cum parvis*, saepius hanc sententiam variavit Horatius, vid. supr. ad Od. I, 4, 13. — *non exorabilis*, qui neque precibus neque auro vinci et a vi inferenda averti potest. Hinc supra Od. II, 3, 4: *Orcus* dicitur *nil miserans* et Pluto supr. Od. II, 14, 6: *illacrimabilis*.

v. 180. *marmor*, *ebur*, artis opera e marmore et ebore facta, — *Tyrrhena sigilla*, vasa Etrusca. — *tabellas*, picturas.

v. 181. *Argentum*, vasa argentea cett.; — *vestes, Gaetulo murice tinctas*, vestes stragulas, peripetasmata, tincta colore purpureo. — *murice Gaetulo*, capto ad litora Africae; *Gaetulia*, pars Libyae interioris, pro tota Africa; supr. Od. II, 16, 35. *murex*, e cuius succo eliciebatur color purpureus, dicitur *Afer*: — *te bis Afro tinctae Vestiunt lanae.*

v. 182. *Sunt*, *qui non habeant*, quamvis habere cupiunt, *est*, *qui non curat hab.*, ad vulgarem loquendi normam debebat post *est*, *qui* sequi: *curet*; sed Horatius ad Graecae linguae indolem post *est*, *qui*, vel *sunt*, *qui*, (ut in primo statim Odarum Carmine v. 4. *sunt*, *quos iuvat*) passim subiungit indicativum; vide quae de hoc loquendi usu disputat *Heindorf.* ad Sat. I, 4, 24.

v. 183 — 189. *Cur alter fratrum* cett. Sensus et nexus: Diversa plane sunt hominum ingenia; et haec diversitas in fratribus adeo locum habet; non raro enim accidere solet, ut alter sit mollis et prodigus, alter laboris patiens et avarus; unde repetenda sit haec naturarum diversitas, vitae nostrae comes et naturae humanae moderator perspectum habet Genius.

v. 183. *alter fratrum*, cogitavit fortasse Horatius de duobus illis fratribus, Micione et Demea, apud Terentium in Adelphis, sed accipi quoque potest de quibusvis aliis fratribus. — *cur cessare* cett., cur otiari, delicias facere et unguentis delibui malit, quam possidere pinguia Herodis palmeta. Propert. III, 23, 15: *Venias hodie*, *cessabimus una.* Hinc Hor. supra Epist. I, 2, 31: *cessatum ducere curas*, h. e. ad curas pellendas vitae desidiosae et deliciis se dedere. — *ungui*, unguentis, ut satis constat, nitere solebant elegantiores et venustiores.

v. 184. *Herod. palm. ping.* — *palmeta*, opobalsameta, loca palmis consita, (ut *myrteta*, *querceta*) quae Herodes, rex Iudaeae, in regione ad Hierichuntem habebat, ad pretiosissimas praestantissimasque possessiones pertinuisse, ex hoc ipso loco apparet; dicuntur *pinguia*, vel ob opobalsami, quod magno pretio vendebatur copiam, vel ob pinguis agri foecunditatem, ut *horti pingues* apud Virg. Georg. IV, 118. *pinguis Phrygia*, supr. Od. II, 12, 22.

v. 185. *importunus*, molestus, mo-

Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae deus humanae, mortalis in unum-
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
Vtar, et ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam: nec metuam, quid de me iudicet haeres,
Quod non plura datis invenerit; et tamen idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum
Invitus facias, neque plura parare labores;
Ac potius, puer ut festis quinquatribus olim,

rosus, difficilis. — *ad umbr. luc. ab ort.*, ab solis ortu usque ad eius occasum, per diem solidum. Supr. Sat. I, 4, 29: — *surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio.*

v. 186. *agrum silvestrem*, sentibus et vepribus obsitum. — *flammis*, comburendo ea, quae fertilitatem impediunt. — *ferro*, rastro. — *mitiget*, molliat, domet, (ut *rastris terram domare* apud Virg. Aen. IX, 608.) foecundum reddat. Cic. de Nat. Deor. II, 52: *Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat et mitigat, sed etiam eos conserit.*

v. 187 — 189. *Scit Genius*, cett. locus classicus de *Genio;* nam quid senserint statuerintque veteres de hoc deo, tribus versibus complexus est Horatius: 1) Genius hominem, cui additus est comes, ubique sequitur; 2) (*astrum natale temperat*) mala, quae portendit astrum, sub quo quis natus est, amolitur et procurat; bona, quae affulgent, promovet et adiuvat; 3) *Naturae deus humanae*, mire haec verba explicant; simplicissimum puto: deus quidem, sed humanae naturae, h. e. morti, aeque atque homo, obnoxius; hinc additur *mortalis in unumquodque caput*, h. e. mortalis est, cum unoquoque, quem in vita comitatus est, redit eo, unde missus est; 4) (*mutabilis, albus et ater*) iratus est, si homo repugnat, mitis, si homo ab eo se regi patitur.

v. 190. *Vtar*, fruar sc. quaesitis.

v. 191. *nec metuam*, nec curabo.

v. 192. 193. *non plura datis*, vel: non plura iis, quae mihi data, nec a me aucta sunt, (plurimam bonorum, quae possidebat Horatius, partem *dederat* Maecenas, supr. Epod. I, 31: *Satis superque me benignitas tua Ditavit*) vel: non plura iis, quae a me *data* sunt, cum viverem. — *et tamen idem Scire volam*, et tamen idem ego probatum ibo, me scire et didicisse, quantum homo in vitae simplicitate et hilaritate acquiescens a prodigo et luxurioso, et avarus ab homine parce et sordide vivente differat. Horatius igitur medium inter utrumque vel auream mediocritatem sequi vult. Similiter supr. Epod. I, 32. sqq.: *haud paravero, Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam, Discinctus aut perdam ut nepos.*

v. 197. *quinquatribus*, — *quinquatria* (um, orum), dies festi et

Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies, immunda domus, procul absit: ego, utrum
Nave ferar magna, an parva, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis aquilone secundo;
Non tamen adversis aetatem ducimus austris;
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus: abi. Quid? caetera iam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,

laeti in Minervae natalis honorem celebrati, et, quia id fiebat per quinque dies, vel post diem quintum Iduum Martiarum, *quinquatria* dicti; vid. Ovid. Fast. III, 809. seqq. fuerunt hi dies pueris gratissimi iucundissimique, quia, donec *quinquatria* durabant, feriae in scholis erant; copiose de *quinquatribus* disputavit *Marc. Donatus* ad Liv. XLIV, 20. — *olim*, exempli causa, nos: *etwa*; supr. Sat. I, 1, 25: *ut pueris olim dant crustula blandi Doctores.*

v. 198. *raptim*, supr. Epod. XIII, 3, 4: *rapiamus amici Occasionem de die.*

v. 199—204. Horatius, vitae felicitatem mediocritate metiens, uti non exsplendescere divitiarum copia, ita non saeva paupertate premi, sed, ut pulchre v. 204. dicit, *primorum extremus, et prior extremis esse voluit.*

v. 200. *ferar*, vehar.

v. 201. *tumidis velis*, felix est navigatio, cum ventis secundis adspirantibus vela tument; cum hac apte comparatur felix vitae cursus eorum, quibus omni rerum copia abundantibus omnia nunc ex voto cedunt; sed quemadmodum navigantibus venti secundi, ita divitibus timenda est fortunae secundae mutatio; hinc supr. Od. II, 10, 24: *sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela.*

v. 202. *Non tamen advers.*, non tamen rebus adversis vel fortunae iniquitate premimur; — *aetatem ducere*, pro: agere; sic Virgil. Aen. II, 641: *Me si coelicolae voluissent ducere vitam.*

v. 203. *specie*, externo rerum in oculos cadentium habitu; — *loco*, dignitate; — *re*, sc. familiari.

v. 204. *Extremi primor.*, translatum a ludis gymnicis, cf. supr. Sat. I, 1, 116.

v. 205—207. *Non es avarus: abi*, si ita agis et sentis, haud avarum te iudico, sed te, ut absolutum huius vitii, abire et porro res tuas ita agere iubeo. — *isto Cum vitio*, sc. avaritiae; *fugere?* e pectore tuo pulsa cessere? — *caret t. p. in. Ambit.*, nemo, puto, cui inest animus erectior, locum sequentem legere potest, quin Horatium ut sapientissimum virtutum, quae in morum doctrina tractantur, magistrum et admiretur et veneretur!

v. 208—209. *Somnia* cett., pro superstitione in universum nominat superstitionis quaedam genera, *Somnia* cett. *miracula*, portenta, ostenta.

Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exemta iuvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti;
Tempus abire tibi est; ne potum largius aequo
Rideat et pulset lasciva decentius aetas.

v. 209. *Nocturnos lemures*, Ovid. Fast. V, 483: *animas dixere silentum.* — intellige spectra et alia, quae quis se in tenebris videre opinatur; quorum avertendorum causa a Romanis instituta sunt *Lemuria*, per tres dies celebrata, vid. Ovid. l. l. a vers. 421. — *portentaque Thessala*, in Thessalia fuit quasi officina venenorum et herbarum, quibus utebantur venefici ad ludendos homines superstitiosos.

v. 210. *grate*, dum grato animo in memoriam revocas, quae divinitus tibi contigerint munera.

v. 212. *spinis de pluribus*, — *spinae* translate de vitiis, quae animum lacerant et pungunt, ut supra Epist. I, 14, 4.

v. 213. *decede peritis*, de via excede peritioribus, h. e. locum relinque iis, qui te rectius et sapientius vivunt.

v. 214. *Ludere*, *edere*, *bibere*, coniunctim de iis, qui corporis voluptates sectantur; *ludere*, genio suo indulgere in quibusvis rerum ludicrarum generibus; ad poesin referri nequit, nam sermo est de hominibus, qui *recte vivere nesciunt*. Antiquiora exempla de hac expressa sententia vid. apud *Lambinum*.

v. 215. 216. *Tempus abire* (*decedere* v. 213.) *tibi*, ut convivae saturo, (cf. supr. Sat. I, 1, 119.) ne, si nimis largiter te invitaveris potu, pueris te ebrium et temulentum petulantius tractantibus sis ludibrio. — *potus*, active, qui potavit, ut supr. Sat. II, 3, 255: *potus ut ille Dicitur.* — *lasciva decentius aetas*, pueri, quos magis, quam senes, decet lascivia.

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLA AD PISONES.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, et varias inducere plumas

EPISTOLA AD PISONES.

Si quis vel leviter et strictim tantum attingere et repetere velit, quae super huius Epistolae consilio, dispositione et tractatione iudicata, agitata et disputata sunt, ei profecto singularis et quidem haud exiguae molis liber scribendus sit; quod quidem iam ex iis, quae in Edit. *Haberfeldtii* huic carmini praemissa sunt, intelligi potest. Scilicet, cum hoc carmen ob ea, quae in illo docentur et enarrantur, omnium, quae tulit antiquitas, iure meritoque et olim habitum sit et nunc habeatur praestantissimum gravissimumque, Viros Doctos ad illud diiudicandum, recte aestimandum et ad certas adhibitae artis leges exigendum ambitiose concurrisse, non est, quod miremur. Hinc repetenda est latarum de hoc carmine sententiarum diversitas. — Iam quid mihi de consilio, quo Horatius hoc carmen scripserit, videatur, paucis complectar. Cum magna tum temporis malorum poetarum turba vesparum more circumvolitare et oblatos sibi quosque venenato aculeo laedere vel quovis alio modo Musarum honorem contaminare coepisset, Horatius, non tam eorum ictus, quibus iam saepius petitus fuerat, curans, quam timens potius, ne pravo istorum exemplo alii quoque depravarentur, tam virtutes ad poeseos studium afferendas describere, easque illis, qui poetae nomine se dignos praestare cuperent, propinare, quam vitia et errores poetis fugiendos ante oculos ponere voluit. Noluit autem praecepta, quae de poeseos et de omnis doctrinae studio daturus erat, ad certum ordinem redacta, accuratius, subtilius et doctius exponere, vel libellum *artis poeticae* titulo insignitum scribere, sed, quae sibi de virtutibus et vitiis poeseos succurrerent, *sine arte*, h. e. haud ad certam normam exacta, in epistola cum amico quodam communicare. Ad familiares Horatii *L. Calpurnium Pisonem*, ex nobilissima gente ortum, pertinuisse, ex hac ipsa ad eum scripta Epistola patet. Iam vero cum *L. Calp. Piso* non ipse solum poeseos et bonarum lite-

Vndique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,

rarum amans et studiosus esset, sed etiam filii natu maioris (duos habuit filios, quibus simul dicata est haec epistola,) studia poetica moderaretur; (v. 366. *O maior iuvenum, quamvis et voce paterna Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum Tolle memor*); causa, cur Horatius Pisonibus potissimum praecepta ad poeseos studium spectantia impertire voluerit, satis apparet. Fortasse autem Hor. his praeceptis praecipue filio Pisonis natu maiori, ne is vano malorum poetarum strepitu in fraudem se induci pateretur, cautum ivit. — Caeterum eidem L. Calpurnio Pisoni, ut poetarum fautori, aliquot Epigrammata misit Antipater, poeta Thessalonicensis, Anthol. Graec. Tom. II. p. 97. num. X. sqq. edit. *Iacobs.* — Argumentum huius Epistolae ipse Horatius constituit his tribus versibus (v. 306—308.) *Munus et officium, nil scribens ipse, docebo: Vnde parentur opes, quid alat firmetque poetam, Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.* — Recte igitur, puto, dici potest haec Epistola *didactico-satirica.* In scribendis autem epistolis non certum quendam ordinem sequi, sed, quae succurrunt, liberius et incuriosius addere et inter se iungere solemus. Quod si reputassent secum nonnulli interpretes, non operam in huius carminis sententiis praeceptisque ad certum ordinem artificiose et severa grammaticorum subtilitate inter se conciliandis perdidissent. Titulus, qui vulgo huic carmini praefigitur, *Ars poetica*, est Grammaticorum inventum. Separatim sine dubio hanc Epist. edidit Horatius; potest igitur illa vel ad *Librum Secundum Epistolarum* referri, vel simpliciter *Epistola ad Pisones* vocari.

Praecepta, futuris poetis et scriptoribus in hac Epistola ab Horatio proposita, *Wetzelius* in gratiam eorum, qui illa uno obtutu cognoscere et lustrare cupiant, paucis verbis expressa huius carminis fronti praeponenda curavit. Equidem ipse de praeceptis, quae dedit Hor., suo loco agam.

v. 1. *Humano capiti* cett. Poeta, qui aliquid fingit, cuius partes rei fictae non conveniunt, similis est pictori, qui formam aliquam ex hominum et variorum animalium membris ridicule componit et effingit.

v. 1—11. *Primum praeceptum: Rei, quam describit poeta, omnes ac singulae partes respondere et accommodatae esse debent.*

Humano capiti, quale caput Hor. intellexerit, per *mulierem formosam* v. 4. designatur.

v. 2—4. *et varias inducere plumas*, haec, deleta distinctione post *plumas*, non ad praecedentia, sed ad sequentia refero, ut sit: et varii coloris pennas membris undique collatis appingere; — *inducere* de pictoribus, qui penicillo colorem picturae alicui illinunt vel immittunt; Plin. H. N. XXXV, 16: *colorem inducere picturae.* — *varias*, versicolores; sic saepe *varius* (ποίκιλος). — *Vndique collatis membris*, h. e. membris undecunque i. e. a quovis animali translatis et ridiculae speciei repraesentandae adhibitis; sic plane *undique* supr. Od. I, 16, 14: *Fertur Prometheus addere principi Limo*

Spectatum admissi risum teneatis, amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formae. Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus et hanc veniam petimusque damusque vicissim.
Sed non, ut placidis coeant immitia; non, ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

coactus particulam undique Desectam, et insani leonis Vim stomacho apposuisse nostro. — *ut*, ita quidem, ut cett. — *atrum*, foedum, turpem, ut *phocae turpes* apud Virg. Georg. IV, 395. — *Desinat in piscem*, Virg. Aen. X, 211. de Tritone: *Frons hominem praefert, in pristin desinit alvus.*

v. 5. *Spect. admissi* cett., num, quaeso, amici, (Pisones, ad quos scripta est haec epistola, appellat) si pictor copiam vobis fecisset eiusmodi monstrosam speciem contemplandi, num, inquam, a risu vobis temperare possetis?

v. 6—9. *Credite, Pisones*, cett. Iam Horatius, quid sibi voluerit cum tabula, in qua monstrosa forma a pictore aliquo exhibita sit, ipse explicat. Turbant sententiam, qui distinctione maiore post *amici* sublata, *amici* et *Pisones* iungunt. L. Calp. Pisonem ex gente nobilissima ortum fuisse, iam in Arg. monui. *Pisones* scilicet a *Calpo*, filio Numae Pompilii, originem suam repetebant, unde infr. v. 292: *Pompilius sanguis* vocantur. Iam post scriptam hanc Epistolam *L. Cap. Piso* V. C. 738. cum M. Livio Druso Libone consul fuit; vid. *Freinsh.* Suppl. Liv. CXXXVI, 51. Idem postea urbi praefectus est a Tiberio; vid. Sueton. Tib. 42. Vell. Pat. II, 98. — *isti tabulae*, in qua picta est monstrosa, quam dixi, species. — *librum* — *cuius Fing. spec., ut nec pes* — *Redd. formae*, h. e. poetam, a quo formae, veluti somnia febri laborantis, tam vanae et ridiculae fingentur, ut uni formae nec pes, nec caput, quod ei conveniat, tribuatur; pro *fingentur* in pluribus Codd. apud *Feam* et in omnibus antiquis Editt. male legitur *finguntur*; nam primum *fingentur* respondet futuro *fore* in v. 6.; deinde iam monet Horatius futuros demum poetas, et proinde Pisonis filium quoque natu maiorem, ad poesin adspirantem. — *ut*, sicut v. 3. pro: ita quidem, ut. — *Reddatur*, detur, quod debebat dari. — *Pictoribus atque poetis* cett. At poetis atque pictoribus, opponat mihi aliquis, semper audacius aliquid fingendi data est licentia.

v. 12—23. *Secundum Praeceptum: Poeta non debet secum repugnantia coniungere, non liberius evagari, et pannos purpureos, aliunde petitos, carmini suo assuere, sed id tantum, quod simplex et unum est, sectari.*

v. 12—13. *Sed non, ut* cett. Sensus: Verum enim vero non haec poetis datur licentia, ut fingant, quae natura sibi repugnant, ut mitia animalia cum immitibus (*coire*) Venerem iungere, et aves atque serpentes, tigrides et agnos (*geminari*) paria fieri iubeant. — De serpente, animali, avibus inprimis infesto, supr. Epod. I, v. 19—20: *Ut assidens implumibus pullis, avis Serpentum allapsus timet.*

Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus, cum lucus et ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus;
Sed nunc non erat his locus; et fortasse cupressum
Scis simulare; quid hoc, si fractis enatat exspes

v. 14. sqq. *Inceptis gravibus* cett. Non raro accidere solet, ut poetae gravitatis et sublimitatis ostentandae gratia cupide arripiant externa ornamenta, quibus splendorem parent suis carminibus; arripiunt scilicet res (locos communes), quae poeticam descriptionem admittunt, utrum illae argumento, quod tractant, conveniant, necne, parum solliciti. — *plerumque*, ut infr. v. 95. pro: non raro; et sic passim apud Horatium; exempla vide supr. ad Epist. I, 18, 94.

v. 15—16. *Purpureus pannus*, iam de pigmentis, veneribus, fuco, et quibusvis externis ornamentis, orationem speciosam reddentibus. — *cum lucus* cett., iam Horatius aetatis suae poetas carpit, quos, externa ornamenta carminibus suis quaerentes, poetica luci Dianae et obliqui rivi, aut Rheni, aut pluvii arcus descriptione, aliena plane a scripti carminis argumento, sese iactare ait; — *lucus et ara Dianae*, cum plures luci cum aris Dianae sacri fuerint, (v. *Spanh.* ad Callimachum H. in Dian. v. 104. et *Heyn.* Excurs. VIII. ad Virg. Aen. VII, 761.) quem potissimum describendum sibi sumserit vanus quidam poeta, divinationi relinquitur.

v. 17. *Et properantis aquae* cett., obliqui rivi descriptionem ingenio poetico admodum opportunam esse, iam ipse Horatius ostendit; est enim hic versus elegantissimus, et ad eos, quos supr. ad Sat. I, 1, 114. delectos laudavi, referendus. — *ambitus*, eleganter de obliquo et tortuoso rivi cursu, sive de rivi anfractibus; eadem elegantia supr. Od. II, 3, 12: *et obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo.*

v. 18. *Aut flumen Rhen.*, respexit fortasse Horatius turgidum Alpinum qui supr. Sat. I, 10, 37: *luteum caput Rheni definxisse* dicitur.

v. 19—20. *simulare*, exprimere, ut supr. Epist. II, 1, 241: *aera Alexandri vultum simulantia.* — *fortasse cupressum Scis simulare;* hunc locum ita interpretor: Horatius iam comparat notatos poetas cum pictore quodam, qui in arte pictoria nil nisi cupressum pingere didicerat: quemadmodum igitur pictor ille picturam a se postulantibus depictam cupressum obtrudere solebat, ita poetae illi, cum toti alicui rei iusto carmine celebrandae impares essent, ad rerum singularum (ut Rheni, rivi, arcus pluvii) descriptiones sive ad locos communes, quibus tractandis se poetas iactarent, decurrebant. Itaque per verba: *et fortasse cupres-*

Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit
Institui; currente rota cur urceus exit?
Denique sit quodvis simplex duntaxat et unum.
  Maxima pars vatum, pater et iuvenes patre digni,
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro:
Obscurus fio; sectantem levia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae.

sum Scis simulare Horatius exprimere voluit: at tu fortasse rerum singularum describendarum, sicut pictor ille exprimendae cupressi, haud imperitus es. — *quid hoc* cett., quid *hoc* (sc. cupressum pingere posse) naufragum iuvare potest, qui pro mercede sortem naufragi in tabula adumbratam a pictore accipere cupit. Scilicet naufragus quidam, ut refert *Henricus Stephanus* ex vetere Scholiaste, dicitur pictorem adiisse, eumque rogasse, ut naufragii, quod passus sit, sortem in tabula depingeret; cui ille: „Visne me cupressum quoque appingere? *Μή τι καὶ κυπάρισσον θέλεις;* — Qui omnibus bonis exuti fuerant naufragio, portantes tabulam, in qua expressa fuit infortunii imago, mendicare solebant. Sic socii Simonidis apud Phaedr. IV, 21, 24: *Caeteri tabulam suam Portant, rogantes victum.*

v. 21—22. *Amphora coepit Instit.* cett., sententiam „esse poetas, qui magna et excelsa promittant, sed parva proferant, et extricent" expressit imagine, a formandis vasis fictilibus ducta; peccat figulus, qui pro amphora, quam meditabatur, urceum effingit; peccat poeta, qui, ad sublimiora exsurgens, ad humiliora se deprimi patitur; *coepit institui* pro: coepta est institui vel formari, vel pro: instituta (h. e. incepta) est. Iustin, XIV, 5: *cum prohiberi finibus coepisset*, pro: prohiberetur. — *currente rota*, sc. figuli. — *exit*, evadit, prodit, fit; ut supr. Epist. II, 2, 83.

v. 23. *quodvis*, quodcunque tibi tractandum sumsisti, quod esse et fieri cupis.

v. 24—37. *Tertium Praeceptum: Poetae, ne, dum vitium aliquod vitare student, decepti specie recti in aliud vitium incidant, virtutum, quas sequantur, naturam perspectam habere debent. Huc accedat necesse est studium non in singulis alicuius rei partibus, sed in tota re ponendum.*

v. 24. poeta Pisonem patrem, et duos patre dignos filios alloquitur.

v. 25. *specie*, opinione.

v. 26—27. *sectantem levia nervi Defic. an.*, sectantem orationis ornatum et venustatem vires deficiunt; — *levia*, levigata, expolita, limata; supr. Epist. II, 2, 123: *nimis aspera sano Levabit cultu.* — *nervi et animi*, pro: vires animi; — pro: *levia* ex Cod. *Achill. Stat. Bentleius* in textum recepit *lenia*, de oratione molliter et leniter fluente; nam *orationis lenitas* quoque non languere, sed vi quadam et spiritu agitata incedere debet; hinc bene voci *lenia* respondent *nervi et animi;* supr. Sat. II, 1, 2: *sine nervis*, sine vi et gravitate.

v. 28. *Serpit humi tutus* cett., qui (ut Hor. loquitur supr. Od. II, 10, 3.) nimium littus premendo cautus

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis adpingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber unus et ungues
Exprimet et molles imitabitur aere capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam naso vivere pravo,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

in alto mari procellas horrescit, h. e. qui non audet altiora et sublimiora tangere, humo vel humilitati affixus manet. Supr. Epist. II, 1, 250: *sermones humi serpentes.*

v. 29—31. *Qui variare cupit* cett. Sensus: Qui unam eandemque rem, admirationis movendae causa, prodigiosis imaginibus variare et distinguere cupit, praeter naturam delphinum e mari in silvas et aprum e silvis in mare transponit, et sic, dum vitium humilitatis fugit, absurda captat pro sublimibus. — Sine dubio Hor. hic quoque poetam, eiusmodi absurda sectantem, respexit. — v. 30. *adpingit*, malim: *affingit;* sic supr. v. 8. *vanae Fingentur species.* Non sermo enim est de *appictis imaginibus* sed de rebus *fingendo* additis. *In vit. d. culp. fug.*, supr. Sat. I, 2, 24: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* Sat. II, 2, 54—55: *nam frustra vitium vitaveris illud, Si te alio pravum detorseris.* — *si caret arte*, si est iners, et stultus, qui sibi a vitio contrario cavere non didicit.

v. 32—37. *Aemilium circa ludum* cett. Inter fabros, qui circa ludum Aemilium habitant, erit fortasse aliquis, qui (*unus*) prae caeteris omnibus ungues et molles capillos mira arte in statua aliqua exprimat et imitetur, sed idem, quia non omnia ac singula ad artem exprimere didicit, de operis summa haud approbabitur; huic quidem fabro, fabrilis artis parte tantum conspicuo, non magis velim me esse similem, quam me esse hominem, nigris quidem oculis nigroque capillo exsplendescentem, sed nasum depravatum et distortum prae se ferentem.

v. 32—33. *Aemilium ludum*, gladiatorium scilicet, ut observat *Vet. Schol.* ab Aemilio Lepido ita dictum. — *unus*, scil. prae omnibus aliis, prae caeteris; supr. Epod. XII, 4: *Namque sagacius unus odorer.* Sic *unus iudex* apud Cic. pro Rosc. Comoed. c. 5. Apud eundem pro Flacco 37: *Nam iste unus totam Asiam magnitudine poculorum bibendoque superavit.* Qui in re aliqua omnes alios superat, in ea est *unus;* itaque *unus faber* est unus inter fabros, qui prae caeteris in exprimendis capillis mollioribus excellit. cf. *Bentl.* et *Fea;* pro: *unus* plures librr. vett. offerunt *imus*, ut sit in imo loco habitans; sed si Horatius certum quendam fabrum in imo circa lud. Aem. loco habitantem designare voluisset, verbis *exprimere* et *imitari* non futuri, sed praesentis formam induisset; nec ii, qui in *imo* aliquo loco habitant, *circa* eum habitare dicuntur.

v. 34. *ponere*, de artificibus; cf. supr. ad Od. IV, 8, 8.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit et Venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat.
In verbis etiam tenuis cautusque serendis,
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

v. 38—44. *Quartum Praeceptum; Carmina, quae tam facundia, quam lucido ordine se commendent, scripturus, rem, virium modulo accommodatam, deligere debet.*

v. 38. *aequam*, convenientem.

v. 39. *versate*, perpendite, explorate; accommodate ad onera, quae, antequam humeris imponantur, manibus versari et ponderari solent, an vires iis ferendis sufficiant.

v. 40. *Cui lect. pot. e. r.*, rem sive materiam *potenter* legit, cuius vires lectae materiae pares sunt, qui eam, ut par est, *potenter* moderari et ad artis normam dirigere potest; nos: *der seines gewählten Gegenstandes mächtig und Herr ist*

v. 42—44. *Ordinis haec* cett. Ordinis autem (*virtus*) praecipua dos et (*Venus*) amabilis pulchritudo (*haec erit*) in eo cernetur, ut in principio statim (*iam nunc*) dicat, quae (*iam nunc*) in principio dici debent, scilicet ut lector vel spectator in mediam rem rapiatur, pleraque (*differat*) postea demum enarret, et nunc quidem (*praesens in tempus*) reticeat.

v. 45—72. *Quintum Praeceptum: In vocabulis et locutionibus tam deligendis, quam repudiandis, prudenter loquendi usus, penes quem et ius et norma et arbitrium est, in consilium vocetur: verba nota apta iunctura noventur; verba ad nova inventa designanda efficta recipiantur; verba ex fonte graeco hausta et paululum ad latinae linguae formam inflexa probentur; et, cum verba modo floreant, modo flaccescant, modo nascantur, modo, ut regum splendidissima opera, intereant, suus cuique verbo honor tribuatur.*

v. 45—46. *In verbis etiam* cett., hi duo versus olim inverso ordine legebantur. Rectissime igitur *Bentleius*, ut res ipsa docet, posteriorem versum in locum prioris transire iussit. Ad quam quidem versuum transpositionem defendendam bene observat *Gesnerus*, librarios, si quid in ordine peccatum esset, ne librum deformarent liturae, minutis notis appositis verum ordinem demonstrasse, notulis autem illis tenuioribus tempore exesis, versus in turbato ordine mansisse; cf. *Bast. Commentat. Palaeogr.* p. 858. Iunge: *Auctor promissi carminis* (poeta, qui carmen promittit) *etiam in verbis serendis tenuis* (subtilis) *cautusque, hoc amet* (aliud verbum amplectatur), *hoc spernat* (aliud verbum reiiciat). — *verbis — serendis*, proferendis, spargendis, disponendis, adhibendis; *verba serere*, ut: *sermonem, colloquia serere*; — *tenuis*, subtilis, acutus. Cic. Qu. Acad. IV, 14: *tenuis et acuta distinctio.* cf. supr. ad Sat. II, 4, 9. — *promissi*, cui scribendo poeta

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum;
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid autem?
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit,
Signatum praesente nota procudere nomen.

aliquis se operam daturum esse profitetur.

v. 47. *callida — iunctura*, acute, sollerter, et apte instituta; non raro *callidus* in bonam partem pro: sollers, acutus; Cic. Quaest. Tusc. I, 20: *callidissimum artificium naturae*, et Nat. D. II, 57: *natura nihil est callidius.*

v. 48—51. *si forte necesse est* cett., si forte necesse est, res inventas recens factis vocabulis insignire, licebit sane verba fingere inaudita priscis Romanis, et haec licentia, modeste et verecunde usurpata, concedetur; — *monstrare*, designare, — *abdita rerum*, res, adhuc abditas, in lucem protractas, h. e. res inventas; nam quae inveniuntur, fuerunt antea abdita. — *Cethegis*, pro: priscis Romanis; cf. supr. ad Epist. II, 2, 117. — *cinctutis*, cinctu quasi cinctis, succinctis; vel quod prisci Romani tunicae loco corpus ab umbilico usque ad pedes cinctu, campestri subligaculo, tegebant, vel quod tunicam cinctu constringebant; bene autem prisca vox *cinctutus* respondet sermoni de priscis moribus.

Continget, licebit. Supr. Epist. I, 17, 36: *Non cuivis homini Contingit* (licet) *adire Corinthum.*

v. 52. *habebunt fidem*, habebunt auctoritatem, ferent assensum, probabuntur.

v. 53. seqq., signo interrogationis post *autem* posito hunc locum ita interpretor: Quid vero? Romanusne licentiam nova verba faciendi, quae nostra aetate Virgilio Varioque ademta est, Caecilio Plautoque concedet? quod licuit Plauto atque Caecilio, Virgilio et Vario non licebit? de *Caecilio* vid. supr. ad Epist. II, 1, 59. de *Vario* supr. ad Od. I, 6, 1.

v. 55—56. *acquirere pauca Si possum*, si pauca parare et invenire possum ad linguam ditandam; — *invideor*, dente livido petor.

v. 59. *Signatum praes. nota procudere nomen*, elegantissime pro vulgari: novum nomen invenire et in medium producere; verba, quibus utitur Horatius, translata sunt a nummo, qui cuditur; eleganter igitur et accommodate ad hanc metaphoram pro: producere, dixit: *procudere*, et pro simplice: novum: *signatum praesente nota*, quemadmodum enim nummus vel principis

Vt silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos nostraque; sive receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus, sterilisque diu palus aptaque remis,

imagine, vel aetatis indicio cett. signatus, notam aetatis prae se fert, ita novo vel invento rei alicuius nomini praesentis aetatis nota, vel hoc, vel alio modo impressa est; optimo iure igitur *Bentleius* pro vulgari: *producere* lectionem plurimm. Codd. auctoritate confirmatam *procudere* in textum recepit.

v. 60. *Vt silvae foliis*, Hom. Il. VI, 146: *Οἵη περ φύλλων γενεὴ τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.* — *pronos*, prono et celeri cursu labentes, ut *proni menses* Od. IV, 6, 39.; alii *pronus* ad anni tempus, ad autumnum, quo annus ad finem properet, (ut supr. Od. IV, 27, 18: *pronus Orion*) referunt, ita, ut *pronus* iam sit: ad hiemem vergens. Equidem *pronos in annos*, simpliciter capio pro: quotannis. *Foliis*, per renata et revirescentia folia.

v. 63. 72. *nostraque*, et quae a nobis exstructa sunt, debentur morti, h. e. ad interitum vocantur, ut opera, quae statim commemorantur, splendidissima; 1) Exstructus portus, et quidem, lacu Lucrino et Averno marique inter se iunctis, celeberrimus ille Portus Iulius. Sueton. Octav. c. 16. — 2) Exsiccata loca paludosa, et quidem, ut observat Vet. Schol., Paludes Pontinae. — 3) Mutatus ab Augusto, et ab inundationibus derivatus Tiberis cursus. Sueton. Octav. c. 30. — *Sive receptus* cett. nam, *sive receptus Terra Neptunus* (mare in sinum terrae receptum) *classes Aquilonibus arcet*, (inversa constructio, ut saepe apud Virgilium, pro: aquilones a classibus arcet.) *Regis opus*, (opus splendidissimum) *sterilisque diu palus, aptaque remis* (navigabilis), *Vicinas* (nunc) *urbes alit, et grave aratrum sentit* (aratro proscinditur); *Seu amnis* (Tiberis) *cursum iniquum frugibus* (agrorum cultui) *mutavit, Doctus iter melius*; (delabi scilicet itinere, haud amplius agrorum cultui infesto.) supr. Epist. I, 14, 30: *si decidit imber, Multa mole docendus aprico parcere prato.* haec omnia sunt opera mortalia, quae peribunt; quomodo igitur *sermonum honor* (splendor) *et gratia* (elegantia) *vivax stet?* (non pereat?)

v. 65. *Regis opus*, *regia* et *regalia* dicuntur, quae summa magnificentia exsplendescunt; sic aedificia ingentibus sumtibus exstructa supr. Od. II, 15, 1: dicuntur *regiae moles.* — pro: *sterilisque* bene *Bentleius* malebat *sterilisve*; in particulis enim *que* et *ve* non apud Horatium tantum, ut pluribus locis observavimus, sed etiam apud alios scriptores saepissime peccatum est a librariis. — In voce *palus* ultima contra leges metricas correpta est; sed idem, ut *Servius* et *Priscianus* observant, nonnunquam in *tellus* et *senectus* factum est. Satius igitur videtur, in hac Grammaticorum observatione acquiescere, quam loco, omnium Codd. auctoritate confirmato, vel transponendo, vel immutando, vim inferre.

Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum;
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.
  Res gestae regumque ducumque et tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus, impariter iunctis, querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,

v. 73—85. *Sextum Praeceptum: Res diversae diversa postulant versuum genera. Res gestae et bella, praeeunte Homero, celebrantur hexametris; carmine Elegiaco non dolor tantum, ut prima elegiarum origine, de rebus tristibus, sed etiam sensus laetior de iis, quae ex voto cesserunt, exprimitur; versus vel pes iambicus, quo Archilochus primus composuit carmina maledica, cum aptus esset sermonibus miscendis et rebus agendis, locum, ubi se moveret, in comoediis et tragoediis invenit; carmina lyrica tam in hymnis deorum heroumque et in Epiniciis Hieronicarum, quam in rebus, ad amores et laetas compotationes spectantibus, versantur.*

v. 74. *Quo numero*, quo metri genere.

v. 75. *impariter iunctis*, elegiacis, Hexametris Pentametrisque alternantibus.

v. 76. *voti sententia compos*, sensus voluptatis et laetitiae; laetatur enim, qui voti cuiusdam compos fit.

v. 77. *exiguos elegos*, tam ob versus impares, quam quod carmina elegiaca breviora esse solent.

v. 78. *Grammatici certant* sc. utrum *Polymnestus Colophonius*, vel *Callinus*, vel *Terpander*, an *Theocles Naxius* elegorum auctor fuerit. vid. de hac re *Franckium* in *Callino* sive *Quaestionibus de origine carminis elegiaci.* Alton. et Lips. 1816.

v. 79. *proprio — iambo*, iure *iambus* res *propria* dicitur eius, qui eum invenit. — *rabies*, de canibus acrioribus, quibuscum comparari solet maledicentium impetus et acerbitas.

v. 80. *Hunc socci cepere pedem* cett., hoc pede fabulas incedere iusserunt poetae tam comici, quam tragici: — *soccus*, calceamenti genus humilius, quo comoedi, et *cothurni*, calceamenti genus grandius et altius, quo tragoedi in scena uti solebant, iam pro comoedia et tragoedia, et quidem pulcherrime et accommodatissime ad *iambum*, quem, ut *pedem*, iam *socci* et *cothurni cepisse* (recepisse, accepisse, assumsisse) dicuntur.

Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos puerosque deorum,
Et pugilem victorem et equum certamine primum,
Et iuvenum curas, et libera vina referre.
  Descriptas servare vices operumque colores,
Cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?
Versibus exponi Tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.

v. 81—82. *Alternis aptum serm.* cett., quam vim iambus in sermocinationibus scenicis habeat, et quomodo iambi usu spectatorum strepitus fortius pervinci, supprimi et compesci possit, id auribus magis percipi, quam verbis doceri potest; hinc *iambus* factus et *natus* ad res in scena agendas dicitur.

v. 83. *fidibus*, lyrae, testudini. — *puerosque deorum*, heroes. Supr. Od. IV, 2, 14. heroes vocantur *Deorum sanguis*.

v. 84. *Et pugilem victorem*, in ludis Isthmicis et Olympicis; cf. supr. Od. IV, 3, 3. Horatium in hoc versu Pindarum praecipue, ut sequente versu Sapphus et Anacreontis carmina lyrica respexisse, quilibet videt. — *equum cert. prim.*, equus enim, in certamine victor, simul cum victore celebrari solebat. vid. Interpp. ad Pindar. Olymp. I, 29.

v. 85. *Et iuvenum curas*, amores; nam, ut Ovidius canit (Heroid. I, 12), *Res est solliciti plena timoris amor.* — *libera vina*, ut supr. Od. III, 18, 6: *vina larga*, quae liberius et largius bibuntur in laetis compotationibus. Sunt, qui *vina libera* explicent: pectus a curis liberantia.

v. 86—98. *Septimum Praeceptum: Qui diversas in diverso carminum genere sustinendas partes non perspectas habet; qui suam cuique carmini naturam et formam induere non didicit; qui in re sublimi serpit humi, in re humili altiora affectat; qui tragica et comica permiscet cett., is abstinere debet a scribendis carminibus.*

v. 86—87. *Descriptas servare vices* cett. Sensus: cur ego, varia doctrinae artisque, qua poeta instructus esse debet, scientia destitutus, vocor habeorque poeta? — *descriptas servare vices*, varias partes poetae impositas explere, exsequi.

v. 88. *Cur nescire* cett. Cur ob importunum pudorem, me aliquid ignorare, in hac ignorantia perstare et me turpiter dare, quam, quod ignoro, discere malo?

v. 89—91. *Versibus exp. Trag.* cett. Quemadmodum res comica non vult exponi tragica sublimitate, ita et tragica, exempli causa nefanda illa coena Thyestae, versus (*privatos*) tenues et fere comicos respuit. — *privat.* — *carmina privata*, quibus non reges, tyranni, principes, duces, sicut in tragoedia, sed *privatae* vitae homines describuntur; ergo humilioris argumenti; — *prope socco Digna*, ad argumenta, quae in comoedia tractantur, prope accedentia; — *coena Thyestae*, ubi Atreus fratri Thyestae occisos pueros, quos hic furtivo amore ex Aerope, Atrei uxore, procreaverat, epulandos apposuit.

Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore:
Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri.
Telephus et Peleus, cum pauper et exul, uterque
Proiicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

v. 92. *Singula quaeque* cett. Singula quaeque locum, sorti cuiusque convenienter occupandum, ut decet, teneant.

v. 93—98. *Interdum tamen* cett. Interdum etiam in comoedia, cum prodit homo graviter commotus, locum habet oratio concitatior; hinc Chremes apud Terentium, (Heaut. Act. V.) ira tumens, saevit et litigat; interdum (*plerumque* cf. supr. v. 14) (*et tragicus*) in tragoedia quoque persona, in scenam producta, humiliore (*pedestri*) sermone dolorem exprimit; sic Telephus et Peleus, tum, cum alter pauper, alter exsul est, (*uterque - si curat*) si uterque id assequi tentat, ut animum spectatoris, querelas fundendo tangat, haud nunc magniloquus verba grandiora iactat, sed voce querula et submissa miserationem movere studet. — *tollit*, personae enim in comoedia litigantes graviores vel altiores vocis sonos edunt.

v. 94. *delit.* — particula *de* in verbo composito *delitigare* notionem auget, ut sit fere: vehementer et ad satietatem usque litigare; sic *desaevire*, nos: *abtoben*, supr. Ep. I, 3, 14.

v. 95. *Tragicus*, persona, quae queribunda in tragoedia inducitur; sic Orestes, qui furens in tragoedia inducitur, *tragicus* appellatur. Cic. in Pison. c. 20: *Tragico illo Oreste aut Athamante dementior.*

v. 96. *Telephus*, filius Herculis, rex Mysiae, cum vulnus, quod ab Achille acceperat, secundum oraculi effatum, nisi illud eadem hastae cuspide, qua inflictum esset, tangeretur, sanari non posset, castra Achillis adiit, et hanc veniam ab eo petit, et quidem *pauper*, h. e. miseri et supplicantis speciem prae se ferens. — *Peleus*, filius Aeaci, ob fratrem Phocum, a se caesum, solum vertere et ex patria Aegina in Thessaliam fugere coactus est; hinc *exsul* dicitur.

v. 97. *Proiicit* (ἀποβάλλει), abiicit, reiicit, removet, deponit *ampullas*, sive abstinet ab *ampullis*. — *ampulla*, proprie lecythus, vas angusto collo, sed ventre capaciore et turgido, in quo oleum inprimis et acetum servari solebat. Ab hac *ampullae* forma, turgida et inflata quasi, translate dicuntur *ampullae* verba turgida, ventosa, magnifica, quibus fere se iactant grandiloqui; hinc supr. Epist. I, 3, 14: *ampullari*, magniloquentia superbius et insolentius se efferre.

v. 98. *spectantis*, nam querelis

Non satis est pulchra esse poëmata, dulcia sunto,
Et, quocunque volent, animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere: dolendum est
Primum ipsi tibi; tum tua me infortunia laedent.
Telephe, vel Peleu, male si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia moestum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; iuvat aut impellit ad iram,
Aut ad humum moerore gravi deducit et angit;

miserabiliter fusis spectatorum quoque movetur animus.

v. 99—118. *Octavum Praeceptum: Non sufficit, carmina pulchre et eleganter esse scripta, sed ea simul vis et virtus iis insita sit necesse est, ut, quocunque velis, animos flectas, eosque aut dolore et tristitia oppleas et confundas, aut dulci de rebus laetis sensu perfundas atque delinias. Verbis respondere debet vultus ad omnia, quae verbis exprimuntur, compositus. Poetae porro est, ut personas, quas producit, plane ad earum naturam, ingenium et mores loqui, agere et se gerere iubeat.*

v. 102. *Humani vultus*, vultus hominum, humanitatis sensu percussorum. Notissimum est illud Terentii: *Homo sum, humani nihil a me alienum puto.*

v. 103. *me laedent*, dolore afficient. me perturbabunt et in doloris societatem trahent. Malim tamen *tangent* pro: *laedant.*

v. 104. *Telephe, vel Peleu, male si m. loqu.*, particula *male* non cum pluribus Interpretibus ad *mandata*, h. e. ad poetam, qui male partes mandavit, sed, ut sequentia satis docent, ad *loqueris*, ad actorem, qui mandatas partes male sustinet, referenda est. Sine dubio Horatius respexit fabulam, in qua Telephus, ut supplex in castris Achillis, et Peleus, ut exsul (vid. v. 96.), primas partes egisse videntur. Horatius igitur, cuius data in hac Epistola Pisonibus praecepta maximam partem spectant ad poetarum tam comicorum, quam tragicorum vitia latius latiusque serpentia, non ea tantum, quae poetis, sed etiam illa, quae actoribus observanda et peragenda sint, ut magister et arbiter harum rerum peritissimus proponit et praecipit.

v. 107. *Ludentem*, res ludicras tractantem, iocantem, delicias facientem.

v. 108—111. *Format enim* cett., natura enim animo nostro a primo eius ortu inserit animi affectiones, quae vim suam in omni fortunae statu, conditione et mutatione exserunt; *prius*, a primo naturae ortu, ab insitis statim naturae affectibus. — *iuvat*, suaviter sensus afficit, *aut impellit ad iram* cett.

v. 110. *ad humum deducit*, affligit, prosternit; nos: *beugt zur Erde.*

Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta;
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum, Davusne loquatur, an heros,
Maturusne senex, an adhuc florente iuventa
Fervidus; an matrona potens, an sedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis.

v. 111. *Post*, respondet particulae *prius* in v. 108. *post*, si natura pro fortunae habitu insitas animo affectiones impulit et excitavit, eas palam facit oratione.

v. 112—113. *Si dicentis erunt*, si verba non respondebunt fortunae, sorti, et conditioni eius, qui loquitur. — *equites peditesque*, culti et inculti; honorati et inhonorati; omnes ac singuli. — *equites*, homines cultiores, ut supr. Sat. I, 10, 76. et Epist. II, 1, 185, ubi *equites* opponuntur *plebiculae*. — Iam, quia in militia equites et pedites diversae sunt copiae, ut distinguat cultos ab incultis, facete Horatius illos *equites*, hos (plebem) *pedites* vocat. Huc accedit, quod passim humiliora vocantur *pedestria*, pedibus quasi humi incedentia; hinc supr. v. 94: *sermo pedestris* (humilis, πεζὸς λόγος), et supr. Od. II, 12, 9: *historiae pedestres*, humili scribendi genere, oratione soluta, conditae.

v. 114. *Intererit multum, Davusne loq., an heros*, multum intererit, utrum (*Davus*) servilis conditionis homo, an *heros* (Achilles, Bacchus, Hercules cett.) loquens in fabulis inducatur; sic infr. v. 237. *Davus* pro quovis servo, et *Pythias* pro quavis ancilla: *Vt nihil intersit, Davusne loquatur, et audax Pythias, emuncto lucrata Simone talentum, An custos famulusque dei Silenus alumni.* Hinc supr. Sat. II, 5, 91: *Davus comicus*, de quovis servo, qui prodit in comoedia; et sic passim quivis servi designantur nominibus, quibus producti sunt alii servi in comoediis. Qui pro: *Davusne* defendunt lectionem *Divusne*, non cogitasse videntur de iis, quae huic lectioni obstant. Nam primum, cum iam sermo sit de diversae plane et inter se contrariae conditionis personis, qui Horatium tantum discriminis inter deos et heroas, deorum mensis adhibitos, fecisse sibi persuadet? Deinde vere heroes in fabulis loquentes versantesque cum servis inducuntur; vid. *Gesn.* ad h. l. *Wielandus* tentabat: *Davusne loquatur, an hĕrus.*

v. 115. *Maturusne senex*, supr. Od. III, 15, 4: *Maturo propior funeri.*

v. 116. *matrona potens*, matris familias dignitatem tuens; nisi sit, quae tam in re domestica, quam in re amatoria potentiam aliquam exercet. — *nutrix* (cui parvulorum cura demandata est) *sedula*, sedulitate et officiosa voluntate placere studens.

v. 117. *Mercatorne vagus*, quem itinera et multa cum hominibus consuetudo facundum, catum, concinnum et multarum rerum peritum reddiderunt, cui opponitur *virentis agelli cultor*, homo simplex, rudis, indisertus et rusticis moribus.

v. 118. *Colchus, an Assyrius* cett. (*Vet. Schol.*) *Nam Colchus non nisi*

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis:
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,

saevus inducendus est, Assyrius astutus; nec iuducas Argis natum timidum, aut Thebis natum facias peritum.

v. 119—152. *Nonum Praeceptum: Poeta, qui res memoriae proditas tractat, diligentissime eas describere, et ingenia moresque eorum, quos producit, iisdem, quibus expressi sunt, coloribus de integro solertissime adumbrare debet; at qui res fingit, et res fictas primum scenae committit, novasque personas formare audet, is et sibi convenientia fingere, et omnia ac singula ad rei fictae naturam ab initio usque ad finem scitissime accommodare debet. Idem, cum difficile sit, tractare velle, quae a nemine adhuc tractata sunt, materiam scribendi petat ab iis, qui divini ingenii specimina ediderunt, et doctrinae copias publice exposuerunt, ita tamen, ut neque verbis nimium inhaereat; neque serviliter illos imitetur; neque pro magnis, quae iactabundus promisit, pusilla edat; neque fulgentia obscuret, sed obscura illustret; neque rem ab alta origine repetat, sed auditorem in mediam rem rapiat et ad eventum festinet; neque quicquam, cui impar sit, moliatur.*

v. 119. *famam*, quae literis consignata traduntur.

v. 120 *Honoratum*, ab Homero celebratum carmine; per λιτότητα pro: heroem celebrare; Cic. de Divinat. c. 40: *Amphiaraum sic honoravit fama Graeciae, deus ut haberetur.* — *reponis*, — *ponere* (ἱστάναι) de pictoribus pro: describere, adumbrare, vid. supr. ad Od. IV, 8, 8. *reponere* igitur pro: de integro post Homerum describere.

v. 121. *Impiger* (ἄκαμας), sc. sit, quod v. 123. sequitur. Sic supr. Od. IV, 8, 30: *Hercules impiger*, et *Tiberius* Od. IV, 14, 22: *impiger Hostium vexare turmas.* — *iracundus* (ὀξύχολος), natura ad iram proclivis, irritabilis. — *inexorabilis*, sic Achilles supr. Od. I, 6, 6: *cedere nescius*, et Epod. XVII, 14: *pervicax.* — *acer*, gravis, vehemens, minax. Hom. Il. XX, 461: *Οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, οὐδ' ἀγανόφρων, Ἀλλὰ μάλ' ἐμμεμαώς.*

v. 122. *Iur. neg. s. nat.*, nulli iuri se obnoxium profiteatur, nulla sibi iura data vel imposita vel in medium prolata esse declaret, malim tamen *lata* pro *nata.*

v. 123. *Sit Medea ferox invictaque*, cuius ferox et immitis animus, cum fratrem Absyrtum discerperet, et Iasonis perfidia in furorem acta filios suos trucidaret, non vinci et frangi poterat nefandi sceleris cogitatione. — *Ino*, Cadmi et Hermiones filia, cum maritum suum, Athamantem, Thebanorum regem, qui, furore correptus, uxori mortem intentabat, non amplius effugere posset, una cum filio suo Melicerte se in mare dedit praecipitem, ubi mutata est in deam marinam, cui nomen erat *Leucothea*, uti filius Melicertes sub nomine *Palaemon* dei marini honorem accepit. In fabula *Inus* mirum in modum variant et discrepant

Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenae committis, et audes
Personam formare novam: servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est, proprie communia dicere, tuque
Rectius Iliacum carmen diducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati iuris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus

scriptores. — *flebilis*, aut passive, digna miseratione et fletibus, supr. Od. I, 24, 9—10: *Multis ille bonis flebilis occidit, Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.* — *flebilis Hector*, Ovid. Am. II, 1, 32. aut active: quae de misera sorte lacrimas fundebat, a marito scilicet se persequente pressa.

v. 124. *Ixion*, rex Thessaliae, — *Perfidus*, ob incestum erga Iunonem amorem, quem Iovis conviva adeo exsatiare cupiebat. — *Io*, Inachi filia, cum a Iove ob iram et odium, quo Iuno eam ut Iovis pellicem vexabat et huc illuc agitabat, mutata esset in vaccam, post multos errores in Aegyptum venisse, Osiridi ibi nupsisse, et post mortem *Isis* facta esse in fabulis traditur; hinc illa *vaga.* — *trist. Or.*, Orestes, Agamemnonis et Clytaemnestrae filius, quem matris sanguine pollutum Furiae agitasse dicuntur, tristi et miseranda furentis specie in tragoediis (Eurip. Orest., Sophocl. Electr.) sistitur.

v. 128. 129 *communia*, quae nondum tractata unicuique tractanda se offerunt, quae tanquam in loco communi palam proposita a quolibet pro animi arbitrio aut capi aut reiici possunt; — *proprie dicere*, propria, nova et peculiari arte exponere; pulchre *Vossius: Schwer ist's, eigene Wesen aus Allgemeinem zu bilden.* — *tuque Rect. Iliac. c. did. in act.*, rectius argumenta iam tractata ab aliis e. c. ex Homeri carmine Iliaco hauris et in partes scite agendas dispertis et describis; lectionem, a *Fea* exhibitam, *diducis* vulgari lectioni *deducis* praetuli; *diducere* enim eleganter dicitur de fontibus, e quibus aqua dimanat, et in *diversos* rivulos *diducitur.* Est igitur *diducere*, quod nos dicimus: *eintheilen, vertheilen.*

v. 131—135. *Publica mat. priv. iur. erit*, materiem, iam ab aliis publicatam et in medio positam poteris tibi propriam facere, et in usum privatum convertere, si neque rebus tritis et vulgaribus putide immoraberis, neque, sicuti fidus interpres, (comparationis particula *ut* ad *fidus interpres* omissa est; vid. supr. ad Epist. I, 2, 42.) verbum verbo reddere curabis, neque servili imitatione te praecipitem dabis in eiusmodi angustias, unde pudor et aberratio ab iis, quae bono scriptori servanda sunt, pedem expedire te prohibeat.

v. 132. Per *vilem et patulum orbem* eleganter exprimitur late patens gyrus vel spatium, in quo aliquis ex vilis rei studio huc illuc discurrit et circumagitur (τόπος κοινός); nos: *ein Gemeinplatz.*

Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
„Fortunam Priami cantabo et nobile bellum."
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
„Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae,
„Qui mores hominum multorum vidit et urbes."
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat:
Antiphatem, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdim;

v. 134. 135. *in arctum*, scil. locum, *patulo orbi* oppositum. — *pudor, aut operis lex*, scilicet, qui nimium imitandi studio se abripi passus est, is ipse tandem, se contra *operis legem* peccasse, h. e. se male boni scriptoris partes sustinuisse, non sine pudore sentit.

v. 136. *ut scriptor cyclicus olim*, quod nomen gesserit malus iste poeta cyclicus, quem h. l. Horatius notat, divinent alii. De *poetis cyclicis*, qui de rebus, tam ipso bello Troiano, quam ante et post illud, gestis, intra cyclum vel gyrum quendam se continentes ad Homeri exemplum carmina concinnare conati sunt, post *Schwarzium Altdorf.* in peculiari *Dissert. de Cyclo Epico*, *Casaubonum* ad Athen. VII, 4. *Dodwell.* de Cycl. p. 802. copiose et docte disputaverunt *Heynius* in Excurs. I. ad Virg. Aen. II. et *Iacobsius* in praefat. ad Tzetz. pag. XX. sqq. nuperrime *Wuerfer.* Bonnae. 1826. *C. G. Müller* Lips. 1829. et *G. G. Nitzsch.* Kil. 1831. Fuerunt quoque, qui *poetas cyclicos* de poetis circumforaneis et circulatoribus interpretarentur.

v. 138—142. *Quid dignum* cett. *Quid hic promissor feret* (proferet, edet) *dignum tanto hiatu*, quod respondeat verbis, quae tanto oris hiatu et plenis buccis denunciat? Nam ventosus iste poeta cyclicus, *conclusas hircinis follibus auras* (Sat. I, 4, 19.) imitans, non Musa aliqua Homeri exemplo in partes vocata, ferox fidensque ingenii ita carmen exorditur: *Ego post Iliadem Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.*

v. 139. *Partur. mont. nasc. rid. mus.* Suaviter vertit *Vossius: Schaut doch den kreisenden Berg, wie er aufschwillt! Komm doch heraus, Maus!* huius proverbialis locutionis, qua homo vanus, grandia moliens minansque, sed pusilla proferens, cum monte post graves labores ridiculum murem in dias luminis auras edente, comparatur, mentio quoque fit apud Athenaeum Deipn. XIV, 7: *ὤδινεν ὄρος· Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο. τὸ δ' ἔτεκεν μῦν.*

v. 141—142. en duos primos Odysseae versus, latinis numeris ab Horatio expressos!

v. 143—147. *Non fumum ex fulgore* cett. Homerus non id secum agit, ut fulgentia fumo obducat, sed ut fumo obducta luce collustret, et sic speciem monstrorum ante oculos ponat, exempli causa *Antiphatem* cett. — *Antiphates*, rex Laestrigonum, homo, cruenta crudelitate abominabilis, et Vlyssis sociis, quorum unum devoravit, infestissimus; vid. Hom. Odyss. X, 82—132. — *Scyllamque, et — Charybdim*, de his duabus in mari Siculo voraginibus, summi periculi terrore praeternavigantes percellentibus, vid. Hom. Odyss. de *Scylla* quidem Lib. XII, 85., de *Charybdi* XII, 104 sqq. *Scylla*, ut docet *Cluver.* Sic. 1, 5., fuit scopulus, humanam olim forte formam referens, unde fluctus allisi ingente fragore retundebantur; — *Charybdis*, fluctuum magno tumultu invicem se tundentium vehementior impetus. — *cum Cyclope*, Polyphemo, Cyclopum immanissimo.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit, et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulaea manentis et usque
Sessuri, donec cantor *Vos plaudite* dicat;
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,

v. 146—148. *Nec reditum Diom.* cett. Nec Homerus, ut ineptus iste poeta cyclicus, narrationem de Diomedis e bello Troiano reditu incipit a re, ante bellum Troianum facta, a morte scilicet Meleagri; nec idem bellum Troianum orditur ab Helena, ex altero duorum illorum ovorum, quae Leda edidisse fingitur, exclusa. *Diomedis* pater, *Tydeus*, filius Oenei, Aetolorum regis, et Meleagri, cuius interitus vario modo narratur, frater fuit.

v. 148—149. *in medias res* cett., non causas Homerus exortae inter Agamemnonem et Achillem irae ante exponit, sed *in medias res* (*Μῆνιν ἄειδε θεά*) *Non secus ac notas* (tanquam iam notas) *auditorem rapit.*

v. 151—152. *Atque ita mentitur* cett., atque res ita fingit, et fictis veras immiscet, ut prima, media et ultima amice in totam rem conspirent.

v. 153—178. *Decimum Praeceptum: Scriptor, qui sibi conciliare cupit auditorum vel spectatorum animos, quomodo homines pro sua quisque aetate agant sentiantque, penitus perspectum habeat, necesse est. Sic enim, quod pueris, iuvenibus et senibus tribuendum est, unicuique tribuet, et, si eos tales, quales vere sunt, egregie descriptos expressosque in scenam produxerit, plausum feret.*

v. 153. *desideret*, a te exigat.

v. 154. *plausoris aulaea manentis*, usque ad finem fabulae in spectaculo manentis; — *aulaea* autem, peracta fabula, non sicut nunc, ex loco superiore demittebantur, sed ex inferiore loco sursum trahebantur; vid. supr. ad Epist. II, 1, 183.

v. 155. *cantor*, histrionum unus, *recitator*, *Vos plaudite*, decantans. vid. de hoc loco *Wolffium de canticis in Romanorum fabulis.* Halae. 1825. praecip. p. 19. sq.

Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui voces iam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbus iuvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.

v. 157. *Mobilibusque decor naturis* cett., hunc locum, de quo multum pulveris, praecipue a *Bentleio*, sparsum est, ita interpretor: *natura* iam est, indoles, ingenium, sentiendi agendique ratio, quam cuique hominum aetati natura insevit; haec insita indoles est *mobilis*, h. e. mutabilis; aliter enim puer, aliter iuvenis, aliter vir, aliter senex sentit. Sensus igitur: Et (*dandus est decor*) tribuendum est id, quod decet et convenit (*mobilibus naturis*) hominum ingeniis et studiis, quae cum aetate et annis mutantur. — Plures secuti sunt *Bentleium*, qui pro: *naturis* reposuit: *maturis*, ut per annos *mobiles* pueriles et per *maturos* seniles designentur; sed primum Horatius non duos, sed quatuor vitae annos, ut docent sequentia, denotare voluit; deinde pueri quidem *mobiles* et senes *maturi*, sed non ita anni dicuntur.

v. 158 — 160. Hic locus de cuiusque vitae aetatis natura praestantissimus comparandus omnino est cum Aristot. Rhet. II, 12. seqq. — *Redd. qui voc. i. scit puer*, qui ex infante factus est puer; — *et pede certo Signat humum*; eleganter pro: firmum gressum in solo ponit, firmo pede incedit. Apud Virgil. Georg. III, 171. de iuvencis vestigia in pulvere exprimentibus: *et summo vestigia pulvere signent.*

v. 160. *temere*, facile; supr. Epist. II, 1, 120: *vatis avarus Non temere est animus*, vel explica *temere* ex causa levissima.

v. 161. particula *tandem* facete pueri, morae illius temporis, quo ex puerili aetate excedat, impatientis, exprimit ingenium.

v. 162. *aprici gramine campi*, gymnasticis exercitationibus in Campo Martio. Supra quoque Od. I, 8, 3. Campus Martius dicitur *apricus.*

v. 163. *cereus* (κήρινος), cerae instar flexibilis.

v. 164. *Vtilium tardus provisor*, elegante brevitate pro: in rebus utilibus, quibus vitae futurae providere debet, tardus. — *prodigus aeris*, pecuniae; cf. supr. ad Epist. I, 2, 47.

v. 165. *Sublimis*, altiora spirans, (ὑπέροχος) magnifice de se sentiens. — *et amata relinquere pernix*, similiter supr. Epist. II, 1, 100. de puella infante: *Quod cupide petiit, mature plena relinquit.*

v. 166. *Conversis studiis*, animo a iuvenilis aetatis studiis ad ea, quae virili aetati propria sunt, converso.

Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator censorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur iuveni partes, pueroque viriles,
Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.
  Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,

v. 169. *circumveniunt*, circumvallant, premunt.

v. 170. *Quaerit*, sc. opes, *et inventis*, quaesitis, collectis, *miser abstinet*, *ac timet uti*, supr. Sat. II, 3, 110: *Nescius uti Compositis, metuensque velut contingere sacrum.*

v. 171. *gelideque*, et animo, qualis est senum, frigido, h. e. haud promto paratoque, sed lento et anxio; et sic supr. Sat. I, 1, 42: *timidus*, de homine, qui prae avaritia pecuniam attingere non audet, vel refugit. — *timet uti*, hinc senes apud Cic. de Senect. cap. 18. *timidi.* — *ministrat*, administrat, peragit.

v. 172. *spe longus*, qui longioris vitae spem alit, ipse iam dicitur *spe longus* (μακρὸς ἐλπίδι). Huc facit locus Ciceronis, a *Lambino* allatus, de Senect. cap. 7: *Nemo enim tam senex*, *qui se annum non putet posse vivere.* — *iners*, ob virium defectionem rebus gerendis minus aptus. Nisi *spe longus* iam dictus sit is, qui de rebus futuris longe ante earum eventum spem largam concipit alitque animo. — *avidusque futuri*, cupidus sciendi, *quid sit futurum cras* (Od. I, 9, 13).

v. 173. *Difficilis*, haud facilis se adeuntibus, morosus (δύσκολος), querulus, assiduis de sorte sua querelis fatigans alios (μεμψίμοιρος).

v. 174. *minorum*, iuniorum.

v. 175. *anni venientes*, qui teneram aetatem excipiunt, anni iuveniles et viriles.

v. 176. *anni recedentes* ad exitum vitae decurrentes, anni seniles. Supr. Epist. II, 2, 55: *Singula de nobis anni praedantur euntes.*

v. 178. *Semper in adiunctis* cett., semper eorum, quae cuique aetati adiuncta et apta sunt, h. e. conveniunt, rationem habebimus; — *immorari* alicui rei dicuntur, qui diligentiorem curam et operam in aliqua re recte tractanda ponunt; et sic *morari in aliqua re* eleganter de iis, qui in ea non festinanter et leviter, sed consideranter et curiose versantur.

v. 179 — 188. *Vndecimum Praeceptum: Cum ea, quae oculis conspiciuntur, multo gravius animos spectatorum afficiant, quam illa, quae audiuntur, horroris plena non oculis in scena subiici, sed tanquam intus acta narrari debent.*

v. 180. *Segnius*, eleganter pro: minus vehementer, lenius, languidius.

Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri promes in scenam, multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Ne pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.
  Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult et spectata reponi;
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus

v. 181 — 182. *fidelibus*, de iis, quae audimus, possumus dubitare, non ita de iis, quae videmus; hinc *oculi fideles* (πιστοί). — *et quae Ipse sibi tradit spectator*, quae audimus, traduntur nobis ab aliis; quae vero spectamus, ea ipsi nobis per oculos tradimus. — *intus*, extra scenam.

v. 184. *quae mox narret facundia praesens*, quae mox persona in scenam prodiens (*praesens*) facunde edisserat; nisi *praesens* explicare malis de persona, quae rei intus factae praesens adfuerit.

v. 185. *pueros Medea trucidet*, cf. supr. ad v. 123.

v. 186. *Atreus*, de horrenda illa coena, quam Atreus fratri suo Thyestae apparavit, vid. supr. ad v. 91.

v. 187. *in avem*, secundum Anacr. Virg. Propert. et alios in lusciniam, vid. ad Catull. LXV, 14., sed secundum Ovidium in hirundinem. Caeterum fabula Terei, Prognes et Philomelae, est una earum, quas felicissime tractavit Ovidius Met. VI, 425. seqq. De *Cadmo*, Thebarum conditore, in anguem mutato, vid. Apollod. III, 5, 4.

v. 188. *sic*, scilicet, ut in scenam producas incredibilia, hominum in aves, angues cett. mutationes. Erudite de hoc loco disputat *Pauflerus: de Horatio incredulo osore*. Dresdae. 1812.

v. 189 — 201. *Duodecimum Praeceptum: Cavendum est, ne fabula ultra quinque actus producta fastidium tandem creet spectatoribus; ne repentino dei alicuius interventu rei implicitae nodus importuno tempore solvatur; ne quarta persona sermocinantibus in scena sese immisceat; ne quid chorus intercinat, quod a re, quae agitur, alienum sit.*

v. 189 — 190. *Neve minor* cett., ut certus in scribendis peragendisque fabulis servetur modus, Horatius eas nec ultra quinque actus producendas, nec in pauciores actus redigendas esse docet; ideo, ut videtur, quia tum saepius peccabatur in utramque partem.

v. 190. *posci*, sc. ad spectandum. — *reponi*, iterum spectari, repeti, iterari; sic supr. v. 120. *reponere Achillem* pro: novo carmine de integro laudes Achillis canere.

v. 191. *Nec deus intersit*, cett. Nec in partes vocetur *deus* (quod vulgo nunc dicitur) *ex machina*, nisi res implicita, quam deus aliquis repente apparens expediat, digna sit. Carpit scilicet Hor. eos poetas, qui ad rem quamcunque expediendam

Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amicis,
Et regat iratos et amet peccare timentes;
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Iustitiam, legesque et apertis otia portis;

statim ad deum confugiunt, utrum digne, an indigne fiat, parum curantes. Hinc Cicero De Nat. D. I. c. 20: *Ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum.* Hinc nata est proverbialis, quam saepe audimus, locutio: *deus ex machina*, de rebus, quae, nisi vis quaedam divina ex improviso accedat, expediri nequeunt. Translata autem est haec locutio e re scenica, si deus praeter omnem exspectationem, per machinam aliquam demissus, in scena apparet. De huius machinae affabre constructae et de loco superiore suspensae in re scenica usu, sive *de scena versatili et ductili, in cuius superiore parte deorum sedes erant*, *Boettigerus* meus, qui in his rebus habitat, copiose et docte disputavit in peculiari *Prolusione*, *Deum ex machina in re scenica veterum* illustrante. *Vimar.* 1800. — *vindice*, deo, qui rem ab inextricabili difficultate *vindicet*, liberet, qui nodum solvat.

v. 192. *laboret*, sustineat. Horatius autem quartam personam ideo in colloquiis silere iubet, ne quatuor colloquentium sermo permixtus et perplexus minus capiatur ab auditoribus.

v. 193—195. *Actoris partes chorus* cett., chorus actoris partes, et, quod decet chorum, strenue tueatur, ita quidem, ut nihil intercinat, quod non arcte cum fabulae argumento cohaereat. Totus chorus autem coniunctim *actoris partes* sustinet, quia, dum canit, quae fabulae argumento respondent et accommodata sunt, simul agit. — vid. Eruditissimus *Ilgens de choro in tragoediis veterum* in *Opusc. philol.* T. I. p. 60. seqq. — *haereat*, apto nexu cohaereat, respondeat praecedentibus.

v. 196 — 202. *Ille bonis faveat* cett. in versibus sequentibus quaedam eorum, in quibus peragendis et commendandis versari inprimis debeat chorus, nominatim praecipiuntur. — *consilietur*, pro: consulat, ut videtur.

v. 197. Pro: *amet peccare timentes*, ex duorum Codd. auctoritate *Bentleius* refinxit: *et amet pacare tumentes;* — *amet* explicat: soleat, quod admodum friget; explicari certe debebat: et sibi placeat in pacandis ira tumentibus; sed *pacare tumentes* iam expressum est per: *regere iratos*, nam qui *regunt iratos*, eosdem pacant.

v. 198. *dapes mensae brevis*, victum tenuem, qui brevi tempore sumitur; similiter supr. Epist. I, 14, 35: *coena brevis.*

v. 199. *et apertis otia portis*, pro vulgari: et pacem; pace enim non clauduntur portae; sic supr. Od. III, 5, 23. Regulus de Carthaginis securitate: *vidi — Portas non clausas.*

Ille tegat commissa, deosque precetur et oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.
  Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeque
Aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco,
Adspirare et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus
Et frugi, castusque verecundusque, coibat.
Postquam coepit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno

v. 200. *tegat*, tegi (occultari, recondi) iubeat; — *commissa*, sc. fidei, quod supr. Sat. I, 3, 95. additur.

v. 202 — 219. *Praeceptum decimum tertium*: *Cum ad ea, quae prolatis imperii Romani finibus et aucto populi numero in civitatem immigrarunt, pertineat quoque maior licentia, quae modis numerisque, chori cantum temperantibus, accessit; poeta versus ad mutatam artis musicae disciplinam, ad mutatos mores, et in universum ad aetatis ingenium moderari, conformare et componere debet.*

v. 202—203. *Tibia non, ut nunc, orich. vincta* — *orichalcum* vel *aurichalcum* est metallum pretiosius, colorem auri referens, sive aes luteum, simile fere ei, quod nos dicimus: *Messing*; vid. *Beckmann* ad Arist. Mirab. p. 98. 132. 133. et *Celeberr. Heinrich* ad Hesiod. Scut. Herc. v. 122. — *orichalco vincta* dicitur *tibia*, sive quod illa, e simplice duplex facta, orichalco vinciebatur et copulabatur, sive quod tibiae partes per internodia orichalco munita distinguebantur, sive quod tibia vinculis quibusdam vel ornamentis ex orichalco factis conspicua erat. Pro: *vincta* recepit *Bentleius iuncta*; sed haec lectio illius mihi videtur esse interpretatio. — *tubaeque Aemula*, dum tibia aeque ac tuba sonis acutioribus et gravioribus aures percutiebat.

v. 204 — 205. *Adspirare*, eleganter pro: accinere, quia tibia *spiritu* inflatur. — *erat utilis*, eleganter pro: solebat, adiuncta *utilitatis* notione, vel simpliciter pro: conducebat. — *atque Nondum* cett. iunge: *atque sedilia nondum nimis spissa complere flatu.* — *spissa sedilia*, supr. Epist. I, 19, 41: *Spissis indigna theatris Scripta pudet recitare.* Epist. II, 1, 60: *arcto stipata theatro Spectat Roma potens.*

v. 206 — 207. *Quo* (in sedilia nempe theatri) *coibat populus sane numerabilis* (numerabili utique copia), *utpote parvus*, quia parvus erat, non copia innumerabili, ut nunc; isque (*frugi*) industrius, pudicus et modestus.

v. 209. *Latior*, latius patens, extensior, amplior. — *vinoque diurno*, et conviviis vel compotationibus *de die*, h. e. ante tempus solitum, vel iusto tempestivius incipientibus; sic Graeci ἀφ' ἡμέρας πίνειν; vid. *Amiciss. Iacobs.* ad Anthol. Gr. T. VIII. p. 144. et hinc eiusmodi convivia dicuntur *tempestiva*; vid *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *de* et *tempestivus.*

Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisque modisque licentia maior.
Indoctus quid enim saperet liberque laborum
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,

v. 210. *Placari Genius*, sic supr. Od. III, 17, 15: *Genium mero curare*; qui hilaritati et vitae iucunditati indulgent, dicuntur *placare* vel *curare Genium*, dum grato animo fruuntur muneribus, quae *Genius*, cuique homini additus, suppeditat. Hinc *Genio suo indulgere*, pro: iis, quae delectant, indulgere. — *impune*, libere, nulla lege huic vivendi mori obstante; supr. Epist. I, 5, 10: *impune licebit Aestivam sermone benigno tendere noctem.*

v. 212—213. *Indoctus quid enim* cett., quomodo enim confusa hominum turba, ubi rusticus (*indoctus*), homo rudis, et post peractos labores genio suo indulgens, urbano, (*turpis honesto*), purus impuro, vel incultus exculto, immiscebatur, recte de hac re sentire et subtiliter iudicare poterat? — *turpis honesto?* — *turpis* nos: *ungebildet*, *honestus*, nos: *gebildet.*

v. 214 — 215. *Sic*, hinc factum est, ut tibicen (cf. supr. Epist. II, 1, 98) (*priscae arti*) pristinae simplicitati, ubi tibia tenuis simplexque foramine pauco adspirabat choro (supr. v. 203.), adderet (*motum*) mimicos gestuum motus et luxuriosam magnificentiam, et per pulpita (*vagus*) huc illuc se promovens veste longa (syrmate) humum verreret. — *motus*, de corporis iactatione mimica, vel de saltatione; supr. Od. III, 6, 21: *Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo*; sic *motus dare*, pro: saltare, Virgil. Georg. I, 350. Liv. VII, 2. — et sic *moveri* infr. v. 232, pro: saltare. Supr. Epist. II, 2, 125: *Cyclopa movetur.* — *per pulpita*, per scenae solum tabulis stratum, cf. infr. ad v. 279.

v. 216. *Sic etiam*, sic etiam factum est, ut lyra, auctis fidibus, plures sonos ederet; *lyra* dicitur *severa*, quia *severa*, h. e. graviora et sublimiora canit. — Non puto enim, quod plures Interpretes putant, sermonem hic esse de lyrae in tragoediis usu, unde illa dicta sit *severa*, sed, postquam Horatius locutus est de novis dotibus, quibus *tibia* locupletata sit, eum, cum lyrae quoque, auctis fidibus, voces et soni multiplicati essent, in universum aliquid et separatim a re scenica in laudem lyrae vel poetarum lyricorum addere voluisse existimo. Egregie certe opinioni meae respondent sequentia.

v. 217. *facundia praeceps*, facundia poetae lyrici, praecipite quasi cursu ruens; hinc supr. Od. IV, 2, 5. seqq. de Pindaro: *Monte decurrens velut amnis — Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore.* — *tulit* (protulit), eloquium insolitum; hinc Horatius supr. Od. III, 25, 7. de se ipso: *Dicam insigne, recens, Adhuc indictum ore alio.*

Vtiliumque sagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit et asper
Incolumi gravitate iocum tentavit eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces

v. 218—219. *Vtilium sagax rerum* cett., et sententia, res utiles, sagaciter pervestigatas complectens, et divinitus praedicens futura, non discrepuit ab oraculis et vaticiniis, quae Delphis edebantur. Vaticinantur autem poetae lyrici, ut Horatius de se ipso, Od. II, 20. Epist. I, 20. et de aliis.

v. 220—250. *Praeceptum decimum quartum: Postquam ad Musam tragicam accessit Satyrus sive drama satyricum, licebit quidem poetae tragico in gratiam eorum, qui animi recreandi et exhilarandi causa spectatum veniunt, sales satyricos et dicteria adspergere, sed hac lege, ut gravitatem servet incolumem; ut suam cuique, quae inducitur, personae tribuat dignitatem; ut sermo neque nubes et inania captet, neque ad humilitatem et sordem deprimatur; ut rei de medio sumtae orationis serie et iunctura honor accedat; ut immunda et ignominiosa dicta exterminentur.*

v. 220—24. *Carmine qui tragico* cett. Sensus, ut mihi videtur, est: Poeta tragicus mox etiam tragoediis immiscuit sales satyricos, eo quidem consilio, ut spectatoribus, qui delectari cupiunt, hac grata novitate satisfaceret. Horatius sequitur eos, qui originem vocis *tragoedia* a graeca voce τράγος (hircus) et ᾠδή (cantus) repetunt; — *hircum* scilicet accipiebat, qui in solemni carminis tragici decantandi certamine vicerat.

v. 221. *nudavit*, eleganter pro: induxit; Satyrorum levitatem et lasciviam versibus Satyricis exprimendo et denudando. — *asper*, acerbus in eos, quos iocose dictis urere tentavit. Supr. Epod. VI, 11: *in malos asperrimus*. Cic. pro Planc. c. 14: *asperioribus facetiis perstringere.*

v. 223. *morandus*, detinendus, advertendus, oblectandus, ut supr. Epist. I, 13, 17. et infr. v. 321.

v. 224. *funct. sacr.* — *fungi sacris* pro quavis rei severioris administratione positum videtur; similiter v. 212: *liber laborum.* — *exlex*, nulla omnino re, quae vetet eum frequentare spectaculum, prohibitus; ad illa tempora, cum nondum essent leges theatrales, cum *Gesnero* referre nolim.

v. 225—230. *Verum ita risores* cett. Sensus: Verum decebit poetam tragicum ita in partes vocare satyram, et seriis admiscere ludicra, ne vel deus vel heros aliquis in scenam productus, et (*nuper*) modo regali magnificentia conspectus, aut ad humiliora dicteria, qualia in obscuris tabernis audiuntur, descendat, aut, dum humiliora refugit, ad altiora sese attollat et inania captet in nubibus.

v. 225. *risores — dicaces Satyri* pro: Satyra, quae alios deridet et acute dictis pungit. — *commendare*, sc. spectatoribus et aequis tragoediae aestimatoribus. *Commendare* iam aliquid dicuntur, qui faciunt, quod rectum est.

Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne, quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna tragoedia versus,
Vt festis matrona moveri iussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo,
Nec sic enitar tragico differre colori,

v. 226—230. *vertere seria ludo*, seria in ludum vertere, commiscere seria cum ludo. — *nubes et inania captet*, — *et* iam est particula explicativa pro: scilicet, id est; (cf. supr. ad Od. I, 2, 16.) nam qui captat nubes, captat inania.

v. 231—233. *Effutire leves* cett., non decet tragoediam saepe et larga copia effutire levioris argumenti versus, sed ea paulum pudibunda raro tantum inter satyros versabitur, h. e. raro admittet satyrae lasciviam, sicuti matrona festis diebus tantum, h. e. raro saltat. — Suavissima est haec tragoediae severae, passim tantum satyrae protervitati locum relinquentis, cum matrona diebus festis tantum saltante comparatio!

v. 231. *Effutire*, de versibus inconsiderantius et largiore copia profusis; — *indigna effutire* (οὐκ ἄξια ἐκλαλεῖν), graece pro: non digna, quae effutiat, h. e. quam non decet effutire; quia hoc infra eius dignitatem est positum. — Quem non decet aliquid facere, vel qui non debet aliquid facere, is *indignus, qui id faciat*, dicitur; supr. Epist. I, 3, 35: *indigni* (vos dedecet) *fraternum rumpere foedus.* Terentius Eunuch. V, 2, 26: *Nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus, qui faceres, tamen.* — *leves*, satyricos.

v. 232. *moveri*, saltare; vid. paulo ante ad v. 214. — *iussa*, nos: *aufgefordert.*

v. 233. *Intererit Satyris*; non, ut *Lambinus* et, qui eum secuti sunt, male explicant: „*differet paululum a Satyris,*" sed: immiscebitur Satyris.

v. 234—239. *Non ego* cett. Iam Horatius, postquam satyram in tragoedia quoque locum certis finibus circumscriptum habere docuit, ipse sibi, ut poetae satyrico, exsequendas partes proponit atque demandat. — *inornata*, propria, non elegantiore significatione usurpata; — *dominantia*, penes quae ob communem eorum apud omnes usum est quasi dominatio, vulgaria.

v. 235. *Satyrorum scriptor*, ergo *satyri* in antecedentibus aperte pro versibus Satyricis positi sunt. — *amabo*, amplectar; supple: sed etiam ornatiora (elegantiora) et minus vulgaria.

v. 236—239. *Nec sic enitar* cett. Nec ego a sublimiore loquendi genere tragico ad eam in sermonibus, quos compono, satyricis loquendi hu-

Vt nihil intersit, Davusne loquatur et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni,
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet!
Tantum de medio sumtis accedit honoris!
Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni,
Ne, velut innati triviis aut pene forenses,
Aut nimium teneris iuvenentur versibus unquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta:

militatem descendam, ut in nullo plane ponam discrimine, utrum inferioris conditionis servus vel ancilla, an Bacchi custos famulusque, Silenus, loquatur. — *tragico differre colori*, — *color tragicus*, indoles loquendi generis, quo utuntur poetae tragici, oratio scilicet sublimior; *differre alicui rei*, pro vulgari: ab aliqua re, ut supr. Sat. I, 4, 48. Epist. I, 18, 4. — *nisi quod pede certo Differt sermoni*. — *Davusne loquatur*, servus Terentianus, cf. supr. ad v. 114.

v. 238. *Pythias*, ancilla, ut observat *Vet. Schol. Cruq.* apud Lucilium. — *Sim.*, — *Simo*, heri vel domini non apud Terentium tantum, sed etiam, ut videtur, apud Lucilium nomen. — *emuncto*, callide circumvento; locutio comica apud Plautum et Terentium *emungere aliquem*, pro: callido invento fraudare aliquem pecunia, explicari fortasse potest sic: supra Sat. I, 4, 8. Lucilius dicitur homo *emunctae naris*, h. e. homo acutus, vide ibi not.; *emungere aliquem* est *nares alicuius emungere*, translate igitur: fraude et damno reddere aliquem acutiorem et circumspectiorem.

v. 239. *Silenus*, Bacchi paedagogus, administer, et in eius itineribus asino vectus comes; longe igitur Silenus ab inferioris conditionis servo differt.

v. 240—243. *Ex noto fictum carmen sequar* cett., versabor quidem, cum satyram scribo, in re nota et de medio sumta, ita quidem, ut quivis, se idem facili negotio facere posse opinetur, sed frustra eidem rei recte tractandae insudabit; tam multum ab orationis bene dispositae et scite inter se iunctae flumine laus scriptoris pendet; tam multum valet ars, qua rebus vulgaribus paratur honor, h. e. pulchritudo, elegantia. gravitas.

v. 242. *iuncturaque*, hinc apta verborum *iunctura*, supr. v. 48. dicitur *callida*, unde Persius V, 14: *iunctura callidus acri*.

v. 244 — 250. Horatius in versibus sequentibus sententiam, quam supr. v. 227. seqq. in universum expresserat, nunc, ut satyrarum scribendarum doctor et iudex, repetit, variat, illustrat, et tanquam rem graviorem inculcat. Hinc in v. 244. consulto addidit: *me iudice*. — *Fauni silvis deducti*, iidem, qui Satyri. Ovid. Met. VI, 392: *ruricolae, silvestria numina, Fauni, Et Satyri fratres*. — *Fauni caveant*, Satyrarum scriptores caveant. — per *pene*

Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et res,
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,
Pes citus: unde etiam trimetris adcrescere iussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi, non ita pridem,

forenses, v. 245. Hor. designasse videtur iuvenes in foro declamatores, exquisitiores loquendi formulas, vel, ut Petronius loquitur, mellitos verborum globulos captantes. — Quicquid sit, *pene forenses* aperte opponuntur iis, qui *triviis innati* sunt, h. e. plebeculae; *pene forenses* versu sequente *teneris versibus iuvenari* (νεανιεύεσθαι), h. e. molliter aut iuveniliter luxuriari, *triviis* vero *innati* versu proxime sequente *immunda et ignominiosa dicta crepare* dicuntur. Itaque pro: *ac pene forenses*, quamvis eam lectionem omnes Codd. et Editt. vett. et recentt. constanter servant, ex coniectura dedi: *aut pene forenses*, permotus partim nube exemplorum a *Drakenborchio* ad Liv. XXI, 53. §. 3. collectorum, ubi *aut* a librariis in *ac* depravatum est, partim exemplo *Bentleii*, qui supr. Sat. I, 6, 68. pro: *ac mala lustra* contra omnium Codd. et Editt. auctoritatem exhibuit, re flagitante, *aut mala lustra*.

v. 248. *quibus est equus, et pater, et res; equites, senatores et divites*, ut cultiores, opponuntur plebeculae; de *equitibus* cf. supr. Sat. I, 10, 76. Epist. II, 1, 185. et in hac Epist. v. 113.

v. 249. *fricti ciceris et nucis emtor*, est plebs, quae pro re tenui cicere et nucibus vesci solebat; cogitavit fortasse Horatius simul de malorum poetarum ineptis chartis, quae, quia eiusmodi merces iis amiciebantur, in manus plebis incidebant, vid. supr. Epist. II, 1, 269—270.

v. 250. donantve, sc. malum poetam corona laurea.

v. 251—274. *Praeceptum decimum quintum: Cum multum intersit, utrum poëmata modulata, an immodulata sint, utrum versuum numeri et pedes leniter et molliter decurrant, an ponderibus quasi gravati et impediti moleste incedant; versus non ad indignam illam, quae Romanis poetis data est, licentiam, sed ad exempla Graecorum componendi atque concinnandi sunt.*

v. 251—253. *Syllaba longa brevi* cett., elegantissima Iambi (◡ —) descriptio. — *Pes citus*, hinc recte vetus meus amicus *Mitscherlichius* supr. Od. I, 16, 24: *celeres Iambos* ad celerem eorum naturam refert. — *unde etiam* cett., ob hunc celerem decursum factum quoque est, ut Iambus senos Iambos appellari iuberet *trimetros Iambeos* (*cum senos redderet ictus*), quamvis senas percussiones redderet, quamvis esset senarius; — *trimeter*, constat tribus dupondiis, et dupondius (mensura duorum pedum) duobus pedibus. Facete autem Iambus, quod poetae iusserunt, ipse iussisse dicitur.

v. 254. *Primus ad extremum* cett., ab initio iambi in unoquoque versu a primo usque ad extremum se invicem excipiebant, sive totus versus

Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. Hic et in Accì
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Ennì
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operae celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata iudex,
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager scribamque licenter, ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,

a prima iamborum inventione puris iambis componi solebat.

v. 256. *stabiles*, eleganter spondei dicuntur *stabiles*, quia non saliunt curruntque, sicuti percitus Iambus, sed pondere suo retardati moras faciunt; — *in iura paterna*, in iura sibi soli adhuc propria, avita et haereditate quasi accepta.

v. 257. *Commodus*, officiosus, obsequiosus (nos: *gefällig*); ut supr. Od. IV, 8, 1. et Epist. II, 1, 227. — *non ut de sede sec.* cett., ita tamen, ut spondeo, in societatem suam recepto, neutiquam secundam aut quartam sedem cederet, ob singularem fortasse vim, qua ille ad aures in secunda et quarta sede accidit.

v. 258—261. *Hic et in Accì* cett., iam Horatius poetam latinum tragicum Accium et Ennium carpit, quod neuter eorum iambi in secunda aut quarta sede ponendi rationem habuerit; hic, ait, iambus in secunda et quarta sede raro et in Accii trimetris invenitur, idemque Ennii versibus, quia ex iis, spondeorum pondere laborantibus, pariter exsulat, aut nimiae festinationis ac negligentiae, aut artis poeticae turpem culpam contraxit. Caeterum Horatius spondeorum pondus versu 260. (*In scenam missos* cett.) ex meris spondeis composito, ut Virgilius in notissimo illo versu: *Illi inter sese magna vi brachia tollunt*, egregie expressit.

v. 263—268. *Non quivis* cett., hic locus, qui valde vexavit et exercuit interpretes, mutatis distinctionibus, bene mihi cohaerere videtur sic: „Non quivis quidem iudex, ut probe scio, immodulatorum poëmatum asperitatem et vitia sentit, et vere haec licentia, (*indigna*) quae non dari debebat, data est Romanis poetis; sed egone ideo solutius et licentius scribam (*tutus* scilicet), quia, (*ut*) licet sciam, omnes peccata mea visuros esse, a reprehensione tutus, et intra huius veniae spem (*cautus*) quietus et securus sum? Quid tandem effeci? (*culpam*) reprehensionem vitavi, non laudem merui." In versu 267. vocem *cautus* perperam interpretes explicant: qui sibi cavet et providet, providus; immo *cautus* iam est, cui cautum et provisum est, securus, tutus; exempla Ciceroniana vid. apud *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *cautus*.

Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
 Ignotum tragicae genus invenisse Camoenae
Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae, pallaeque repertor honestae
Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis,

Lucan. IV, 409: *cautus ab incursu belli.*

v. 268. *Vos exemplaria Graeca* cett. Vos, Pisones, nolite ex manibus deponere scriptores graecos, ut ab iis imbibatis virtutes, quas bonus scriptor sectari debet.

v. 271. *nimium patienter*, nimis indulgenter. Horatius passim tangit Plauti vitia; supr. Epist. II, 1, 58. nimiam festinationem ei exprobrat; cf. supr. in hac Epist. v. 54.

v. 272. *si modo ego et vos*, sit ita sane, dummodo ego et vos, Pisones, didicerimus lepida seiungere et discernere ab illepidis.

v. 274. *legitimumque sonum*, legitimos numeros et pedes. — *digit. call. et aure*, qui versus faciunt, tam digitos in numerandis et iungendis pedibus in partes vocant, quam aures consulunt.

v. 275 — 294. **Praeceptum decimum sextum:** *Cum scriptores Romani, qui summo studio Graecos, tragoediae inventores imitati iam res domesticas in scena celebrare coeperant, inciderent in vitium incuriae, negligentiae et festinationis; Horatius omnes, qui boni scriptoris laudem ad posteros propagare velint, vitium illud fugere, et, quicquid scribant, intentissima cura et summa diligentia emendare, expolire et climare iubet.*

v. 275. *Ignotum trag. genus inv. Cam.* cett. Thespis primus scripsisse dicitur tragoedias; sed *Boettigerus* in *Prolus. Quid sit docere fabulam*, (*Vimar.* 1795. p. 6.) artis dramaticae initia ad longe remotiorem, quam Thespidis, aetatem refert.

v. 276 — 278. *plaustris vexisse poëmata*, non poëmata tantum et ipse poeta cum aliquot histrionibus plaustris per compita urbis et vicorum vehebantur (vid. *Boettig.* in libello laud. p. 6.), sed plaustra quoque, quibus insternebantur tabulae, erant pro pulpitis. — *pers. pall. hon.*, *persona*, larva, quae opponitur histrionibus, ora faece oblita ostendentibus. De *personis* neminem legisse poenitebit *Boettigeri Prolusionem: de Personis scenicis vulgo larvis.* (*Vimar.* 1794.) — *palla honesta*, decora, dum illa syrmata per pulpita trahens regiam vel heroicam dignitatem quasi expandebat.

v. 279. *Aeschylus repertor*, poetarum enim erat, actores personis et vestimentis exornare; vid. *Boett.*

Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his Comoedia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit et vim,
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere Poetae:
Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unum-
Quemque Poetarum limae labor et mora. Vos, o

l. l. p. 14. — De Aeschylo erudite disputavit *Ill. Iacobs.* in praeclaro libello: *Beyträge zu Sulzer.* II. p. 397. — *modicis instravit pulp. tign.* — *tignis* est casus tertius. Subiectis non admodum amplis tignis imposuit pulpita, h. e. super mediocris magnitudinis tigna stravit solum, quo actores incederent.

v. 280. *Et docuit* cett. Quid sit *docere fabulam* (*διδάσκειν δρᾶμα*), et quam late haec locutio pateat, nemo melius et doctius exposuit *Boettigero* nostro in laudata *Prolusione scholastica.* Scilicet poetae dramatici non solum ipsi in fabulis, quas composuerant, partes suscipiebant, sed etiam caeteros actores exemplo, quo iis praeibant, ad artem demandatas partes decore, digne et concinne sustinendi conformabant, diligentemque in omni re scenica recte adornanda operam ponebant. — *magnumque loqui*, iam de sublimitate tragica, at supr. Sat. I, 3, 13: *magna loqui* de iactantia. — *nitique cothurno;* cf. supr. ad Od. II, 1, 12.

v. 281. *vetus comoedia*, cf. supr. ad Sat. I, 4, 1.

v. 282. *in vitium excidit*, abiit, degeneravit.

283. *Dignam lege regi*, quae debebat lege reprimi. Supr. v. 183: *Non tamen intus Digna geri* (quae debent intus geri) *promes in scenam.*

v. 284. *Turpiter* cett., postquam potestas vel licentia turpi petulantia nocendi aliorum famae sublata est lege, chorus obticuit. Si *turpiter* referendum sit ad *obticuit*, turpitudo ponenda est in eo, quod chorus, cum iussus esset abstinere iis, quae aliorum bonae famae nocerent, tacere, quam legi parere et honestiora sequi, maluit. — *ius* iam est potestas, facultas, licentia; exempla dedit *Forcellinus* in Lexic.

v. 286—288. *deserere vestigia Graeca*, recedere a fabularum argumentis, qualia Graeci tractabant. — *domestica facta*, res praeclare ab ipsis Romanis gestas. — *praetextas*, in quibus supremi ordinis viri, praetexta ornati, celebrabantur, — *togatas*, ubi res, quae agebatur, spectabat ad homines, simplicem togam tantum gestantes. — *docuere*, *ἐδίδαξαν*, vid. ad v. 280.

v. 290. *si non offenderet* cett., nisi diligentia, labor et tempus, quod elimandis carminibus impendendum est, unicuique poetarum res invisa, ingrata et molesta esset.

Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque
Praesectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, et excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.

v. 292. *Pompilius sanguis.* (*Vet. Schol.*) *Quia Calpus filius est Numae Pompilii, a quo Calpurnii Pisones traxerunt nomen.*

v. 293. *multa litura*, cf. supr. ad Epist. II, 1, 167. *coercuit*, ab iis, quae in reprehensionem incurrunt, cohibuit, h. e. emendando purgavit.

v. 294. *Praesectum ad unguem*, *unguis* enim praesectus vel praecisus mollius sentit asperitatem aliquam; imago translata est a statuariis, qui opus, quod laevigant et expoliunt, ne quid asperitatis in eo remaneat, unguibus percurrunt, pertentant et explorant; cf. supr. ad Sat. I, 5, 32. *Fea* lectionem *Perfectum*, pro: *Praesectum* ad fidem plurium Codd. revocavit, et eam contra *Bentleium* more suo defendit.

v. 295—308. *Praeceptum decimum septimum: Horatius, alienissimus ab eorum stultitia, qui poesin non arte et doctrina, sed solo ingenio et furore poetico metiuntur, mavult docere, quibus praesidiis futurus poeta instructus ad poesin accedere debeat, quam insanire cum insanientibus. Breviter igitur agit de virtutibus, quae ab eo, qui poetae nomine se dignum reddere vult, exiguntur.*

v. 295 — 298. *Ingenium misera* cett. Quia Democritus, plus ingenio, quam miserae arti tribuendum esse censens, eos, qui non insaniunt, a consuetudine cum Musis coercet, bona pars poetarum externo corporis cultu et moribus hominum oculos ad se advertere studet; non ungues desecandos, non barbam demetendam curat; recipit se in loca sola et secreta, et loca frequentia fugit. — *ars*, sive doctrina, quasi parum iuvet poetas, nisi *ingenium* accesserit, ab iis praecipue, qui unice iactare possunt ingenium, contemtim *misera* (nos: *armselig*) dicitur, uti fere supr. Sat. II, 8, 18. *divitiae* hominis avari *miserae.* — *sanos*, eos scilicet, qui non concitantur *furore*, h. e. spiritu et ingenio poetico. Commode in hanc rem iam *Lambinus* attulit locum Ciceronis Divinat. I, 37: *negat enim, sine furore, Democritus, quemquam magnum poetam esse posse.* Idem de Orat. II, 46: *Saepe enim audivi, poetam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris;* cf. Aristot. Poet. c. 16. — *Helicone*, cf. supr. Epist. II, 1, 218.

v. 298. *secreta petit loca*, nam ut Ovidius (Trist. I, 41.) canit: *carmina secessum scribentis et otia quaerunt.* et sic Simonides, carmen scripturus, *secretum petiisse* dicitur apud Phaedrum Fab. IV, 24, 5. *balnea*, ubi frequens erat hominum conventus. — Poterat Horatius addere: „vinum bibit.“ Supra enim Epist. I, 19, 2. sqq. esse, ait, qui

Nanciscetur enim pretium nomenque poetae,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata; verum
Nil tanti est; ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi:
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo:
Vnde parentur opes; quid alat formetque poetam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
  Scribendi recte sapere est et principium et fons:

modo largiore vini haustu conceperint furorem, se pulchre poetae partes explere posse opinentur.

v. 299 — 300. *Nanciscetur enim* cett. Scilicet, dummodo barbam aliquis promiserit, et iustam laudem (*pretium*) et nomen poetae accipiet; particula *enim*, ut *scilicet*, *videlicet*, *nimirum*, *credo*, ironiae inservit; vulgarem locutionem: barbam promittere, egregie et multo adsperso sale Hor. amplificat; insanum poetam vocat *caput*, cui sanando vix helleborum vel in tribus insulis, si tres essent, Anticyris natum sufficeret, qui caput vero nunquam tonderi patitur, (qui barbam promittit) facete illud *nunquam tonsori committere* dicitur; obiter simul carpere Hor. videtur tonsorem quendam *Licinum*, qui, ut narrat *Vet. Schol. Cruq.*, „*quod odisset Pompeium*, *a Caesare senator factus dicitur.*" Affert idem *Schol.* inscriptionem, Licini sepulchro superadditam, hanc: *Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo; Pompeius parvo; quis putet esse deos?*

v. 301 — 308. *O ego laevus* cett. Hunc locum nunc ita interpretor; — Sensus: O me stultae mentis hominem! quod ego, ne furore corripiar, tempore verno bilem purgo; nam si furore (nempe poetico) me corripi paterer, non alius poeta in carminibus decantandis me vinceret; verum enim vero sana mente nihil mihi est pretiosius, nihil praestantius; hac ego, veluti cote, quae ferrum acuit, ad acuendos poetas utar, qualem se praestare debeat bonus poeta, ante oculos positurus.

v. 305. *exsors ipsa secandi*, accommodate ad imaginem a *cote* ductam; *cos* acutum tantum reddit ferrum, non ipsa secat; Horatius futuros poetas acuere tantum, non ipse versus componere vult.

v. 306. *munus* et *officium* sc. partes boni poetae explendi.

v. 307. *opes*, rerum copia, ubertas, materies. Supr. Epist. II, 2, 121: *fundet opes.*

v. 309 — 332. *Praeceptum duodevigesimum: Qui homines, quales sunt, recte describere, et rem, de qua acturus est, veris coloribus adumbrare vult, eius animo, quae cuiusque aetatis, loci et ordinis homini conveniunt, obversari, et quae cuiusque rei conditioni, sorti et naturae propria sunt, informata esse debent. Exemplo in hac quoque re esse possunt Graeci, verae laudis avari. Nam Romani in numeranda*

Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae:
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,

potius, quam avide cumulant, pecunia, quam in fingendis, quae aetatem ferant, carminibus occupati tenentur.

v. 309. *Scribendi recte* cett. sapientia et ars recte, ut scribi debet, scribendi a bono poeta exigitur.

v. 310. *Rem* cett., materiem suppeditare tibi poterunt scripta Socratis; — *charta* pro eo, quod in charta scriptum est; sic supr. Epist. II, 1, 161. *chartae graecae.* Od. IV, 8, 21: *Si chartae sileant.* Catull. I, 6: *Omne aevum tribus explicare chartis*, ubi vid. not.

v. 311. *provisam rem*, antea exploratam; qui rem, de qua scripturus est, bene explorare, examinare, perspicere et animo complecti studuit, cum *non invita verba sequentur*, ei non deerit oratio.

v. 314 — 315. *quae Partes*, sc. sint; quomodo dux, in bellum missus, demandatas sibi partes exsequi debeat.

v. 316. *Reddere*, dare, attribuere.

v. 318. *Doctum imitatorem*, — *imitator* iam est, qui in describendo hominum ingenio versatur, eosque, quales sunt, imitando exprimere studet; is igitur (*exemplar vitae morumque*) homines, ut vere vivant, sentiant et se gerant, respicere, observare et ante oculos habere, et inde veram eorum imaginem adumbrare debet; — per *veras voces* intellige veram descriptionem; lectionem *vivas* pro: *veras*, a *Bentleio* prolatam, frustra probarunt plures; *viva* enim *vox* (λόγος ἔμψυχος), quam auribus percipimus ex ore loquentis, opponitur scriptis, et iis, quae leguntur; nec *Bentleius* idoneum exemplum, quo muniret receptam lectionem, proferre potuit.

v. 319—320. *speciosa locis*, conspicua et locuples sententiis et rebus, quas tractat; *fabulae* enim *speciosae locis* opponuntur in v. 322. *versus rerum inopes. Speciosus* (εὐπρεπής) in bonam partem transfertur ad orationis ubertatem. Quinctil. Instit. Orat. V, 14: *Locuples et speciosa vult esse eloquentia*, sc. ut advertat et sibi conciliet auditorum animos. — *morataque recte*, in qua recte et vere expressi sunt mores hominum, recte ad mores hominum composita. Supr. Epist. II, 2, 116: *speciosa vocabula rerum.*

v. 321. *Valdius*, ut supr. Epist. I, 9, 6. — *moratur*, detinet, capit.

Quam versus inopes rerum, nugaeque canorae.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris:
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini: Si de quincunce remota est
Vncia, quid superet? Poteras dixisse: Triens. Eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?
Semis. An, haec animos aerugo et cura pecul̂i
Cum semel imbuerit, speramus, carmina fingi
Posse linenda cedro, et levi servanda cupresso?

Supr. Epist. I, 13, 17: *Carmina, quae possint oculos auresque morari Caesaris.*

v. 322. *canorae*, in metrum redactae.

v. 323. *ore rotundo*, e quo fluit oratio rotunda, h. e. bene polita, apta, concinna et omnis asperitatis expers. Supra Sat. II, 7, 86. sapiens dicitur *teres atque rotundus*, *Externi ne quid valeat per leve morari.* Ductum est a terete et rotundo globo vel sphaera, ita laevigata, ut nihil in ea asperitatis restet. Apud Ciceronem Brut. 78: *rotunda constructio verborum.*

v. 324. *nullius*, sc. alius rei.

v. 325—329. *Romani pueri* cett. Nexus: Romani pueri a tenera inde aetate non bonarum literarum initiis, sed rationum subducendarum arte imbuuntur; id statim probabo; adsit Albini, divitis foeneratoris, filius; dicat: — *Si de quincunce* cett. *As* in duodecim partes sive uncias dividitur; 1) una pars dicitur *una uncia*; 2) *sextans* (sexta pars assis), duae unciae; 3) *quadrans* (quarta assis pars), tres unciae; 4) *triens* (tertia assis pars), quatuor unciae; 5) *quincunx*, quinque unciae; 6) *semis* (quasi *semissis*), sex unciae; 7) *septunx*, septem unciae; 8) *bes*, octo unciae; 9) *dodrans*, novem unciae; 10) *dextans*, decem unciae; 11) *deunx*, undecim unciae; 12) *as*.

v. 328. pro: *superat* cum *Bentleio* et aliis dedi: *superet*, quod postulat oratio. — *Poteras dixisse*, vix ipse puer ita respondere poterat; responderat fortasse puer *quatuor*; Horatius id probans et capite annuens addit: vel (*dixisse poteras*) *triens*; nomine scilicet suppeditato, quo insigniuntur in ratiocinandi arte sive arithmetica quatuor unciae.

v. 329. *Rem — tuam*, sc. familiarem. — *Redit uncia*, accedit ad *quincuncem*, sive ad quinque uncias una uncia.

v. 330—331. *aerugo*, turpis avaritia et rem augendi cupiditas dicitur *aerugo*, quia, sicut haec aeri, ita avaritia tam tenaciter insidet animis, ut inde eradi et evelli nequeat. — *imbuerit*, infecerit, occupaverit, obsederit.

v. 332. *lin. cedr.* cett., digna, quae saturentur oleo cedrino, et serventur in arca, e laevigatis tabulis cupressinis constructa, ne fiant blattarum et tinearum epulae? (*Vet. Schol.*)

Aut prodesse volunt, aut delectare poetae,
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Quicquid praecipies, esto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
Nec, quodcunque volet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.

Libri, qui aut cedro illinuntur, aut arca cupressina inclusi sunt, a tineis non vexantur.

v. 333 — 365. *Praeceptum undevigesimum: Horatius poetae recte et prudenter in poesi versaturo, sive ei carmina didactica, sive ludicra et iocosa scribere placeat, primum commendat* 1) *studium brevitatis, ne lectoris animus verborum multo strepitu et magna vi cadentium copia obruatur atque oneretur, sed dicta cito percipiat, et facile teneat;* 2) *studium probabilitatis, ne res, quae omnem fidem superant, fingendo contra πιθανόν peccet;* 3) *studium eius curae, qua utilia et iucunda scite inter se iungi et bene temperari debeant. Deinde monet poetas, ut in aliorum carminibus, ubi plura nitent, imbecillitatis humanae memores paucas maculas, praecipue in longo opere, quale sit Homeri, leni aequoque animo ferant, et ea tantum, ubi plura obscura, absurda et ridicula sint, risu et contemtu digna habeant. Denique poesin cum duabus picturis, quarum altera, si propius stat, magis capit, altera, si longius remota conspicitur, egregie ad rem comparat.*

v. 333 — 334. *Aut prodesse* cett., poetae aut carmina sua graviorum sententiarum luminibus, ut prosint, distinguere (quod spectant praecipue poetae dramatici), aut leviora et iucundiora (e. c. *res amatorias*) tractando lectorum vel spectatorum animos exhilarare, delectare et suaviter afficere cupiunt, aut utrumque coniungunt. — *idonea vitae*, utilia cognitu, haud *frugis expertia* (v. 341.).

v. 335. *cito dicta*, apta brevitate proposita.

v. 336. *ten. fid.* — *fideles* (πιστοί) iam dicuntur, qui, quod didicerunt, fideli cura recondunt memoria.

v. 337. *Omne supervacuum* cett., omnia, quae sunt superflua, non influunt in pectus iam plenum et exsatiatum, sed ab eo respuuntur. Ductum a vase pleno, in quod nihil amplius infundi potest.

v. 339. *Nec, quodcunque volet* cett., nec fabulae auctor rebus quibuscunque a se pro animi arbitrio fictis fidem haberi poscat.

v. 340. *Neu pransae Lamiae* cett. neu fingat, puerum, a Lamia devoratum, vivum eius alvo extractum esse; quis enim hoc credat? — *pransus*, active, qui prandens cibum in ventrem demisit; supr. Sat. I, 6, 127: *Pransus non avide.* — *Lamia*, (*Λαμία*, *Μορμώ*, vid. *Valck.* ad Theocr. Adoniaz. p. 348.) monstrosa mulier, cui modo haec, modo illa

Centuriae seniorum agitant expertia frugis;
Celsi praetereunt austera poëmata Ramnes:
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret aera liber Sosiis; hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens,
Poscentique gravem persaepe remittit acutum;
Nec semper feriet, quodcunque minabitur, arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?

species affingitur; eam venturam, et obstinatae mentis infantes devoraturam esse, terroris illis incutiendi causa, aiebant nutrices.

v. 341. *Centuriae seniorum*, pro simplice: seniores; *centuria* enim de multitudinis alicuius numero haud finito. — *agitant*, exagitant, derident.

v. 342—343. *Ramnes*, vel *Ramnenses*, una trium decuriarum, in quas a Romulo descripti sunt equites. Livius I, 13: *Eodem tempore et centuriae tres equitum conscriptae sunt, Ramnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Tatienses; Lucerum nominis et originis causa incerta est.* — *Celsi*, elati, erecto capite, incessu et toto corporis habitu superbiam sive confidentiam ostendentes; vid. *Duker.* ad Liv. XXX, 32. — *praetereunt*, nihil morantur, nihil curant; apposite de *celsis*, qui, quos salutare debebant, praetereunt. — *austera*, non delectantia. Horatius vult dicere: seniores carmina ludicra et nihil utilitatis praebentia, iuniores carmina severioris argumenti contemnunt. Hinc addit: *Omne tulit punctum*, omnium tam seniorum, quam iuniorum suffragia; de voce *punctum* vid. supr. Epist. II, 2, 99.

v. 345. *Hic liber*, qui et delectat et monet lectorem, *aera meret*, multum lucri parat, *Sosiis*, bibliopolis; vid. supr. ad Epist. I, 20, 2. — *hic et mare transit*, hinc Horatius, de suo ipsius libro vaticinans, supr. Epist. I, 20, 13: *Aut fugies Vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.*

v. 346. *noto* celebrato. — *prorogat*, extendit.

v. 349. *grav. pers. rem. acut.* — *Gesnerus* culpam falsi soni in chordam aut nimis aut parum tensam confert. Sed sermo est de errore, cui optimus quisque obnoxius est. Fieri enim potest, ut optimus quisque citharoedus chorda aliqua *nonnunquam* oberret; at, (v. 356.) *chorda qui semper oberrat eadem, Ridetur.*

v. 350. *Nec semp. fer., quodc. min. arcus*, nec unusquisque ictus, quem arcus minabitur, vere feriet id, ad quod feriendum dirigebatur, sed nonnunquam a meta aberrabit.

v. 352. *fudit*, adspersit, illevit, eleganter et accommodate ad *maculas*, tanquam rem fluidam.

v. 353—365. *Aut humana par.*

Vt scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; et citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terque bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus?
Verum operi longo fas est obrepere somnum.
Vt pictura, poesis erit, quae, si propius stes,
Te capiet magis, et quaedam, si longius abstes;
Haec amat obscurum, volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen:
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.

cavit nat., aut humana imbecillitas non satis evitavit. — *Quid ergo est?* cett. Sensus et nexus huius paulo impeditioris loci videtur esse hic: Quid igitur de vitiis poetarum statuendum esse videtur? qui multum peccant, reprehendendi, qui raro in errorem aliquem se induci patiuntur, iis ignoscendum est. (*Vt scriptor, si peccat.*) Quemadmodum scribae (*scriptori librario*), si is, quamvis est reprehensus, in iisdem verbis describendis peccat, haud ignoscendum est, et quemadmodum citharoedus, qui semper eadem chorda oberrat, se deridendum praebet, sic mihi ille poeta, qui scatet vitiis, fit alter quasi Choerilus, quem, praeterquam (*cum risu*) quod multa eius vitia rideo, simul miror, si nonnunquam bene canit; nihilominus tamen idem ego, qui miror adeo eum, qui bis terve tantum se bonum poetam praebet, ego, inquam, qui paucis maculis in carmine, ubi plura nitent, non offendi debebam, indignor, quando bonus Homerus dormitat? quamquam aequitas omnino postulat, ut ei, qui longo operi intentus nonnunquam dormitat, ignoscam.

v. 354. *scriptor librarius*, scriba. Varro de R. R. III, 2: *Scriba librarius, libertus eius, qui apparuit Varroni.*

v. 357. *qui multum cessat*, peccat; cf. supr. ad Epist. II, 2, 14. — *Choerilus*, vide de eo ad Epist. II, 1, 233. *Choerili* fragmenta collegit deque eius vita atque scriptis docte disputavit *Naeke*, Hal. Sax. 1812.

v. 358. *cum risu miror*, rideo vitia, et miror simul bona; ad risum enim, eo excitatum, quod malus poeta versus quoque aliquot bonos facere potuerit, equidem referre nolim.

v. 359. *quandoque* pro simplice: quando, ut supr. Od. IV, 1, 17. et Od. IV, 2, 34. et passim.

v. 361—365. *Vt pictura, poesis; erit, quae*, cett. Sensus: Vt pictura, ita est poesis, sive poesis similis est picturae; erit pictura, quae comminus, et erit, quae eminus te magis capiet; haec *obscurum* (τὸ σκοτεινόν), h. e. umbram, illa lucem magis amat, nec (*argutum*) subtile iudicis acumen reformidat; quae remotior ab oculis placet, minus for-

O maior iuvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi: consultus iuris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalae, nec scit, quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poetis
Non homines, non dî, non concessere columnae.

tasse in propinquo placebit; at quae, si diligentius eius artem in propinquo consideraveris, delectat, et nunc et semper delectabit; sic res se habet cum carminibus; carmina, quae nondum diligentius explorata e longinquo quasi placent, minus fortasse placebunt penitius in propinquo cognita; carmina autem in luce posita et ab acuto iudice lustrata et probata, et nunc et semper plausum ferent.

v. 362. *long. abst.* — *abstare*, remotius a loco aliquo stare; eodem verbo usus est Horatius supr. Epist. I, 18, 58.

v. 366 — 390. *Praeceptum vigesimum: Ne poeta in mediocritate acquiescat! Ferri quidem potest et locum habet in certis quibusdam disciplinis mediocritas, exempli causa in iurisprudentia; potest enim aliquis esse bonus et laudatus Iurisconsultus, quamvis in iuris scientia haud excellat, et multo inferior sit iis, qui summa laude in iurisprudentia exsplendescunt; non ita in poesi; mediocribus esse poetis Non homines, non dî, non concessere columnae. — His de mediocritate, in poesi haud ferenda, praemissis, Horatius Pisonis filium, natu maiorem, qui minari videbatur carmina, ima mente recondere iubet haec: ut nihil dicat faciatque invita Minerva: ut, si quando ad carmina scribenda animum appulerit, se scribentem et Tarpae et Horatii consiliis regi patiatur: ut carmina, quae semel emissa revocari et immutari nequeant, in scrinio reposita in nonum annum premat.*

v. 367 — 368. *per te sapis*, ipse sapienter iudicas. — *hoc tibi dict. Tolle memor*, hoc a me tibi dictum accipe et memori animo serva. — *medium et tolerabile*, mediocria et propter utilitatem toleranda et admittenda.

v. 369 — 370. *cons. iuris et act. Caus.*, cum iurisconsultus a causarum actore non discrepet, *et* pro particula explicativa (ut supr. 230. *nubes et inania*) habenda est.

v. 371. *Messalae*, de M. Valerio Corvino Messala, cf. supr. ad Sat. I, 10, 29. et *Heyn.* ad Tibull. I, 3, 1. — *Cascellius Aulus* iurisprudentia tum maxime conspicuus; vid. Val. Max. VIII, 12, 1. et *Fea* ad h. l.

v. 372. *mediocribus esse poetis*, graeca constructio, vid. supr. ad Sat. I, 1, 19.

v. 373. *columnae*, bibliopolae, qui ad columnas porticuum libros venales habebant; supr. Sat. I, 4, 71: *Nulla taberna meos habeat neque pila libellos*, ubi vid. not. et *Fea* ad

Vt gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver
Offendunt, poterat duci quia coena sine istis:
Sic animis natum inventumque poëma iuvandis,
Si paulum a summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae discive trochive quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit, versus tamen audet fingere! Quidni?
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni!

h. l. Repudiabant autem bibliopolae mediocrium poetarum carmina, quia, qui illa emerent, non inveniebant.

v. 374 — 378. *Vt gratas inter mensas* cett. Quemadmodum convivae in splendido convivio vel symphonia discorde, vel crasso unguento, vel insipido papavere inter lautas epulas apposito, offenduntur, ita animi lectione carminum, quae a sublimitate ad humilitatem, a summa dignitate ad imam indignitatem descendunt, fastidio afficiuntur.

v. 375. *crassum*, non liquidum, sed coagulatum et rancidum. — *papaver*, Plin. H. N. XIX, 8. Sect. 53: *Papaveris sativi tria genera. Candidum, cuius semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur.* — *Sardo cum melle*, (*Vet. Schol.*) *Corsicum et Sardum mel pessimi saporis*; herbae enim admodum amarae nascebantur in Sardinia; hinc Virgil. Eclog. VII, 41: *Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis.*

v. 376. *duci*, in multam noctem produci, extrahi, uti fieri solebat in splendidis conviviis.

v. 379 — 380. *Ludere qui nescit* cett., qui non didicit tractare arma, quibus iuvenes ludunt et se exercent in campo Martio, iis abstinet; de his ludis et exercitationibus gymnasticis cf. supr. Od. I, 8., ubi de *disco* vid. ad v. 11., et de *trocho* ad Od. III, 24, 57. — *Indoctus pilae* (ἄπειρος σφαίρας) *quiescit* (κάθηται), neque pilae, neque disco manus admovet.

v. 381. *spissae coronae*, condensae spectatorum ludentes cingentium catervae; *spissa sedilia* supr. 205. et *spissa theatra* Epist. I, 19, 41. — *impune*, liberius, quis enim risores coerceat?

v. 382. *Qui nescit*, sc. versus fingere, ideoque ab iis fingendis abstinere debebat, tamen versus fingere audet.

v. 383 — 384. *praes. cens. equ. Sum. num.*, praesertim si *census* est *summam equ.* (graece cum accus. pro: secundum summam equ.), h. e. praesertim, si est homo dives et possidet summam nummorum, (quadraginta millium aeris) quantum eques Romanus possidere debebat. — *census*, in particip. passim apud Cic. et Liv. — *vitioque remotus ab omni*, purus et insons, ut Horat. supr. Sat. I, 6, 69. loquitur.

Tu nihil invita dices faciesve Minerva;
Id tibi iudicium est, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat iudicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.
Silvestres homines sacer interpresque deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones:

v. 385. *invita Minerva*, Cic. Offic. I. c. 31: *quia nihil decet invita (ut aiunt) Minerva, id est adversante et repugnante natura.*

v. 386. *Id*, tale, tam rectum, — *ea*, talis, tam sana. — *olim*, nos: *irgend einmal.*

v. 387. *Metii* — *Spurii Metii Tarpae*, de quo vide supr. I, 10, 38.

v. 389. *intus*, in scrinio, in penetralibus; supr. Epist. II, 2, 114: *Et versentur adhuc intra penetralia Vestae.*

v. 390. *nescit vox missa rev.*, supr. Epist. I, 18, 71: *Et semel emissum volat irrevocabile verbum.*

v. 391—418. *Argumentum. Postquam Horatius praecepta, ad quae dirigendum sit poeseos studium, in medium protulit sapientissima, nunc, quid ab antiquissimis inde temporibus effectum sit carminibus, enarrat, et breviter, sed mira suavitate, poeseos laudes* (ut supr. Epist. II, 1, 118. seqq.) *celebrat. — Orpheus feros et rudes homines, avertendo eos a caedibus et foedo victu, mites reddidit; Amphion homines consociatos, ut muris Thebanis exstruendis manus admoverent, dulcissimo testudinis sono permovit; alii deinde, sapienter carminum ad animos deliniendos vi usi, multum ad condenda oppida et ad civitates morum disciplina et legibus temperandas contulerunt; post hos Homerus et Tyrtaeus pectora hominum fortitudinis sensu inflammarunt: carminibus denique oracula edita, regum gratia captata, et fabulae dramaticae compositae sunt. — Dum Hor. de honore et laude poetarum agit, saepe quaesitum esse addit, utrum ingenio, an arte hic honor et haec laus acquiri possit. Horatius respondet: neutrum per se sufficere, sed ad artem ingenium, et ad ingenium artem accedere, sive artem cum ingenio, et ingenium cum arte amice conspirare debere, nec quemquam, licet bono ingenio instructus sit, nisi illud a puerili inde aetate studiosissime exercuerit, acuerit, et larga doctrinae copia locupletaverit, boni poetae laudem et honorem consequi posse.*

v. 391. *Silvestres*, inter feras in silvis degentes. — *sacer*, ut filius Apollinis et Calliopes, — *interpres deorum*, quasi a diis ipsis, quae caneret, accepisset; et sic sensu proprio dici poterat *vates divinus.*

v. 392. *victu foedo*, vescebantur enim silvestres homines radicibus, glandibus (*Glans aluit veteres.* Tibull. II, 3, 71.) cett.

v. 393. *ob hoc*, Horatius ipse causam, ex qua Orpheus *tigres et leones lenire* dictus sit, aperit; ex feritate scilicet homines ad cultiorem vitam traduxit.

Dictus et Amphion Thebanae conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere, quo vellet. Fuit haec sapientia quondam:
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit; dictae per carmina sortes,
Et vitae monstrata via est; et gratia regum
Pieriis tentata modis: ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori

v. 394. *Amphion*, filius Iovis ex Antiopa, frater Zethes, (Epist. I, 18, 41.) lyra a Mercurio accepta lapides, ut eorum quisque sponte locum suum in excitandis muris Thebanis occuparet, canendo movisse dicitur. Supr. Od. III, 11, 2: *Movit Amphion lapides canendo.* Movit scilicet Amphion (*blanda prece*) blandis carminibus vel blanda allocutione homines, qui lapides comportarent, et suam cuique sedem in novo muro adsignarent.

v. 396. *Fuit haec sapientia* cett. Poetarum studio et opera sapienter quondam institutum est, publica bona a privatis disterminare, et sacra a profanis distinguere.

v. 398. *prohibere*, sc. maritos; saepe enim apud Horatium aut ex praecedentibus aliquid repetendum, aut ex subsequentibus advocandum est.

v. 399. *ligno*, ligneis tabulis, cum nondum essent aereae.

v. 402. *Tyrt.* — nobilissimi poetae Atheniensis, *Tyrtaei*, qui post Homerum vixit, quatuor tantum Elegiae (in quibus militum animi ad pulchram mortem pro patria obeundam accenduntur) aetatem tulerunt. — *mares*, viriliter sentientes; sic supr. Epist. I, 1, 64. Curius et Camillus *mares* dicuntur.

v. 404—406. *Et vitae monstr. via est*, sc. a poetis, qui praecepta morum tradiderunt. — *et gratia regum Pier. tent. mod.*, et poetae coeperunt id agere, ut (*Pieriis modis*) carminibus se insinuarent in regum gratiam; *tentare gratiam alicuius* est: periculum facere, an parari possit alicuius gratia. — *regum*, possit cogitari de Alexandro Magno, qui (ut refert Cicero pro Arch. Poet. c. 10.) *multos scriptores rerum suarum secum habuisse* dicitur, sed Horatius ad antiquiora tempora respexit. — *ludusque*, ludi scenici, quibus post finita longioris temporis opera ad corpus et animum levandum interesse solebant rustici; hi ludi igitur rusticis *operum longorum* sunt *finis*, et quidem post messem,

Sit tibi Musa lyrae solers, et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude, quid possit, video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit;
Abstinuit Venere et vino: qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
Nec satis est dixisse: „Ego mira poëmata pango:

vel apud Romanos mense Decembri. Supr. Epist. II, 1, 141: *Agricolae prisci, fortes parvoque beati, Condita post frumenta levantes tempore festo Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem.* Equidem in particula *Et* v. 406. vitium latere suspicor. Quis enim commode dicat: *et ludus est repertus, et finis longorum operum est repertus.* Immo verba *longorum operum finis* per appositionem sunt addita, pro: *scilicet*, vel *qui esset longorum operum finis.* Itaque pro *Et* in v. 406. legendum mihi videtur *Est longorum operum finis;* nec offendere debet repetita vox *est*, quae saepius citra necessitatem repeti solet.

v. 407. *Musa lyrae solers*, lyrae cum arte tractandae sciens et perita, Musa lyrica, et haec pro studio, quod componendis carminibus lyricis impenditur, — *cantor Apollo*, qui arti canendi praeest. *Cantoris* nomine insignitus conspicitur *Apollo* in vett. numm.

v. 410. *possit*, sc. efficere, vel pro: valeat. — *rude*, incultum, neglectum, doctrinae expers. — *alterius sic Al. p. op. res*, nos: *so bietet eins dem andern die Hand.*

v. 412—415. *Qui studet* cett. Quemadmodum is, qui ad victoris laudem adspirat in ludis, ubi cursu certatur, iam puer omnia fecit, quae ad corpus corroborandum spectant; et quemadmodum is, qui tibicen prodire vult ad celebranda Pythia, diu ante disciplina boni magistri usus in arte tibia canendi sese exercuit, ita poeta ad carmina scribenda bene praeparatum pectus afferre debet.

v. 413. *Multa tulit* cett. multa ei puero, sudanti et algenti, perferenda et perficienda sunt. (*Vet. Schol. Cruq.*) *Athletae, qui ad curule certamen instruebantur, non edebant carnes elixas, sed assas igni tantum, — abstinebant a Venere, et, ne forte per somnium noctu ludificarentur, laminas plumbeas renibus appendebant.*

v. 414. *Pythia*, Apollo iam infans ingentem serpentem Pythona sagittis interfecerat, unde Apollo *Pythius*, et sacra, quae in eius honorem et in feliciter caesi draconis memoriam instituebantur, *Pythia* nominata sunt.

v. 416—418. *Nec satis est* cett. Nec satis est poetae nomen ad se transtulisse et superbius dixisse: Ego sum magnus poeta, ego eximia carmina pango, male sit ei, qui in certamine est ultimus; ab aliis me superari, et fateri, me (*sane*) vere nescire, quae non didici, id mihi est turpe. — Sine dubio respexit Horatius poetam aliquem, sic de se sentientem et sic fere loquentem, poetam aliquem, qui pertinebat ad eos, de quibus supr. Horatius Epist. II, 2, 107: *Gaudent scribentes et se venerantur, et ultro, Si taceas, laudant, quicquid scripsere beati.* — *quod n. did. nesc.* Supr. v. 88: *prave pudens* dicitur, qui *nescire* quam *discere* aliquid malit.

„Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est,
„Et, quod non didici, sane nescire, fateri."
Vt praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta
Dives agris, dives positis in foenore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,

v. 417. *scabies*, haec vox fuisse videtur opprobrium, quo pueri currendo certantes ei, qui ultimus ad metam venerat, rem malam imprecabantur; ad convicia pertinet *scabies* apud Catull. XLVII, 2. — *extremum* et *relinqui* translata sunt a certaminibus, ubi victi a victoribus post tergum relinquebantur.

v. 418. *sane nescire*, me utique ignorare.

Praeceptum ultimum: Vltima huius epistolae pars versatur in descriptione cum assentatorum, qui carmina scribentibus vel maxime fugiendi, tum virorum vere doctorum et prudentium, qui ab iis, qui carmina evulgaturi sint, adeundi, et, ut vitia in illis animadversa benevole secum communicent, decenter rogandi sunt. Monet imprimis Horatius divites poetas, ne in fraudem se induci patiantur ab assentatoribus, lucri faciendi causa se obtrudentibus, et simulanter quaevis, tanquam ab ipsis Musis dictata, ad coelum usque extollentibus. Assentatorum imaginem, vivis coloribus ab Horatio expressam, excipit descriptio severi carminum iudicis, qualem Quinctilium fuisse ait Horatius. Ex ore igitur Quinctilii (v. 445—476.) *audimus plurima, quibus scriptores obnoxii sunt, vitia, omnibus, qui illa fugere cupiunt, tanquam speculum, in medio posita.*

v. 419—421. *Vt praeco* cett., poeta dives assentatores lucri capiendi spe ad se allicit et invitat, veluti praeco, qui emtores ad merces emendas invitat vel: quemadmodum praeco — ita dives poeta cett. Non raro enim post *sicut*, *ut*, particula *ita* omittitur, ut infr. v. 455. cf. *Drakenb.* ad Liv. IX, 17. §. 4. et XXXIV, 9. p. 10. — *positis in foen. nummis*, de locutione *nummos in foenore ponere* pro: foenori dare, vide, quae supra observavimus ad Epod. II. vers. ult.

v. 422—425. *Si vero* cett. Sensus: Quod si vero poeta dives non est avarus, ut alias esse solent divites, sed is, qui (*unctum*) convivam, (*recte*) ut decet liberalem convivatorem, (*ponere*) lautis epulis excipere, pro paupere spondere, eumque gravioribus litibus implicitum expedire possit, eiusmodi poeta dives et *beatus* non facile falsum a vero amico discernet; quo maior enim est liberalitas, eo tectior est assentatorum fraus et calliditas.

v. 422. *unctum*, convivam, convi-

Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter-
Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu, seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Laetitiae; clamabit enim: *pulchre! bene! recte!*
Pallescet, super his etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram.
Vt, qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic

vae enim unguentis delibuti interesse solebant splendido convivio; *Fulv. Vrs. Append. apud Ciacconium de Triclinio* p. 123. *Sed coenas obire soliti non erant, — nisi lauti prius et uncti fuissent.* — *ponere*, ponuntur vel collocantur convivae in lecto triclinari; hinc *positi*, accumbentes; Ovid. Met. XIII, 638: *positique tapetibus altis*, (vestibus stragulis, quibus lecti insterni solebant,) *Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho*; cf. ibi *Gierig*.

v. 423—424. *Et spondere levi pro paup.*, *spondere pro aliquo* dicitur, qui aes alienum a debitore solutum iri promittit, et fidem suam interponit; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *spondere*. — *levi*, levioris fidei apud creditorem, quia pauper, quod pignori det, non habet. — *Litibus atris*, misere vexantibus, ut *atra cura*, supr. Od. III, 1, 40. et Sat. II, 7, 115. — *qui* — *possit*, cur homo dives id facere non *possit*, modo velit? Respexit Horatius, ut iam monui, avaros, qui, ut tale quid faciant, a se impetrare non possunt; inest igitur voci *possit* iam haec vis, ut sit: qui a se impetrare possit hoc, ut convivas ad lautam coenam vocet, ut spondeat cett., nisi quis *ponere possit* pro: ponat, dictum esse putet.

v. 426—429. *Tu, seu donaris* cett. Nolito ei, qui iam dona a te accepit, aut se accepturum esse sperat, laetitiae de acceptis aut accipiendis donis adhuc pleno versus tuos recitare; is enim clamabit: *pulchre! bene! recte!* — *Pallescet*, obstupescet, prae stupore vultum mutabit. — *super his etiam* (πρὸς δὲ τούτοις), insuper, praeterea, plane ut supr. Epist. II, 2, 24: *Quereris super hoc etiam.* — *stillabit*, stillatim ex oculis demittet lacrimarum guttas, eleganter pro: lacrimabit; *stillare* (sinere stillare) cum accusativo, ut *manare mella poetica*, supr. Epist. I, 19, 44., ubi vid. not. — *lacrimarum ros* apud Ovid. Met. XIV, 708. — *amicis*, piis et intimos quasi animi sensus prodentibus.

v. 430. *tundet pede terram*, summae voluptatis, quam simulat, sensu abreptus saltabit, sic supr. Od. I, 4, 7. Gratiae cum Nymphis saltantes *alterno pede terram quatere* dicuntur.

v. 431—432. *conducti*, mercede conducebantur, qui ploratus in funere ederent; respexit Hor. *mulieres praeficas*, lamentationi quasi praefectas; vid. *Kirchm. de Funer. Rom.* II. c. VI. — *dic. Et fac. prope plura*

Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urguere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus. Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares, Corrige, sodes,
Hoc, aiebat, et hoc; melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra, delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere versus.

dolent. ex animo, dicendo (dum in laudes mortui erumpunt) et faciendo (dum crines scindunt et plangunt pectora cett.) plura doloris signa edunt, quam qui ex vero animi sensu dolent.

v. 433. *Derisor*, qui simulatione alios ludit, ut supr. Sat. II, 6, 54. — *movetur*, externis scilicet graviter commoti animi signis.

v. 434. *Reges*, beatiores, divites, ut passim, e. c. supr. Od. I, 4, 14. — *mult. urg. cul.*, eum premere multis culullis (nos: *tüchtig zutrinken*), *quem* cett. de *culullo*, poculo capaciore, vid. supr. ad Od. I, 31, 11.

v. 435. *torquere mero*, vino, tanquam tormenti quodam genere, aliquem explorare; hinc supr. Epist. I 18, 38: *Commissumque teges et vino tortus et ira*, et Od. III, 21, 13. vinum vocatur *tormentum*.

v. 436—437. *Si carmina condes*, Tu igitur, si versus a te factos recitabis, cave tibi, ne unquam te ludant assentatores. — *sub vulpe*, sub astutae vulpis pellicula, sub callido pectore; *vulpes* enim, animal callidissimum, proverbiali locutione pro callido quovis ponitur. Persius V, 116. 7: *Pelliculam veterem retines, et fronte politus Astutam vapido servas sub pectore vulpem.* — Sic supr. Sat. II, 1, 64: Lucilius ausus esse dicitur *Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis.*

v. 438. *Quintilius*, quam carus fuerit hic *Quintilius* Horatio, apparet ex carmine, quo eius mortem deflevit. Supr. Od. I, 24., ubi de eo vide in *Argum.*

v. 439 — 441. ad *negares* repete *si*, si tu diceres, te bis terque frustra corrigere tentasse, quod Quintilius corrigendum monstraverat, idem te totum locum delere, et male elaboratos versus de integro elaborare iubebat; — *male tornati versus*, male compositi; *tornatus, caelatus, expolitus, exasciatus* translata sunt ab artificibus, qui opus aliquod vel torno effingunt, vel caelo exsculpunt, vel lima expoliunt, vel ascia laevigant; sic versus elegantissimi supr. Epist. II, 2, 91: *Caelatum novem Musis opus* vocantur, ubi vide not.; cum addit Horatius *incudi reddere*, perstat in imagine ab artifice quodam translata, ab eo scilicet, qui opus, quod diffingere vult, iterum *tradit incudi*; sic supr. Od. I, 35, 39 — 40: *ferrum retusum incude diffingere* dicitur. Iunxit igitur Horatius duas inter se imagines, alteram ab artifice, qui opus torno fin-

Si defendere delictum, quam vertere, malles,
Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit;
Fiet Aristarchus; non dicet: Cur ego amicum
Offendam in nugis? Hae nugae seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Vt mala quem scabies aut morbus regius urguet,

git, alteram ab eo, qui metallum incude diffingit, ductam; quod cum non ferre possent acutioris ingenii viri, *Bentleius*, *Cuningamus* et alii, huic loco emendando, frustra puto, insudarunt.

v. 442. *vertere*, mutare, emendare.

v. 443—444. *Nullum ultra verbum* cett., ne verbum quidem addebat, nec opera sua amplius impedire studebat, quominus tibi soli tuisque versibus placeres *sine rivali*, sine ullius invidia. Qui facit, quod nemo imitari vult, non habet *rivalem* et aemulum. Commode *Lambinus* affert locum Ciceronis ad Q. Frat. III, 8: *Hirrus auctor fore videtur. O dii! quam ineptus, quam se ipse amans sine rivali.* — *insumebat* per zeugma proximo tantum nomini *operam* accommodatum est, ad *verbum* aliud, v. e. addebat, adiiciebat vel simile supplendum est.

v. 445. *versus inertes*, quibus deest poetae vis et ingenium, inelegantes, moleste incedentes, ieiuni.

v. 446—448. *incomt. allinet atrum Transv. cal.* cett. Versus negligenter, temere et sine arte fusos, transversa per calamum lineola, vel asterisco, vel obelo (ut versus quosdam Homericos Aristarchus) notabit. — *Ornamenta ambitiosa*, placendi et vanae gloriae captandae causa ambitiose conquisita, *luxuriantia*, ut dicuntur supr. Epist. II, 2, 122. — *coget*, sc. scriptorem.

v. 449. *Arguet*, indicabit, ut supr. Od. I, 13, 7. et Epod. XI, 10.

v. 450—452. *Aristarchus*, grammaticus Alexandrinus, qui pro libidine Homero versus abiudicabat, eosque obelo, h. e. veru, transversa lineola, notabat, proverbiali locutione pro quovis severo iudice ponitur; vide imprimis de eo *Illustr. Wolfii Proleg.* ad Homer. Vol. I. §. 45. p. 247. *Villoison.* in Anecdot. Gr. Tom. II. p. 172. et in Prolegom. ad Homer. pag. XVII. — *non dicet: Cur ego* cett., non dicet, ut alius fortasse minus severus et paulo indulgentior iudex: „cur ego amicum meum in levioris momenti peccatis offendam?“ non, inquam, ita dicet Quintilius; nam haec ipsa leviora, non mature reprehensa, postea bonae famae scriptoris, semel decepti et parum honorifice ab aliis diiudicati, nocebunt.

v. 453—456. *Vt mala* cett. Iunge: *Qui sapiunt*, *poetam vesanum*,

Aut fanaticus error et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam,
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimis versus ructatur et errat,
Si, veluti merulis intentus, decidit, auceps,
In puteum foveamve, licet, Succurrite, longum
Clamet, Io cives! non sit, qui tollere curet:
Si quis curet opem ferre, et demittere funem,
Quî scis, an prudens huc se deiecerit, atque
Servari nolit? dicam, Siculique poetae
Narrabo interitum: Deus immortalis haberi

ut eum, quem scab. — urguet, Aut fanat. err. et irac. Diana, timent tetigisse fugiuntque. — *mala*, abominabilis. — *morbus regius*, arquatus, aurugo (a colore auri), ἴκτερος (ab ave lutei vel flavi coloris), nos: *Gelbsucht.* Varro apud Plinium XXII, 24. S. 53: *regium cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam mulso curetur.* Scilicet *mulsum* (vinum melle conditum) pertinet ad delicias, quas reges imprimis et beatiores appetunt et facile sibi comparare possunt. Celsus quoque Lib. III. c. 24. s. f. nomen *regii morbi* repetit a remediis, quorum usus regum imprimis et ditiorum opibus patet.

v. 454. *fanaticus error*, insania, furor, quo aliquis correptus huc illuc agitur. — *Diana* dicitur *iracunda*, aut quia violata furorem immittit, aut quia, cum simul sit *Luna* in coelo, tam crescens, quam decrescens, magnam vim in furiosos habet, unde illi dicuntur *lunatici*, σεληνιακοί, σεληνόβλητοι.

v. 456. *agitant pueri*, sc. vesanum poetam; *incauti*, parum sibi caventes ab impetu, quem furiosus in se facere possit.

v. 457—459. *sublimis*, erecto in altum capite. — *ructatur*, egregie ad rem, aiunt quidem interpretes; equidem hoc non magis honeste dictum esse puto, quam apud Cic. in Cat. II, 5: *caedem eructare sermonibus.* — *errat*, foras in campo vel silvis huc illuc vertitur et ruit, bacchatur et circumvagatur; hanc explicationem postulant sequentia. — *longum*, non ad tempus, sed ad voces in longum ductas refero. Virgil. Aen. IV, 463. de bubone: *longas in fletum ducere voces. longum clamare* dictum, ut apud Graecos: μακρὸν ἀΰτεῖν.

v. 460. *non sit, qui toll. cur*, tum neminem adesse velim, qui eum extrahendum curet.

v. 463—466. *Siculique poetae* — *Empedocles*, philosophus et Physicus Agrigentinus, egregium carmen de rebus physicis scripsit, Cic. de Orat. I, 50., unde iam dicitur *poeta Siculus.* De caeteris eius scriptis vid. *Fabric. Bibl. Graec.* II, 12. Fabula de eius interitu circumferebatur haec: Cum immortalis haberi cuperet, eum, aiunt, clam in montem Aetnam enixum eo consilio ibi in ardentem craterem se praecipitem dedisse, ut, si repente evanuisset, ex homine

Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit. Sit ius, liceatque perire poetis:
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit; nec, si retractus erit, iam
Fiet homo, et ponet famosae mortis amorem.
Nec satis apparet, cur versus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus; certe furit, ac velut ursus,
Obiectos caveae valuit si frangere clathros.
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus;

deus factus esse crederetur; rem autem ferreis eius crepidis ex cratere cum massa ardente eiectis patefactam esse. — Ostendere igitur vult Horatius hac narratione, magnum adeo illum poetam Empedoclem eo consilio in craterem Aetnae desiluisse, ne a quoquam inde posset extrahi et servari. — Caeterum diversas de Empedoclis morte narrationes, hac ipsa de mortali illo ad immortalitatem saltu haud praetermissa, refert Diog. Laert. VIII, 79.

v. 465. *frigidus* facete opponitur *ardenti Aetnae.*

v. 466. *Sit ius*, *liceatque* cett., detur poetis venia et potestas pro animi arbitrio pereundi. — *ius*, potestas, ut supr. v. 284: *sublato iure nocendi.*

v. 467. *idem facit occidenti*, idem facit, quod occidens, idem, ac si eum occidat, (*τὸ αὐτὸ ποιεῖ τῷ κτείνοντι.*) Lucret. IV, 1168: *Nempe eadem facit, et scimus facere omnia, turpi, — eadem turpi*, pro: eadem, ac turpis, ut explicat ibi *Creech.* — Redit Horatius ad insanum poetam (v. 462.), qui prudens volensque fortasse in puteum deiectus servari nolit.

v. 468. *Nec semel hoc fecit*, sed idem facit iterum.

v. 469. *Fiet homo*, ad sanam mentem redibit. — *famosae*, memorabilis et sermonibus hominum celebrandae.

v. 470—473. *utrum Minxerit in patrios cineres*, utrum ob scelus quoddam gravius in furorem coniectus sit, nec ne, certe furit; locutio *in patrios cineres mingere*, pro: patrios cineres impio pectore turbare, vel protervius iis insultare, aeque ac supr. v. 457. *versus ructari* displicet.

v. 471. *bidental*, locus fulmine tactus ideoque solemni more expiatus atque consecratus. Ad hunc locum, sepimenti quodam genere clausum, nemini patebat aditus, et qui ullo modo eum profanaverat, grave scelus commisisse putabatur. Dictus autem ille est a mactata hostia, *bidente*, qua expiabatur *bidental.*

v. 472. *Moverit*, violaverit, turbaverit; supr. Epod. XVII, 3: *Per et Dianae non m o v e n d a numina.*

v. 473. *clathros*, cancellos, sive virgas ligneas vel ferreas, in cratis modum dispositas, quibus obiectis intra caveam continentur ferae bestiae.

v. 474. *acerbus*, acerbo molestus,

Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

v. 475. *tenet*, tanquam vinctum retinet; — *occiditque legendo;* hinc supr. Sat. I, 3, 89. qui, ut captivus, amaras historias audire cogitur, lepide *iugulum porrigere* dicitur.

v. 476. *Non missura* cett., sicut hirudo, quae tenaciter inhaeret cuti, nec eam, nisi plena exsucti cruoris, ex ore dimittit. Theocrit. II, 55—56. de amore tenaciter inhaerente animo. — *τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα Ἐμφὺς ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;* — de omissa particula comparationis *sicut* ad *hirudo* vid. supr. ad Epist. I, 2, 42.

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY: Horatius Flaccus, Quintus
Vol. 3

Bibliographic Irregularities in the Original Document
List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: _____

_____ Volumes(s) missing/not available: Title page missing

_____ Illegible and/or damaged page(s): _____

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: _____

_____ Bound out of sequence: _____

_____ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: University of Pennsylvania

_____ Other: _____

VOLUME 3

Chas. Short

INDICES

IN

Q. HORATII FLACCI

CARMINA

LOCUPLETISSIMI.

EDITIO TERTIA AUCTIOR MULTO ET EMENDATIOR.

LIPSIAE
SUMTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE.
MDCCCXXXVII.

PRAEFATIO.

Quum avus meus dilectissimus *Fr. Guil. Döringius*, superiore anno a me petiisset, ut Indices Horatianos, antequam denuo typis excuderentur, diligenter perlegerem et, quae minus recte in iis viderentur disposita, corrigerem et rectius constituerem, libenter quidem suscepi hoc negotium, sed, non in eo acquiescendum ratus, ut haec illa, quibus Indices nostri inquinati essent, menda tollerem, mutato plane priorum Editorum consilio, id mihi proposui, ut praeterea satis amplam verborum copiam, neglectam omnino ab illis et omissam, *pronomina* dico et *particulas*, reciperem ac pari tractarem et in ordinem redigerem diligentia, quam reliqua vocabula. Propositi tenax non deterreri me passus sum difficultatibus cum hoc labore conjunctis; licet plurimis ac diversissimis, quae munus meum mihi imponit, negotiis distentus, strenue tamen omne, quod mihi supererat, vacuum tempus in hos Indices retractandos et complendos insumsi. Ita li-

ber magnopere auctus in lucem prodit; nolo tamen, praeconis instar, quae adjeci, quae correxi aut rectius disposui, singula quaeque enumerare, sperans, neminem Indices nostros evoluturum, quin, quantopere aucti sint et emendati, statim videat.

Hildesiae, mense Octobr. MDCCCXXXVI.

Dr. *G. Regel.*

INDEX VERBORUM.

INDEX VERBORUM.

A.

A, AB, ABS, 1) *de loco unde aliquid exit:* risus ab angulo Od. I. 9. 22. Hesperia sospes ab ultima Od. I. 36. 4. Hispana repetit Penates ab ora Od. III. 14. 4. ab Africa rediit Od. IV. 8. 18. redeuntes a furno Sat. I. 4. 37. a Fabricio ponte reverti Sat. II. 3. 36. ab officiis redit Ep. I. 7. 47. ordiri ab interitu Meleagri Ep. ad Pis. 146. Trojanum bellum orditur ab ovo Ep. ad Pis. 147. surgente a sole Sat. I. 4. 29. solis ab ortu Od. III. 27. 12. solis ab Hesperio cubili Od. IV. 15. 16. ab agro decurrens lupa Od. III. 27. 2. migravit ab aure voluptas Ep. II. 1. 187. porrectus ab inguine palus Sat. I. 8. 5. provoces ab inguine fascinum Epod. 8. 19. ab imo ad summum Sat. II. 3. 308. Janus summus ab imo Ep. I. 1. 54. ab infimis eripiunt acquoribus rates Od. IV. 8. 31. a rostris manat rumor Sat. II. 6. 50. ab orno pendulum collum Od. III. 27. 58. ab ovo usque ad mala Sat. I. 3. 6. merces tibi defluat ab Jove Od. I. 28. 29. ilex ab ipso ducit opes ferro Od. IV. 4. 59. duxit ab oppressa Carthagine nomen Sat. II. 1. 66. a te deposco cunnum Sat. I. 2. 69. removere ab aliqua re Od. III. 5. 43. Sat. I. 6. 18. Sat. II. 1. 71. Sat. II. 5. 52. Ep. ad Pis. 384. a corio absterrebitur Sat. II. 5. 83. matris ab ubere depulsus Od. IV. 4. 14. a populo in Persas aget pestem Od. I. 21. 14. vertit iram ab Ilio in Ajacis ratem Epod. 10. 13. a labris fugientia flumina Sat. I. 1. 68. nullum a labore me reclinat otium Epod. 17. 24. victor discessit ab hoste Ep. I. 10. 37. torquet ab obscoenis sermonibus aurem Ep. II. 1. 127. raptus ab Ida Od. III. 20. 16. ossa ab ore rapta canis Epod. 5. 23. distinet a domo Od. IV. 5. 12. — sordidus a tenui victus distabit Sat. II. 2. 53. a te abludit imago Sat. II. 3. 320. 2) *de tempore:* a puero (pueritia) Sat. I. 4. 97. a certis annis Sat. I. 6. 94. ad umbram lucis ab ortu Ep. II. 2. 185. scriptoris ab aevo Ep. II. 1. 62. qualis ab incepto processerit Ep. ad Pis. 127. 3) *post:* ab Achille secundus Sat. II. 3. 193. 4) *de actione:* natus ab Inacho Od. II. 3. 21. ab his majoribus orti Sat. I. 5. 55. laudatur ab his, culpatur ab illis Sat. I. 2. 11. mos traditus ab antiquis Sat. I. 4. 117. locus a Diomede conditus Sat. I. 5. 92. a me gratia major debetur Sat. I. 6. 88. ridetur ab omni Sat. I. 7. 22. a praetore datus Ep. I. 1. 103. ab Jove donari possit Ep. I. 12. 3. lassus ab equo Sat. II. 2. 10. — ab ipso audieris melius Sat. II. 8. 32. 5) *de disjunctione:* sospes ab ignibus Od. I. 37. 13. mentem ab insolenti temperatam laetitia Od. II. 3. 3. sanus ab illis Sat. I. 4. 129. se pudicum servavit ab omni facto Sat. I. 6. 83. tutus ab latronibus Sat. II. 1. 42.

ABDERE, *e conspectu removere:* lupi barbam abdiderint furtim terris Sat. I. 8. 43. argento abdito terris Od. II. 2. 2. latet abditus agro Ep. I. 1. 5. (*turri*) abdita virgo Od. III.

16. 5. abdita rerum Ep. ad Pis. 49. — *de exauctoratis militibus:* cohortes abdidit oppidis Od. III. 4. 38.

ABESSE, abes jam nimium diu Od. IV. 5. 2. funere absint naeniae Od. II. 20. 21. canities Od. I. 9. 17. pauperies Od. III. 16. 37. Ep. II. 2. 199. vitium procul afore chartis Sat. I. 4. 101. abest virtute diserti Ep. ad Pis. 370. — uncus Od. I. 35. 20. quid abest rei Od. III. 24. 64. si quid abest, Italis adjudicat armis Ep. I. 18. 57.

ABIGERE, nives abigunt mercatorem Od. III. 24. 40 abacta nulla conscientia Epod. 5. 29. curas Ep. I. 15. 19. pauperies abacta epulis regum Sat. II. 2. 44.

ABJICERE, instrumento artis abjecto Sat. I. 3. 131. si te uret sarcina chartae, abjicito Ep. I. 13. 7. — *omittere:* abjectis nugis Ep. II. 2. 141.

ABIRE, abeo Sat. I. 6. 61. cupis abire Sat. I. 9. 14. si per janitorem mora fiet, abito Od. III. 14. 24. abi Ep. I. 7. 53. Od. IV. 1. 7. domum Epod. 11. 20. abeas aequus alumnis Od. III. 18. 3. abeunte curru (*sc. solis, de vespera*) Od. III. 6. 44. — *discedere:* quorsum (*in quam partem*) abeant? Sat. II. 3. 246. missus abibis Sat. II. 1. 86. excusatus abirem Ep. I. 9. 7. — *in dicendo, a proposito discedere:* illuc, unde abii, redeo Sat. I. 1. 108. — *inde simpliciter de excusatis:* abeat fortuna superbis Ep. ad Pis. 201. — *de iis, quae traduntur aliis:* ad sanos abeat tutela propinquos Sat. II. 3. 218. — *rem omittere:* tempus abire tibi est Ep. II. 2. 215. — *aberrare:* ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit Sat. II. 3. 50. — *de tempore:* tota abit hora Sat. I. 5. 14.

ABLUDERE, haec a te non multum abludit imago Sat. II. 3. 320.

ABNEGARE, nec comitem abnegat Od. I. 35. 22.

ABNORMIS, *nicht schulgerecht*, sapiens Sat. II. 2. 3.

ABOMINATUS, *passive:* Hannibal parentibus abominatus Epod. 16. 8.

ABORTIVUS, ut abortivus fuit olim Sisyphus Sat. I. 3. 46.

ABRADERE, conspexit abrasum (al. adrasum) quendam, Ep. I. 7. 50.

ABROTONUM, *rarius* ABROTONUS (*Linn. Stabwurz*) aegro dare Ep. II. 1. 114.

ABRUMPERE, nec valet Theseus abrumpere vincula Pirithoo Od. IV. 7. 27.

ABSCINDERE, 1) *amputare:* abscissum caput Sat. II. 3. 303. 2) *separare:* Deus abscidit Oceano terras Od. I. 3. 21. inane abscindere soldo Sat. I. 2. 113. — *intercludere:* reditus Epod. 16. 35.

ABSCONDERE, abscondere cavis Sat. II. 3. 173

ABSENS, *de hominibus:* Od. III. 27. 57. Sat. I. 3. 21. absentem qui rodit amicum Sat. I. 4. 81. absentem ut cantat amicam Sat. I. 5. 15. ranae absentis Sat. II. 3. 314. absentes Epod. 1. 18. vellicet absentem Sat. I. 10. 79. lauderis ut absens Sat. II. 5. 72. — *de rebus:* urbem absentem Sat. II. 7. 28. laudetur Rhodus absens Ep. I. 11. 21.

ABSISTERE, bello Sat. I. 3. 104.

ABSOLVERE, commotae crimine mentis absolves hominem Sat. II. 3. 279.

ABSONUS, *discrepans:* fortunis absona dicta Ep. ad Pis. 112.

ABSORBERE, ridiculus totas simul absorbere placentas Sat. II. 8. 24. — *absumere:* ut decies solidum absorberet Sat. II. 3. 240.

ABSTARE, *recedere:* si longius abstes Ep. ad Pis. 362. ne te retrahas et inexcusabilis abstes Ep. I. 18. 58.

ABSTEMIUS, *abstinens:* in medio positorum abstemius Ep. I. 12. 7.

ABSTERRERE, canis a corio nunquam absterrebitur Sat. II. 5. 83. aliena opprobria absterrent vitiis Sat. I. 4. 129.

ABSTINENS, *c. genit.:* abstinens ducentis ad se cuncta pecuniae Od. IV. 9. 37. — *simplic.:* dum fugit abstinens Od. III. 7. 18.

ABSTINERE, 1) *transit.:* abstinuit vim uxore et gnato Sat. II. 3. 203. 2) *intransit.:* inventis miser abstinet Ep. ad Pis. 170. abstinet armis ibd. 379. abstinuit Venere et vino ibd. 414. — *c. gen.:* abstineto irarum et rixae Od. III. 27. 69.

ABSUMERE, absumet haeres Caecuba Od. II. 14. 25. rebus paternis fortiter absumtis Ep. I. 15. 27.

ABUNDARE, *nimium esse in aliqua re, c. c. in opera sua:* neu desis operae, neve immoderatus abundes Sat. II. 5. 89.

ABUNDE, abunde satis est Sat. I. 2. 59. valetudo contingat abunde Ep. I. 4. 10.

AC *et* ATQUE (*illud apud Horat. nonnisi ante consonantes, hoc sequentibus et consonantibus et vocalibus*). *Ponuntur* 1) *copulative:* hic atque ille Sat. I. 4. 126. iterum atque iterum Sat. I. 10. 39. etiam atque etiam Ep. I. 18. 76. dolores atque aestus curasque graves Sat. I. 2. 110. sensus moresque atque ipsa utilitas Sat. I. 3. 98. Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae atque alii Sat. I. 4. 1. 2. in se ipso totus, teres atque rotundus Sat. II. 7. 86. vocatus atque non vocatus Od. II. 18. 40. cogere ac non cessare Ep. I. 10. 46. pueris concedere ludum, ac non verba sequi Ep. II. 2. 143. ac neque iam stabulis gaudet pecus nec Od. I. 4. 3. nil moror officium, ac neque ficto in peius vultu proponi cereus usquam, nec prave factis decorari versibus opto Ep. II. 1. 264. nec magis huic tuo tenerum est femur aut crus rectius, atque etiam melius persaepe togatae est Sat I. 2 82. stultum atque etiam insanum Sat. II. 3. 306. — *Interdum post distinctionem majorem:* Ep. I. 1. 13. Ep. I. 18. 58. Ep. I. 19. 26. cf. s. v. ET. 2) *in comparatione:* (in) Inachia langues minus, ac me Epod. 12. 14. non tuus hoc capiet venter plus ac meus Sat. I. 1. 46. altius ac nos praecinctis Sat. I. 6. 5. arctius atque Epod. 15. 5. minus atque Sat. 2. 7. 96. non se pejus cruciaverit atque hic Sat. I. 2. 22. ego ac tu Ep. I. 16. 32. non secus ac Ep. ad Pis. 149. simul ac Sat. I. 1. 67. Sat. I. 2. 18. 33. Sat. I. 4. 119. Sat. I. 8. 21. Sat. I. 9. 34. Ep. I. 13. 11. Ep. I. 16. 78. Ep. II. 1. 226. aeque ac tu, Sat. II. 3. 47. nihilo plus explicet ac si Sat. II. 3. 270. insanius ac si, Sat. I. 10. 34. suavius ac si, Sat. I. 6. 130. (cf. Heind. ad Sat. I. 1. 46.)

ACCEDERE, ne nunc, cum me vocat, ultro accedam Sat. II. 3. 263. accedes siccus ad unctum Ep. I. 17. 12. accedere plures ad numerandum Sat. II. 3. 149. illis accedas socius Sat. II. 5. 72. ingens accedit stomacho fultura ruenti Sat. II. 3. 154. opera accedes agro nona Sabino Sat. II. 7. 118. o, si angulus ille accedat Sat. II. 6. 9. meae vocis accedet bona pars Od. IV. 2. 46. accessit fervor capiti numerusque lucernis Sat. II. 1. 25. accessit numerisque modisque licentia major Ep. ad Pis. 211. tantum de medio sumtis accedit honoris ibd. 243. ubive accedent anni Sat. II. 2. 85. accedente senecta Ep. II. 2. 211.

ACCENDERE, ignis accendit Ilion Epod. 14. 14. — *de animo, incitare:* accendis, quare cupiam magis Sat. I. 9. 53.

ACCEPTUS, *gratus:* Camoenis Phoebus Carm. Saec. 62. libertas accepta per annos Ep. II. 1. 147.

ACCERSERE vid. ARCESSERE.

ACCĬDERE, quid accidit Epod. 5. 61. quin etiam illud accidit, ut Sat. I. 2. 45.

ACCĪDERE, *sensim imminuere:* opes accisae Sat. II. 2. 114.

ACCIPERE, 1) nihilo plus accipias Sat. I. 1. 48. „accipe, quod nunquam reddas mihi", si tibi dicam, tune insanus eris, si acceperis? Sat. II. 3. 66. 67. simul accepit mille talenta Sat. II. 3. 226. jus imperiumque Phraates accepit Ep. I. 12. 28. retulit acceptos Philippos Ep. II. 1. 234. accipit bis dena sestertia Ep. II. 2. 33. das nummos, accipis uvam Ep. II. 2. 162. certius accipiet damnum Ep. I. 10. 28. 2) *excipere:* quum semel accepit (leo) solem Ep. I. 10. 17. *mensae aliquem:* murem mus paupere fertur accepisse cavo Sat. II. 6. 81. ut ego accipiar laute Sat. II. 8. 67. 3) *auribus, audire:* pauca accipe contra Sat. I. 4. 38 Sat. II. 2. 70. Sat. II. 3. 46. ibd. 233. ibd. 307. Sat. II. 5. 10. 4) *animo:* puer hic non laeve jussa accipiebat Ep. I. 7. 53. 5) *inde: probare aliquid:* nec aequis accipiunt animis Ep ad Pison. 250. lex est accepta ibd. 283. 6) *de provocatione:* accipe, si vis, accipiam tabulas Sat. I. 4. 14. 15. accipio Sat. I. 5. 58. accipiet tandem Sat. II. 5. 68.

